UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 01010814 0



Digitized by the Internet Archive
in 2009 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/bullarumdiplomat14cath

BULLARIUM

ROMANUM

HEcc
B

BULLARUM
DIPLOMATUM ET PRIVILEGIORUM
SANCTORUM ROMANORUM PONTIFICUM
TAURINENSIS EDITIO

LOCUPLETIOR FACTA

COLLECTIONE NOVISSIMA PLURIUM BREVIUM, EPISTOLARUM, DECRETORUM ACTORUMQUE S. SEDIS

A S. LEONE MAGNO USQUE AD PRAESENS

CURA ET STUDIO

COLLEGII ADLECTI ROMAE VIRORUM S. THEOLOGIAE ET SS. CANONUM PERITORUM

QUAM

SS. D. N. PIUS PAPA IX

APOSTOLICA BENEDICTIONE EREXIT

AUSPICANTE

EMO AC REVMO DNO S. R. E. CARDINALI

ALOYSIO BILIO.

33079
2/3/94

TOMUS XIV

Ab URBANO VIII (an. MDCXXVIII ad ann. MDCXXXIX).

AUGUSTAE TAURINORUM
A. VECCO ET SOCIIS EDITORIBUS
SUCCESS. SEBASTIANI FRANCO ET FILIORUM
M DCCC LXVIII.

BX
7530
H37
1957
c.14

LECTORI BENEVOLO

EDITORES TAURINENSES

S.

Quatuor vix mensibus post editum Operis nostri tomum decimumtertium, en decimumquartum, sexaginta supra tercentas Urbani VIII a sexto ad sextumdecimum inclusive annum sui Pontificatus constitutiones exhibentem, evulgamus, quem protinus, si Deus faveat, decimusquintus excipiet reliquos quinque ipsius Urbani VIII annos totumque Innocentii X Pontificatum usque ad annum Reparatae Salutis MDCLV feliciter producturus.

Ne quae in anteactis voluminibus praelocuti sumus frustra repetamus, hoc unum, candide Lector, iterum iterumque precamur, ut animum tantisper advertas ad proxime adiectum quamplurimarum emendationum catalogum, quas adhibere non parvum utique, neque, ut speramus, infructuosum negotium nobis fuit, ut editionem hanc nostram ab innumeris et foedissimis mendis, quibus, in hisce praesertim voluminibus quae nunc nobis recudenda obtigere, scatet editio Romana, servaremus immunem. Incredibile dictu! minus quam quingentae paginae Mainardianae immanem plusquam mille

et ducentorum σφαλμάτων segetem vel potius farraginem runcandam nobis praebuere. Quorum plurima, nempe octingenta et amplius, postremae paginae ducentae tomi VI partis I illius editionis solae ipsae confecerunt. Quin quod quatuor vel quinque interdum paginae plusquam centum erratorum spissam densamque turbam oculis nostris aeque ac menti tumultuose bellum utique molestissimum inferentem quandoque obiiciebant, veluti prae ceteris videre est a pag. 385 ad 389 tomi VI partis I, iterumque a pag. 160 ad 164 tomi VI partis II. Eaque errata intelligo, non levia tantummodo quae facile lector non omnino indoctissimus per se emendaret, at pleraque etiam graviora et insignia, atque, ut ita dicam, maiorum gentium, in quibus errare vel saltem haerere ac molestiam pati poterant etiam doctiores. Quid dicam? certe aut dormitavit dum ista edebantur aut longissime Urbe abfuit clarissimus romanae editionis curator, typothetis plerumque inscitissimis opere derelicto, ut tot nedum errores sed monstra et portenta errorum in Pontificias constitutiones gliscerent illasque foedarent. Quî enim aliter fieri potuisset ut *Curiae* pro *curae*, *semper afficiat* pro *spem afferat*, *restituendum* pro *resistendum*, *descruerunt* pro *desciverunt*, *Con dedissent* pro *non dedissent*, et *non fratrum* pro *confratrum*, *tamen* pro *tempore*, *multare* pro *mutare*, *Iuliae Maiestatis* pro *laesae maiestatis*, *bonis* pro *bovis*, *celebritate* pro *celeritate*, *exercitiis* pro *exequiis*, *commissi essent* pro *commisissent*, *contrarium* pro *contraitum*, *termino* pro *edicto*, *ne eis* pro *necis*, iterumque *istis* pro *certis*, *feret* pro *foret*, *perfecerit* pro *profecerit*, *praestiterit* pro *perstiterit*, *permiserunt* pro *promiserunt*, 6 *mil.* pro *scutorum millium*, *Si* pro *Ii*, *tenes* pro *toties*,

nomine pro *nostris*, *fructus* pro *status*, *Nostris* pro *novis*, *vice* pro *iure*, *incinctis* pro *in cibis*, *artibus* pro *actibus*, *pariuntur* pro *patiuntur*, *circa* pro *certa*, *praesumunt* pro *praesunt*, *iniri* pro *inibi*, *contrahunt* pro *contra hunc*, *postea* pro *pestis* cuderetur (item *sic*, *etc.* ac dein nova linea § 9 *Quae*, dum scribendum erat § 9 *Sicque*) et alia huiusmodi sexcenta sensum periodorum omnino perturbantia, quibus emendandis Œdipo coniectore opus fere est, qui sphingi interpres fuit. Taceam integra quandoque commata vel oscitanter praetermissa, vel contra perperam intrusa, vel extra locum suum posita, et saepe saepius discordantia tempora, personas ac numeros verborum cum suis subiectis, vel participiorum et adiectivorum casus itemque numeros cum suis substantivis, vel syntaxis inflexiones et exitus aliter quam vellent particulae quae orationis sensum et spiritum vim habent suspendendi. Saepissime etiam scribendi compendiis, quae in manuscriptis frequenter occurrunt, misere deceptus fuit romanus recensor, et ipse vicissim lectoris deceptor, dum illa explendi solertia ipsi defuit; adeo ut ex. g. verborum gerundia quae in bullis plerumque breviatim scripta reperiuntur fere nunquam non incongrua desinentia finiverit. Quibus omnibus si addas inconsulto ac temere prorsus adhibitam interpunctionem, creberrima scribendi compendia vel mutila verba et obtruncata, quae, cum diversimode exire possint, lectorem suspensum detinent, longam singularum paginarum faciem in iisque linearum spissam multitudinem, ad haec orthographiae leges passim turpissime neglectas ac perversam vocabulorum periodorumque dispositionem, quid mirum si adeo implexa ac plane δυσνόητα evadant in illa editione diplomata Pontificia, iam ipsa per se

lectu captuque difficillima, ut nonnisi cum praegrandi et quandoque intolerabili molestia percurri possint?

Porro quantum curarum atque laborum exantlandum nobis fuit ut Opus Ecclesiae utilissimum ad hanc purgatiorem commodioremque formam redigeremus cordatus quisque intelligit. At cordi nobis erat aliena fide non abuti, et probi hominis esse cogitabamus, quidquam operis in se suscepit, id quam absolutissimum reddere quantum in ipso est studere. Equidem opus tam laboriosum, tam copiosum ac varium minime putamus ita omnibus numeris absolutum perfectumque et expolitum reddidisse ut nusquam secundas curas expostulet, vel in omnibus rem, ut aiunt, acu veluti nos tetigisse nequaquam speramus; in locis tamen quamplurimis potuisse, felicitate non sperata, genuinam assequi coniectura lectionem, adeoque vim ingentem, ut ait quidam, carbonum ex hoc thesauro nos amandasse, hominem esse non puto qui serio negaverit.

Vale, benevole Lector, ac curis quas studiis tuis dicamus unice, pro eo ac candore tuo dignum est, benigne favere perge.

Augustae Taurinorum, kalendis augusti MDCCCLXVIII.

A. Vecco et Socii.

TABULA

Quae novum ordinem *refert, quo chronologice dispositae sunt Pontificiae Constitutiones in Editione Taurinensi, collatum cum* veteri ordine *Romanae Editionis Hieronymi Mainardi.*

Edit. Taur Tom. XIV			Edit. Rom. Tom. VI, part. I
		URBANUS VIII.	
1628	CCXCVIII	Iniuncti nobis apostolici	273
»	CCXCIX	Cum, sicut nos, non sine	274
»	CCC	Exponi nobis nuper fecit	275
»	CCCI	Cum, sicut dilectus filius	276
»	CCCII	Singularia circumspectionis	277
»	CCCIII	Aliàs, pro parte dilecti filii	278
»	CCCIV	Cum, sicut accepimus,	279
»	CCCV	Aliàs, per felicis recordat.	280
»	CCCVI	Nuper a nobis emanarunt	268
»	CCCVII	Pastoralis officii nostri	281
»	CCCVIII	Decet Roman. Pontificem	282
»	CCCIX	Quod a Roman. Pontificibus	283
»	CCCX	Cum, sicut accepimus, in	284
»	CCCXI	Creditum humilitati nostrae	285
»	CCCXII	Exponi nobis nuper fecit	286
»	CCCXIII	Ex clementi Sedis Apost.	287
»	CCCXIV	Iustis et bonestis christifid.	288
»	CCCXV	Assidua de nostris et S.R.E.	289
»	CCCXVI	Aliàs a felicis recordationis	290
	CCCXVII	Eximius maiestatis tuae	291
»	CCCXVIII	Quoniam divinae bonitati	292
»	CCCXIX	Exponi nobis nuper fecit	293
1629	CCCXX	Exponi nobis nuper fecer.	294
»	CCCXXI	Exponi nobis nuper fecit	295
»	CCCXXII	Cum nuper, ut intolerabilibus submersionibus	296
»	CCCXXIII	Votis et precibus pro S. E.	242
»	CCCXXIV	Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii	298
»	CCCXXV	Exponi nobis nuper fecit	297
»	CCCXXVI	Militantis Eccles. regimini	299
»	CCCXXVII	Romanus Pontifex ad ea	300
»	CCCXXVIII	Exponi nobis nuper fecit	301
»	CCCXXIX	Tuis in nos et hanc S. Sedem	302
»	CCCXXX	Cum ad salutem animarum	303
»	CCCXXXI	Inter ceteras apostolicae	304
»	CCCXXXII	Commissi nobis per abundantiam	305
»	CCCXXXIII	Inter ceteras apostolicae	306
»	CCCXXXIV	Romanus Pontifex ad ea	307
»	CCCXXXV	Debitum pastoralis officii	308
»	CCCXXXVI	Nuper a nobis emanarunt	309
1629	CCCXXXVII	Sacri apostolatus ministerio	310
»	CCCXXXVIII	Exponi nobis nuper fecit	311
»	CCCXXXIX	Inter gravissimas multiplicesque apostolicae	313
»	CCCXL	Exponi nobis nuper fecit	312
»	CCCXLI	Universalis Eccl. regimini	314
»	CCCXLII	Salvatoris et Domini nostri	315
»	CCCXLIII	Cum, sicut nobis innotuit,	316
»	CCCXLIV	Singulari diligentiâ et	317
»	CCCXLV	Ad militantis Eccl. regimen	357
»	CCCXLVI	Sacrosanctum apostolatus	318
»	CCCXLVII	Felici ac prospero collegii	319
»	CCCXLVIII	Exponi nobis nuper fecit	320
»	CCCXLIX	Felici ac prospero eccles.	321
	CCCL	Sacrosanctae militantis	322
»	CCCLI	In Sede Principis Apostol.	323
»	CCCLII	Aliàs a felicis recordationis	324
»	CCCLIII	Irritatus assiduis humani	325
»	CCCLIV	Pastoralis officii nobis ex	326
»	CCCLV	Aliàs a nobis emanarunt	327
»	CCCLVI	Impensarum moles, quas	328
1630	CCCLVII	Ex incumbenti nobis apost.	329
»	CCCLVIII	Sedes Apostolica pia mater	330
»	CCCLIX	Regis pacifici vices	331
»	CCCLX	Universalis Eccl. regimini	332
»	CCCLXI	Inter gravissimas pastoralis	333
»	CCCLXII	Complura pietatis et	334
»	CCCLXIII	Ad clavum apostolicae	335
»	CCCLXIV	In specula militantis Eccl.	336
»	CCCLXV	Exponi nobis nuper	337
»	CCCLXVI	Pater misericordiarum	349
»	CCCLXVII	Nuper a nobis	349
»	CCCLXVIII	Cum capitulum generale	338
»	CCCLXIX	Nuper, certis de causis	339
»	CCCLXX	Cupientes prospero	340
»	CCCLXXI	Cum nos hodie te in	341
»	CCCLXXII	Nuper, certis de causis	342
»	CCCLXXIII	Ad uberes fructus, quos	343
»	CCCLXXIV	Cum, sicut accepimus,	344
»	CCCLXXV	Romanus Pontifex, universalis Ecclesiae	345
»	CCCLXXVI	Paterna de nostris et S.R.E.	346
»	CCCLXXVII	Pro nostro munere in his	347
»	CCCLXXVIII	In Sede Principis Apostol.	348

Edit. Taur Tom. XIV			Edit. Rom. Tom. VI, part. I
1630	CCCLXXIX	Nuper a nobis emanarunt	349
»	CCCLXXX	Commissi nobis per . . .	350
»	CCCLXXXI	Gregis Dominici cura . .	351
»	CCCLXXXII	Exponi nobis nuper fecit	352
»	CCCLXXXIII	Nuper a nobis emanarunt	349
1631	CCCLXXXIV	Considerantes ducatum . .	353
»	CCCLXXXV	Supremâ dispositione illius	354
»	CCCLXXXVI	Cum, sicut nobis nuper .	355
»	CCCLXXXVII	Hodie, per alias nostras .	356
»	CCCLXXXVIII	Aliâs a nobis emanarunt .	357
»	CCCLXXXIX	Aliâs a nobis emanarunt .	358
»	CCCXC	In Sede Principis apostol.	359
»	CCCXCI	Aliâs a nobis emanarunt .	360
»	CCCXCII	Cum S. R. E. cardinales, .	361
»	CCCXCIII	Inscrutabili iudiciorum Dei	362
»	CCCXCIV	Religiosos viros, qui spretis	363
	CCCXCV	Apostolatus officium nobis	364
	CCCXCVI	Cum capitulum generale .	365
»	CCCXCVII	Militantis Eccles. regimini	366
»	CCCXCVIII	Nuper, pro parte	367
»	CCCXCIX	In supereminenti Sedis . .	368
»	CD	Aliâs a nobis emanarunt .	360
»	CDI	Cum, sicut nobis nuper .	369
»	CDII	Exponi nobis nuper fecit .	370
»	CDIII	Quoniam in regimine . .	371
»	CDIV	Nuper pro parte venerabilis	372
»	CDV	Exponi nobis nuper . . .	373
»	CDVI	Cum, sicut accepimus, pro	374
»	CDVII	Paternae ac praecipuae .	375
»	CDVIII	Cum, sicut nobis nuper .	376
»	CDIX	Nuper, pro parte dilectorum	377
»	CDX	Aliâs a nobis emanarunt .	378
»	CDXI	Exponi nobis nuper . . .	379
»	CDXII	Ex incumbenti nobis . . .	380
»	CDXIII	In specula militantis Eccl.	381
»	CDXIV	Romanum decet Pontificem	382
»	CDXV	Cum, sicut ex litteris . .	383
	CDXVI	Cum, sicut ex litteris . .	384
	CDXVII	Cum, sicut accepimus . .	387
»	CDXVIII	Maiestatis tuae votis, quae	385
	CDXIX	Maiestatis tuae nomine . .	386
	CDXX	Sanctae et Immaculatae Virginis, ...	388
	CDXXI	Supplici christifidelium . .	389
»	CDXXII	Inter gravissimas	390
»	CDXXIII	Aliâs felicis recordationis	391
»	CDXXIV	Aliâs a nobis emanarunt .	392
»	CDXXV	In suprema pastoralis . .	394
»	CDXXVI	Ratio pastoralis officii . .	393
1632	CDXXVII	Vota, quae Deo fiunt . .	395
»	CDXXVIII	Cum nos nuper, considerantes funestos	396
»	CDXXIX	Cum nos nuper in	397
»	CDXXX	Nuper nos in subventionem	398
»	CDXXXI	Exponi nobis nuper . . .	399
»	CDXXXII	Cupientes ut in maiori . .	400
»	CDXXXIII	Omnes et singuli Ecclesiae	401

Edit. Taur Tom. XIV			Edit. Rom. Tom. VI, part. I
1632	CDXXXIV	Exponi nobis nuper . . .	402
»	CDXXXV	Cum nuper Gaspar episc.	403
»	CDXXXVI	Sancta Mater Ecclesia . .	404
»	CDXXXVII	Unanimi catholicae Eccl..	405
»	CDXXXVIII	Exponi nobis nuper fecit	406
»	CDXXXIX	Licet episcopus Albanensis	407
	CDXL	Aliâs, cum Gaspar episc.	408
»	CDXLI	Aliâs nos in subventionem	409
»	CDXLII	Aliâs a nobis emanarunt .	410
»	CDXLIII	Decet Roman. Pontificem	411
»	CDXLIV	Nuper pro parte dilecti .	412
»	CDXLV	Cupientes dilectis filiis .	413
»	CDXLVI	Exposuit nobis charissimus	414
»	CDXLVII	Ex commissi nobis per .	415
»	CDXLVIII	Romanus Pontifex in Sede	416
»	CDXLIX	Cum, sicut accepimus, . .	417
»	CDL	In apostolicae dignitatis .	418
»	CDLI	Aliâs felicis recordationis .	419
1633	CDLII	Quoniam in regimine . .	420
»	CDLIII	Ex dignis et rationalibus .	421
»	CDLIV	Speculatores domus Israel	422
»	CDLV	Exponi nobis nuper fecit .	423
»	CDLVI	Cum maiestas tua per suas	424
»	CDLVII	Ex debito pastoralis officii	425
»	CDLVIII	Ad universalis Ecclesiae .	426
»	CDLIX	Hodie pro parte charissimi	427
»	CDLX	Sancta mater Ecclesia, .	428
»	CDLXI	Expositum nobis nuper .	429
»	CDLXII	Cupientes, ut in monasterio	430
»	CDLXIII	Militantis Eccles. regimini	431
»	CDLXIV	Cum sicut nobis nuper . .	434
»	CDLXV	Nuper pro parte dilectorum	435
»	CDLXVI	Aliâs a nobis emanarunt .	432
»	CDLXVII	Exponi nobis nuper fecit .	433
»	CDLXVIII	Cum, sicut dilectus filius .	436
»	CDLXIX	Iniuncti nobis per abundantiam divinae	437
»	CDLXX	Cum aliâs in regnis Castellae	438
»	CDLXXI	Cum, sicut accepimus, licet	439
»	CDLXXII	Sanctissimus Dominus noster sedulo	441
1634	CDLXXIII	Singularia atque eximia .	440
»	CDLXXIV	Aliâs a nobis emanarunt .	442
»	CDLXXV	Inter ceteras, quibus . . .	443
»	CDLXXVI	Salvatoris et Domini nostri	444
»	CDLXXVII	Nuper pro parte dilectorum	445
»	CDLXXVIII	Cum, sicut dilectus filius	446
»	CDLXXIX	Apostolatus officium humilitati	447
»	CDLXXX	Apostolatus officium humilitati	448
»	CDLXXXI	Alma et pia mater Ecclesia	449
»	CDLXXXII	Nuper nos, ingentes . . .	450
»	CDLXXXIII	Iteratis precibus, atque in	451
»	CDLXXXIV	Redemptoris nostri Iesu .	452
»	CDLXXXV	Pastorali charitate, qua . .	451

Edit. Taur. Tom. XIV		Edit. Rom. Tom. VI, part. I	
1634	CDLXXXVI	Sacri apostolatus ministerio	453
»	CDLXXXVII	Magnis causis adducti . .	454
»	CDLXXXVIII	Volentes nos, pro eo, quo	455
»	CDLXXXIX	Aliàs per nos accepto, quod	456
»	CDXC	Licet omnia christifidelium	457
»	CDXCI	Caelestis Hierusalem cives	458
		Tom. VI, part. II	
	CDXCII	Nuper pro parte dilecti filii	459
»	CDXCIII	Inter gravissimas multiplicesque	460
»	CDXCIV	Cum, sicut nuper exponi .	461
	CDXCV	Cum, sicut accepimus, . .	462
	CDXCVI	Militantis Eccles. regimini	463
»	CDXCVII	Exponi nobis nuper . . .	464
»	CDXCVIII	Cum, sicut accepimus, in	465
»	CDXCIX	Iniunctum nobis desuper.	466
»	D	Nuper pro parte dilectorum	467
	DI	Romanum decet Pontific.	469
»	DII	Exponi nobis nuper fecit	468
	DIII	De iuribus ecclesiarum . .	470
»	DIV	Sancta Synodus Tridentina	471
1635	DV	Cum, sicut accepimus, . .	472
»	DVI	Aliàs per nos accepto, . .	473
»	DVII	Constantis et eximiae . . .	474
	DVIII	Aliàs, ob funestos haereticorum	475
»	DIX	Inter cetera apostolicae . .	476
	DX	Aliàs felicis recordationis	477
	DXI	Certis de causis animum .	478
	DXII	Cum, sicut accepimus, . .	479
»	DXIII	Cum residentia a sacris .	480
	DXIV	In supremo iustitiae solio.	481
	DXV	Exponi nobis nuper . . .	482
	DXVI	Hodie, pro parte	483
	DXVII	Cum superioribus mensibus	484
	DXVIII	Nuper pro parte dilectorum	485
»	DXIX	Exhibita nobis nuper . . .	486
	DXX	Nuper a nobis emanarunt.	486
»	DXXI	In quantis eorum angustiis	487
	DXXII	Aliàs a nobis emanarunt .	488
	DXXIII	Cum residentia a sacris .	489
»	DXXIV	Nuper pro parte venerab.	490
	DXXV	Nuper pro parte dilectorum	491
	DXXVI	Exponi nobis nuper fecit.	492
	DXXVII	Cum, sicut dilectus filius .	493
	DXXVIII	Cum, sicut accepimus, ob	494
	DXXIX	Cum, sicut accepimus, licet	495
	DXXX	Aliàs nos, dilector. filiorum	496
	DXXXI	Aliàs a nobis emanarunt.	497
	DXXXII	Aliàs a felicis recordationis	498
	DXXXIII	Exponi nobis nuper fecit.	499
	DXXXIV	Religiosos viros, qui, . .	500
1636	DXXXV	Ad occurrendum motibus .	363
»	DXXXVI	Pro excellenti praeeminentiâ	501
	DXXXVII	Ex quo regimen universalis	502

Edit. Taur. Tom. XIV		Edit. Rom. Tom. VI, part. II	
1636	DXXXVIII	Inter gravissimas multiplicesque	503
»	DXXXIX	Cum aliàs piae memoriae	504
»	DXL	Exponi nobis nuper fecit .	505
»	DXLI	Exposuit nobis nuper . . .	506
»	DXLII	Attendentes universo gregi	507
»	DXLIII	Aliàs recolendae memoriae	508
»	DXLIV	Licet vigore tuarum . . .	509
»	DXLV	Exponi nobis nuper fecit .	510
»	DXLVI	Cum, sicut pro parte dilect.	511
»	DXLVII	Apostolatus nobis desuper	512
»	DXLVIII	Nuper pro parte dilectorum	513
	DXLIX	Aliàs a felicis recordationis	514
»	DL	Aliàs a nobis emanarunt .	515
»	DLI	Licet aliàs fel. recordationis	516
»	DLII	Cum, sicut accepimus, . .	518
»	DLIII	Cum, ob praesentium . .	519
»	DLIV	Quamvis, tam de iure, . .	520
»	DLV	Exponi nobis nuper . . .	521
»	DLVI	Cum, sicut dilectus filius .	522
	DLVII	Pastoralis officii nostri . .	523
	DLVIII	Cum nuper nos ad	524
	DLIX	Cum, sicut accepimus, . .	525
	DLX	Exponi nobis nuper fecit.	526
»	DLXI	Exposuit nobis nuper . .	527
1637	DLXII	Ex incumbenti nobis . . .	528
	DLXIII	In supremo apostolatus .	530
	DLXIV	Inter gravissimas multiplicesque	529
	DLXV	Altitudo divinae providentiae, ...	531
	DLXVI	Aliàs a nobis emanarunt.	532
	DLXVII	Aliàs, postquam fel. record.	533
	DLXVIII	Exponi nobis nuper . . .	534
	DLXIX	Aliàs, supplicationibus . .	535
	DLXX	Exponi nobis nuper fecit .	536
	DLXXI	Magnum in Christo . . .	537
	DLXXII	Aliàs nos per nostras . .	538
»	DLXXIII	Cum, sicut dilecti filii . .	539
	DLXXIV	Cum, sicut accepimus, . .	540
	DLXXV	Exponi nobis nuper . . .	541
	DLXXVI	Hodie pro parte dilectorum	542
»	DLXXVII	Hodie pro parte dilectorum	543
	DLXXVIII	Nuper pro parte venerabilis	544
»	DLXXIX	Nuper pro parte dilectorum	545
»	DLXXX	Exponi nobis nuper fecit .	546
	DLXXXI	Cum sicut dilecti filii fratres	547
	DLXXXII	Conservationi et manuten.	548
»	DLXXXIII	Cum, sicut dilecti filii fr.	549
	DLXXXIV	Gregis Dominici animarum	550
»	DLXXXV	Olim felicis recordationis	551
	DLXXXVI	Cum, sicut dilectae in Christo	552
»	DLXXXVII	Acceptis nuper a charissimo	553
	DLXXXVIII	Exponi nobis nuper fecit	554
	DLXXXIX	Cum annis praeteritis . .	555
	DXC	Postquam venerabilis frater	556

Edit. Taur. Tom. XIV			Edit. Rom. Tom. VI, part. II
1637	DXCI	Cum hodie per alias nostras	557
»	DXCII	Aliàs, sub die XX augusti,	558
»	DXCIII	Nuper pro parte dilecti filii	559
1638	DXCIV	Sincerae fidei et devotionis	560
»	DXCV	Exponi nobis nuper fecit .	561
»	DXCVI	Exponi nobis nuper fecit .	562
»	DXCVII	Cum, sicut accepimus, in	563
»	DXCVIII	Cum, sicut accepimus, ex	564
»	DXCIX	Cum, sicut dilectus filius .	565
»	DC	Publicae quietis zelo ducti	566
»	DCI	In iis praecipue sollicitud.	567
»	DCII	Nuper pro parte dilectorum	568
»	DCIII	Aliàs a felicis recordationis	571
»	DCIV	Iniuncti nobis a Domino .	570
»	DCV	Cum, sicut accepimus, . .	569
»	DCVI	Super universas orbis eccl.	572
»	DCVII	Nuper pro parte dilectorum	573
»	DCVIII	Quamvis, iuxta canonicas .	574
»	DCIX	Nuper pro parte dilectorum	575
»	DCX	Cum, sicut dilectus filius .	576
»	DCXI	Exponi nobis nuper fecit .	577
»	DCXII	Conservationi et manuten.	578
»	DCXIII	Aliàs a nobis emanarunt .	579
»	DCXIV	Aliàs a nobis emanarunt .	580
»	DCXV	Nuper pro parte dilectorum	581
»	DCXVI	Nuper pro parte dilectorum	582
»	DCXVII	Christi Salvatoris nostri, .	583
»	DCXVIII	Aliàs a venerabilibus . .	584
»	DCXIX	Cum, sicut dilectus filius .	585
»	DCXX	Cum anno proxime venturo	586
»	»	Cum evenire quandoque .	586
»	DCXXI	Constantis vestrae fidei et	587
»	DCXXII	Cum vices illius, qui regnat	588
»	DCXXIII	Nuper pro parte dilecti filii	589
»	DCXXIV	Cum post factam de persona	590
»	DCXXV	Aliàs felicis recordationis .	591

Edit Taur. Tom. XIV			Edit. Rom. Tom. VI, part. II
1639	DCXXVI	Sacrosanctae militantis . .	592
»	DCXXVII	Constantis fidei et sincerae	593
»	DCXXVIII	Cum, sicut nobis nuper . .	594
»	DCXXIX	Aliàs felicis recordationis .	595
»	DCXXX	Nuper pro parte dilectorum	596
»	DCXXXI	Cum, sicut nobis nuper .	597
»	DCXXXII	Quoniam nemo debet sibi	598
»	DCXXXIII	Aliàs a nobis emanarunt .	599
»	DCXXXIV	Cum, sicut dilectae in Christo	600
»	DCXXXV	Quamvis ad ubertatem in	601
»	DCXXXVI	Aliàs a felicis recordationis	602
»	DCXXXVII	Cum, sicut dilecti filii . .	603
»	DCXXXVIII	Commissum nobis a Domino	604
»	DCXXXIX	Cum, sicut accepimus, . .	605
»	DCXL	Exponi nobis nuper fecit .	606
»	DCXLI	Iniuncti nobis per abundantiam	612
»	DCXLII	Cum rationi minus consentaneum	607
»	DCXLIII	In his apostolici nostri . .	608
»	DCXLIV	Nuper pro parte dilecti .	609
»	DCXLV	Ex iniuncti nobis apostolici	610
»	DCXLVI	Iniuncti nobis desuper . .	611
»	DCXLVII	Prospero felicique dilect.	612
»	DCXLVIII	Cum ea, quae propter . .	613
»	DCXLIX	Onerosa pastoralis officii .	614
»	DCL	Romanus Pontifex, aequi .	615
»	DCLI	In his pastoralis officii . .	616
»	DCLII	Cum, sicut accepimus, . .	617
»	DCLIII	Inter ceteras apostolicae .	618
»	DCLIV	Onerosa pastoralis officii .	619
»	DCLV	Decet nos ex pastoralis .	620
»	DCLVI	Admonemur pastoralis . .	621
»	DCLVII	Cum, sicut dilectus filius .	622

ERRATA-CORRIGE

Pag.	63	CCCLXXXV	*Lege:* CCCXXXV	*Pag.*	357	CDLXXIII	*Lege:* CDLXXII
»	154	CCCXLXXII	— CCCLXXII	»	369	CDLXXII	— CDLXXIII
»	155	CCCLXXIII	— CCCLXXIV	»	487	CXIX	— DXIX
»	157	CCCLXXIV	— CCCLXXV	»	512	DXXV	— DXXXV
»	299	CDLXIV	— CDXLIV	»	648	DCII	— DCIII

INDICULUS

SS. PONTIFICUM CONSTITUTIONUM

QUAE IN HOC TOMO XIV

EXTRA ORDINEM CHRONOLOGICUM VAGANTUR.

Datum	*A. D.*		*Pag.*
		SIXTUS V.	
9 Septembris	1586	Decet Romanum Pontificem, cuius fidei cura	612
		GREGORIUS XIV.	
5 Augusti	1591	Hodie a nobis emanarunt	708
5 Augusti	1591	Ex iniuncto nobis	708
		CLEMENS VIII.	
24 Iulii	1593	Regimini universalis Ecclesiae	312
		PAULUS V.	
13 Octobris	1607	Dudum, sicut nobis exponi fecit	32
17 Augusti	1615	Ecclesiae universae	506
3 Augusti	1617	In supremo apostolatus solio	545
31 Januarii	1618	Ex incumbenti nobis.	270
		GREGORIUS XV	
9 Maii	1622	Aliàs a felicis recordationis Paulo PP. V.	506
		URBANUS VIII.	
31 Maii	1625	Orthodoxae fidei	140
6 Februarii	1626	In cathedra beati Petri	127
13 Aprilis	1628	Apostolatus officium	201
7 Iulii	1629	Inter gravissimas.	334
21 Martii	1631	In sede Principis apostolorum	361
3 Decembris	1633	Circumspecta Sedis Apostolicae	490
8 Aprilis	1634	Sacri apostolatus.	393
26 Augusti	1634	Circumspectioni tuae.	700
16 (23) Iulii	1639	Inter ceteras apostolicae servitutis	744

INDEX

LECTIONUM, VEL MENDOSARUM, VEL DUBIARUM

EDITIONIS ROMANAE

QUIBUS OPPONUNTUR SINGULIS SINGULAE EMENDATIONES VEL LECTIONES

NOSTRAE EDITIONIS.

(*Vide Adv. tom.* XI *pag.* XII).

Advert. In numerandis lineis a parte superiori paginarum editionis Romanae nulla habetur ratio rubricarum et titulorum quando ab hisce incipit pagina vel columna. Viceversa in lineis numerandis ab infra nostrae editionis nulla habetur ratio notarum.

Edit. Rom. Maur. Tom. VI, *Part.* I					*Edit. Taur. Tom.* XIV.				
Pag.	137 *b*	linea	28 *ult.*	ac etiam	*Pag.*	3 *a*	linea	17 *ult.*	ac, tam
»	137 *b*	»	8 *ult.*	vobis et eorum alteri seu ut praefertur deputan. benevisi	»	3 *b*	»	5	vobis, et vestrum alteri, seu a vobis ut praefertur deputandis et eorum alteri benevisis
»	138 *a*	»	17 *ult.*	exigendis	»	4 *a*	»	16 *ult.*	exigendas
»	138 *a*	»	14 *ult.*	episcopi.	»	4 *a*	»	15 *ult.*	et episcopi
»	139 *a*	»	11	ab illorum.	»	5 *a*	»	7 *ult.*	aut illius ab illorum
»	139 *a*	»	20 *ult.*	facti	»	5 *b*	»	9 *ult.*	factis
»	139 *b*	»	9-10	nominandis...deputandis	»	6 *a*	»	21-22	nominandas.. deputandas
»	139 *b*	»	11 *ult.*	existentibus	»	6 *b*	»	18 *ult.*	existentis (*aut* existentium)
»	140 *a*	»	35	spectantium	»	7 *a*	»	15 *ult.*	spectantis (?)
»	140 *a*	»	36	gubernator.	»	7 *a*	»	14 *ult.*	gubernantur (?)
»	141 *a*	»	31	compescendo	»	8 *b*	»	15 *ult.*	compescendi
»	141 *b*	»	5	Georgii	»	9 *a*	»	5 *ult.*	Gregorii (?)
»	143 *b*	»	5	intimata	»	12 *a*	»	9 *ult.*	intimatae
»	143 *b*	»	12 *ult.*	ex nunc.	»	13 *a*	»	10	ex tunc
»	144 *a*	»	7	obviam ire	»	13 *a*	»	11 *ult.*	consulere, ac multis incommodis obviam ire.
»	128 *b*	»	15	acceptae.	»	14 *a*	»	21	acceptatae
»	128 *b*	»	20-21	fueris ... suffultus. . .	»	14 *a*	»	18 *ult.*	fuerint suffultae
»	145 *b*	»	2	quae	»	16 *b*	»	4	qua
»	146 *a*	»	29 *ult.*	constituendo.	»	17 *b*	»	16	construendo
»	146 *a*	»	12 *ult.*	eiusque	»	17 *b*	»	7 *ult.*	finesque (?)
»	146 *b*	»	15	reformatos.	»	18 *a*	»	21	reformatores
»	147 *a*	»	35	iis	»	19 *a*	»	24	sis
»	148 *a*	»	7	possit	»	20 *a*	»	3 *ult.*	potest
»	148 *a*	»	8	tenetur	»	20 *a*	»	2 *ult.*	teneatur

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* I.						*Edit. Taur. Tom.* XIV.				
Pag.	148 *a*	linea	12		actu.	*Pag.*	20 *b*	linea	4	acta
»	148 *a*	»	12		sivae	»	20 *b*	»	5	sive
»	148 *a*	»	18	*ult.*	dicit	»	21 *a*	»	2	dici
»	148 *b*	»	17	*ult.*	statutis, privilegiis . . .	»	21 *b*	»	15	*ult.* privilegiis
»	149 *a*	»	30	*ult.*	ducati.	»	22 *a*	»	1	*ult.* ducatus
»	150 *b*	»	24	*ult.*	Rolasco	»	24 *b*	»	12	*ult.* Nolasco
»	150 *b*	»	19	*ult.*	certis	»	24 *b*	»	8	*ult.* ceteris
»	151 *a*	»	11		contulerit	»	25 *a*	»	23	contulerint
»	151 *a*	»	3	*ult.*	aliàs	»	25 *b*	»	9	*ult.* vel aliàs
»	151 *b*	»	7		datis	»	26 *a*	»	1	datas (*vel* data)
»	151 *b*	»	17		eorumdem, tenore . . .	»	26 *a*	»	11	earumdem tenore
»	152 *a*	»	5		earum.	»	26 *b*	»	18	*ult.* harum
»	152 *a*	»	5	*ult.*	quampluries.	»	27 *a*	»	8	*ult.* quamplures
»	154 *a*	»	8		omnes et singulos etc. .	»	29 *b*	»	7	*ult.* omnibus et singulis etc.
»	155 *a*	»	16	*ult.*	Siciliae	»	32 *a*	»	2	Sardiniae
»	155 *b*	»	27	*ult.*	infra	»	32 *b*	»	19	*ult.* iuxta
»	160 *a*	»	21		etiamsi	»	39 *a*	»	12	*ult.* etiam, si
»	161 *a*	»	25		quarto.	»	40-41			decimoquarto
»	162 *a*	»	6		vertentes	»	42 *a*	»	15	*ult.* vertentibus (*vel* vertentium)
»	162 *a*	»	27		è	»	42 *b*	»	7	e
»	162 *b*	»		*rub.*	nuncio.	»	43 *a*	»		*rub.* collectori
»	163 *a*	»	17		excedentem	»	44 *a*	»	3	excedentium (*vel* excedens)
»	163 *b*	»	22		excedant	»	44 *b*	»	10	*ult.* excedat
»	163 *b*	»	26	*ult.*	una.	»	45 *a*	»	14	unam
»	163 *b*	»	21	*ult.*	praecedentes	»	45 *a*	»	20	procedentes
»	163 *b*	»	6	*ult.*	incurren.	»	45 *a*	»	6	*ult.* incurrendis poenis
»	164 *b*	»	11	*ult.*	derivatione	»	46 *b*	»	5	*ult.* derivationem
»	164 *b*	»	9	*ult.*	ut dicitur, ...	»	46 *b*	»	3	*ult.* et, ut dicitur
»	165 *a*	»	7	*ult.*	possint et debeant . . .	»	47 *b*	»	18	possit et deheat
»	120 *b*	»	30		iis	»	48 *a*	»	7	is
»	121 *a*	»	31		se.	»	48 *b*	»	12	*ult.* seu
»	121 *b*	»	30		privatas	»	49 *b*	»	14	praefatas
»	166 *b*	»	7	*ult.*	Clemens VIII	»	52 *a*	»	4	Clemens VII
»	167 *b*	»	10	*ult.*	contigit	»	53 *b*	»	12	contigerit
»	168 *a*	»	33		ipse.	»	54 *a*	»	10	ipsae
»	168 *b*	»	30		Gregorii... Clementis... Gregorii	»	54 *b*	»	7	*ult.* Gregorius... Clemens... Gregorius
»	168 *b*	»	8	*ult.*	hanc	»	55 *a*	»	22	*ult.* hanc partem
»	170 *a*	»	18		fidei et devotionis . . .	»	57 *a*	»	8	fide et devotione
»	171 *a*	»	25	*ult.*	nec.	»	58 *b*	»	14	*ult.* nec non
»	171 *a*	»	16	*ult.*	obiuraverint	»	58 *b*	»	4	*ult.* abiuraverint
»	172 *b*	»	21		obsistant.	»	60 *b*	»	25	obsistunt
»	173 *a*	»	18	*ult.*	quae	»	61 *b*	»	4	*ult.* qua
»	174 *a*	»	28	*ult.*	hanc	»	63 *a*	»	9	*ult.* hanc partem
»	174 *b*	»	21		regularium.	»	63 *b*	»	4	*ult.* regularium votis
»	175 *b*	»	15	*ult.*	accedentes	»	65 *b*	»	11	*ult.* ascendentes
»	176 *a*	»	20	*ult.*	hisque	»	66 *b*	»	6	his, quae
»	180 *a*	»	27	*ult.*	praedictarum	»	70 *a*	»	4	*ult.* praedictum
»	177 *b*	»	18	*ult.*	prohibitorum	»	71 *b*	»	4	*ult.* prohibitum
»	182 *a*	»	9	*ult.*	dirigant.	»	76 *a*	»	4	erigantur (?)
»	182 *b*	»	3		Romanus	»	76 *a*	»	16	Romanorum (?)
»	182 *b*	»	26		propter	»	76 *a-b*			tum propter
»	182 *b*	»	32		impiarum	»	76 *b*	»	7	impiarum haeresum
»	182 *b*	»	34		pravae.	»	76 *b*	»	8	pravae doctrinae
»	182 *b*	»	24	*ult.*	se.	»	76 *b*	»	19	*ult.* si
»	182 *b*	»	6	*ult.*	publica	»	76 *b*	»	1	*ult.* publicam

Edit. Rom. Main. Tom. XI, *Part.* I.					*Edit. Taur. Tom.* XIV.				
Pag.	183 *a*	linea	33 *ult.*	illorum	*Pag.*	77 *a*	linea	2 *ult.*	illarum (*vel* illius)
»	183 *b*	»	22	eorum	»	78 *a*	»	9	studiorum (?)
»	183 *b*	»	12 *ult.*	contrarias	»	78 *b*	»	3	contraria
»	186 *a*	»	4	secunda	»	81 *b*	»	2 *ult.*	prima
»	186 *a*	»	5	quarta	»	81 *b*	»	1 *ult.*	secunda
»	186 *a*	»	28	Curiae	»	82 *a*	»	20 *ult.*	curae
»	186 *a*	»	6 *ult.*	datam	»	82 *b*	»	18	data
»	186 *b*	»	13 *ult.*	sic etc. § 9 Quae	»	83 *a*	»	3 *ult.*	§ 9 Sicque
»	187 *a*	»	28	permittentes	»	83 *b*	»	6 *ult.*	permittens
»	187 *b*	»	2 *ult.*	ad	»	85 *a*	»	11	ac
»	187 *b*	»	1 *ult.*	perindeque	»	85 *a*	»	12	proindeque
»	188 *a*	»	15	semper afficiat	»	85 *a*	»	15 *ult.*	spem afferat
»	188 *a*	»	28 *ult.*	novem	»	85 *b*	»	13	..... (?)
»	188 *a*	»	26 *ult.*	dioecesis	»	85 *b*	»	15	dioecesum
»	188 *b*	»	1	pluries	»	86 *a*	»	1	plures
»	188 *b*	»	3	opere	»	86 *a*	»	4	operae
»	188 *b*	»	21 *ult.*	valde	»	86 *b*	»	8	valide
»	189 *a*	»	35	distinctos	»	87 *a*	»	20	distincto
»	189 *b*	»	13	reiecimus	»	87 *b*	»	21 *ult.*	retulimus (?)
»	189 *b*	»	22 *ult.*	quae	»	88 *a*	»	16	qua
»	189 *b*	»	15 *ult.*	quae	»	88 *a*	»	23	qua
»	190 *a*	»	13	quae	»	88 *b*	»	8	qua
»	190 *b*	»	21	singulorum	»	89 *a*	»	2 *ult.*	singularum
»	190 *b*	»	35	continuo	»	89 *b*	»	12	ac continuo
»	190 *b*	»	27 *ult.*	monasteris	»	89 *b*	»	20	monasterio
»	190 *b*	»	20 *ult.*	aut	»	89 *b*	»	15 *ult.*	quam
»	190 *b*	»	18 *ult.*	designandas	»	89 *b*	»	12 *ult.*	designanda
»	190 *b*	»	5 *ult.*	existentium	»	90 *a*	»	2	existentibus
»	191 *a*	»	8	cuilibet	»	90 *a*	»	13	cuiuslibet
»	191 *a*	»	4 *ult.*	commendatario	»	90 *b*	»	12 *ult.*	commendatarii
»	191 *b*	»	14	et pro	»	91 *a*	»	5	pro
»	191 *b*	»	19	monasterii	»	91 *a*	»	10	in monasterii
»	191 *b*	»	27	detrahendam	»	91 *a*	»	18	detrahi
»	191 *b*	»	19 *ult.*	perfici	»	91 *b*	»	2	praefici
»	192 *a*	»	17	introductorum	»	91 *b*	»	6 *ult.*	introductarum
»	192 *a*	»	22	prosequutionum	»	91-92			prosequutionem
»	192 *a*	»	28 *ult.*	S. Salvatoris	»	92 *a*	»	21	S. Salvatoris et priora-tibus praedictis
»	192 *a*	»	25 *ult.*	monasteriorum	»	92 *a*	»	24	monasterii
»	192 *b*	»	7	et	»	92 *b*	»	13	ex
»	192 *b*	»	9	respective per eos debentur fructibus	»	92 *b*	»	15	respective fructibus
»	192 *b*	»	12-13	bimestre vel trimestre	»	92 *b*	»	19	bimestri vel trimestri
»	192 *b*	»	21	portiones seu concordata	»	92 *b*	»	12 *ult.*	portione sic concordatá
»	192 *b*	»	34	acquieverit	»	93 *a*	»	2	acquieverint
»	193 *b*	»	10 *ult.*	cuiuscumque	»	94 *b*	»	5 *ult.*	cuiusque
»	193 *b*	»	6 *ult.*	etiam manu	»	95 *a*	»	1	manu
»	258 *b*	»	33	tam	»	96 *b*	»	11	etiam (*vel* istam)
»	258 *b*	»	2 *ult.*	fuerint sunt	»	97 *a*	»	4	fuerant. sint
»	259 *a*	»	1	qui dictum est	»	97 *a*	»	5	qui ut dictum est
»	259 *a*	»	14 *ult.*	Ordinum	»	97 *b*	»	19	Ordinis
»	259 *a*	»	1 *ult.*	alioquin	»	97 *b*	»	13 *ult.*	aliqui (?)
»	259 *b*	»	25	in illum	»	98 *a*	»	14	in illos
»	259 *b*	»	14 *ult.*	ita ut visitandi	»	98 *b*	»	2	visitandi
»	260 *b*	»	30	aut super	»	99 *a*	»	2	super
»	191 *b*	»	13	conformem	»	100 *b*	»	5 *ult.*	conformis
»	194 *b*	»	15	eo	»	100 *b*	»	3 *ult.*	eâ
»	194 *b*	»	16	existente	»	100 *b*	»	2 *ult.*	existentis

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* I.					*Edit. Taur. Tom.* XIV.				
Pag.	194 *b*	linea	24 *ult.*	habeant, et tam ipsi	*Pag.*	101 *a*	linea	15 *ult.*	habeat, et tam ipse
»	194 *b*	»	19 *ult.*	superioris	»	101 *a*	»	11 *ult.*	superiores
»	195 *a*	»	32	amplam auctoritatem, etiam tenore praedictis concedimus	»	101 *b*	»	2 *ult.*	amplam, auctoritate etiam et tenore praedictis, concedimus
»	195 *a*	»	17 *ult.*	fungentes	»	102 *a*	»	23 *ult.*	fungenti
»	195 *a*	»	1 *ult.*	eidem	»	102 *a*	»	7 *ult.*	eisdem
»	196 *a*	»	12 *ult.*	1627	»	103 *b*	»	19	1617
»	196 *b*	»	34	editis die	»	104 *a*	»	10 *ult.*	editis. Die
»	197 *b*	»	9	insertis	»	105 *b*	»	14	insertis habentes
»	198 *a*	»	10	adiuvandum	»	106 *a*	»	5 *ult.*	adiuvandam (?)
»	198 *a*	»	26	se esse munitam	»	106 *b*	»	13	se munitam
»	198 *a*	»	27	restituendum	»	106 *b*	»	14	resistendum
»	198 *a*	»	15 *ult.*	congregationis	»	106-107			congregationum
»	198 *a*	»	14 *ult.*	earumque	»	107 *a*	»	1	earum quae
»	198 *b*	»	18 *ult.*	pertinentia solven..	»	107 *b*	»	15 *ult.*	pertinentium
»	199 *a*	»	33 *ult.*	oneramus cum ceteris	»	108 *a*	»	2 *ult.*	oneratas, quum ceteris
»	199 *a*	»	32 *ult.*	personis	»	108 *b*	»	1	et personis
»	199 *b*	»	6	portiones	»	108 *b*	»	4 *ult.*	portionis
»	199 *b*	»	21 *ult.*	assignan. et distribuendi	»	109 *a-b*			assignandam et distribuendam
»	199 *b*	»	3 *ult.*	possitis, tibi	»	109 *b*	»	19	possitis) assignamus; ac tibi
»	200 *a*	»	9	nobis	»	109 *b*	»	9 *ult.*	vobis (?)
»	200 *a*	»	16	actu vigore	»	109 *b*	»	3 *ult.*	actu et vigore
»	200 *a*	»	1 *ult.*	expressis	»	110 *b*	»	9	concessis
»	200 *b*	»	21	subscriptae	»	110 *b*	»	11 *ult.*	subscriptione
»	200 *b*	»	17 *ult.*	vota	»	111 *a*	»	13	religiosorum vota
»	201 *a*	»	18	imperatorem	»	111 *b*	»	11	in imperatorem
»	201 *b*	»	9 *ult.*	praeterquam	»	112 *b*	»	7	*ult.* praeter
»	203 *a*	»	32	loco	»	114 *b*	»	6 *ult.*	loci
»	203 *a*	»	17 *ult.*	ecclesiasticis	»	115 *a*	»	16	quam ecclesiasticis
»	203 *b*	»	6	valeant	»	115 *a*	»	5 *ult.*	valeat
»	205 *a*	»	7 *ult.*	emendi	»	118 *a*	»	17	emendorum
»	205 *b*	»	12	emendo	»	118 *a*	»	8 *ult.*	emendis
»	205 *b*	»	1 *ult.*	incurrend..	»	119 *a*	»	7	incurrendis poenis
»	206 *a*	»	22	posse	»	119 *a*	»	12 *ult.*	posse declaramus
»	206 *b*	»	29 *ult.*	locatis	»	120 *a*	»	16	locato
»	207 *a*	»	1	solvendis	»	120 *b*	»	2	solvendorum (?)
»	207 *b*	»	30 *ult.*	comprehendantur	»	121 *b*	»	19 *ult.*	comprehendi
»	207 *b*	»	3 *ult.*	1630	»	122 *a*	»	9	1629 (?)
»	207 *b*	»	2 *ult.*	finiendis	»	122 *a*	»	9	finiendum
»	208 *a*	»	12 *ult.*	et dicto	»	122 *b*	»	18 *ult.*	dicto
»	208 *b*	»	4	cognoverit	»	122 *b*	»	3 *ult.*	cognoverint
»	208 *b*	»	18	dictae camerae	»	123 *a*	»	12	dictà camerà
»	209 *b*	»	30 *ult.*	ea	»	124 *b*	»	8 *ult.*	eo
»	211 *a*	»	26 *ult.*	quae	»	127 *a*	»	19 *ult.*	qua
»	213 *a*	»	28	capitulo	»	130 *a*	»	15 *ult.*	super capitulo
»	213 *a*	»	29	canonice *	»	130 *a*	»	14 *ult.*	canonice celebratis
»	214 *b*	»	5 *ult.*	regem	»	133 *a*	»	10	rege
»	215 *a*	»	17	dilectus filius	»	133 *a*	»	12 *ult.*	dilectos filios
»	215 *a*	»	28	inde	»	133 *b*	»	1	in de
»	215 *a*	»	18 *ult.*	praeterea	»	133 *b*	»	19 *ult.*	propterea (?)
»	215 *a*	»	8 *ult.*	cubiculo	»	133 *b*	»	9 *ult.*	cubiculis
»	216 *b*	»	7 *ult.*	praedictis	»	136 *a*	»	10 *ult.*	praedictis provideri

* At recte in edit. Main. legitur : *canonice habitis.*

Edit. Rom. Main. Tom. VI, Part.					*Edit. Taur. Tom. XIV.*				
Pag.	217 *a*	linea	4	quae	*Pag.*	136 *b*	linea	12	quá
»	217 *a*	»	6	descruerunt . .	»	136 *b*	»	14	desciverunt
»	217 *b*	»	18 *ult.*	commutandis . .	»	137 *b*	»	15 *ult.*	commutandi
»	217 *b*	»	16 *ult.*	deputandi . . .	»	137 *b*	»	13 *ult.*	dispensandi
»	218 *a*	»	1	in praemissis . .	»	138 *a*	»	5	ut tibi in praemissis
»	218 *a*	»	8 *ult.*	oblationem . .	»	138 *b*	»	20	oblationes
»	219 *a*	»	9 *ult.*	consulere	»	140 *a*	»	17	consulitur
»	219 *b*	»	17	status	»	140 *b*	»	7	status ecclesiastici
»	219 *b*	»	33	acceptare	»	140 *b*	»	17 *ult.*	acceptaret
»	219 *b*	»	7 *ult.*	persolvendas.	»	141 *a*	»	14	persolvendis
»	220 *a*	»	17	locorumque	»	141 *a*	»	6 *ult.*	locorum quae
»	220 *a*	»	11 *ult.*	fructus	»	141 *b*	»	7 *ult*	status
»	220 *a*	»	6 *ult.*	fiat	»	141 *b*	»	1 *ult.*	fiant
»	220 *a*	»	5 *ult.*	dividentur	»	142 *a*	»	1	qui dividentur
»	221 *a*	»	19 *ult.*	et capitula . .	»	143 *a*	»	3 *ult.*	capitula (*vel* per capitula)
»	221 *b*	»	14	multis	»	143 *b*	»	11 *ult*	multis
»	221 *b*	»	21	tres	»	143 *b*	»	7 *ult.*	trium
»	221 *b*	»	28	praecessuros	»	144 *a*	»	1	processuros
»	221 *b*	»	5 *ult.*	aliàs	»	144 *a*	»	5 *ult.*	aliis
»	222 *a*	»	17 *ult.*	conservandas et instaurandas	»	145 *a*	»	3	conservandos et instaurandos
»	222 *a*	»	9 *ult.*	quae	»	145 *a*	»	12	qua
»	222 *b*	»	30	sicut	»	145 *b*	»	7	cum, sicut
»	223 *a*	»	21	sedi.	»	146 *a*	»	17 *ult.*	sedis
»	241 *b*	»	16 *ult.*	desiderant.	»	150 *a*	»	19 *ult.*	desiderent
»	224 *b*	»	20 *ult.*	propositionibus, tractatibus, et resolutionibus... habendis et faciendis .	»	151 *a*	»	17 *ult.*	propositiones, tractatus, et resolutiones... habendas et faciendas
»	225 *a*	»	13	electionem	»	151 *b*	»	15	electorum
»	226 *b*	»	29	septima	»	154 *a*	»	5	sexta
»	227 *a*	»	3	electorem	»	154 *b*	»	1	electorum
»	227 *a*	»	19	septima	»	154 *b*	»	17	sexta
»	227 *b*	»	17 *ult.*	motu	»	155 *b*	»	18	motui
»	228 *a*	»	27 *ult.*	nostro.	»	156 *a*	»	2 *ult.*	nostris
»	229 *a*	»	8	eum.	»	157 *b*	»	22 *ult.*	cum
»	229 *a*	»	8 *ult.*	singuli	»	158 *a*	»	18 *ult.*	singulis
»	229 *b*	»	7	Con dedissent	»	158 *a*	»	5 *ult*	non dedissent
»	229 *b*	»	8	non fratrum	»	158 *a*	»	4 *ult.*	confratrum
»	229 *b*	»	29 *ult.*	quas ipsi	»	158 *b*	»	14 *ult.*	quas ipsi consequerentur, si
»	230 *a*	»	28	cuiusdam	»	159 *a*	»	1 *ult.*	cuiusque
»	230 *a*	»	9 *ult.*	provide	»	159 *b*	»	12 *ult.*	idem Pius provide
»	230 *b*	»	5	emanassent	»	160 *a*	»	3	emanasset
»	230 *b*	»	9	differentur	»	160 *a*	»	6	. . . . . (?)
»	230 *b*	»	12	habere	»	160 *a*	»	9	baberi
»	230 *b*	»	26	eisque.	»	160 *a*	»	23	eisdem
»	230 *b*	»	33	praedictis	»	160 *a*	»	10 *ult.*	praedictos
»	230 *b*	»	41	quarta.	»	160 *a*	»	1 *ult.*	quinta
»	230 *b*	»	45	decernentes	»	160 *b*	»	4	decernens
»	230 *b*	»	17 *ult.*	indulgentias.	»	160 *b*	»	11	indulgentiae
»	232 *b*	»	28	committerentur	»	163 *a*	»	11 *ult.*	committerent
»	232 *b*	»	16 *ult.*	statumque	»	163 *b*	»	15	statutaque
»	232 *b*	»	10 *ult.*	alia	»	163 *b*	»	22	alio
»	233 *a*	»	25	quod illas et illa ementes tuti sint et securi, quod illae	»	164 *a*	»	14	quod illae
»	233 *a*	»	19 *ult.*	eroganda	»	164 *a*	»	4 *ult.*	erogandi
»	233 *a*	»	1 *ult.*	seu ordinario	»	164 *b*	»	16	ordinario seu

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* I.					*Edit. Taur. Tom.* XIV.				
Pag.	233 *b*	linea	6	imposito	*Pag.*	164 *b*	linea	22	impositae (?)
»	233 *b*	»	11 *ult.*	nec non civitatis Ferrariensis huiusmodi, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis,	»	165 *a*	»	11 *ult.*	aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non civitatis Ferrariensis huiusmodi
»	234 *a*	»	15	et effectum	»	165 *b*	»	16	ad effectum
»	234 *b*	»	8	concessum	»	166 *a*	»	8 *ult*	concessam
»	234 *b*	»	18	inchoatam... finiendam.	»	166 *b*	»	2	inchoatum... finiendum
»	234 *b*	»	33	a te	»	166 *b*	»	18	a se
»	234 *b*	»	41	millium	»	166 *b*	»	26	millionum
»	234 *b*	»	12 *ult.*	concordiae	»	167 *a*	»	3	concordiae huiusmodi
»	234 *b*	»	9 *ult.*	et eo	»	167 *a*	»	6	eo (*vel* ex eo)
»	235 *a*	»	23	successive	»	167 *a*	»	2 *ult.*	successivae
»	235 *b*	»	31 *ult.*	ista	»	167 *b*	»	15	istae
»	236 *a*	»	1	octuaginta	»	168 *b*	»	21 *ult.*	octingentorum
»	236 *b*	»	16 *ult.*	pro illis	»	170 *a*	»	12	pro ilio
»	236 *b*	»	16 *ult.*	ad bonum	»	170 *a*	»	13	ad suum (?)
»	237 *a*	»	14	ducatorum	»	170 *a*	»	2 *ult.*	ducatorum huiusmodi (?)
»	237 *a*	»	7 *ult.*	quamvis	»	171 *a*	»	3	dummodo tamen (?)
»	237 *b*	»	11	intelligantur	»	171 *a*	»	21	intelligatur
»	238 *b*	»	34	respective	»	173 *a*	»	11	respectu (?)
»	238 *b*	»	3 *ult.*	et aliàs	»	173 *b*	»	1	et aliis
»	239 *a*	»	3	aequaliter	»	173 *b*	»	5	aequabiliter
»	240 *a*	»	19 *ult.*	nec non	»	175 *b*	»	3	celebrare, nec non
»	242 *a*	»	27 *ult.*	filiorum	»	175 *b*	»	1 *ult.*	filiorum nobilium
»	245 *a*	»	18	administratione	»	179 *a*	»	9	administrationis
»	245 *b*	»	5	fuerunt	»	179 *b*	»	23	fuerint
»	246 *a*	»	6	eorum	»	180 *b*	»	7	earum
»	246 *a*	»	17	eorum	»	180 *b*	»	18	earum
»	246 *b*	»	2	sarta tectum et ecclesiam	»	181 *a*	»	15 *ult.*	sartam tectam ecclesiam
»	247 *a*	»	32 *ult.*	polluta ecclesia	»	182 *b*	»	1	pollutam ecclesiam
»	247 *a*	»	11 *ult.*	fiat	»	182 *b*	»	23	fiant
»	248 *a*	»	13	extraordinaria	»	183 *b*	»	15 *ult.*	extraordinariae
»	249 *a*	»	18	pluvia	»	185 *a*	»	4 *ult.*	pluviae
»	249 *a*	»	19	latera	»	185 *a*	»	3 *ult.*	latere
»	249 *b*	»	17	excogitatos *	»	186 *a*	»	21	inexcogitatos
»	249 *b*	»	26 *ult.*	iuratorum, aut aliàs quomodolibet requisitis	»	186 *b*	»	4	iuratorum praescriptò, requisitis
»	251 *a*	»	18 *ult.*	loca	»	188 *b*	»	1 *ult.*	loco
»	251 *b*	»	9	archimandritae	»	189 *a*	»	19 *ult.*	archimandrita
»	243 *a*	»	21	tres	»	190 *b*	»	21	duos
»	243 *a*	»	23 *ult.*	duos	»	191 *a*	»	5	tres
»	243 *b*	»	1	nulliusque	»	191 *a*	»	15 *ult.*	nulliusque sint
»	243 *b*	»	16	1631	»	191 *b*	»	1	1630
»	252 *a*	»	3 *ult.*	spectant	»	192 *a*	»	8	spectat
»	253 *a*	»	7	percurrentes	»	192 *b*	»	2 *ult.*	percurrentium
»	253 *a*	»	4 *ult.*	exercentium	»	193 *b*	»	15	habentium
»	253 *b*	»	30 *ult.*	cappellanis	»	194 *a*	»	17	cappellaniis (*vel* cappellis)
»	254 *b*	»	1	ipsimet	»	195 *a*	»	17 *ult.*	ipsismet
»	254 *b*	»	2	factae, exibitae	»	195 *a*	»	15 *ult.*	factae et exhibitae
»	255 *a*	»	12 *ult.*	valeant	»	196 *b*	»	21 *ult.*	valeat
»	255 *a*	»	8 *ult.*	in alio	»	196 *b*	»	17 *ult.*	in aliquo
»	255 *b*	»	27 *ult.*	(*nota margin.*) 14 februarii	»	197 *a*	»	10 *ult.*	19 ianuarii

* Sed bene edit. Main. habet *incogitatos*

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* I.				*Edit. Taur. Tom.* XIV.			
Pag.	256 *b*	linea 39 *ult.*	Dilecte fili noster	*Pag.*	198 *a*	linea 20 *ult.*	Dilecti filii nostri
»	256 *b*	» 24 *ult.*	fuerint	»	198 *b*	» 5 *ult.*	fuerunt
»	257 *a*	» 25 *ult.*	conquestis	»	199 *b*	» 17	conquisitis
»	257 *a*	» 24 *ult.*	regnis	»	199 *b*	» 18	regis
»	257 *b*	» 1	respective similiter pubblicandas et duraturas concessas	»	200 *a*	» 4	respective concessas
»	257 *b*	» 7	inchoandam	»	200 *a*	» 10	inchoandum
»	257 *b*	» 28	alia	»	200 *a*	» 10 *ult.*	aliqua
»	257 *b*	» 33	decem millia ducata	»	200 *a*	» 5 *ult.*	decem mille ducati
»	261 *b*	» 6	Urbanus	»	201 *b*	» 15	*intus vero* · Urbanus
»	261 *b*	» 21	antea occupatorum	»	201 *b*	» 10 *ult.*	antea ab haereticis occupatorum
»	261 *b*	» 18 *ult.*	constitutionibus	»	202 *a*	» 20	consuetudinibus (?)
»	262 *a*	» 24	firma	»	202 *b*	» 18	firmae
»	262 *a*	» 6 *ult.*	ex	»	203 *a*	» 15	et
»	263 *b*	» 18 *ult.*	praeses	»	205 *a*	» 18 *ult.*	praesidem
»	264 *a*	» 24 *ult.*	quae	»	206 *a*	» 1	qua
»	266 *a*	» 10	existentibus	»	208 *b*	» 20 *ult.*	existentium
»	266 *a*	» 14 *ult.*	26	»	209 *a*	» 12	31
»	266 *b*	» 25	praesentes	»	209 *b*	» 6	per praesentes
»	268 *a*	» 30	tamen	»	210 *b*	» 15	tempore
»	268 *b*	» 33 (*nota marg.*)	11	»	211 *b*	» 3	1
»	269 *a*	» 20	noscantur	»	212 *a*	» 9	noscatur
»	270 *a*	» 28 *ult.*	quae	»	213 *a*	» 7 *ult.*	qua
»	270 *b*	» 33	Quod	»	214 *b*	» 10	Quodque
»	271 *a*	» 5 *ult.*	nostro	»	215 *b*	» 16	nostris
»	273 *b*	» 4 *ult.*	Melevitana	»	218 *b*	» 11	Melitana *
»	274 *a*	» 2	tuo	»	218 *b*	» 15	tuo poenis
»	274 *b*	» 1	manutentione mediante	»	219 *a*	» 5 *ult.*	manutentioni . mediante
»	274 *b*	» 25 *ult.*	eisdem	»	219 *b*	» 4 *ult.*	eidem
»	274 *b*	» 5 *ult.*	in	»	220 *a*	» 17	ad
»	276 *a*	» 8	aliorum	»	221 *b*	» 17 *ult.*	aliorumque
»	277 *a*	» 21 *ult.*	nobis	»	225 *a*	» 4	vobis
»	277 *b*	» 26 *ult.*	dalla	»	225 *b*	» 20 *ult.*	della
»	277 *b*	» 4 *ult.*	32	»	226 *a*	» 3	3
»	277 *b*	» 4 *ult.*	*Metropolitanus*	»	226 *a*	» 4	*A metropolitanis*
»	278 *b*	» 23 *ult.*	erit	»	227 *a*	» 14 *ult.*	erunt
»	278 *b*	» 23 *ult.*	contigere	»	227 *a*	» 13 *ult.*	contingere
»	278 *b*	» 8 *ult.*	prudentia	»	227 *b*	» 3	prudentiae
»	278 *b*	» 5 *ult.*	modum	»	227 *b*	» 6	ut modum
»	279 *b*	» 12	Idem	»	228 *b*	» 3	Iidem
»	280 *a*	» 3	actus	»	229 *a*	» 10	actum
»	280 *a*	» 14 *ult.*	prostiterit	»	229 *b*	» 21 *ult.*	praestiterit
»	280 *a*	» 7 *ult.*	in idipsum	»	229 *b*	» 15 *ult.*	idipsum
»	280 *b*	» 1	quem	»	229 *b*	» 4	aliquem
»	280 *b*	» 8	de iudicio sisti	»	230 *a*	» 1	de iudicio, ac sisti
»	280 *b*	» 15	praestiterit	»	230 *a*	» 8	persiterit
»	281 *a*	» 17	censuit	»	231 *a*	» 5	censuerunt
»	282 *a*	» 11 *ult.*	subdelegendi	»	232 *b*	» 15 *ult.*	subdelegandi
»	282 *b*	» 22	Assisiensis	»	233 *a*	» 24	Assisiensem **
»	283 *b*	» 27 *ult.*	illa	»	234 *b*	» 13 *ult.*	ac illa
»	283 *b*	» 22 *ult.*	verbum	»	234 *b*	» 8 *ult.*	verbi
»	284 *a*	» 10	modestia	»	235 *a*	» 18 *ult.*	modestiae

* Emendatio ista addenda est.

** Emendatio non necessaria

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* I.					*Edit. Taur. Tom.* XIV.				
Pag.	284 *a*	linea	11	asserens inclinare . .	*Pag.*	235 *a*	linea	17 *ult.*	asserens se inclinare in unam partem
»	286 *b*	»	8 *ult.*	omnibus.	»	239 *b*	»	14	in omnibus
»	287 *a*	»	32 *ult.*	fungentes	»	240 *a*	»	17	fungente
»	288 *a*	»	5 *ult.*	nec.	»	241 *b*	»	19 *ult.*	necnon
»	288 *b*	»	13 *ult.*	reperiantur	»	242 *a*	»	8 *ult.*	reperiuntur
»	289 *a*	»	35 *ult.*	deputato	»	243 *a*	»	1	deputatis
»	289 *a*	»	15 *ult.*	procedere licite	»	243 *a*	»	20 *ult.*	licite
»	289 *b*	»	4	consulendum.	»	245 *a*	»	3 *ult.*	consulatur
»	289 *b*	»	14	contra hunc	»	243 *b*	»	9	contrahunt
»	289 *b*	»	29	ad affectum	»	243 *b*	»	21	ad effectum
»	289 *b*	»	26 *ult.*	chirographis de cetero indebitis.	»	243 *b*	»	2 *ult.*	chirographis, de cetero in debitis
»	290 *a*	»	15 *ult.*	habere et servari debere	»	244 *b*	»	6 *ult.*	babeat et servari debeat
»	290 *a*	»	11 *ult.*	non vinculatis sed liberis	»	244-245			non tantum non vinculatis seu liberis
»	290 *b*	»	2	chirographa, pupillos, .	»	245 *a*	»	12	chirographa comprehendere pupillos,
»	290 *b*	»	23	ac quidquid	»	245 *a*	»	6 *ult.*	ac irritum et inane quidquid
»	290 *b*	»	6 *ult.*	in cuius una nomina, et cognomina fidei, committentium.	»	245 *b*	»	5 *ult.*	in cuius unâ nomina et cognomina fideicommittentium
»	291 *a*	»	4	insituata.	»	246 *a*	»	5	insinuata
»	291 *a*	»	7	exhibentibus.	»	246 *a*	»	8	exhibendum
»	291 *b*	»	4	datis, civitas.	»	246 *b*	»	1 *ult.*	datis accepimus, civitas
»	291 *b*	»	10	22.	»	247 *a*	»	6	20
»	291 *b*	»	20	exequutionem	»	247 *a*	»	16	ad exequutionem
»	291 *b*	»	21	cubicularis.	»	247 *a*	»	20	cubicularii
»	292 *a*	»	2	Victoris	»	247 *b*	»	18 *ult.*	Victorii
»	292 *a*	»	18	exequutione	»	247 *b*	»	3 *ult.*	exequutioni
»	292 *a*	»	6 *ult.*	tibi	»	248 *a*	»	13 *ult.*	sibi
»	294 *a*	»	25	opportunae	»	249 *a*	»	6	super hac re opportunae
»	294 *b*	»	8	comprehendat	»	249 *b*	»	4	comprehendant
»	294 *b*	»	11 *ult.*	aut aliud	»	250 *a*	»	11	aut adversus eas aliud
»	292 *b*	»	23 *ult.*	multare	»	251 *b*	»	2	mutare
»	293 *a*	»	17 *ult.*	posset.	»	252 *a*	»	12 *ult.*	posse censeat
»	293 *a*	»	2 *ult.*	relaxamus	»	252 *b*	»	5	quoad praemissa relaxamus
»	296 *a*	»	28 *ult.*	clamore	»	254 *a*	»	10	clamare (?)
»	296 *a*	»	25 *ult.*	Nostris	»	254 *a*	»	13	novis
»	296 *b*	»	9	ab hostium	»	251 *b*	»	5	ac ab hostium
»	296 *b*	»	17 *ult.*	signandas	»	255 *a*	»	8	designandas
»	296 *b*	»	15 *ult.*	alterius	»	255 *a*	»	11	alterutrius (?)
»	298 *a*	»	8	eam.	»	256 *b*	»	3 *ult.*	iam
»	300 *a*	»	13 *ult.*	26	»	260 *b*	»	2	28 (?)
»	300 *a*	»	5 *ult.*	cognitionis	»	260 *b*	»	11	cognitioni
»	303 *b*	»	10 *ult.*	occurrentes	»	261 *b*	»	13 *ult.*	occurrendo
»	304 *a*	»	34	temeritatis.	»	262 *a*	»	15 *ult.*	temeritati
»	304 *b*	»	38	parte	»	263 *a*	»	16	a parte
»	305 *a*	»	15	adimplenda et adimpleta	»	263 *b*	»	20	adimplenda servata et adimpleta
»	305 *b*	»	1 *ult.*	illa	»	265 *a*	»	9	illae
»	301 *b*	»	28 *ult.*	constitutus reperitur . .	»	266 *b*	»	7 *ult.*	constitutus non reperitur
»	301-302			communitatum, archiviorum, collegia	»	267 *a*	»	21	communitatum et archiviorum collegia,
»	302 *a*	»	31	totali	»	267 *b*	»	9	totalis
»	302 *b*	»	4	irritum et inane pariter	»	268 *a*	»	8	pariter

Edit. Rom. Main. Tom. VI. *Part.* I.					*Edit. Taur. Tom.* XIV.				
Pag.	302 *b*	linea	29	de duabus	*Pag.*	268 *a*	linea	12 *ult.*	edita de duabus
»	303 *a*	»	12	concessae	»	268 *b*	»	4 *ult.*	concessa
»	306 *b*	»	17	ut inter alia	»	270 *a*	»	3 *ult.*	inter alia
»	307 *a*	»	16	perpetuo	»	270 *b*	»	13 *ult.*	perpetuis
»	207 *a*	»	16 *ult.*	dubitetur	»	271 *a*	»	18 *ult.*	dubitatur
»	207 *b*	»	13 *ult.*	quoscumque	»	272 *a*	»	12	quascumque
»	208 *b*	»	34	sollicitudinem	»	273 *a*	»	6 *ult.*	sollicitudine
»	309 *a*	»	13 *ult.*	impediri	»	274 *a*	»	5 *ult.*	impedire
»	309 *b*	»	16	natione	»	274 *b*	»	19 *ult.*	ratione
»	309 *b*	»	33	fraudaces	»	274 *b*	»	2 *ult.*	fraudantes
»	309 *b*	»	32 *ult.*	rebelles quoscumque	»	275 *a*	»	4	rebelles ac quoscumque
»	309 *b*	»	13 *ult.*	eis	»	275 *a*	»	21 *ult.*	ei
»	309 *b*	»	6 *ult.*	declarandi	»	275 *a*	»	14 *ult.*	declarandi concedimus
»	310 *a*	»	34	tenoribus	»	275 *b*	»	18 *ult.*	tenoris
»	310 *b*	»	40 *ult.*	catholico	»	276 *b*	»	1	catholici
»	310 *b*	»	31 *ult.*	Ordinum statutorum	»	276 *b*	»	10	Ordinum, institutorum
»	310 *b*	»	19 *ult.*	concesserimus	»	276 *b*	»	22	praescribendi concesserimus
»	311 *a*	»	29 *ult.*	indicimus	»	277 *a*	»	8 *ult.*	indiximus
»	311 *a*	»	25 *ult.*	ascendere	»	277 *a*	»	4 *ult.*	ascenderet
»	311 *a*	»	23 *ult.*	proventum	»	277 *a*	»	2 *ult.*	proventuum
»	311 *a*	»	9 *ult.*	concessimus	»	277 *b*	»	13	praescribendi concessimus
»	311 *b*	»	5	alias	»	277 *b*	»	16 *ult.*	aliam
»	311 *b*	»	24 *ult.*	defectione	»	278 *a*	»	18	detectione
»	311 *b*	»	17 *ult.*	iuxto	»	278 *a*	»	17 *ult.*	iusto
»	312 *a*	»	22	requirent	»	278 *b*	»	19 *ult.*	requirerent (*vel* requirant)
»	312 *a*	»	26	immiscendi	»	278 *b*	»	15 *ult.*	vos immiscendi
»	312 *a*	»	18 *ult.*	Ordinibus	»	279 *a*	»	4	ordinationibus
»	312 *b*	»	11	quatenus unam	»	279 *b*	»	8	unam
»	312 *b*	»	27	quamcumque	»	279 *b*	»	22	quaecumque
»	313 *a*	»	6	quae	»	280 *a*	»	7	qua
»	313 *a*	»	8	clausae	»	280 *a*	»	9	clausas
»	313 *b*	»	8 *ult.*	tamen	»	281 *a*	»	2 *ult.*	quia tamen
»	313 *b*	»	7 *ult.*	malevisi	»	281 *a*	»	1 *ult.*	malevoli
»	314 *a*	»	27	detineret	»	281 *b*	»	8 *ult.*	desineret
»	314 *a*	»	28	possunt	»	281 *b*	»	7 *ult.*	possent
»	315 *b*	»	9	mentes	»	284 *a*	»	6	mentem
»	315 *b*	»	9	nostram	»	281 *a*	»	6	nostras
»	316 *a*	»	18 *ult.*	quod cum eiusdem	»	285 *a*	»	16	eiusdem
»	316 *a*	»	6 *ult.*	ac demum	»	285 *a*	»	12 *ult.*	demum
»	316 *b*	»	32 *ult.*	congregationum	»	285 *b*	»	11 *ult.*	congregationis
»	318 *a*	»	25 *ult.*	unus	»	288 *a*	»	14	unius
»	319 *a*	»	11 *ult.*	praesens	»	289 *b*	»	21 *ult.*	praesenti
»	319 *b*	»	1	nuncupat. et.	»	289 *b*	»	10 *ult.*	et
»	319 *b*	»	3	cum.	»	289 *b*	»	8 *ult.*	prae (?)
»	319 *b*	»	20	futuram	»	290 *a*	»	10	futurum
»	319 *b*	»	23	quoscumque	»	290 *a*	»	13	quemcumqne
»	320 *a*	»	4	possunt	»	290 *b*	»	22	possent
»	320 *b*	»	34 *ult.*	earum personas	»	291 *b*	»	13 *ult.*	eorum poenas
»	321 *a*	»	17	futuram	»	292 *a*	»	7 *ult.*	futurum
»	322 *a*	»	14	conficiendi.	»	293 *b*	»	5 *ult.*	conficiendâ praescribendi
»	322 *a*	»	35	publicis	»	294 *a*	»	18	praesentibus (*vel* praedictis)
»	322 *b*	»	18 *ult.*	partibus ex altera	»	294 *a*	»	17 *ult.*	ex alterâ partibus
»	322 *b*	»	15 *ult.*	actisque actitatis.	»	295 *a*	»	14 *ult.*	actisque examinatis (?)
»	324 *b*	»	4	et ipsas decimas	»	297 *b*	»	10 *ult.*	et ipsae decimae
»	324 *b*	»	28	privatione	»	298 *a*	»	15	privationis

Edit. Rom. Main. Tom. VI. *Part.* I.					*Edit. Taur. Tom* XIV.				
Pag.	324 *b*	linea	36	obtinenda	*Pag.*	298 *a*	linea	23	obtinenda, poenis
»	324 *b*	»	21 *ult.*	quoque	»	298 *a*	»	6 *ult.*	quod
»	324 *b*	»	16 *ult.*	afficiat	»	298 *a*	»	1 *ult.*	afficiant
»	326 *a*	»	22	quasit	»	300 *a*	»	6 *ult.*	quolibet
»	326 *b*	»	4	quodque	»	301 *a*	»	12	quod
»	327 *a*	»	10	conventualium	»	301 *b*	»	16 *ult.*	conventuum
»	328 *a*	»	29	responden.	»	303 *a*	»	1 *ult.*	responderi
»	329 *a*	»	26 *ult.*	communi	»	305 *a*	»	16	communia
»	329 *a*	»	15 *ult.*	usus	»	305 *a*	»	18 *ult.*	usus praescribit
»	330 *a*	»	2	11	»	306 *a*	»	15 *ult.*	1
»	330 *a*	»	25	eisdem	»	306 *b*	»	11	eisdem vero
»	330 *a*	»	22 *ult.*	spectantem	»	306 *b*	»	14 *ult.*	spectantia
»	330 *a*	»	22 *ult.*	praesentium	»	306 *b*	»	13 *ult.*	praesentium tenore
»	330 *b*	»	25	illa	»	307 *a*	»	9 *ult.*	illas
»	330 *b*	»	29	uti	»	307 *a*	»	15 *ult.*	uti non posse
»	330 *b*	»	34	vocandi	»	307 *b*	»	1	vocandis
»	330 *b*	»	35	emanasset	»	307 *b*	»	2	emanassent
»	330 *b*	»	20 *ult.*	legato.	»	307 *b*	»	17	legatos
»	330 *b*	»	10 *ult.*	dictae.	»	307 *b*	»	14 *ult.*	ac dictae
»	331 *b*	»	9	confirmavimus	»	308 *b*	»	14 *ult.*	confirmavimus, confirmamus
»	332 *b*	»	14	nostro	»	310 *a*	»	10 *ult.*	nostro Francisco
»	332 *b*	»	31 *ult.*	non	»	310 *b*	»	11	nos
»	332 *b*	»	26 *ult.*	erit	»	310 *b*	»	16	erunt
»	332 *b*	»	12 *ult.*	prudentia	»	310 *b*	»	7 *ult.*	prudentiae
»	332 *b*	»	8 *ult.*	tenes	»	310 *b*	»	6 *ult.*	toties
»	332 *b*	»	7 *ult.*	modum	»	310 *b*	»	4 *ult.*	ut modum
»	333 *a*	»	12	observare	»	311 *a*	»	15	observari
»	333 *b*	»	28 *ult.*	iubens	»	312 *a*	»	11	iubeas
»	334 *a*	»	21	in perscrutabili	»	312 *b*	»	17	imperscrutabili
»	334 *a*	»	18 *ult.*	nuper dilectorum.	»	313 *a*	»	9	nuper pro parte dilectorum
»	334 *b*	»	2	tuae	»	313 *a*	»	15 *ult.*	suae
»	334 *b*	»	22 *ult.*	earum	»	313 *b*	»	9 *ult.*	eorum
»	334 *b*	»	35	assertae ac diuturnae	»	313 *b*	»	20	assertae diuturnae
»	334 *b*	»	38	et	»	313 *b*	»	23	etiam
»	335 *a*	»	18	ad	»	314 *a*	»	11 *ult.*	per
»	335 *a*	»	22	sanctae	»	314 *a*	»	6 *ult.*	etiam sanctae
»	335 *a*	»	26	quidquid	»	314 *a*	»	2 *ult.*	ac quidquid
»	335 *a*	»	41	defuncto	»	314 *b*	»	13	defuncti
»	335 *a*	»	18 *ult.*	spolia	»	314 *b*	»	15 *ult.*	spolia cleri
»	335 *a*	»	14 *ult.*	et	»	314 *b*	»	11 *ult.*	per
»	335 *a*	»	8 *ult.*	exhibita	»	314 *b*	»	5 *ult.*	sicut exhibita
»	335 *a*	»	2 *ult.*	fecerant	»	315 *a*	»	1	fecerint
»	335 *b*	»	11	absolutos.	»	315 *a*	»	14	absolutas
»	335 *b*	»	15	lites	»	315 *a*	»	18	litis
»	335 *b*	»	25	nomine	»	315 *a*	»	12 *ult.*	nostris
»	335 *b*	»	21 *ult.*	sanctae	»	315 *b*	»	12	etiam sanctae
»	335 *b*	»	12 *ult.*	secus	»	315 *b*	»	22	Status
»	336 *a*	»	3	suppletione, decreto.	»	315 *b*	»	4 *ult.*	suppletione, inhibitione, decreto
»	336 *a*	»	15	processibus, illas censuras	»	316 *a*	»	9	processibus, illos censuras et poenas huiusmodi incurrisse declarando, ipsasque censuras
»	336 *a*	»	23	non extrahatur.	»	316 *a*	»	19	ad iudicium non trahatur
»	336 *b*	»	20	iniri	»	317 *a*	»	4	inibi
»	336 *b*	»	33 *ult.*	innodati	»	317 *a*	»	21	innodatae

Edit. Rom. Main. Tom. VI. *Part.* I.					*Edit. Taur. Tom.* XIV			
Pag.	337 *a*	linea	24	defectus	*Pag.*	317 *b*	linea	7 *ult.* remedia
»	337 *b*	»	1	monasteriorum	»	318 *a*	»	2 *ult.* monasterio
»	337 *b*	»	38	rectori, collegialibus	»	318 *b*	»	10 *ult.* rectori et collegialibus
»	337 *b*	»	46	ac in omnes	»	318 *b*	»	2 *ult.* ac omnes in
»	338 *b*	»	16 *ult.*	illius	»	320 *b*	»	5 illis
»	340 *a*	»	11	translatas et impressas	»	322 *b*	»	1 translata et impressa
»	340 *b*	»	20 *ult.*	duabus	»	323 *b*	»	22 duas
»	341 *a*	»	31	adhiberentur	»	324 *a*	»	11 *ult.* adhiberetur
»	341 *a*	»	18 *ult.*	fili nostro	»	324 *b*	»	4 fili noster
»	341 *b*	»	20	promptu	»	325 *a*	»	1 prompto
»	341 *b*	»	28	ascendentium	»	325 *a*	»	9 ascendens
»	342 *a*	»	19	et in ope dicti Ferdinandi regis in imperatorem electi feranda	»	325 *b*	»	17 *ult.* et in ope dicto Ferdinando regi in imperatorem electo ferenda
»	342 *a*	»	30 *ult.*	commorantium et consistentium	»	326 *a*	»	5 commorantia et consistentia
»	342 *b*	»	35 *ult.*	ne	»	326 *b*	»	15 *ult.* nec
»	343 *b*	»	10	eumdem Philippum regem... posse	»	328 *a*	»	8 idem Philippus rex.. posset
»	344 *a*	»	4 *ult.*	praefata	»	329 *b*	»	8 praefatae
»	344 *b*	»	2 *ult.*	certum	»	330 *a*	»	5 *ult.* centum
»	345 *b*	»	21	charissimus	»	331 *a*	»	2 *ult.* ac charisssimus
»	345 *b*	»	11 *ult.*	assignandi	»	331 *b*	»	6 *ult.* assignandis
»	346 *a*	»	25	reges	»	332 *a*	»	10 *ult.* regem
»	347 *a*	»	9	Papa	»	333 *b*	»	20 *ult.* Papae
»	347 *b*	»	12	incubuerit	»	334 *b*	»	9 incumbat
»	347 *b*	»	15	speramus	»	334 *b*	»	12 sperantes
»	347 *b*	»	28	imperatorum	»	334 *b*	»	15 *ult.* imperatorem
»	347 *b*	»	29	praeclarum	»	334 *b*	»	14 *ult.* praeclaram
»	347 *b*	»	36	materiae	»	334 *b*	»	7 *ult.* materie
»	348 *a*	»	25	bonorum	»	335 *b*	»	9 locorum
»	348 *b*	»	19	lantyravius	»	336 *a*	»	16 *ult.* landgravius
»	348 *b*	»	30	vere	»	336 *a*	»	5 *ult.* veri
»	348 *b*	»	32	superioris	»	336 *a*	»	3 *ult.* superiori
»	348 *b*	»	37	quidem	»	336 *b*	»	3 quidam
»	348 *b*	»	39	ecclesiarum quam maxime	»	336 *b*	»	5 ecclesiarumque maxime
»	348 *b*	»	50	impeditus	»	336 *b*	»	16 impeditos
»	349 *a*	»	10	culpa	»	337 *a*	»	6 culpam
»	349 *a*	»	11	si quae	»	337 *a*	»	6 si qua
»	349 *a*	»	23	piae	»	337 *a*	»	19 piâ
»	349 *b*	»	8	processione	»	337 *b*	»	11 *ult.* pro cessione
»	349 *b*	»	14	recipiendae	»	337 *b*	»	5 *ult.* recipiendâ
»	349 *b*	»	25	in nominatis	»	338 *a*	»	8 nominatis
»	349 *b*	»	25	beneficium	»	338 *a*	»	9 in beneficium
»	349 *b*	»	11	ipsemet	»	328 *a*	»	16 *ult.* ipsimet
»	349 *b*	»	19 *ult.*	dabuntur	»	338 *a*	»	7 *ult.* dabantur (*vel* dantur)
»	349 *b*	»	16 *ult.*	Romanorum	»	338 *a*	»	5 *ult.* Romani
»	349 *b*	»	15 *ult.*	Ferdinandus etc.	»	338 *a*	»	3 *ult.* Ferdinandus etc. Massimilianus comes de Chaumansdorff
»	350 *a*	»	4	Octo	»	338 *b*	»	15 Otho
»	350 *a*	»	7	et supra	»	338 *b*	»	18 ut supra
»	350 *a*	»	38	stipulatibus	»	338 *a*	»	7 stipulantibus
»	350 *a*	»	10	annum	»	339 *a*	»	10 annuum
»	350 *a*	»	43	constituant	»	339 *a*	»	12 constituunt
»	350 *a*	»	20 *ult.*	in ecclesiasticorum	»	339 *a*	»	19 in favorem ecclesiasticorum

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* I.

Pag.	350 *a*	linea	3 *ult.*	in perpetuum . . . .
»	350 *b*	»	3	impediri . . . . .
»	351 *a*	»	27 *ult.*	et . . . . .
»	351 *a*	»	1 *ult.*	et reservata. . . . .
»	351 *b*	»	5	possessiones . . . .
»	351 *b*	»	10	eis . . . . .
»	351 *b*	»	17	illa. . . . .
»	351 *b*	»	22	possint . . . . .
»	352 *b*	»	29	Nobis . . . . .
»	353 *a*	»	12	eorumque . . . . .
»	353 *b*	»	12	nuncupatas . . . . .
»	354 *a*	»	16	constitutionibus . . .
»	354 *b*	»	27 *ult.*	quae . . . . .
»	355 *a*	»	10 *ult.*	praefatarum . . . .
»	357 *b*	»	23	fructu . . . . .
»	358 *b*	»	1	subsequentibus . . .
»	358 *b*	»	11	associant. . . . .
»	355 *b*	»	4 *ult.*	Eximiae . . . . .
»	357 *a*	»	7 *ult.*	concilii . . . . .
»	359 *b*	»	20 *ult.*	nobis . . . . .
»	360 *b*	»	26 *ult.*	concurrent . . . . .
»	361 *b*	»	8	posse . . . . .
»	361 *b*	»	3 *ult.*	aequivocatio . . . .
»	363 *a*	»	13 *ult.*	Iuliae Maiestatis . . .
»	363 *a*	»	5 *ult.*	Universis . . . . .
»	363 *b*	»	24	extensiva . . . . .
»	363 *b*	»	26	constitutio . . . . .
»	363 *b*	»	23 *ult.*	religiosorum . . . .
»	363 *b*	»	5 *ult.*	extensiva . . . . .
»	363 *b*	»	1 *ult.*	constitutio . . . . .
»	364 *a*	»	1	constitutiu . . . . .
»	364 *a*	»	2	revocatoria . . . . .
»	362 *a*	»	29 *ult.*	regis . . . . .
»	364 *b*	»	38 *ult.*	per quo . . . . .
»	365 *a*	»	37	deputatos . . . . .
»	365 *a*	»	15 *ult.*	volenti . . . . .
»	365 *b*	»	12	in capsâ triclavi; supradicti visitatores. . .
»	366 *a*	»	11	vice . . . . .
»	366 *a*	»	32	quae . . . . .
»	366 *a*	»	5 *ult.*	intentionis . . . . .
»	367 *a*	»	1 *ult.*	SS. . . . .
»	368 *a*	»	21 *ult.*	triennis . . . . .
»	368 *a*	»	18 *ult.*	qui . . . . .
»	368 *b*	»	7	secularium . . . . .
»	368 *b*	»	3 *ult.*	Melevitana . . . . .
»	369 *a*	»	4	firmatis . . . . .
»	369 *b*	»	5	exsolvendum . . . .
»	371 *a*	»	15	praeceptoria . . . .
»	372 *a*	»	3	Militiae Christianae . .
»	372 *a*	»	11	depositarius. . . . .
»	372 *b*	»	15	universis parochis. . .
»	372 *b*	»	21 *ult.*	praedictâ. . . . .
»	373 *b*	»	20	restitutae. . . . .
»	373 *b*	»	23 *ult.*	et . . . . .
»	374 *a*	»	25 *ult.*	et . . . . .

Edit. Taur. Tom. XIV.

Pag.	339 *a*	linea	2 *ult.*	in perpetuum stipulantis (*vel* promittentis)
»	339 *b*	»	3	impedire
»	340 *b*	»	19 *ult.*	ut
»	341 *a*	»	8	reservata
»	341 *a*	»	13	possessores (?)
»	341 *a*	»	18	quae eis
»	341 *a*	»	25	illam
»	341 *a*	»	11 *ult.*	possit
»	343 *a*	»		. . . . . (?)
»	343 *b*	»	14	illis, eorumque
»	344 *a*	»	10 *ult.*	nuncupata (*vel* nuncupatis)
»	345 *a*	»	23	consuetudinibus
»	346 *a*	»	16 *ult.*	qua
»	347 *a*	»	14 *ult.*	praefatorum
»	348 *a*	»	9 *ult.*	fructuum
»	349 *a*	»	4 *ult.*	subsequentis
»	349 *b*	»	7	associent
»	350 *a*	»	4 *ult.*	Eximius
»	352 *b*	»	5	conciliis
»	353 *b*	»	12 *ult.*	a nobis
»	355 *a*	»	11 *ult.*	concurrerent
»	356 *b*	»	4	non posse
»	357 *a*	»	18	aequivocationem
»	358 *b*	»	10	laese maiestatis
»	358 *b*	»	19	Universi
»	359 *a*	»	8	extensivae
»	359 *a*	»	11	constitutionis
»	359 *a*	»	1 *ult.*	religionum
»	359 *b*	»	19	extensivae
»	359 *b*	»	14 *ult.*	constitutionis
»	359 *b*	»	12 *ult.*	constitutionis
»	359 *b*	»	11 *ult.*	revocatoriae
»	360 *b*	»	4 *ult.*	regis nomine
»	361 *b*	»	15	per quae
»	362 *b*	»	8	deputato
»	362 *b*	»	26	volente
»	363 *a*	»	9	in capsâ triclavi supradictâ; visitatores
»	363 *b*	»	12 *ult.*	iure
»	364 *a*	»	10	qua
»	364 *b*	»	1	tentionis
»	366 *a*	»	9	et SS.
»	367 *a*	»	5 *ult.*	trienniis
»	367 *a*	»	2 *ult.*	quae
»	367 *b*	»	23	secularem
»	368 *a*	»	10 *ult.*	Melitana (*vel* Melitensis)
»	368 *a*	»	4 *ult.*	firmitatis
»	369 *a*	»	23	exsolvendam
»	371 *a*	»	18	praeceptoria autem
»	373 *a*	»	16 *ult.*	Militiam Christianam
»	373 *a*	»	8 *ult.*	depositarias
»	374 *a*	»	20 *ult.*	in universis parochiis
»	374 *a*	»	5 *ult.*	pro dictâ
»	375 *b*	»	15	restrictae
»	375 *b*	»	2 *ult.*	etiam
»	376 *b*	»	1	etiam

Edit. Rom. Main. Tom. VI, Part. I.					*Edit. Taur. Tom. XIV*				
Pag.	375 *a*	linea	3	sique	*Pag.*	377 *b*	linea	16 *ult.*	si qua
»	375 *a*	»	4	quas omnes per ea .	»	378 *a*	»	5 *ult.*	quas per omnes ea
»	375 *b*	»	14 *ult.*	iuspatronatus . . .	»	379 *a*	»	11	iurispatronatus
»	376 *a*	»	8	aliarum	»	379 *a*	»	7	aliarum militiarum
»	376 *a*	»	29	congregationibus .	»	379 *b*	»	15	congregationum
»	376 *a*	»	37	Ioanni	»	379 *b*	»	23	Ioannis
»	376 *a*	»	22 *ult.*	(non tamen S. Ioannis praedictorum) . . .	»	379 *b*	»	8 *ult.*	(non tamen S. Ioannis) praedictorum
»	376 *a*	»	11 *ult.*	ac camerae . .	»	380 *a*	»	3	camerae
»	376 *a*	»	8 *ult.*	persolvi	»	380 *a*	»	5	persolvisse
»	376 *b*	»	31	pensiones	»	380 *a-b*			decimas pensionum
	378 *a*	»	21	seu plures beneficia ecclesiastica seu plures pensiones		382 *b*		20	seu plures pensiones
	379 *a*	»	27	trigesimo	»	384 *a*	»	6 *ult.*	trigesimo quarto
	379 *b*	»	43	praesentibus	»	385 *a*	»	12 *ult.*	praesentis
»	380 *a*	»	16	alterius	»	385 *b*	»	12 *ult.*	alterutrius (?)
»	382 *a*	»	31 *ult.*	exemplo	»	387 *b*	»	19 *ult.*	exemplum
»	382 *b*	»	25 *ult.*	ad id reddantur . . .	»	388 *b*	»	15	ad id reddantur, spiritualibus gratiis indigeant recreari (?)
	383 *a*	»	32 *ult.*	tam canonicorum regularium		398 *a*	»	12 *ult.*	tam canonicorum clericorum regularium
	383 *a*	»	5 *ult.*	societatis		388 *b*	»	15	societatibus
»	383 *b*	»	27 *ult.*	per modum de apostolicae potestatis plenitudine aut communicationis		390 *a*	»	18	de apostolicae potestatis plenitudine aut per modum communicationis
»	384 *a*	»	13	possint	»	390 *b*	»	14	possit (?)
»	384 *a*	»	37	confundi	»	390 *b*	»	7	confundi posse
	381 *b*	»	6	alterius	»	392 *a*	»	17	alterutrius (?)
»	381 *b*	»	2 *ult.*	fruantur, si omnia dictis duabus hebdomadis per praesentes prorogatis durantibus vel aliqua earum adimpleverint, indulgentiam praedictam nihilominus consequantur ac gratiis huiusmodi fruantur sicut consequerentur .	»	392 *b*	»	7 *ult.*	fruantur, sicut consequerentur
	385 *a*	»	22	digesta	»	393 *b*	»	14	digestae
	385 *a*	»	33 *ult.*	fac is	»	393 *b*	»	11 *ult.*	festis
	385 *a*	»	31 *ult.*	persolvatur officium.... ... restringendo . .	»	393 *b*	»	9 *ult.*	. . . . . (?)
»	385 *b*	»	17	vel in choro	»	394 *a*	»	4 *ult.*	vel
»	385 *b*	»	24	operto	»	394 *b*	»	4	aperto (?)
»	385 *b*	»	32	opertum	»	394 *b*	»	14	apertum (?)
	385 *b*	»	10 *ult.*	horâ nonâ. Matutina .	»	394 *b*	»	1 *ult.*	horâ nonâ matutinâ
»	386 *a*	»	9	laudis	»	395 *a*	»	17	laudibus
»	386 *a*	»	21	portio erogetur . . .	»	395 *a*	»	14 *ult.*	portio in pauperes erogetur.
	386 *a*	»	33	clerici sacerdotes . . .	»	395 *a*		2 *ult.*	clerici non sacerdotes
	386 *a*	»	13 *ult.*	nomine	»	395 *b*	»	24	nomina
	386 *b*	»	12	seu ob gravem . .	»	396 *a*	»	5	seu gravem
»	386 *b*	»	30	serico, uti	»	396 *a*	»	18 *ult.*	serico uti
	386 *b*	»	40	in meritis	»	396 *a*	»	8 *ult.*	immeritis
	386 *b*	»	43	devotis	»	396 *a*	»	6 *ult.*	de votis

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* I.

Pag.	386 *b*	linea	12 *ult.*	teque
»	387 *a*	»	4	noster
»	387 *a*	»	22	facere debeantur
»	387 *a*	»	23	nec non
»	387 *a*	»	30	suprema
»	387 *a*	»	6 *ult.*	proprio
»	387 *b*	»	3	In sequentes
»	387 *b*	»	5	comparentur
»	387 *b*	»	12	quis
»	387 *b*	»	15	consensus
»	387 *b*	»	29	collari
»	387 *b*	»	37	vestas
»	387 *b*	»	4 *ult.*	zau
»	387 *b*	»	22 *ult.*	seu
»	387 *b*	»	16 *ult.*	chryrotecisque
»	388 *a*	»	12	inser tenta
»	388 *a*	»	16	sottana
»	388 *a*	»	23	bouis
»	388 *a*	»	27	de aaratura
»	388 *a*	»	33	suggesta
»	388 *a*	»	15 *ult.*	alio quem
»	388 *a*	»	13 *ult.*	inobedientia
»	388 *a*	»	13 *ult.*	recipi
»	388 *a*	»	11 *ult.*	tractari
»	388 *a*	»	8 *ult.*	moniti
»	388 *a*	»	2 *ult.*	aliquod
»	388 *b*	»	31	incinctis
»	388 *b*	»	34	praesumunt
»	388 *b*	»	14 *ult.*	Lectis
»	388 *b*	»	13 *ult.*	evaugelio
»	389 *a*	»	2	uti
»	389 *a*	»	6	vexant
»	389 *a*	»	19	super
»	389 *a*	»	21	tanta
»	389 *a*	»	23	artibus
»	389 *a*	»	31	recedet
»	389 *a*	»	36	obedientio
»	389 *a*	»	37	concedamus
»	389 *a*	»	27 *ult.*	proprie
»	389 *a*	»	23 *ult.*	ut
»	389 *a*	»	19 *ult.*	celebritate
»	389 *a*	»	18 *ult.*	litterarum
»	389 *a*	»	10 *ult.*	impulsisque
»	389 *a*	»	9 *ult.*	aegrediatur
»	389 *a*	»	7 *ult.*	ne
»	389 *b*	»	9	pro meritus
»	389 *b*	»	15	erectiones
»	389 *b*	»	18	ipsi
»	389 *b*	»	19	ea vi
»	389 *b*	»	19-20	nequis
»	389 *b*	»	21	superior
»	389 *b*	»	22	aliqua
»	389 *b*	»	30	inpios
»	389 *b*	»	31	aliquo
»	389 *b*	»	22 *ult.*	ingrediantur

Edit. Taur. Tom. XIV.

Pag.	396 *b*	linea	6	atque
»	396 *b*	»	21	dominus noster
»	396 *b*	»	2 *ult.*	facere non debeantur
»	396 *b*	»	1 *ult.*	nec
»	397 *a*	»	8	supra
»	397 *a*	»	1 *ult.*	proprio vel
»	397 *b*	»	7	Insequentes
»	397 *b*	»	10	comparetur (?)
»	397 *b*	»	17	quisque
»	397 *b*	»	20	contentus
»	397 *b*	»	7 *ult.*	collare
»	398 *a*	»	3	versus (*vel* usque ad vestis)
»	398 *a*	»	6 *ult.*	tau
»	398 *a*	»	14	duo (?)
»	398 *a*	»	20	crurothecisque (?)
»	398 *b*	»	11	. . . . . (?)
»	398 *b*	»	13	sottanae
»	398 *b*	»	20	bovis
»	398 *b*	»	24	de auratura
»	398 *b*	»	9 *ult.*	suggestu
»	399 *a*	»	12	alio quam
»	399 *a*	»	14	inobedientiae
»	399 *a*	»	14	recipere
»	399 *a*	»	16	tractare
»	399 *a*	»	19	muniti
»	399 *a*	»	26	aliquot
»	399 *b*	»	17	in cibis (?)
»	399 *b*	»	20	praesunt
»	399 *b*	»	3 *ult.*	Lecto
»	399 *b*	»	2 *ult.*	ex evangelio
»	400 *a*	»	12	ut
»	400 *a*	»	16	vestium (?) (*vel* verborum) (?)
»	400 *a*	»	10 *ult.*	superior
»	400 *a*	»	8 *ult.*	sancta (*vel* attenta)
»	400 *a*	»	6 *ult.*	actibus
»	400 *b*	»	2	cedet
»	400 *b*	»	6	obedientiae (*vel* obediendo)
»	400 *b*	»	7	conscendamus
»	400 *b*	»	17	propriae
»	400 *b*	»	22	id
»	400 *b*	»	25	celeritate
»	400 *b*	»	27	litteram
»	400 *b*	»	6 *ult.*	impulsusque
»	400 *b*	»	5 *ult.*	aggrediantur
»	400 *b*	»	3 *ult.*	nec
»	401 *a*	»	14	promeritus
»	401 *a*	»	20	recreationes (?)
»	401 *a*	»	23	ipsis
»	401 *a*	»	24	ex vi
»	401 *a*	»	25	ne quis
»	401 *a*	»	12 *ult.*	superiori
»	401 *a*	»	11 *ult.*	aliquo
»	401 *a*	»	3 *ult.*	in pios
»	401 *a*	»	1 *ult.*	alio
»	401 *b*	»	11	ingrediatur

Edit. Rom. Main. Tom. VI. Part. I					*Edit. Taur. Tom. XIV*				
Pag.	389 *b*	linea	21 *ult.*	iam	*Pag.*	401 *b*	linea	15	eam
»	389 *b*	»	19 *ult.*	in consulto . .	»	401 *b*	»	17	inconsulto
»	390 *a*	»	3	suae talis . .	»	401 *b*	»	4 *ult.*	suae aetatis
»	390 *a*	»	3	vigesimum quintum .	»	401 *b*	»	4 *ult.*	decimumquintum
»	390 *a*	»	5	oboratus	»	401 *b*	»	1 *ult.*	obaeratus
»	390 *a*	»	10	illae	»	402 *a*	»	5	ille
»	390 *a*	»	19	pariuntur . . .	»	402 *a*	»	14	patiuntur
»	390 *a*	»	38	hereticum	»	402 *a*	»	10 *ult.*	hereticos (?)
»	390 *a*	»	17 *ult.*	illa	»	402 *b*	»	6	illas (*vel* illam
»	390 *b*	»	6	aliquam	»	402 *b*	»	17	si aliquam
»	390 *b*	»	38	aliquam	»	403 *a*	»	16	si aliquam
»	390 *b*	»	41	diligentet	»	403 *a*	»	19	diligenter
»	390 *b*	»	42	primi	»	403 *a*	»	20	primo
»	391 *a*	»	27	curam.	»	403 *b*	»	13 *ult.*	cura
»	391 *a*	»	23 *ult.*	moneatur .	»	404 *a*	»	4	moveatur
»	391 *b*	»	8	diebus . .	»	404 *a*	»	12 *ult.*	diebus quibus
»	391 *b*	»	31	fuerunt . . .	»	404 *b*	»	12	fuerint
»	391 *b*	»	27 *ult.*	dimidiam. . . .	»	404 *b*	»	19 *ult.*	dimidium
»	391 *b*	»	10 *ult.*	dimidiam. . .	»	404 *b*	»	3 *ult.*	dimidium
»	391 *b*	»	1 *ult.*	convenienda .	»	405 *a*	»	8	conveniens
»	392 *a*	»	26	eosdemque . .	»	405 *a*	»	10 *ult.*	eodemque
»	392 *a*	»	47	privatim . . .	»	405 *b*	»	11	privatim quisque
»	392 *b*	»	5	incorrigibilis . .	»	405 *b*	»	6 *ult.*	incorrigibilis iudicatus
»	392 *b*	»	7	corructionem . .	»	405 *b*	»	5 *ult.*	corruptionem
»	392 *b*	»	28	serveretur . .	»	406 *a*	»	16	servetur
»	392 *b*	»	39	debeat . . .	»	406 *a*	»	16 *ult.*	debeant
»	392 *b*	»	14 *ult.*	provideantur .	»	406 *a*	»	3 *ult.*	provideant
»	392 *b*	»	12 *ult.*	puniatur	»	406 *a*	»	1 *ult.*	puniantur
»	393 *a*	»	22	magistrorum novitiorum in quibus non erit congregatio professorum . sive alius superior ab illo	»	406 *b*	»	5 *ult.*	magistrorum novitiatuum in quibus non sit congregatio professorum. et in quibus non sit alius superior ab illo
»	393 *a*	»	11 *ult.*	praesentibus exceptis	»	407 *a*	»	12 *ult.*	praesenti excepto
»	393 *b*	»	2	primi	»	407 *a*	»	1 *ult.*	primam
»	393 *b*	»	29	poenas	»	407 *b*	»	16 *ult.*	poenam
»	393 *b*	»	30	proclamentur . .	»	407 *b*	»	15 *ult.*	proclametur
»	393 *b*	»	11 *ult.*	consenserit . .	»	408 *a*	»	13	consenserint
»	394 *a*	»	20	et quibus	»	408 *a*	»	1 *ult.*	e quibus
»	394 *a*	»	21	praeses aut eligens	»	408 *b*	»	1	praeses eligens
»	394 *a*	»	23	secundo	»	408 *b*	»	3	secundam
»	394 *b*	»	30	habuerit	»	409 *a*	»	7 *ult.*	habuerit. . . (?)
»	394 *b*	»	17 *ult.*	erga	»	409 *b*	»	12	ergo
»	395 *b*	»	11	vita	»	410 *b*	»	20	vitae
»	395 *b*	»	23 *ult.*	exercitiis. .	»	411 *a*	»	11	exequiis
»	395 *b*	»	8 *ult.*	et aliàs . . .	»	411 *a*	»	17 *ult.*	et, si aliàs
»	396 *a*	»	14	abbatis conventuale .	»	411 *b*	»	4	abbatis. Conventuale
»	396 *a*	»	16	toties	»	411 *b*	»	6	quoties
»	396 *b*	»	24	non minuant	»	412 *a*	»	7 *ult.*	minuant
»	396 *b*	»	29 *ult.*	bonus. . . .	»	412 *b*	»	9	boni
»	396 *b*	»	4 *ult.*	iste	»	412 *b*	»	11 *ult.*	quisque
»	397 *a*	»	9 *ult.*	effectu	»	413 *b*	»	9	affectu
»	397 *a*	»	8	morentur . .	»	413 *b*	»	13 *ult.*	morientur
»	397 *b*	»	17	Magistri	»	413 *b*	»	9 *ult.*	Magistrorum
»	397 *b*	»	25	claustralis . .	»	413 *b*	»	1 *ult.*	claustralis huius monasterii
»	397 *b*	»	20 *ult.*	faciunt . . .	»	414 *a*	»	19	faciant
»	[illegible]	»	[illegible]	[illegible]	»	414 *a*	»	18 *ult.*	et contra, quales

Edit. Ram. Main. Tom. VI, *Part.* I.					*Edit. Taur. Tom.* XIV				
Pag.	397 *b*	linea	4 *ult.*	mandato	*Pag.*	414 *a*	linea	5 *ult.*	mandata
»	397 *b*	»	1 *ult.*	ei	»	414 *a*	»	2 *ult.*	eis
»	398 *a*	»	8	redituumque	»	414 *b*	»	6	redditumque
»	398 *a*	»	34	memoria	»	414 *b*	»	12 *ult.*	memorias
»	398 *b*	»	33	alia .. praeceptoria	»	415 *b*	»	9	Aliae... praeceptoriae
»	399 *a*	»	4 *ult.*	quoquomodo	»	416 *b*	»	14	quomodo
»	399 *a*	»	2 *ult.*	ordinario	»	416 *b*	»	16	ordinari
»	399 *b*	»	4	denique	»	416 *b*	»	22	dein
»	400 *a*	»	4	agenda	»	417 *a*	»	2 *ult.*	agendae
»	401 *a*	»	14	quam primum	»	419 *a*	»	1	quum primum
»	401 *a*	»	30 *ult.*	aliquot	»	419 *a*	»	16 *ult.*	aliquod
»	401 *a*	»	26 *ult.*	ipsi in domibus	»	419 *a*	»	12 *ult.*	ipsis, si in domibus
»	401 *a*	»	15 *ult.*	mutilitati	»	419 *a*	»	1 *ult.*	mutilati
»	401 *b*	»	29 *ult.*	perturbabunt	»	420 *a*	»	10	pertrahent (?)
»	401 *b*	»	15 *ult.*	iudicaverit	»	420 *a*	»	24	iudicaverint
»	401 *b*	»	10 *ult.*	commissi essent	»	420 *a*	»	14 *ult.*	commisissent
»	402 *a*	»	22	eorum	»	420 *b*	»	20	quorum
»	402 *a*	»	22 *ult.*	et mature	»	421 *a*	»	2	ut mature
»	402 *a*	»	17 *ult.*	non contentis	»	421 *a*	»	5	contentis
»	402 *b*	»	11 *ult.*	praeceptivi	»	421 *b*	»	15 *ult.*	praecepti vi
»	404 *a*	»	30	nuntio, Antonio	»	423 *b*	»	9 *ult.*	nuntio ac Antonio
»	404 *b*	»	5 *ult.*	dare alteri	»	425 *a*	»	1	dare palam alteri
»	405 *b*	»	6	existente	»	425 *b*	»	4 *ult.*	existenti
»	406 *a*	»	5	secundarie vero	»	426 *b*	»	18	secundarie vero, quando
»	406 *b*	»	30	existenti	»	427 *b*	»	18 *ult.*	existente
»	406 *b*	»	13 *ult.*	audeant seu praesumant	»	428 *a*	»	11	audeat seu praesumat
»	406 *b*	»	9 *ult.*	emandata	»	428 *a*	»	15	emendata
»	406 *b*	»	5 *ult.*	praesumant	»	428 *a*	»	20	praesumat
»	407 *a*	»	9	ullo	»	428 *a*	»	10 *ult.*	nullo
»	407 *b*	»	3	Regula et statutae	»	429 *a*	»	5 *ult.*	Regulae et statuta
»	407 *b*	»	22 *ult.*	Honoti	»	429 *b*	»	1	Honorati
»	407 *b*	»	6 *ult.*	amplectimur	»	429 *b*	»	16	amplectitur
»	408 *a*	»	24	Si	»	430 *a*	»	4	Ii
»	408 *a*	»	29	aliaque	»	430 *a*	»	9	aliqua
»	408 *a*	»	42	consensu	»	430 *a*	»	22	consessu
»	408 *a*	»	48	nulla	»	430 *a*	»	28	ulla
»	408 *b*	»	7	haereticorum	»	430 *b*	»	14	et haereticorum
»	408 *b*	»	18	legendi iis	»	430 *b*	»	25	legendique
»	408 *b*	»	29	si	»	430 *b*	»	6 *ult.*	sit
»	408 *b*	»	33	quoquomodo affectus	»	430 *b*	»	2 *ult.*	quonamque modo affectos
»	409 *a*	»	23 *ult.*	consulere	»	431 *b*	»	17 *ult.*	consulere
»	410 *a*	»	15	pridieque	»	431 *b*	»	4 *ult.*	pridie quam
»	410 *a*	»	22 *ult.*	qui duo	»	433 *a*	»	20 *ult.*	duo qui
»	410 *b*	»	31 *ult.*	suscepta	»	433 *b*	»	4 *ult.*	in suscepta
»	410 *b*	»	23 *ult.*	ac	»	434 *a*	»	5	an
»	411 *a*	»	26 *ult.*	consuetudine	»	434 *b*	»	24	consuetudine competit
»	411 *b*	»	34	dimidiata	»	435 *a*	»	5 *ult.*	dimidia
»	412 *b*	»	4 *ult.*	refenda	»	437 *a*	»	18 *ult.*	referenda
»	413 *a*	«	15	illustrare	»	437 *b*	»		illustrare, comprobandam
»	413 *b*	»	16	contrarium	»	438 *a*	»	14 *ult.*	contraitum
			Tom. VI, *Part.* II.						
»	2 *a*	»	8 *ult.*	praeinserta	»	442 *a*	»	19	praeinsertam (?)
»	3 *b*	»	23	proptera, quod.	»	443-444			propterea (ut
»	4 *a*	»	17 *ult.*	ideoque	»	445 *a*	»	8	ideo
»	4 *b*	»	30 *ult.*	immunitatibus	»	445 *b*	»	20	aut immunitatibus

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* II					*Edit. Taur. Tom.* XIV.				
Pag.	5 *a*	linea	12 *ult.*	a quo, inter ceteros, praecipue infrascripti	*Pag.*	446 *b*	linea	12	a quo, inter cetera, praecipue infrascripta
	6 *a*	»	6	termino	»	447 *b*	»	7	edicto
»	6 *a*	»	36 *ult.*	Melevitano	»	447 *b*	»	10 *ult.*	Melitensi
»	6 *a*	»	26 *ult.*	quae	»	448 *a*	»	1	qua
	7 *a*	»	12 *ult.*	scrutatori	»	449 *a*	»	8 *ult.*	scrutatoribus
»	10 *b*	»	7 *ult.*	definire	»	451 *b*	»	8	definiri
	12 *a*	»	39 *ult.*	quae	»	455 *b*	»	5	qua
	12 *a*	»	26 *ult.*	Clementis Papae Octavi	»	455 *b*	»	19	Clementem Papam Octavum
»	13 *b*	»	10	tolerantia	»	458 *b*	»	1	tolerantia Romani Pontificis
»	13 *b*	»	18	conciliis	»	458 *b*	»	9	concilii decretis
»	13 *b*	»	22 *ult.*	esse	»	458 *b*	»	3 *ult.*	praeesse
»	14 *a*		4 *ult.*	sub eisdem	»	459 *b*	»	6 *ult.*	ut sub eisdem
	14 *b*	»	23 *ult.*	actus	»	460 *a*	»	1 *ult.*	actu
»	15 *a*	»	1	et receptione	»	460 *b*	»	22	receptione
»	15 *b*	»	14	quacumque	»	461 *b*	»	14	quacumque causa
»	16 *a*	»	24 *ult.*	quae	»	462 *b*	»	20	qua
	16 *a*	»	10 *ult.*	basilicarum	»	462 *b*	»	11 *ult.*	basilicae
»	18 *b*	»	33	et certis		466 *a*	»	24	ex certis
»	18 *b*	»	26 *ult.*	ne eis	»	466 *a*	»	10 *ult.*	necis
	18 *b*	»	7 *ult.*	editis	»	466 *b*	»	11	certis
	18 *b*	»	3 *ult.*	erat		466 *b*	»	14	erant
»	19 *a*	»	20	praefato	»	466 *b*	»	9	praefatarum
»	19 *a*	»	13 *ult.*	Clementis	»	467 *a*	»	15 *ult.*	Clementis VIII
	19 *b*	»	27 *ult.*	illisque	»	467 *b*	»	8 *ult.*	illis
	19 *b*	»	15 *ult.*	imposterum		468 *a*	»	4	aut imposterum
»	20 *a*	»	1	ad	»	468 *a*	»	11 *ult.*	ob
»	21 *a*	»	9	ecclesiasticis	»	469 *b*	»	14	ecclesiis
»	21 *a*	»	5 *ult.*	exigenda		470 *a*	»	3 *ult.*	conficienda
	22 *a*	»	21	constitutionem	»	471 *a*	»	1 *ult.*	constitutionem procedatur (?)
»	22 *a*	»	26 *ult.*	praeter	»	471 *b*	»	21 *ult.*	per
»	22 *a*	»	18 ult.	Algarbiorum	»	471 b	»	13 *ult.*	Algarbiorum regnum
»	22 *a*	»	6 *ult.*	quae	»	471 *b*	»	1 *ult.*	quam
»	22 *b*		1	cetera	»	472 *a*	»	14	ceteras *
	22 *b*	»	28 *ult.*	uti	»	472 *a*	»	1 *ult.*	ut
»	26 *b*	»	6	1636	»	477 *b*	»	16 *ult.*	1635 (?)
	27 *a*	»	11	cuilibet	»	478 *b*	»	7	cuiuslibet
»	27 *a*	»	15 *ult.*	eadem	»	479 *a*	»	2	eam
»	27 *b*	»	31	specie	»	479 *b*	»	1	speciei
»	28 *a*	»	10	fuerint	»	480 *a*	»	6	fuerit
»	29 *a*	»	23 *ult.*	feret	»	482 *a*	»	1	foret
»	30 *a*	»	23 *ult.*	fraudes		483 *a*	»	4 *ult.*	fraudes, exigendae (?)
	31 *a*	»	18	praedicta	»	484 *b*	»	21	praedictae
»	31 *a*	»	23	illa	»	484 *b*	»	18 *ult.*	illi
»	32 *a*	»	5 *ult.*	possent et valerent	»	486 *b*	»	7	posset et valeret
	32 *b*	»	6	ulterius		486 *b*	»	16	alterius
»	33 *a*	»	19	commissae		487 *b*	»	20	commissas (?)
	33 *b*	»	11	litteras		488 *a*	»	16 *ult.*	causas
»	33 *b*	»	39	9 augusti	»	488 *b*	»	13	9 kalendas augusti
»	33 *b*	»	40	9 augusti	»	488 *b*	»	15	24 iulii
»	34 *a*	»	22	eorum	»	489 *a*	»	2 *ult.*	rerum (*vel* temporum)
	34 *b*	»	18	quibus	»	490 *a*	»	15	qui

* Ista emendatio addenda est.

Edit. Rom. Mam. Tom. VI, *Part.* II.						*Edit. Taur. Tom.* XIV.					
Pag.	39 *b*	linea	25	*ult.*	quod in eodem	*Pag.*	497 *b*	linea	4	*ult.*	in eodem
»	41 *a*	»	23		ut ad suam	»	499 *b*	»	7	*ult.*	ad suam
»	42 *a*	»	17		effectum	»	501 *a*	»	15	*ult.*	effectu
»	42 *b*	»	7		emisset	»	501 *b*	»	3	*ult.*	emerent
»	44 *b*	»	10		incurren.	»	505 *a*	»	4		incurrendis poenis
»	45 *a*	»	3		quibusvis	»	505 *b*	»	21		quibusvis clausulis et decretis
»	45 *a*	»	20	*ult.*	tenoris	»	506 *a*	»	20		tenoris subsequentis
»	47 *b*	»	23	*ult.*	poenis	»	510 *a*	»	1		poenâ
»	49 *a*	»	13	*ult.*	fuimus	»	513 *a*	»	12	*ult.*	sumus
»	49 *a*	»	3	*ult.*	propagatione	»	513 *a*	»	2	*ult.*	plantatione (?)
»	49 *b*	»	1		numero	»	513 *b*	»	1		numero suffulti
»	49 *b*	»	5		dignaque.	»	513 *b*	»	5		dignâque vitâ (*vel* dignêque viventes
»	49 *b*	»	16		monasterium praedictum	»	513 *b*	»	18		monasterii praedicti
»	49 *b*	»	23		in praedicta	»	513 *b*	»	8	*ult.*	infrascripta
»	49 *b*	»	8	*ult.*	exhibitâ	»	514 *a*	»	12	*ult.*	et habitâ
»	49 *b*	»	7	*ult.*	cunctis	»	514 *a*	»	11	*ult.*	cum eis
»	50 *a*	»	11		resideant	»	514 *b*	»	7		resident
»	50 *a*	»	22		praevia perpetua abbatia	»	514 *b*	»	18		praeviâ (*vel* previis) praedictae abbatiae
»	50 *a*	»	28		universalium	»	514 *b*	»	23		regularium (?)
»	50 *a*	»	16	*ult.*	archiepiscopo	»	515 *a*	»	15		archiepiscopi
»	50 *a*	»	13	*ult.*	concessis.	»	515 *a*	»	18		concessae
»	50 *b*	»	17		ac quibus aliâs... possunt	»	515 *b*	»	12		ac privilegiis, quibus aliâs... possunt, et ipse uti, frui, gaudere possit
»	50 *b*	»	20		valeant	»	515 *b*	»	15		valeat
»	50 *b*	»	24		perpetuos mansionarios.	»	515 *b*	»	19		perpetuas mansionarias
»	50 *b*	»	37		et omnes apud dictam ecclesiam Urb. constituere	»	515 *b*	»	1	*ult.*	et omnes apud dictam ecclesiam Urb. residere, et una cum dignitatem obtinente et canonicis capitulum dictae ecclesiae Urb. constituere
»	50 *b*	»	42		aliisque	»	516 *a*	»	4		illisque
»	50 *b*	»	46		cappellanis	»	516 *a*	»	8		cappellaniis
»	51 *a*	»	6		ipsammet	»	516 *a*	»	4	*ult.*	ipsasmet
»	51 *a*	»	26		omnia et singula	»	516 *b*	»	17		omnia et singula bona et iura
»	51 *a*	»	13	*ult.*	omnium singulorum.	»	517 *a*	»	4		omnium et singulorum
»	51 *b*	»	15		capitulo	»	517 *a*	»	13	*ult.*	capituli
»	51 *b*	»	30		quoad.	»	517 *b*	»	3		etiam quoad
»	51 *b*	»	2	*ult.*	ut	»	517 *b*	»	2	*ult.*	et
»	52 *a*	»	14	*ult.*	assignationes	»	518 *b*	»	11		assignatores
»	52 *b*	»	8		1635	»	518 *b*	»	7	*ult.*	1636
»	52 *b*	»	27	*ult.*	praescriptam	»	519 *a*	»	19	*ult.*	praescriptam conscendentes
»	54 *b*	»	1	*ult.*	kalend.	»	522 *b*	»	16		pridie kalendas *
»	56 *b*	»	27		habentium	»	525 *a*	»	16	*ult.*	habitantium
»	57 *a*	»	19	*ult.*	gubernis	»	526 *a*	»	14	*ult.*	gubernii
»	57 *a*	»	10	*ult.*	possent	»	526 *a*	»	5	*ult.*	possent, obviam iretur
»	57 *a*	»	4	*ult.*	communitates	»	526 *b*	»	1		communitatem
»	58 *a*	»	33		tenores, statum	»	527 *b*	»	16		tenores ac statum

* Sed etiam legere oportet *anno* 1636 pro *anno* 1635.

Edit. Rom. Main. Tom. VI. Part. II.					*Edit. Taur. Tom. XIV.*				
Pag.	58 *a*	linea	9 *ult.*	gravatis	*Pag.*	528 *a*	linea	1	gravatis. . . (?)
»	58 *b*	»	15	conciliis generalibus.	»	528 *a*	»	23	concilii generalis
»	58 *b*	»	19 *ult.*	duximus	»	528 *b*	»	13	duxerimus
»	58 *b*	»	19 *ult.*	motu	»	528 *b*	»	13	motu itaque
»	59 *a*	»	28	usum virgarum . .	»	529 *a*	»	18	. . . . . (?)
»	59 *b*	»	16	publicis . .	»	529 *b*	»	11 *ult.*	praedictis (?)
»	59 *b*	»	28 *ult.*	inquirendo	»	530 *a*	»	17	de non inquirendo
»	59 *b*	»	6 *ult.*	ad	»	530 *a*	»	3 *ult.*	ad se
»	59 *b*	»	5 *ult.*	aut nisi	»	530 *a*	»	1 *ult.*	nisi
»	60 *a*	»	31 *ult.*	praedicti.	»	530 *b*	»	4 *ult.*	praedictis
»	61 *a*	»	27	Cumque	»	532 *a*	»	16 *ult.*	Cum vero
»	61 *a*	»	7 *ult.*	per nuncios et collectores apostolicos hactenus .	»	532 *b*	»	2	hactenus
»	61 *b*	»	8	quae	»	532 *b*	»	9 *ult.*	qua
»	63 *b*	»	35 *ult.*	egressus.	»	536 *a*	»	23 *ult.*	egressus pateat
»	63 *b*	»	8 *ult.*	posse.	»	536 *b*	»	4	possint
»	65 *b*	»	12	praetendant . . .	»	539 *a*	»	7	praetendat
»	66 *a*	»	7 *ult.*	apostolici	»	540 *a*	»	7 *ult.*	apostolicis
»	67 *a*	»	11	providaeque. . . .	»	541 *a*	»	17 *ult.*	provideque
»	67 *b*	»	25	alterius	»	542 *a*	»	23 *ult.*	alterutrius
»	68 *a*	»	5 *ult.*	nec non	»	543 *a*	»	4 *ult.*	ut nec
»	68-69			visitatione	»	544 *a*	»	19 *ult.*	supplicatione (*vel* institutione)
»	72 *a*	»	27	pacta	»	549 *a*	»	7	pacti
»	72 *b*	»	5	fideiussorum	»	549 *b*	»	13	fideiussionum
»	73 *a*	»	6	suo	»	550 *a*	»	5 *ult.*	sub
»	73 *a*	»	20 *ult.*	eos.	»	550 *b*	»	4 *ult.*	eas
»	74 *a*	»	16 *ult.*	quoscumque . . .	»	552 *b*	»	3	quoscumque ex altera partibus
»	77 *a*	»	16	quae	»	555 *a*	»	15	qua
»	77 *a*	»	34	quae	»	555 *a*	»	13 *ult.*	qua
»	78 *b*	»	33	quae	»	557 *b*	»	5	qua
»	78 *b*	»	17	quae	»	557 *b*	»	20	qua
»	79 *b*	»	14 *ult.*	propter quos . . .	»	559 *a*	»	19 *ult.*	propter quod
»	81 *a*	»	15 *ult.*	polliceantur	»	561 *a*	»	10 *ult.*	polliceatur
»	81 *a*	»	14 *ult.*	se	»	561 *a*	»	9 *ult.*	te
»	81 *b*	»	3	quae	»	561 *b*	»	8	quam
»	82 *a*	»	21 *ult.*	sita	»	562 *b*	»	10 *ult.*	sitae
»	82 *a*	»	16 *ult.*	eiusdem	»	562 *b*	»	5 *ult.*	eiusque
»	82 *a*	»	12 *ult.*	solitum	»	562 *b*	»	1 *ult.*	solitam
»	82 *a*	»	12 *ult.*	eidemque	»	562 *b*	»	1 *ult.*	eidem
»	82 *b*	»	19	extra	»	563 *a*	»	14 *ult.*	extra posse
»	84 *b*	»	20 *ult.*	affectum	»	566 *b*	»	15	affectu
»	87 *a*	»	35 *ult.*	in dies vis.	»	569 *a*	»	5	in dies in vis
»	87 *a*	»	34 *ult.*	quae	»	569 *a*	»	6	qua
»	87 *b*	»	26 *ult.*	concurrerent	»	569 *b*	»	6 *ult.*	incurrerent
»	87 *b*	»	7 *ult.*	acceptus.	»	570 *a*	»	15	accensus
»	88 *a*	»	7	devenerit	»	570 *a*	»	16 *ult.*	devenit
»	88 *a*	»	9 *ult.*	disciplinae	»	570 *b*	»	6 *ult.*	disciplina
»	89 *a*	»	30	relinquentur	»	572 *a*	»	12	relinquantur
»	89 *b*	»	26	emissi	»	572 *b*	»	12 *ult.*	emissis
»	91 *a*	»	8	locus	»	574 *b*	»	1 *ult.*	loco
»	91 *b*	»	6 *ult.*	tale	»	576 *a*	»	10 *ult.*	talem
»	92 *b*	»	28	perfecerit	»	577 *b*	»	3	profecerit
»	92 *b*	»	42	redditurus	»	577 *b*	»	17	rediturus
»	93 *a*	»	6	mittenti et recipienti .	»	578 *a*	»	7	mittentis et recipientis
»	94 *a*	»	26 *ult.*	dote	»	581 *a*	»	17	dotis
»	94 *a*	»	3 *ult.*	introductis	»	581 *a*	»	4 *ult.*	instructis (?)

Edit. Rom. Maur. Tom. VI, *Part.* II.

Pag.	95 *a*	linea	32	descendentia
»	95 *b*	»	32 *ult.*	illos
»	96 *a*		8	et inserti
	96 *a*	»	12	1636
»	97 *a*		14	quibus
»	101 *a*	»	1	definitoribus
»	101 *a*	»	8 *ult.*	factae
	102 *a*	»	30 *ult.*	receptas et factas
»	102 *b*	»	25 *ult.*	Sedis
»	103 *a*	»	16	invalidatis
»	106 *a*	»	23	nihil
»	106 *a*	»	17 *ult.*	principis
»	106 *b*	»	26	praeclara
»	106 *b*	»	1 *ult.*	1737
»	107 *a*		9	germani
»	107 *b*	»	10	et
»	107 *b*	»	32 *ult.*	litteras commisimus
»	107 *b*	»	20 *ult.*	possint et valeant
»	107 *b*	»	13 *ult.*	fabricae
»	108 *b*	»	2 *ult.*	eius
»	110 *b*	»	14 *ult.*	praemittendum
»	111 *a*	»	25	librorum
»	112 *a*	»	22	reditus
»	113 *a*	»	1	quod aliás
»	113 *a*	»	15	cupientes
»	113 *a*	»	18 *ult.*	super similiter
»	113 *b*	»	4	quidquid
»	114 *b*	»	7	perveniant
»	115 *a*	»	19 *ult.*	XIV
»	115 *a*	»	14 *ult.*	instituti
»	115 *b*	»	23 *ult.*	tamen
»	117 *a*	»	5	violatores
»	117 *a*	»	6	procurantes
»	117 *b*	»	11 *ult.*	in sua
»	118 *a*	»	31	comprehendere
»	119 *b*	»	21	maioricatu
»	120 *b*	»	29	interpretandi
»	120 *b*	»	14 *ult.*	illorum
»	121 *a*	»	13 *ult.*	disponentes
»	121 *a*	»	10 *ult.*	apposuerint
»	122 *b*	»	5	quoscumque
»	122 *b*	»	17 *ult.*	impetratur
»	123 *b*	»	13	electa
»	125 *b*	»	4	nuncupatum
»	125 *b*	»	30	nuncupatum
»	126 *b*	»	3	quae
»	126 *b*	»	19	concessimus
»	127 *a*	»	14	fuerat
»	127 *a*	»	4 *ult.*	diversis
»	127 *b*	»	3	Ferentinus
»	127 *b*	»	4 *ult.*	che sono
»	128 *a*	»	24	subiri
»	128 *a*	»	22 *ult.*	innitentur
»	128 *b*	»	32 *ult.*	inducunt
»	128 *b*	»	18 *ult.*	quod in ipsius
»	128 *b*	»	7 *ult.*	nobis
»	129 *b*	»	2 *ult.*	aliis, derogatoriarum

Edit. Taur. Tom. XIV.

Pag.	582 *b*	linea	10	descendentiae
	583 *a*	»	5 *ult.*	illis
»	583 *b*		12 *ult.*	inserti
»	584 *a*		22	1637
»	585 *a*	»	6 *ult.*	quibusvis
»	591 *a*	»	16	definitionibus
»	591 *b*	»	12	factas
»	593 *a*	»	13	recepta et facta
»	593 *b*	»	9 *ult.*	Sedi
»	595 *b*	»	18 *ult.*	invaliditatis
»	598 *b*	»	9 *ult.*	aliquid exigere, sed nihil
»	599 *a*	»	16	principiis
»	599 *b*	»	18	praeclarae
»	600 *a*	»	17	1637
»	600 *a*	»	2 *ult.*	grani (?
»	601 *a*	»	15	ad
»	601 *a*	»	8 *ult.*	litteras
»	601 *b*	»	5	possit et valeat
	601 *b*	»	12	fabricae basilicae
»	603 *a*	»	18 *ult.*	eiusque
»	606 *a*	»	3	praetermittendum
»	606 *a*	»	2 *ult.*	liberum
»	607 *b*		2 *ult.*	redditus
»	609 *a*	»	7 *ult.*	aliás
»	609 *b*	»	5	cupiant
»	609 *b*	»	24	super hoc humiliter
»	610 *a*	»	3	quid
»	611 *a*	»	2 *ult.*	proveniant
»	612 *b*	»	20	XIII
»	612 *b*	»	26	institutae
»	613 *a*	»	1 *ult.*	tantum
»	615 *a*	»	15	violationem (?
»	615 *a*	»	13 *ult.*	abortum procurantes (?)
»	616 *b*	»	14	sine sua
»	617 *a*	»	12	quae non comprehendere
»	619 *a*	»	9	maioratu (?)
»	621 *a*	»	3	et interpretandi
»	621 *a*	»	14 *ult.*	quibus omnibus, illorum
»	622 *a*	»	15	disponentis
»	622 *a*	»	18	opposuerint
»	623 *b*	»	7 *ult.*	quaecumque
»	624 *a*	»	2 *ult.*	impetretur
	625 *b*	»	6	adducta
»	628 *a*	»	1 *ult.*	nuncupatam
»	628 *b*	»	19 *ult.*	nuncupatam
»	629 *b*	»	2 *ult.*	qua
»	630 *a*	»	15	concesserimus
	630 *b*	»	11 *ult.*	fuerit
»	631 *a*	»	9 *ult.*	diversas
»	631 *a*	»	2 *ult.*	Ferentini
»	632 *a*	»	16	che sono anteriori
»	632 *b*	»	1	subire
»	632 *b*	»	19 *ult.*	innitantur
»	633 *a*	»	6 *ult.*	inducit
»	633 *b*	»	9	in ipsius
»	633 *b*	»	20	et nobis
»	635 *a*	»	21 *ult.*	aliis, etiam cum derogatoriarum

Edit Rom. Main. Tom. VI, *Part.* II.

Pag.	133 *a*	linea	16		beneficio . . . .
»	135 *a*	»	27		conciatis. . . .
»	135 *b*	»	18		Italia adiacentibus
»	137 *a*	»	5	*ult.*	monasteriis praedictis
	142 *b*	»	4	*ult.*	alias . . . . .
	140 *a*	»	24	*ult.*	incurrendae . .
»	140 *b*	»	2		et quibusvis . . .
»	146 *a*	»	33	*ult.*	cappellas . .
»	146 *a*	»	5	*ult.*	seu aliàs qui .
»	146 *b*	»	4	*ult.*	cappellas
»	148 *a*	»	20		item . .
»	148 *a*	»	4	*ult.*	fecerunt .
»	148 *b*	»	21		quibus .
»	148 *b*	»	11	*ult.*	solitam .
»	153 *a*	»	26		illasque .
»	153 *b*	»	38	*ult.*	Melevitanae
»	153 *b*		28	*ult.*	importari .
	154 *b*		13	*ult.*	deputaverunt .
»	155 *a*	»	2		absolutos. . .
	155 *a*	»	13		illique. , . .
	155 *b*		11	*ult.*	provideatur . .
	156 *b*	»	10	*ult.*	ipsum . . .
	158 *a*		11	*ult*	si ita placuerit .
	160 *a*	»	26		iudicia . . .
	160 *a*		27		certissima, spem .
»	162 *b*		32	*ult.*	etiamsi si . . .
	162 *b*		11	*ult.*	etiam . .
	162 *b*		10	*ult.*	aut collegiatis .
	163 *a*		14	*ult.*	non obtineant .
	163 *a*	»	9	*ult.*	sint . . .
	163 *b*	»	5		qualitatis .
»	163 *b*	»	22		quibus . . .
»	163 *b*	»	21		quae . . .
»	163 *b*		27		consumpta . . . .
»	163 *b*	»	19	*ult.*	nisi illam . . . .
	163 *b*	»	10	*ult.*	cuiusvis . . . . .
»	163 *b*	»	5	*ult.*	alia aut quamcumque nominandi et reservandi facultatem quibusvis .
»	164 *a*	»	3		obtenta . . . . .
	164 *a*	»	23		exigunt vel requirunt .
»	164 *a*	»	23		et quae . . . . .
	164 *a*	»	26		emanaverit . . . . .
»	164 *a*	»	33		personas. . . . .
	164 *a*		35		quum immo . . . .
	164 *a*		35		in illarum exequutione.
	164 *a*	»	38		reservationum . . . .
	164 *a*	»	42		Cancellaria . . . . .
	164 *a*	»	43		ad effectum, et aliis in assequutione beneficiorum conferendis nominatim descriptis concessimus . . .

Edit. Taur. Tom. XIV.

Pag.	639 *b*	linea	21	*ult.*	beneficio privatos
»	642 *b*	»	9	*ult.*	concitatis
»	643 *b*	»	5	*ult.*	Italia et adiacentibus
»	646 *a*		11		monasteria praedicta
	648 *b*	»	19	*ult.*	aliquas
	650 *b*	»	22	*ult.*	incurrendis
»	651 *a*	»	5		cum quibusvis
	656 *a*	»	18	*ult.*	cappellis
	656 *b*	»	10		seu aliàs, actus, qui
	657 *a*	»	8	*ult.*	cappellis
»	659 *a*	»	13	*ult.*	litem
»	659 *b*	»	17		fecerint
»	659 *b*	»	3	*ult.*	quibusvis
»	660 *a*	»	12	*ult.*	solita
»	665 *a*	»	6		illaque
»	665 *b*	»	9	*ult.*	Melitanae
»	666 *a*	»	2		importati
»	667 *b*	»	17		deputaverint
»	667 *b*	»	11	*ult.*	absolutas
	667 *b*	»	1	*ult.*	illisque
»	669 *a*	»	21		ipsis provideatur
	670 *b*	»	13	*ult.*	ipse
	672 *b*		7	*ult.*	si ita ei placuerit
	675 *a*	»	1	*ult.*	indicia
	675 *b*	»	1		certissimam speu
	679 *a*	»	15	*ult.*	etiam si
	679 *b*		6		et
	679 *b*	»	7		aut in collegiatis
	680 *a*	»	12	*ult.*	obtineant
	680 *a*		7	*ult.*	non sint
	680 *b*		6		qualitatum
»	680 *b*		23		quibusvis
	680 *b*		25		qua
	680 *b*		29		consequuta (?) [5]
	681 *a*		12		nisi ad illam
»	681 *a*		21		cuivis
»	681 *a*	»	6	*ult.*	aliae a quamcumque nominandi et reservandi facultatem habentibus quibusvis
»	681 *b*		2		obtentu
	681 *b*	»	15		exigant vel requirant
	681 *b*		16		quae
	681 *b*	»	11	*ult.*	emanaverint
	681 *b*		1	*ult.*	per personas
	681 *b*	»	2	*ult.*	quin immo
	681 *b*	»	1	*ult.*	in illorum assequutione
»	682 *a*	»	2		ac reservationum
»	682 *a*		6		Camera (?)
	682 *a*	»	7		ad effectum ut aliis in assequutione beneficiorum conferendorum nominatim descriptis praeferantur, concessimus

[5] Emendatio non necessaria.

Edit. Rom. Mann. Tom. VI, Part. II.					*Edit. Taur. Tom. XIV.*				
Pag.	164 *a*	linea	48	debeat expectantibus	*Pag.*	682 *a*	linea	12	debeanti expectantibus
»	164 *b*	»	25	in	»	682 *b*	»	20	ac
»	164 *b*	»	29	ad quarum solemnitatem, adstrictionem, formam	»	682 *b*	»	24	ad quarum solemnitatum adscrictiorem formam
»	164 *b*	»	38	mensalibus	»	682 *b*	»	1 *ult.*	mentalibus
»	164 *b*	»	38	reservationibus.	»	682 *b*	»	3 *ult.*	reservationibus, uniombus annexionibus et incorporationibus
»	164 *b*	»	23 *ult.*	et.	»	683 *a*	»	5	etiam
»	164 *b*	»	23 *ult.*	fungentibus	»	683 *a*	»	15	fulgentibus
»	164 *b*	»	11 *ult.*	ac eorum	»	683 *a*	»	17	ad eorum
»	164 *b*	»	2 *ult.*	nullius	»	683 *a*	»	15 *ult.*	illius
»	164 *b*	»	1 *ult.*	cessionum.	»	683 *a*	»	14 *ult.*	cessorum (?)
»	165 *a*	»	23	non derogantibus . . .	»	683 *b*	»	9	non derogando
»	165 *a*	»	32	defectus.	»	683 *b*	»	18	effectus (?)
»	165 *a*	»	16 *ult.*	ac si non aliter . . .	»	683 *b*	»	4 *ult.*	ac sic et non aliter
»	165 *a*	»	6 *ult.*	nec non decernentes. .	»	684 *b*	»	7	nec non
»	166 *a*	»	7 *ult.*	impendant	»	685 *b*	»	8	impendent
»	166 *b*	»	30 *ult.*	monimentum	»	686 *a*	»	10	munimentum
»	167 *a*	»	15	congregationis.	»	686 *b*	»	9	congregationum
»	167 *b*	»	20	pertinentia	»	687 *a*	»	7 *ult.*	pertinentium
»	167 *b*	»	21	eorumque.	»	687 *a*	»	5 *ult.*	earumque
»	167 *b*	»	29	permiserunt	»	687 *b*	»	3	promiserunt
»	168 *a*	»	5	oneramus cum ceteris .	»	688 *a*	»	6	oneramus, et, cum ceteris
»	168 *a*	»	15	partim	»	688 *a*	»	17	partem
»	168 *a*	»	29	iisdem	»	688 *a*	»	11 *ult.*	iisdemque
»	168 *b*	»	11	detrahenda	»	688 *b*	»	4 *ult.*	detrahendi
»	168 *b*	»	31 *ult.*	tibi	»	689 *a*	»	18 *ult.*	ac tibi
»	168 *b*	»	20 *ult.*	nobis	»	689 *a*	»	7 *ult.*	vobis (?)
»	168 *b*	»	17 *ult.*	moderandi	»	689 *a*	»	4 *ult.*	mandandi
»	168 *b*	»	10 *ult.*	tibi	»	689 *b*	»	4	sibi
»	168-169			et generaliter. Contradictores	»	689 *b*	»	13	et generaliter contradictores
»	169 *a*	»	11	incurrerunt	»	689 *b*	»	23	incurrerint
»	169 *a*	»	34	circa	»	690 *a*	»	6	certa
»	169 *a*	»	26 *ult.*	generaliter	»	690 *a*	»	14	generaliter concessis
»	169 *a*	»	25 *ult.*	etiam.	»	690 *a*	»	16	etiamsi
»	172 *a*	»	20 *ult.*	libere.	»	694 *b*	»	18 *ult.*	liberâ
»	172 *a*	»	11 *ult.*	Volumus	»	694 *b*	»	8 *ult.*	Voluimus
»	172 *b*	»	28 *ult.*	libere.	»	695 *b*	»	2	liberâ
»	173 *a*	»	26	partis	»	696 *a*	»	11	partes
»	173 *b*	»	31	capere seu recipere, dare	»	696 *b*	»	4 *ult.*	dare
»	173 *b*	»	26 *ult.*	minusque suppositas personas huiusmodi . . .	»	697 *a*	»	10	minusque suppositas personas huiusmodi. . . (?)
»	174 *a*	»	13 *ult.*	vivant	»	698 *a*	»	4	vivunt
»	174 *a*	»	12 *ult.*	indigeant	»	698 *a*	»	5	indigent
»	174 *b*	»	3 *ult.*	perturbant	»	698 *b*	»	6 *ult.*	perturbent
»	175 *a*	»	24 *ult.*	praesentibusque	»	699 *a*	»	2 *ult.*	praesentibus
»	176 *a*	»	10	Circumspectioni	»	700 *b*	»	15 *ult.*	Circumspectionis
»	176 *a*	»	15	plurium 6 mil..	»	700 *b*	»	10 *ult.*	plurium scutorum millium
»	176 *a*	»	9 *ult.*	faciendum.	»	701 *a*	»	18	faciendae
»	176 *a*	»	5 *ult.*	senatus	»	701 *a*	»	22	senatui
»	176 *b*	»	22 *ult.*	clericos tam seculares quam regulares . .	»	701 *b*	»	12 *ult.*	clerici tam secularis quam regularis
»	177 *a*	»	5	postea.	»	702 *a*	»	14	pestis
»	177 *a*	»	3 *ult.*	nive	»	702 *b*	»	10 *ult.*	. . . . . (?)
»	177 *a*	»	1 *ult.*	potuerit.	»	702 *b*	»	8 *ult.*	potuerint
»	179 *b*	»	10	contentis	»	706 *a*	»	11	contenta

Edit. Rom. Main. Tom. VI. Part. II.					*Edit. Taur. Tom. XIV.*				
Pag.	179 *b*	linea	34	affici	*Pag.*	706 *a*	linea	7 *ult.*	afficere
»	181 *a*	»	35 *ult.*	Hodie	»	708 *b*	»	12 *ult.*	Hodie a nobis
»	181 *a*	»	14 *ult.*	reperiuntur	»	709 *a*	»	11	reperiantur
»	181 *b*	»	3	recitate	»	709 *a*	»	11 *ult.*	recitare
»	181 *b*	»	5	reversi	»	709 *a*	»	12 *ult.*	reversis
»	181 *b*	»	27 *ult.*	faciant	»	709 *b*	»	16 *ult.*	faciat
»	182 *a*	»	3	fungentes	»	710 *a*	»	13	fulgentes
»	182 *a*	»	12	attentari	»	710 *a*	»	22	attentari decernimus
»	182 *a*	»	13 *ult.*	observari	»	710 *b*	»	25	observari faciatis
»	184 *a*	»	6	nuncupati	»	713 *a*	»	21	nuncupatum
»	184 *a*	»	9	assistentes	»	713 *a*	»	25	assistens
»	185 *a*	»	7 *ult.*	quam et quas	»	715 *a*	»	5 *ult.*	clausula et clausulis quam et quas addimus, etiamsi
»	193 *b*	»	8 *ult.*	quod dum	»	719 *b*	»	17	quo, dum
»	194 *a*	»	30 *ult.*	perpetuae	»	720 *a*	»	19	perpetuas
»	194 *b*	»	1	nostris	»	720 *b*	»	5	nostro
»	189 *a*	»	1 *ult.*	quae	»	723 *b*	»	15	qua
»	190 *b*	»	20 *ult.*	arbitrii nostri	»	725 *b*	»	10	arbitrio nostro
»	192 *a*	»	3 *ult.*	eos	»	728 *a*	»	1	eas
»	192 *b*	»	33 *ult.*	illique	»	728 *a*	»	1 *ult.*	illisque
»	192 *b*	»	17 *ult.*	habendis	»	728 *b*	»	15	habendis servatis
»	192 *b*	»	11 *ult.*	quorum	»	728 *b*	»	20	quarum
»	195 *a*	»	11	ille seu ex	»	729 *b*	»	19 *ult.*	ille seu illi ex
»	196 *a*	»	16	quae	»	731 *a*	»	19	qua
»	196 *a*	»	25	ibi	»	731 *a*	»	28	in
»	196 *b*	»	11	officiorum	»	731 *b*	»	6 *ult.*	officialium
»	197 *a*	»	15	1599	»	732 *b*	»	23	1593
»	197 *b*	»	3	provisioribus	»	733 *a*	»	8 *ult.*	provicarius (?)
»	197 *b*	»	37	revocari	»	733 *b*	»	18 *ult.*	revocari posse
»	198 *a*	»	3	eisdem	»	734 *a*	»	19	eidem
»	198 *a*	»	25	commissario	»	734 *a*	»	3 *ult.*	et commissario
»	198 *b*	»	1	sustinentur	»	734 *b*	»	4 *ult.*	sustinentium
»	198 *b*	»	9	huiuscumque	»	735 *a*	»	5	huiusque
»	198 *b*	»	26	Gregorianorum	»	735 *a*	»	3 *ult.*	Georgianorum
»	199 *a*	»	7	priores, seu nationes	»	735 *b*	»	14 *ult.*	priores nationes
»	199 *a*	»	27 *ult.*	per	»	736 *a*	»	20 *ult.*	qui vel quae per
»	199 *b*	»	11	Illoque	»	736 *b*	»	16	Illique
»	199 *b*	»	23 *ult.*	supradictos	»	737 *a*	»	10	supradicta
»	199 *b*	»	16 *ult.*	quatenus	»	737 *a*	»	17	quam
»	199 *b*	»	10 *ult.*	et quod illi	»	737 *a*	»	23	et, quando illae
»	200 *a*	»	19	ipsius	»	737 *b*	»	10	ipsorum (*vel* ipsa)
»	201 *a*	»	7	in aliqua	»	739 *a*	»	2	in aliquo
»	201 *a*	»	15	statutis, privilegiis	»	739 *a*	»	10	privilegiis
»	201 *b*	»	15	supernus	»	739 *b*	»	4 *ult.*	supremus
»	201 *b*	»	24 *ult.*	exemptiones a constitutionibus	»	740 *a*	»	22	exemptiones constitutionibus
»	201 *b*	»	10 *ult.*	ut infra	»	740 *a*	»	6 *ult.*	ut in praemissis opportune, ut infra
»	202 *b*	»	11	adhiberetur	»	741 *a*	»	6 *ult.*	praesentibus adhiberetur
»	202 *b*	»	33 *ult.*	eremitorum	»	741 *b*	»	16	eremorum
»	203 *a*	»	5 *ult.*	Ordinis	»	742 *b*	»	13 *ult.*	Ordini
»	204 *b*	»	2	illis	»	744 *a*	»	4 *ult.*	illi
»	204 *b*	»	23	quae	»	744 *b*	»	18	qua
»	205 *a*	»	11	iuribusque	»	745 *a*	»	14 *ult.*	viribusque
»	205 *a*	»	29	quamprimum	»	745 *b*	»	4 *ult.*	quum primum
»	205 *b*	»	13	16	»	746 *a*	»	13	23

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* II.					*Edit. Taur. Tom.* XIV.				
Pag.	206 *a*	linea	7	qui immediate triennio.	*Pag.*	746 *a*	linea	14 *ult.*	qui immediate ministri provincialis officium absolverit ut sequestri etiam immediate triennio
»	206 *a*	»	34	tenoribus et datis .	»	747 *a*	»	16	tenores et datas
»	206 *a*	»	8 *ult.*	posse	»	748 *b*	»	1 *ult.*	non posse
»	208 *b*	»	4 *ult.*	Melevitanae	»	751 *a*	»	14 *ult.*	Melitanae

CONTINUATIO PONTIFICATUS

URBANI VIII.

URBANI VIII

CONSTITUTIONES

Ab anno sexto pontificatus ipsius et deinceps.

An. C. 1628

CCXCVIII.

Quod fratres Cappuccini Ordinis sancti Francisci ad laxiorem Ordinem sine Sedis Apostolicae, ad Carthusiensem vero sine ministri generalis licentiâ, de cetero non transeant[1].

Urbanus Episcopus,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iniuncti nobis apostolici muneris ratio postulat, ut religiosorum virorum, qui, spretis huius seculi vanitatibus, divini numinis obsequiis sub suavi religionis iugo et strictioris observantiae regulis sese manciparunt, paternam curam gerentes, in his eiusdem muneris partes sedulo intendamus, per quae prospero felicique eorum statui et directioni opportune consulatur, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

1 Istis fratribus ut crucem propriam in processionibus deferre possint, indulsit Paulus V in Const. CCXCIX, *Pastoralis*, tom. XII, pag. 411. Et uberius habes in Clementis VII, Const. XXIV, *Religionis*, tom. VI, pag. 113. Transitum quoque a fratribus Cappuccinis ad fratres Minimos S. Francisci de Paula et e contra prohibuerat Pius V Const. LXVII, *Sedis*, tom. VII, pag. 617.

An. C. 1628

Quia multi huius Ordinis fratres ad alios Ordines se transferre posse praetendunt,

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius procurator generalis fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum nobis nuper exponi fecit, nonnulli dicti Ordinis religiosi, nullâ desuper ab Apostolicâ Sede vel superioribus sui obtentâ licentiâ, ad alios Ordines seu Congregationes se transferre posse praetenderint et praetendant, non sine gravi regularis disciplinae observantiae detrimento, dictique Ordinis inquietudine:

Pontifex ad laxiorem Ordinem sine Sedis Apostolicae, ad Carthusiensem vero sine ministri generalis licentiâ scriptâ, dictum transitum interdicit.

§ 2. Nos, pro nostri pastoralis officii debito, praemissis, quantum nobis ex alto conceditur, obviam ire, prosperoque ipsius Ordinis statui et quieti consulere volentes, supplicationibus dicti procuratoris generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cetero perpetuis futuris temporibus ullus dicti Ordinis religiosus ad laxiorem absque speciali nostrâ et Sedis Apostolicae, ad Carthusiensem vero, seu quemcumque alium Ordinem vel Congregationem, nisi de ministri generalis pro tempore existentis dicti Ordinis licentiâ in scriptis obtinendâ, quovis praetextu aut ex quavis quantumvis iustâ, legitimâ et privilegiatâ causâ, sub apostasiae et infamiae perpetuae

notâ, necnon excommunicationis ac privationis vocis activae et passivae poenis ipso facto absque ullâ declaratione incurrendis, transire quoquomodo audeat seu praesumat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

Decretum praeservativum addit.

§ 3. Decernentes, praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari;

Ita iudicari praecipit.

§ 4. Sicque, et non aliter, in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praefatorum ac quorumvis aliorum Ordinum et congregationum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus et congregationibus, illorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 6. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, ac manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX augusti MDCXXVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 9 augusti 1628, pontif. anno VI.

CCXCIX.

Commissio cardinalibus Millino et Cremonensi ad procedendum contra Cyrillum pseudopatriarcham Constantinopolitanum[1].

Dilectis filiis nostris, Ioanni Garziae e S. Laurentii in Lucina Millino et Desiderio S. Caroli titulorum presbyteris cardinalibus Cremonensi nuncupatis,

Urbanus Papa VIII.

Dilecti filii nostri, salutem et apostolicam benedictionem.

Contra Cyrillum pseudopatriarcham in haereses prolapsum.

§ 1. Cum, sicut nos, non sine gravi animi nostri molestiâ, etiam famâ publicâ insinuante, accepimus, iniquitatis filius Cyrillus, pro patriarcha Constantinopolitano se gerens, in haereses et schismata turpissime lapsus sit, ac alios in easdem haereses et schismata trahat et trahere audeat, ac etiam varios alios excessus, ac enormia crimina et delicta in processu causae deducenda, ausu nefario perpetraverit, ac in dies committere non vereatur:

Procedendi commissio cardinalibus Millino et Cremonensi data.

§ 2. Nos, ne tanta delicta impunita remaneant, praemissaque omnia et singula ac alia quaecumque pro expressis habentes, causam et causas excessuum, criminum et delictorum huiusmodi, prout iustitia postulat, cognosci, et quamprimum terminari, ipsumque Cyrillum debitis poenis puniri volentes, ac de singulari vestrâ et cuiuslibet vestrorum pietate, prudentiâ, doctrinâ, integritate et religionis zelo plurimum in Domino confisi, vobis, et cuilibet vestrum, tam coniunctim quam divisim, causam et causas declarationis et punitionis haeresum et schismatum, nec

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

non criminum, excessuum et delictorum huiusmodi, per dictum Cyrillum, ut praefertur ac aliàs quomodolibet, commissorum, cum omnibus et singulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negotio principali, summarie, simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figurâ iudicii, ac solâ facti veritate inspectâ, audiendas, cognoscendas, et fine debito, prout iuris fuerit, tam in congregatione generali sancti Officii et in praesentiâ nostrâ, quam extra eam, ac cum omnibus et singulis facultatibus eidem congregationi ac cardinalibus eiusdem congregationis quomodolibet concessis et competentibus, omni et quacumque appellatione, ac restitutione in integrum, recursu, ac nullitatis dictione penitus ac omnino reiectis et remotis, terminandas et decidendas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, committimus et demandamus;

Cum facultatibus necessariis.

§ 3. Dantes vobis, et cuilibet vestrum, plenam, liberam et amplam facultatem unam seu plures personas ecclesiasticas vobis benevisas ad praemissa omnia et singula subdelegandi, ac etiam[1] ad instantiam procuratoris fiscalis generalis dicti Officii sanctae inquisitionis et forsan aliorum illi adhaerentium, quam ex officio, et etiam de notorio, contra dictum Cyrillum et alios quoscumque haeresum et schismatum, ac criminum, excessuum et delictorum huiusmodi complices et fautores, auxiliumque et consilium praestantes, et usque ad sententiam definitivam inclusive, procedendi; privationis et quascumque alias etiam corporis afflictivas poenas irrogandi, declarandi et exequendi; illosque omnes et singulos, si iustitia postulaverit, curiae seculari tradendi; quos opus fuerit, etiam ultra decem, ac quibus, ubi, quando et quoties opus fuerit, citandi et inhibendi, etiam per edictum publicum, constito, etiam summarie et quantum sufficere videbitur, de non tuto accessu, ac sub censuris et poenis, etiam ecclesiasticis, vobis, et eorum[1] alteri, seu ut praefertur deputandis[2], benevisis; contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes, in censuras et poenas ecclesiasticas praedictas incidisse declarandi, aggravandi, reaggravandi, interdicendi, auxiliumque brachii secularis invocandi; aliaque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria quomodolibet et opportuna, etiamsi talia sint vel fuerint, quae magis specialem, specificam et expressam requirerent mentionem, faciendi, dicendi, gerendi et exequendi.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis generalibus et provincialibus editis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maio-

1 Heic legerem *ac, tam* (R. T.).

1 Vide annon potius legendum *vestrum* (R. T.).

2 Edit. Main. mutile ut solet, habet *deputan.* quod posset etiam legi *deputandorum*, nempe: *seu alteri a vobis, ut praefertur, deputandorum benevisis.* At integrum comma aliter legendum videtur sic: *poenis..., vobis et vestrum alteri, seu a vobis, ut praefertur, deputandis et eorum alteri benevisis;* aut alio modo: *vobis et vestrum alteri, seu eorum alteri a vobis ut praefertur deputandorum benevisis* (R. T.).

rem, sub annulo Piscatoris, die XIX augusti MDCXXVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 19 augusti 1628, pontif. anno VI.

CCC.

Subsidium ab ecclesiasticis Siciliae regi pecuniarium permittit subministrari[1].

Venerabili fratri archiepiscopo Panormitano Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Oblato per status regni Siciliae quoddam subsidio regi,

§ 1. Exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, quod (cum dilecti filii tres hominum status, seu tria brachia, ecclesiasticum, militare et demaniale nuncupata regni Siciliae ultra pharum, cuius ipse Philippus rex existit, quibusdam rationabilibus de causis eorum animos moventibus, de offerendo eidem Philippo regi, ac quondam Henrico Primentel marchioni de Tovora, tunc eiusdem regni proregi, certas pecuniarum summas, donativa nuncupatas, ad triennium ac sub certis terminis ac modo et formâ exigendas[1], inter se tractaverint) venerabiles fratres archiepiscopi et[2] episcopi ac dilecti filii archimandrita et aliae personae ecclesiasticae dicti regni certam ratam sponte suâ obtulerunt et dare statuerunt in parlamentis ordinariis habitis de anno proximo praeterito MDCXXVII; ipsique archiepiscopi, episcopi, archimandrita et aliae ecclesiasticae personae eorum ratam huiusmodi, accedente ad hoc nostro et Sedis Apostolicae beneplacito, persolvere obtulerunt, et forsan etiam persolverunt.

Illis accedere statuunt ecclesiastici.

Quod ab ecclesiasticis subsidium cum forsan regii iam acceperint ministri;

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat (ex eo quod per Lateranense concilium novissime celebratum, diversasque alias canonicas sanctiones, sub certis censuris et poenis caveatur expresse, ne reges, principes et alii potentatus ab archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis personis ecclesiasticis, etiam sponte offerentibus, aliquam pecuniarum summam sive subventionem recipiant), dictus Philippus rex, ac eius regni illius ministri, necnon dilectus filius nobilis vir Franciscus Fernandez de la Cueva dux de Alburquerque modernus dicti regni prorex, dubitent, ratam praedictam ante obtentum beneplacitum apostolicum recipiendo, censuras et poenas praedictas incurrere, et forsan incurrisse, ac nobis propterea dictus Philippus rex humiliter supplicari fecerit, pro suâ ac dictorum ministrorum, ac Francisci ducis et proregis conscientiae quiete, quatenus praemissis nostram et huius sanctae Sedis auctoritatem interponere dignaremur:

Urbanus archiepiscopos Panormitano dat in mandatis ut permittat, et etiam ecclesiasticos ad id cogat;

§ 3. Nos, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, constito tibi per legitimas probationes de expresso maioris partis archiepiscoporum, episcoporum et aliarum personarum ecclesiasticarum dicti regni consensu, et quod reliqui et reliquae vocati et vocatae fuerint oblationi et forsan promissioni necnon solutioni per archiepiscopos, episcopos et archimandritam ac alias ecclesiasticas personas factis, pro hac vice tantum nostram et Sedis praedictae auctoritatem interponas per praesentes, ipsosque archiepiscopos, episcopos, et alias personas ecclesiasticas huiusmodi, etiam si sint de illis, quae pro minori cleri parte praemissis non consenserint, ad ea tamen vocati et vocatae fuerint, ad solutionem eorumdem ratae huiusmodi opportunis iuris et facti remediis cogas et compellas; et nihilominus archiepiscopis, episcopis et archimandritae, ac aliis ecclesiasticis personis predictis, ut ratam huiusmodi per

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Male edit. Main. legit *exigendis* (R. T.).
3 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

eos, ut praefertur, oblatam et promissam persolvere, ac dictus Philippus rex et eius ministri, dictusque Franciscus dux et prorex, eam petere et recipere, absque conscientiae scrupulo, seu censurarum et poenarum praedictarum incursu, libere et licite valeant, auctoritate nostrâ concedas et indulgeas.

Et, quatenus promissam ratam iam persolverint, dantes, recipientesque a censuris absolvat.

§ 4. Ipsosque archiepiscopos, episcopos et archimandritam ac alias personas ecclesiasticas et earum singulas, quatenus ipsi dictam ratam iam promiserint aut solverint, necnon eumdem Philippum regem, eiusque ministros, ac Franciscum ducem et proregem praedictos, si eamdem ratam iam perceperint, ab omnibus et singulis censuris et poenis, propterea quomodolibet incursis, eâdem auctoritate absolvas et absolutos fores censeas et declares.

Et pensionarios quoque comprehendat.

§ 5. Et, quod omnes et singuli pensionarii, seu ii, quibus, loco pensionum, fructus, in totum vel in partem, reservati existunt, cuiuscumque dignitatis vel conditionis sint, exceptis tamen S. R. E. cardinalibus, ad huiusmodi ratae solutionem in omnibus et per omnia, perinde ac si nominatim ratam eamdem se soluturos obtulissent (clausulis et decretis in litteris apostolicis reservationum pensionum et fructuum huiusmodi, etiam consistorialiter appositis, et quod dictae pensiones ab omni decimâ, subsidio charitativo, et quovis alio onere tam ordinario quam extraordinario, quavis auctoritate, etiam pro expeditione tam offensivâ quam defensivâ contra turcas et alios infideles ac reipublicae christianae hostes,[1] ab illorum conatibus defensione, seu inexcogitabili causâ, a Romano Pontifice pro tempore existente, etiam ad imperatoris, regum, ducum et aliorum instantiam, illorumque contemplationem et intuitum, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, impositis et imponendis, aut aliàs qualitercumque, exemptae sint, nequaquam obstantibus), teneantur et efficaciter obstricti sint; ipsique archiepiscopi, episcopi et archimandrita, et aliae personae, quarum ecclesiae, monasteria et alia beneficia ecclesiastica annuis pensionibus, auctoritate apostolicâ assignatis, gravata et onerata sint, ratam pensionariorum suorum, seu eorum quibus fructus huiusmodi sunt reservati, solvere, et illud, quod pro ipsis pensionariis, seu iis quibus fructus huiusmodi sunt reservati, vere et realiter ac quacumque fictione cessante persolverint, suâ propriâ auctoritate postmodum penes se retinere possint, nec propterea sententias, censuras et poenas in eisdem pensionum reservationibus contentas incurrant, eâdem auctoritate decernas.

Derogat contrarius.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis quibusvis generaliter vel specialiter concessis, necnon litteris reservationum pensionum et fructuum huiusmodi, ac quibusvis obligationibus, etiam in formâ camerae, etiam cum iuramento et censuris ac mandati executivi susceptione, vel aliàs desuper factis[1], etiamsi de illis eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentio seu quaevis alia expressio habenda sit, et in eis caveatur expresse quod per huiusmodi clausulas generales, etiam mentionem specialem importantes, eis derogatum esse non censeatur aut derogari non videatur, nisi certis modo et formâ in illis expressis plene observatis: quibus omni-

1 Aliquid deesse videtur, ex. g. *aut illius*, nempe reipubl. christianae, ab illorum etc. (R.T.).

1 Erronee ut puto ed. Main. legit *facti*, nam participium refertur ad *obligationibus* (R. T.).

bus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Pauperes ecclesiasticos excipit.

§ 7. Ceterum, volentes providere ne pauperes ecclesiastici ad contributionem huiusmodi graventur, hortamur te attente, ac in virtute sanctae obedientiae tibi mandamus, quatenus pauperes ecclesiasticos, qui in redditibus annuis nihil, aut parum, etiam usque ad valorem decem unciarum, scuta viginti quinque monetae illius regni constituentium, inclusive habent, ad contributionem praedictam per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, cogi aut compelli nullo modo permittas.

Exactionem a solis fieri iubet ecclesiasticis;

§ 8. Volumusque, quod exactio pecuniarum huiusmodi ab ecclesiasticis per personas ecclesiasticas, a dicto Philippo rege seu Francisco duce et prorege nominandas et per te deputandas[1], fieri debeat, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; quod si secus in aliquo praemissorum factum fuerit, qui contravenerint, in poenas et censuras incurrant, perinde ac si praesentes litterae non emanassent;

Praesentium-que transumptis credi.

§ 9. Quodque etiam praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra, in omnibus et per omnia, adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI augusti MDCXXVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 21 augusti 1628, pontif. anno VI.

1 Male eadem editio legit *nominandis.... deputandis* (R. T.).

CCCI.

Concedit domum et ecclesiam S. Mariae in S. Ioannino in Capite de Urbe fratribus Reformatis Ordinis beatae Mariae de Mercede Redemptionis captivorum[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Motiva huius Constitutionis.

Cum, sicut dilectus filius Didacus de S. Raymundo, procurator generalis fratrum Reformatorum nuncupatorum Ordinis beatae Mariae de Mercede Redemptionis captivorum congregationis Hispaniarum, nobis nuper exponi fecit, aliàs dilectae in Christo filiae abbatissa et moniales monasterii S. Silvestri in Capite de Urbe usum ecclesiae et domus S. Mariae in S. Ioannino nuncupatae in regione Columnae sub proprietate dicti monasterii et apud illius viridarium existentis[2] fratribus praefatis, reservato nostro et Sedis Apostolicae beneplacito, concesserint, prout plenius continetur in publico instrumento desuper confecto, tenoris qui sequitur, videlicet: *In nomine Domini*, etc., sub die X augusti MDCXXVII, per acta Marci Angeli Cesii notarii eminentissimi vicarii; cupiat autem dictus Didacus praemissa, pro illorum validitate et subsistentiâ, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, et aliàs desuper, ut infra, per nos opportune provideri:

Concedit ut in rubrica.

§ 1. Nos, Didacum et fratres praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sen-

1 Istorum fratrum privilegia confirmavit hic Pontifex Const. CCCXIV, *Ex clementi*, quam infra dabimus, pag. 25. Dedit eis facultatem erigendi hospitium in partibus Africae Const. CCLXIV, *Inter cetera*, tom. XIII, pag. 604.

2 Vel *existentium*. Male edit. Main. legit *existentibus fratribus* (R. T.).

tentiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus dicti Didaci nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum episcoporum ac dilectorum filiorum praelatorum Congregationis, visitationis apostolicae aliàs per nos indictae consilio, concessionem usus dictae ecclesiae fratribus praefatis ut supra factam, ac desuper confectum praefatum instrumentum huiusmodi, cum omnibus et quibuscumque in eo contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Conventiones in instrumento expresse observandae.

§ 2. Et nihilominus, pro potiori cautelâ, et ad minuendum dicti monasteri S. Silvestri sumptus, eisdem fratribus usum ecclesiae et domus S. Mariae in S. Ioannino huiusmodi, ad dictum monasterium, ut praefertur, spectantium, cuius sumptibus de praesenti, ut asseritur, gubernatur[1] (cum pactis et conventionibus in praeinserto instrumento huiusmodi contentis et expressis,

§ 3. Et ulterius, quod fratres praedicti, tam praesentes quam futuri, fabricam dictae ecclesiae S. Mariae, eiusque monasterium altius erigere, sive eiusdem ecclesiae faciem, invitis abbatissâ et monialibus praedictis, immutare non possint nec valeant), auctoritate et tenore praedictis, perpetuo concedimus et assignamus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes praemissa omnia necnon praesentes litteras perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab iis, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari; atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio utrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, monasterii et Ordinis praedicti, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quodque beneplacitum nostrum huiusmodi iuxta pactum cum abbatissâ et monialibus praedictis initum de illud obtinendo infra tres menses, ut praefertur, obtentum non sit, ceterisque contrariis quibuscumque: quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus.

Cautela redimendi ecclesiam.

§ 6. Volumus autem, quod fratres praedicti, si et postquam pro parte dilectorum filiorum deputatorum dicti monasterii seu maioris partis illorum, aut per episcopos et praelatos Congregationis visitationis praedictae ad hoc fuerint requisiti, dictam annuam responsionem scutorum sexaginta solutis scutis bis mille redimere teneantur, qua redemptione sequutâ, ecclesia et domus huiusmodi ad fratres praedictos pleno iure spectet et pertineat; et nihilominus in casu redemptionis huiusmodi ecclesia et domus ad monasterium deputatae seu deputandae, monialibus invitis ac nisi praeviâ dilecti filii nostri in almâ

1 Vel paulo ante legendum erat *spectantis* pro *spectantium*, vel nunc *gubernantur* pro *gubernatur* legendum (R. T.).

Urbe vicarii in spiritualibus generalis licentiâ, altius erigi non possint;

Depositum pecuniae faciendum penes montem pietatis.

§ 7. Quodque scuta bis mille praedicta deponi debeant penes Montem pietatis de Urbe, ad effectum ut pro concurrenti quantitate tot ipsius monasterii S. Silvestri debita, praevio mandato ab eiusdem monasterii abbatissâ et vicario nostro praedicto sive eius vicesgerente pro tempore existente subscribendo, extinguantur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI augusti MDCXXVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 21 augusti 1628, pontif. anno VI.

M. ANTONIUS MARALDUS.

Loco † annuli Piscatoris.

CCCII.

Deputatio cardinalis S. Honuphrii in praesidem visitationis ecclesiarum et piorum locorum Urbis[1].

Dilecto filio nostro Antonio tituli S. Honuphrii presbytero cardinali, nostro secundum carnem fratri germano, Barberino,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Cardinalis sancti Honuphrii elogium.

Singularia circumspectionis tuae in nos et hanc sanctam Sedem fidei et devotionis merita, aliaque multiplicia insignium virtutum dona, quibus te a Domino insignitum iugiter experimur, nos inducunt, ut te rei, quae nobis maxime cordi est, administrandae libenter praeficiamus, firmâ spe in Domino freti, te in eâ functione, iuxta datam tibi a Domino prudentiam, desiderio nostro cumulate satisfacturum.

Indictae ecclesiarum et piorum locorum visitationi

§ 1. Cum itaque pridem ad exequendum visitationis ecclesiarum et piorum locorum, eorumque personarum huius almae Urbis nostrae per nos indictae munus, nonnullos venerabiles fratres archiepiscopos, episcopos et alios Romanae Curiae praelatos nominatim delegerimus[1], nos, ut visitatio praedicta feliciori, qua fieri potest, ratione peragatur, quantum nobis ex alto conceditur, providere volentes, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, te visitationis praedictae praesidentem, cum omnibus et singulis privilegiis, auctoritate, iurisdictione, aliisque gratiis et indultis similibus praesidentibus de iure, usu et statuto, consuetudine, privilegio, vel aliàs quomodolibet competentibus et competituris, tenore praesentium facimus, constituimus et deputamus, cum facultate omnia et singula decreta per dictae visitationis praelatos pro tempore facta, iuxta rei et casus exigentiam, debitae exequutioni demandandi, seu demandari faciendi; contradictores quoslibet, et praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendi[2], ceteraque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna, etiamsi talia sint vel fuerint quae magis specialem, specificam et expressam requirerent mentionem, faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Praeficitur.

Cum necessariis facultatibus.

Mandatum de parendo.

§ 2. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, aliisque arbitrii nostri poenis, praedictae visitationis praelatis, ceterisque omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, ut, te in

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 De hac ecclesiarum Urbis visitatione ab Urbano indictâ plures habes constitutiones in tom. XIII, pag. 125-133 (R. T.).

2 Edit. Main. legit *compescendo* (R. T.).

visitationis huiusmodi praesidentem devote suscipientes et debitâ honorificentiâ prosequentes, tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, eaque efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam quam, rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quae in litteris indictionis huiusmodi voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI septembris MDCXXVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 6 septembris 1628, pontif. anno VI.

CCCIII.

Extensio indulti recitandi officium et celebrandi missam de vigintitribus Martyribus ex Ordine Minorum sancti Francisci Discalceatorum ad alias ecclesiasticas et seculares personas[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Aliàs, pro parte dilecti filii Petri Baptistae, procuratoris Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum provinciae S. Georgii[2] Philippinarum et Iaponiae, nobis exposito quod venerabiles fratres nostri sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sacris ritibus praepositi, in causâ canonizationis vigintitrium Martyrum, videlicet Petri Baptistae et sociorum eius ex dicto Ordine, quorum nempe sex professi, ceteri vero laici familiares et coadiutores eorumdem sex professorum erant, quique omnes pro Christi nomine in oppido civitate nuncupato Nangasaqui extra muros in regno Iapponiae cruci affixi et transverberati fuerunt, in sacro Rotae auditorio, et deinde de mandato nostro ab eisdem cardinalibus, referente dilecto filio nostro Tiberio tituli S. Priscae presbytero cardinali Muto nuncupato, discussâ, censuerunt constare de martyrio et miraculis, ideoque ad actualem illorum canonizationem quandocumque deveniri posse; superiores vero dicti Ordinis, pro eo, quem erga eosdem martyres gerebant, devotionis affectu, officium et missam de illis, donec ad solemnem eorum canonizationem (pro qua non solum dictus Petrus eorumdem fratrum nomine, verum etiam carissimus in Christo filius noster Philippus rex catholicus, ac charissima in Christo filia nostra Isabella regina catholica Hispaniarum, necnon universa civitas Manilensis et Chinensis, seu Machanensis, aliique nobis, per eorum litteras ad nos transmissas, humiliter supplicaverant) deveniretur, recitari posse desiderabant:

Causae huius Constitutionis referuntur.

§ 1. Nos, huiusmodi supplicationibus tunc inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, ut de eisdem Martyribus, tam ab omnibus dicti Ordinis sancti Francisci religiosis ubique existentibus, quam etiam aliis ecclesiasticis et secularibus personis Manilensis dioecesis dumtaxat, ubi praecipue dicti Martyres pro Christi fide laborantes valde profecerant, officium et missa de communi plurimorum Martyrum, die eorum martirii, videlicet die V februarii, recitari et celebrari respective libere et licite posset et valeret, apostolicâ auctoritate licentiam et facultatem concessimus et impertiti sumus, prout in no-

1 De huiusmodi martyribus lege Constitutionem CCXXXVIII (in h. n. edit. CCLIX), *Salvatoris*, tom. XIII, pag 593.

2 In loco parallelo tom. XIII, pag. 593 *b* ex ipso Main. legimus *S. Gregorii*. Ultra lectio sit vera penes lectorem iudicium esto (R. T).

stris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[1].

Concessio, de qua in rubricâ.

§ 2. Cum autem, sicut nomine populi et cleri Abulensis dioecesis, beati Petri Baptistae, et Mexicanae, patriae beati Philippi de Iesu, ex dictis vigintitribus Martyribus praedicti Ordinis Discalceatorum provinciae S. Georgii Philippinarum huiusmodi, nobis nuper expositum fuit, ipsi, pro eo quem erga eosdem Martyres gerunt, devotionis affectu, plurimum cupiant licentiam et facultatem praedictas per nos ut infra extendi: nos, piis eorum votis huiusmodi annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absoltas fore censentes, supplicationibus illorum nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, licentiam et facultatem officium et missam de dictis Martyribus, ut supra, recitandi et celebrandi, per nos, ut praefertur, concessas, ad alias ecclesiasticas et seculares personas dictarum civitatum Abulensis et Mexicanae dictâ auctoritate tenore praesentium perpetuo extendimus et ampliamus.

Obstantium deregatio.

§ 3. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 4. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI septembris MDCXXVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 11 septembris 1628, pontif. anno VI.

1 Quas vide cit. in notâ ad rubricam (R. T.).

CCCIV.

Revocatio indultorum ac privilegiorum omnium, etiam per modum communicationis concessorum militiis, hospitalibus, collegiis, capitulis, religionibus, societatibus, congregationibus et Ordinibus quibusvis, etiam Mendicantium, ceterisque locis piis, et eorum sive earum respective personis, audiendi secularium confessiones absque Ordinarii examine et approbatione[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Causae istius revocationis.

Cum, sicut accepimus, aliquibus religiosis quorumdam Ordinum seu Congregationum a Sede Apostolicâ indultum fuerit, ut sacramentales personarum secularium confessiones audire valeant, etiamsi ab episcopis dioecesanis ad id examinati et approbati non fuerint, nec desint, qui temere asseverent, hoc ipsum privilegium

1 Privilegia omnia super huiusmodi facultate concessa revocaverat Concil. Trid., sess. XXIII, cap. XV, et ad secularium confessiones audiendas ab episcopis illos tantum admitti statuit, qui vel parochiale beneficium obtinent, vel per examen aut aliàs idonei iudicati fuerint. Vide etiam Const. CLXXXIII Pii V, *Romani* (in h. n. edit. CCIII, tom. VIII, pag. 938), per quam ipse Pius hoc idem prohibuit regularibus cuiuscumque Ordinis, etiam lectoribus, aut in theologia graduatis. Eius autem Constitutionem reduxit ad terminos iuris communis et Concilii Tridentini Greg. XIII in Const. XX, *In tanta*, tom. VIII, pag. 39. Et ad hanc materiam attende etiam Clementis VIII, Const. CCCL, *Quaecumque*, (in h. n. edit. CCCLXII, tom. XI, pag. 138).

ceteris quoque aliorum Ordinum regularibus competere, ex amplissimis privilegiorum communicationibus, quas ab eâdem Sede Apostolicâ obtinuerunt, indeque fiat, ut saluberrima sacri Concilii Tridentini dispositio hac de re edita funditus convellatur:

Revocatio indultorum de qua in rubrica.

§ 1. Nos, huic malo opportune provisionis nostrae ministerio obviam ire volentes, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, omnia et singula indulta huiusmodi audiendi secularium confessiones absque Ordinarii examine et approbatione, quibusvis collegiis, capitulis, religionibus, societatibus, etiam Societati Iesu, congregationibus et Ordinibus, tam mendicantium quam non mendicantium, necnon monachorum quorumcumque, etiam sancti Benedicti et Cisterciensis, ac etiam quibusvis militiis, etiam hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, et quibuscumque ecclesiis, etiam patriarchalibus et metropolitanis, monasteriis, ceterisque locis piis, sive eorum et earum respective abbatibus, praepositis, decanis, magistris, ministris, praelatis, prioribus, rectoribus, etiam generalibus vel provincialibus, cappellanis, confessariis, aut aliis, quocumque nomine nuncupatis superioribus, et personis quibuscumque, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi Apostolicae immediate subiectis, cuiuscumque dignitatis, praeeminentiae et conditionis existentibus, et quovis privilegio munitis, et, tam ad supplicationem partium, quam motu proprio et ex certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine, hactenus quandocumque et qualitercumque, ex quavis etiam de necessitate exprimendâ causâ, et aliàs quomodolibet concessa, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, annullamus, viribusque et effectu evacuamus, ac revocata, cassa, sublata, abrogata et annullata, viribusque et effectu vacua esse et fore, nec religionibus, societatibus, etiam Societati Iesu, Congregationibus et Ordinibus, ac militiis praedictis, eorumque superioribus et personis quibuscumque, imposterum ullo modo suffragari, minusque illos et illas, etiamsi de iis specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, indultis huiusmodi uti posse.

Clausolae praeservativae.

§ 2. Praesentes vero litteras et in eis contenta quaecumque, ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, ad hoc vocati et auditi non fuerint, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, aut adversus illas quodcumque iuris, gratiae vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere;

Clausula sublati.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et nuntios, sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, Ordinibus, societatibus et congregationibus praedictis, eorumque praepositis, decanis, magistris, abbatibus, ministris, praelatis, prioribus, rectoribus et aliis superioribus, cappellanis, aliisque

praedictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae;

Publicatio in Urbe omnes ligat.

§ 6. Quodque eaedem praesentes litterae seu illarum exempla ad valvas basilicarum S. Ioannis Lateranensis ac Principis Apostolorum de Urbe, et in acie Campi Florae affixa, omnes ita arctent et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae[1] fuissent.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII septembris MDCXXVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 14 septembris 1628, pontif. anno VI.

Anno MDCXXIX, *indictione* XII, *pontificatus autem SS. D. N. Papae Domini Urbani divinâ providentiâ Papae VIII anno eius sexto, die vero lunae, octavâ ianuarii, retroscriptae litterae affixae et publicatae fuerunt ad valvas basilicarum S. Ioannis Lateranensis ac Principis Apostolorum de Urbe et in acie Campi Florae, ut moris est, per nos Franciscum Pignoccutum et Pompeium Giranum, eiusdem SS. D. N. Papae cursores.*

1 Edit. Main. habet *intimata* (R. T.).

CCCV[1].

Quod in toto Ordine fratrum Eremitarum S. Augustini nulli, praeter eos quibus de iure iuxta dicti Ordinis constitutiones competit, liceat vocem in capitulis provincialibus habere[2].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Aliàs, per felicis recordationis Clementem Papam VIII praedecessorem nostrum inter alia accepto, quod in provinciis Baeticâ, Mexicanâ, de Mechoacanâ, del Perù, del Quito novi regni, Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, aut aliquibus illarum, permulti vocem in electionibus ex gratiâ habuerant, ex quo propter magnum vocalium numerum in capitulis provin-

1 Sequens Constitutio iam data fuerat in edit. Main. in tom. V, part. V, pag. 326 *b* et seq. tamquam appendix ad Const. CXXI (in h. n. ed. CXXXIV) sub rubricâ erroneâ quod esset extensio Constitutionis Clementis VIII (qua sublata fuerant suffragia ex gratiâ concessa in capitulis provincialibus Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini) ad omnes provincias Italiae totiusque Ordinis; cum e contra extensio ad provincias Italiae iam supponatur facta, heic autem agatur tantummodo de eiusdem extensione ad provincias totius Ordinis. Nos una vice tantum damus in in hoc loco. Ceterum Const. Clementis VIII et prima eius extensio ad provincias Italiae facta per Urbanum non sunt in *Bullario* (R. T.).

2 De his fratribus vide in Constitutionibus praecedentibus et praecipue in Const. CCXXII, *Romanus Pontifex*, tom. XIII, pag. 504; Constit. CXXXIV, *Romanus*, ibid. pag. 320.

cialibus ut plurimum confusionês et perturbationes oriri solebant, idem Clemens praedecessor, ad eas omnino tollendas, ut de cetero in perpetuum in quacumque dictarum provinciarum, nulli, praeter eos quibus de iure iuxta dicti Ordinis constitutiones licebat, vocem in capitulis provincialibus haberent, sed ii, quibus ex gratiâ concessa esset, voce activâ omnino carerent, et ex tunc[1] privati essent et esse censerentur, prout ipse Clemens praedecessor ex tunc illos et eorum quemlibet privavit, apostolicâ auctoritate, statuit et ordinavit.

Causae huius Constitutionis referuntur.

§ 1. Nuper vero nos, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, statutum et ordinationem huiusmodi ad provincias Italiae dicti Ordinis sub certis modo et formâ tunc expressis extendimus et ampliavimus, prout in ipsius Clementis praedictis, ac nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[2].

Extensio ad totam religionem, prout in rubricâ.

§ 2. Nunc autem, prospero felicique quarumcumque aliarum dicti Ordinis provinciarum statui et directioni in praemissis, quantum cum Domino possumus, obviam ire[3] volentes, motu, scientiâ et deliberatione similibus, statutum et ordinationem per Clementem praedecessorem huiusmodi facta, et per nos extensa et ampliata ut praefertur, ad universas provincias et congregationes totius Ordinis praedicti, eâdem auctoritate, tenore praesentium, rursus perpetuo extendimus pariter et ampliamus, illaque in universarum provinciarum et congregationum huiusmodi capitulis provincialibus locum habere, et sic ab omnibus censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, auctoritate etiam et tenore praedictis, decernimus et declaramus.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis et singularum illius provinciarum praedictarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, aliisque omnibus et singulis, quae in dictis litteris concessa sunt, non obstare; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 4. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impresssis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem ubique prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV septembris MDCXXVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 14 septembris 1628, pontif. anno VI.

CCCVI.

Deputatio ministri generalis Ordinis fratrum minorum Conventualium Ordinis sancti Francisci de Observantia in exequutorem observantiae Constitutionum Urbanarum iam aliâs confirmatarum[1].

1 Erronee hîc edit. Main. legit *ex nunc*, sed prima vice in Const. CXXII eius ed. bene legebat *ex tunc* (R. T.).

2 Uti diximus, tam Clementis VIII constitutio, tam Urbani VIII extensio illius desunt (R. T.).

3 Potius videretur legendum *consulere*, et forsan supplendum *ac multis incommodis obviam ire* (R. T.).

1 Vide Constitutionem CCXCI ipsius Urbani VIII in tom. XIII, pag. 663 (R. T.).

Urbanus Papa VIII,

Dilecto filio Franceschino a Cassia Ordinis fratrum Minorum S. Francisci conventualium nuncupatorum ministro generali, salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset praecedentes litteras.

Nuper a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Militantis Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus *(residuum est in Constitutione* CCXCI, *tom.* XIII, *pag. 663).*

Deputatio ministri generalis in exequutorem.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, constitutiones huiusmodi de mandato nostro examinatae, emendatae, correctae et revisae, ac per nos approbatae et confirmatae, ut praefertur, in generali eorumdem fratrum congregatione in domo regulari Ss. XII Apostolorum de Urbe de mense maii proxime praeteriti celebratâ publicatae et acceptae fuerint: nos, ut constitutiones praedictae eo facilius in omnibus ipsius Ordinis, domibus et locis regularibus introducantur, exactiusque ab illorum fratribus et personis observentur, quo amplioribus fueris[1] a nobis et hac sanctâ Sede facultatibus suffultus, providere volentes, ac de tuâ fide, prudentiâ, pietate, doctrinâ et religionis zelo plurimum in Domino confisi, tuam in praemissis auctoritatem in primis, apostolicâ auctoritate praefatâ, tenore praesentium excitamus, tibique per praesentes committimus et mandamus, ut per teipsum, si commode potueris, sin minus per idoneos ipsius Ordinis religiosos viros, vitae ac morum probitate doctrinâque praestantes a te subdelegandos, constitutiones huiusmodi de mandato nostro examinatas et revisas, ac per nos approbatas et confirmatas, ut praefertur, in omnibus tui Ordinis domibus et locis regularibus, auctoritate nostrâ, introducas, easque ab omnibus illorum fratribus et personis, quantum fieri posse et expedire iudicaveris, observari eâdem auctoritate cures et facias; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo.

Cum facultatibus necessariis.

§ 3. Nos enim tibi praemissa et quaecumque alia circa ea necessaria et quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi et exequendi plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem, dictâ auctoritate tenore, praesentium, concedimus et impertimur. Non obstantibus omnibus illis, quae in praesentibus litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI septembris MDCXXVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 16 septembris 1628, pontif. anno VI.

1 Forsan legendum *fuerint* et postea *suffultae* (R. T.).

CCCVII.

Facultates visitatoribus, pro visitatione ecclesiarum, monasteriorum, etc., Urbis deputatis, concessae[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Institutam a se in Urbe visitationem apostolicam refert.

§ 1. Pastoralis officii nostri onus in monasteriis, ecclesiis, hospitalibus et locis piis almae Urbis nostrae, eorumque bonis, iuribus, personis, officialibus et ministris visitandis adimplere, et ut in prosequendo visitationis huiusmodi munere, ad quod nonnullos venerabiles fratres archiepiscopos et episcopos aliosque Romanae curiae praelatos ac personas etiam regulares no-

1 Ex Regest. in Secret. Brev. — Porro de hac visitatione indictâ ab Urbano VIII vide Const. XLIII et seq. in tom. XIII, pag. 125 seq.; et supra pagina 8 huius tomi (R. T.).

minatim delegimus, eâ qua convenit auctoritate et facultate, procedatur, quantum cum Domino possumus, opportune providere volentes,

Visitatoribus facultatem contra quoscumque etiam in criminalibus procedendi tribuit,

§ 2. Motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, archiepiscopis, episcopis, praelatis et personis ad munus visitationis huiusmodi per nos delectis, ut praefertur, ultra alias facultates illis per diversas nostras, etiam in simili formâ Brevis expeditas litteras[1], quas praesentibus pro expressis haberi volumus, attributas, tenore praesentium, omnibus scilicet praedictis ad visitationem apostolicam praedictam deputatis, et pro tempore deputandis, et cuilibet eorum in solidum, ac tam coniunctim quam divisim, in omnibus et singulis causis eamdem visitationem quomodolibet concernentibus, tam civilibus quam criminalibus et mixtis, earumque dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, etiam specialem et individuam mentionem requirentibus, etiam per affixionem ad valvas ipsorum monasteriorum, ecclesiarum, hospitalium et locorum piorum, et aliàs quomodolibet, prout eis sufficere videbitur, procedendi (ita quod processus huiusmodi omnes et quoscumque tam laicos quam clericos et sacerdotes, ac alios etiam regulares quorumcumqne Ordinum, etiam Cistercensis, ac militiarum, etiam hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, et aliàs quomodolibet exemptos, ac alios quoscumque, cuiuscumque qualitatis, dignitatis, status, gradus, ordinis et praeminentiae fuerint, etiamsi speciali notâ, et de necessitate exprimendi forent, afficiat et arctet in omnibus et per omnia, perinde ac si citationes, aliaeque provisiones, ordinationes seu decreta a visitatoribus huiusmodi pro tempore factae, seu facta, ut praefertur, in valvis monasteriorum, ecclesiarum, hospitalium seu locorum piorum praedictorum quomodolibet affixae seu affixa eis personaliter intimatae seu intimata fuissent, etiam ad effectum censurarum et suspensionis et interdicti personarum ecclesiasticarum, monasteriorum, hospitalium et locorum piorum praedictorum et aliorum quorumcumque quomodolibet qualificatorum et qualibet individuâ mentione dignorum, ita ut nulla ecclesia, nullum hospitale, nullus locus pius, nullaque persona censeatur ab huiusmodi commissione et facultate excepta, sed omnes et omnia ac singula comprehendantur, exceptis dumtaxat collegiis habentibus S. R. E. cardinales protectores; quorum visitatio fieri debet iuxta tenorem decreti aliàs in praesentiâ nostrâ facti in congregatione de Propagandâ Fide); necnon quascumque alias ecclesiasticas, ac pecuniarias et alias temporales poenas, etiam absque eo quod causae cognitionem iudicialiter assumant, infligendi, imponendi, decernendi, publicandi et debitae exequutioni demandandi; ac etiam praesentibus non publicatis, neque cuiquam intimatis, nec exhibitis vel ostensis, ut praefertur, ad omnia et singula praemissa, ac alia, quae sibi videbuntur necessaria, vel quomodolibet opportuna, procedendi, etiam sub privationis eo ipso incurrendae quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum ac officiorum per eos obtentorum, necnon privilegiorum, indultorum, bonorum et iurium quorumcumque per nos vel Romanos pontifices praedecessores nostros, et Sedem Apostolicam eisdem monasteriis, ecclesiis, seu locis piis et personis quomodolibet concessorum; necnon etiam citandi, et quoties, quando et quibus opus fuerit, inhibendi; et contra inobedientes et rebelles quoslibet censuras et poenas, etiam iteratis vicibus, aggravandi; interdictum ecclesiasticum imponendi et relaxandi, auxiliumque brachii secularis, si opus fuerit, invocandi, ceteraque om-

Et censuras communandi,

Exceptis collegiis, quae habent cardinales protectores,

Et poenas temporales infligendi.

1 Quas vide cit. in nota ad rubricam (R. T.).

nia et singula in praemissis, et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna, etiamsi talia sint vel fuerint, quae magis specialem, specificam et expressam requirerent mentionem, faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, omni et quacumque appellatione, nullitatis, etiam ex tribus, dictione, restitutione in integrum, aliisque remediis ordinariis et extraordinariis omnino remotis et sublatis (attento, quod in visitatione extraiudicialiter proceditur, et tela iudiciaria, vel strepitus aut ordo iudicialis non servatur), plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem concedimus et impertimur.

Obstantia tollit. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare; quibus, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI septembris MDCXXVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 16 septembris 1628, pontif. anno VI.

CCCVIII.

Quod indulta, concessa diversis Urbis tribunalibus et iudicibus cognoscendi causas criminales super delictis quarumcumque personarum, privative quoad alios, non privative quoad gubernatorem Urbis pro tempore existentem, sed cumulative cum eo concessa intelligantur[1].

1 Huiusmodi indulta multis archiospitalibus, collegiis, capitulis, militiis, ac similibus concessa a diversis Pontificibus require in indice, in singulis eorum nominibus; auctoritatem vero gubernatoris Urbis lege in Leonis X, Const. IX, *Etsi cunctarum*, tom. V, pag. 614; et in Pii IV Constit. I, *Cum sicut*, tom. VII, pag. 1; necnon Pii V Const. CL, *Cum apostolica*, in h. n. ed. CLIX, ibid. pag. 847.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Decet Romanum Pontificem, aequi bonique supremum assertorem, si qua[1] dubia circa constitutas administrandae iustitiae rationes oriantur, declarationis suae oraculo ita dilucidare, ut, praecisâ cuiuscumque haesitationis sive dubii materiâ, unicuique quod suum est per competentes iudices et ministros aequâ lance tribuatur. Exordium.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, varia diversis almae Urbis nostrae tribunalibus et iudicibus, etiam S. R. E. cardinalibus, protectoribus et collegiis, vel aliis etiam hic de necessitate exprimendis, indulta quascumque causas criminales, vel earum aliquas, super quibuscumque delictis, criminibus et excessibus quarumcumque personarum, tam laicarum quam ecclesiasticarum, etiam regularium et militiarum, etiam speciali notâ dignarum, privative quoad alios quoscumque cognoscendi, per Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos, concessa sint: Indulta nonnullis iudicibus concessa recensentur.

§ 2. Nos, debitae earumdem causarum cognitioni atque expeditioni, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, necnon omnium et singulorum indultorum praedictorum tenores ac datas praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, quod omnia et singula indulta huiusmodi non privative quoad modernum et pro tempore existentem dictae Urbis gubernatorem, sed cumulative cum eo concessa intelligantur, et intelligi debeant, Declaratio, de qua in rubricâ.

§ 3. Sicque, et non aliter, per quoscumcumque iudices ordinarios et delegatos, Clausulae.

1 Edit. Main. legit *si quae* (R. T.).

etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, camerarium, vicecancellarium, camerae apostolicae thesaurarium generalem, et quosvis alios officiales et ministros, sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, tenore praesentium declaramus, et, quatenus opus sit, statuimus, decernimus et mandamus.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII septembris MDCXXVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 23 septembris 1628, pontif. anno VI.

CCCIX.

Facultas Iulio Buratto fortalitium Forte Urbano *vulgo nuncupandum conceditur extruendi* [1].

Dilecto filio Iulio Buratto Romano, Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Rationes erigendi fortalitium.

§ 1. Quod a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris pro sanctae Romanae Ecclesiae ditionis temporalis et praesertim civitatis nostrae Bononiensis eiusque territorii tuitione, ad Sedis Apostolicae hostium incursiones impediendas, aliasque improvisas locorum dictae ditionis invasiones, direptionesque propulsandas, provide excogitatum fuerat, de constituendo in apertis illis partibus fortalitio, sive propugnaculo, eorumdem tamen praedictorum superveniente obitu exequutioni minime demandatum fuit:

Pontifex Iulio Buratto illud erigendi facultatem concedit.

§ 2. Nos, hoc, tempore quo bellorum procellae Italiam percurrunt et maior tempestas timetur, ad finem debitum perducere volentes, ac de tuâ in nos et hanc sanctam Sedem fide et devotione ac in extructionibus militaribus erigendis peritiâ plurimum in Domino confisi, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut, in loco per nos inter Castrumfrancum dictae ditionis et flumen Panarae [2] eiusque [3] territorii Bononiensis destinato, fortalitium sive propugnaculum huiusmodi, *Forte Urbano* linguâ vulgari nuncupandum, iuxta typum et exemplar per te nobis exhibitum, nostro et eiusdem sanctae Sedis nomine nostrâque auctoritate construas,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Sic legit edit. Main. (R. T.).
3 Puto *finesque* pro *eiusque* esse legend. (R.T).

fabrices, erigas et aedifices, construique, fabricari, erigi, aedificari cures et facias;

Quod vult munitionibus instructum.

§ 3. Ac constructum, fabricatum, erectum et aedificatum, armis, militibus, commeatu, aggeribus, fossis, aliisque operibus et munimentis ac rebus necessariis et opportunis munias, custodias et defendas.

Mandat omnibus gubernatoribus, ut dicto Iulio opem praestent.

§ 4. Ut autem omnia et singula, quae ad praemissa pertinent, eâ qua decet auctoritate praecipiantur, et pari celeritate debitae exequutioni demandentur, ad praemissorum et cuiuslibet ipsorum dumtaxat effectum, quoscumque civitatum, terrarum et locorum Status nostri Ecclesiastici gubernatores, superiores, exequutores, aliosque officiales et ministros quocumque nomine nuncupatos, necnon barones, domicellos, principes civitatum, terrarum et locorum praedictorum communitates, universitates et homines, ac viros reformatos[1] status libertatis, necnon regimen ipsum dictae civitatis Bononiensis eâdem auctoritate requiras, ut tibi in praemissis omnibus et singulis peragendis et exequendis prompte pareant, faveant et assistant, opemque et auxilium, secundum rei et casus exigentiam, omni dilatione postpositâ, praestent.

Quod etiam a militibus praestari praecipit;

§ 5. Ac tam omnibus et singulis supradictis, quam quibuscumque militibus, etiam praesidiariis et stipendiariis, necnon militiarum ordinariarum civitatis Bononiensis, eiusque territorii praedictorum, ac generaliter aliis quibuscumque nobis et eidem sanctae Romanae Ecclesiae in temporalibus subditis, et speciali notâ et expressione dignis, etiam sub crimine laesae maiestatis in primo capite, ac rebellionis, necnon confiscationis ac devolutionis civitatum, terrarum, castrorum, locorum et bonorum quorumcumque, per eos et eorum quemlibet possessorum, poenis, pari auctoritate, toties quoties tibi expediens videbitur, iniungas, mandes, iubeas et imperes omnia et singula quae ad constructionem, fabricam, erectionem et aedificationem fortalitii seu propugnaculi huiusmodi, illiusque custodiam, munimentum et tuitionem necessaria et quomodolibet opportuna fore iudicaveris.

Sub poenis hic expressis.

§ 6. Nos enim tibi, ad effectum praemissum dumtaxat, omnia et singula praemissa faciendi, dicendi, gerendi et exequendi dictâ auctoritate tenore praesentium plenam, liberam et amplam facultatem et potestatem, concedimus et impertimur.

Necessariasque addit facultates.

§ 7. Mandantes propterea legatis et vicelegatis Bononiensi et Ferrariensi, ac praesidi et gubernatoribus Romandiolae, aliarumque provinciarum ditionis nostrae praedictae, ut, per te requisiti, in omnibus ubi opus erit assistant; gubernatoribus vero, civitatum superioribus, exequutoribus, officialibus, ministris, baronibus, domicellis, principibus, communitatibus, universitatibus, viris, reformatoribus, regimini, ac militibus, aliisque subditis nostris praedictis, omnibus et singulis, ut in praemissis exequendis tua iussa, monita et mandata, eâ qua decet obedientiâ et fide, exequantur et adimpleant, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Eius iusta fieri mandat.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac civitatum, terrarum, castrorum et locorum Status Ecclesiastici praedicti, ac etiam eiusdem regiminis civitatis Bononiensis praedictae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus

Obstantia tollit.

[1] Iuxta lectionem seq. § 7 potius legeretur *viros, reformatores* (R. T.).

omnibus, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Ipsumque Iulium subiectum reddit Carolo Barberino totius militiae capitaneo generali.

§ 9. Volumus autem, ut tu in omnibus et singulis praemissis peragendis et exequendis dilecto filio nobili viro Carolo Barberino, nostro secundum carnem fratri germano, totius militiae nostrae et eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae, eiusque universae ditionis, tam pedestris quam equestris, praesentis et futurae capitaneo generali, immediate subiectus, subordinatusque sis[1], eiusque praeceptis, iussionibus et mandatis omnino parere debeas et tenearis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII septembris MDCXXVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 23 septembris 1628, pontif. anno VI.

CCCX.

Confirmatio declarationum circa facultates collectoris Portugalliae et commissarii cruciatae[2].

Venerabili Fratri Laurentio episcopo Hieracensi, iurium et spoliorum camerae apostolicae debitorum in Portugalliae et Algarbiorum regnis collectori generali,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Declaratio cardinalium et praelatorum: videlicet commissarium cruciatae non posse facultatem concedere missas celebrandi, nec etiam audiendi in oratoriis privatis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, in controversiis, inter te et pro tempore existentem iurium et spoliorum camerae apostolicae debitorum in Portugalliae et Algarbiorum regnis collectorem generalem ex unâ, ac dilectum filium Antonium Mascarenhas indulgentiarum et gratiarum spiritualium et temporalium cruciatae in Portugalliae et Algarbiorum regnis ab hac Sanctâ Sede concessarum commissarium generalem apostolicâ auctoritate deputatum ex alterâ partibus, ortis[1], venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales, super hoc a nobis specialiter deputati, cum interventu etiam praelatorum a nobis pariter ad hoc deputatorum, negotio mature examinato, partibusque hinc inde informantibus pluries auditis, declaraverint et resolverint, praedictum Antonium commissarium non potuisse, nec in futurum posse, vigore litterarum apostolicarum eiusdem cruciatae, concedere licentiam celebrandi necnon audiendi missas in oratoriis privatis, seu domesticis, et ideo licentias hactenus per ipsum Antonium commissarium concessas, et de cetero forsan concedendas, fuisse et esse ac fore nullas et invalidas; ac insuper, quod, quando idem Antonius commissarius procedit uti merus exequutor dictarum litterarum cruciatae, nec egreditur limites suae commissionis, tunc ab exequutione earumdem litterarum cruciatae non dari appellationem nec ad effectum devolutivum nec suspensivum, sed quando excedit limites suae commissionis, aut gravat partes, posse, saltem per viam querelae, recursum haberi ad collectorem uti superiorem, qui potest, servatis sacris canonibus, inhibere, et postea, cognito plene de gravamine vel excessu, illud seu illum emendare, et providere prout iustitia exigit; idemque posse dictas partes facere, quando commissarius procedit uti iudex, aut mixtus exequutor; verum, in casibus in quibus ius commune expresse concedit appellationem, posse partes

Datasque licentias irritas esse.

Non dari appellationem ab eius sententiis, quando limites suae commissionis non excedit.

Quando autem limites excedit, tunc ad collectorem recurri posse.

1 Perperam edit. Main. legit *iis* pro *sis* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 De hisce vide tom. XIII, pag. 462 (R. T.).

appellare, et collectorem appellationem ad utrumquem effectum recipere, et modo superius dicto inhibere;

Dub a deinde exorta.

§ 2. Cumque postea super declarationibus seu resolutionibus praedictis exorta fuissent sequentia dubia, videlicet: primum, ad quem spectaret cognoscere an commissarius cruciatae gravaverit partes, vel excesserit uti mixtus exequutor, vel an appellationes fuerint interpositae in casibus in quibus ius commune expresse illas permittit: secundarie vero, quando censeatur commissarius procedere uti merus vel mixtus exequutor: ac demum, an commissarius praedictus et notarius cruciatae possint cogi ad tradendum acta, ad effectum ut collector de praemissis cognoscat, et an idem commissarius parere teneatur inhibitionibus desuper sibi a collectore factis sive faciendis;

Dubiorum resolutiones.

§ 3. Idem cardinales unâ cum praelatis praedictis articulis huiusmodi exacte discussis, ad primum dubium responderint praedictam cognitionem spectasse et pro tempore spectare ad collectorem uti superiorem commissarii cruciatae; ad secundum vero, tunc eumdem commissarium procedere uti merum exequutorem, quando absque iudiciali cognitione exequitur purum et nudum factum super rebus expressis in eisdem litteris cruciatae, mixtum vero exequutorem dici, quando assumit iudicialem cognitionem super re prius non cognitâ, aut quando se opponit aliquis legitimus contradictor; ad tertium denique, posse eumdem commissarium et eius notarium cogi a collectore ad tradenda acta; et, quemadmodum collector, postquam coeperit cognoscere de gravaminibus seu excessibus supradictis aut an appellationes sint admittendae, possit[1] canonice inhibere eidem commissario, ita commissarius tenetur[2] huiusmodi inhibitioni parere; interim autem, quo acta transportantur coram collectore, possit idem collector concedere supersessorias ad tempus, sive actu[1] denegentur, sive malitiose eorum transportatio differatur, sive[2] aliae extent qualitates et circumstantiae, ex quibus in aliis casibus idem faciendum sit;

1 Legerem *potest* (R. T.).
2 Legerem *teneatur* (R. T.).

Quibus resolutionibus cum non acquieverit commissarius;

§ 4. Et, licet dictus Antonius commissarius se declarationibus seu resolutionibus praedictorum cardinalium pariturum promiserit, nihilominus, propriae salutis immemor, declarationes seu resolutiones easdem parvi pendens, iis non solum cum effectu parere recusaverit, verum etiam dictas sacrosanctum missae sacrificium in privatis oratoriis, ut praefertur, celebrandi licentias concedere, et ad hunc effectum litteras apostolicas super concessione gratiarum spiritualium et temporalium dictae cruciatae emanatas alterare, in iisque, quod licentias huiusmodi concedere possit, adiungere, easque litteras sic alteratas, sive earum exempla, etiam impressa, publicari facere praesumpserit, aliaque quamplurima in auctoritatis huius Sanctae Sedis praeiudicium et contemptum ac contra declarationes seu resolutiones huiusmodi facere, dicere et gerere non erubuerit:

Eas confirmat Pontifex.

§ 5. Nos, praemissis pro muneris nostri debito, quantum cum Domino possumus, opportune providere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac matura deliberatione nostris, omnes et singulas declarationes seu resolutiones supra expressas huiusmodi, cum omnibus in eis contentis et inde sequutis quibuscumque, apostolicâ auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti et quosvis alios etiam quantumvis substantiales defectus, si qui in praemissis quo-

1 Legerem *acta* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *sivae* (R. T.).

modolibet intervenerint, aut intervenisse dici[1] vel praetendi possent, supplemus.

Mandat collectori apostolico ut commissario inhibeat quominus contra praerelata attentet.

§ 6. Praeterea motu, scientiâ et deliberatione similibus tibi per praesentes committimus et mandamus, ut eidem Antonio moderno et pro tempore existenti gratiarum dictae cruciatae in eisdem regnis commissario, sub excommunicationis maioris latae sententiae, ac privationis beneficiorum, dignitatum, ac officiorum quorumcumque, etiam speciali notâ et expressione dignorum, inhabilitatisque ad illa et alia imposterum obtinenda poenis eo ipso absque ullâ declaratione incurrendis, auctoritate nostrâ praecipias et mandes, ne licentias sacrosanctum missae sacrificium in privatis domorum oratoriis celebrandi, seu respective celebrari faciendi, quibusvis personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, quavis ex causâ, vel quaesito colore, aut praetextu concedere, nec litterarum apostolicarum super concessione dictae cruciatae confectarum, ut praefertur, summaria vel exempla litteris concessionis praedictae cruciatae non conformia imprimere, seu publicare, aut imprimi vel publicari facere audeat seu praesumat, nisi prius eadem summaria vel exempla a te seu de tuo mandato per personas ad hoc idoneas a te deputandas revisa, et si opus fuerit correcta et emendata, et cum eisdem litteris diligenter collata fuerint.

Clausulas necessarias apponit.

§ 7. Decernentes praesentes litteras et in eis contenta quaecumque quovis praetextu, causâ, vel quaesito colore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, infringi, vel retractari, in ius vel controversiam vocari, aut adversus illas quodcumque iuris, gratiae vel facti remedium intentari, seu impetrari, aut, sic impetrato vel concesso, quempiam illo uti seu se iuvare in iudicio vel extra nullo unquam tempore posse, sed illas ac omnia et singula in eis contenta semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; atque a praedicto Antonio moderno et pro tempore existente gratiarum cruciatae huiusmodi commissario, ac aliis, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari; sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et nuncios, quavis auctoritate fungentes, quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis[1], privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem commissario, ac quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficaciioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, ac aliàs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem

1 Male, ut puto, edit. Main. habet *dicit* (R.T.).

1 Vox *statutis* redundat (R. T.).

importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII septembris MDCXXVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 28 septembris 1628, pontif. anno VI.

CCCXI.

Facultas Nicolao Guidobagno marchioni Montisbelli, Caroli Barberini in provinciâ Romandiolae locumtenenti, eveniente obitu ducis Urbini, eam provinciam tuendi, et per se vel suos ministros manu armatâ ducatum et civitates huiusmodi custodiendi[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Creditum humilitati nostrae, meritis licet imparibus, divinâ providentiâ apostolicae servitutis officium continuâ nos solicitudine admonet, ut in iis praecipuas pastoralis vigilantiae curas intendamus, per quae nostrae et huius sanctae Sedis Apostolicae ditionis temporalis iura conserventur.

Facultas Nicolao Guidobagno de qua in rubrica. § 1. Hinc est, quod nos, quantum cum Domino possumus, opportune providere volentes, ne ullum huic sanctae Sedi, ex quovis casu progressu temporis eveniente praeiudicium inferatur in temporali eius ditione, et praesertim in ducatu Urbini, necnon civitatibus Senogalliensi et Pisaurensi, et Statu Montisferetrani, aliisque dominiis, civitatibus, oppidis, terris et locis, in et sub Statu dicti ducatus[2] Urbini ad praesens quomodolibet comprehensis, et per dilectum filium nobilem virum Franciscum Mariam Urbini ducem possessis, quae omnia et singula, succedente ipsius Francisci Mariae ducis sine liberis et descendentibus masculis legitimis et naturalibus obitu, ob lineam finitam, unâ cum omnibus eorum territoriis, districtibus, iurisdictionibus, fortalitiis sive propugnaculis, membris, iuribus etiam prohibendi, ac pertinentiis necessariis (excepto castro Podii Hybernorum et aliis bonis non feudalibus nec iurisdictionalibus relaxatis et reservatis eidem Francisco Mariae duci eiusque haeredibus et successoribus etiam in instrumento concordiae celebrato sub die XXX aprilis MDCXXIV), aperientur, ac ad nos et Romanam Ecclesiam, Sedemque et Cameram Apostolicam revertentur, devolventur, et pleno iure pertinebunt; necnon de singulari dilecti filii Nicolai Guidobagni marchionis Montisbelli eiusdem nostrae ditionis erga nos et Sedem eamdem devotione ac probatâ in re militari fide et experientiâ plurimum in Domino confisi, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eidem Nicolao (quem nuper dilectus filius nobilis vir Carolus Barberinus noster secundum carnem frater germanus, totius militiae nostrae et eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae eiusque universae ditionis praedictae tam pedestris quam equestris praesentis et futurae capitaneus generalis, suum in provinciâ nostrâ Romandiolae locumtenentem deputavit) ut non solum praedictam provinciam Romandiolae iis omnibus modis, muneri locumtenentis huiusmodi convenientibus, et ad illum quomodolibet spectantibus, tueri et defendere, verum etiam, eveniente dicti Francisci Mariae ducis obitu, seu alio quocumque casu, iuxta ipsius Caroli capitanei generalis iussa, monita, instructiones, et mandata in ducatum Ur-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Edit. Main. habet *ducati* (R. T.).

bini, Statum Montisferetrani, ac civitates, dominia, terras, castra, fortalitia et loca supradicta per se sive suos ministros et substitutos etiam armatâ manu ingredi libere et licite possit et valeat, ad effectum ducatum et Statum praedictos, ac civitates, dominia, castra, terras, fortalitia et loca huiusmodi realiter et cum effectu custodiendi, seu tuendi, eaque etiam, si opus fuerit, recuperandi ab omni et quocumque, qui ea invadere, seu occupare, seu aliàs quodvis praeiudicium in ducatu ac Statu, necnon civitatibus, dominiis, castris, terris, fortalitiis et locis huiusmodi eidem Sedi inferre ausu temerario praesumeret, plenam, liberam, amplam et omnimodam facultatem, potestatem et auctoritatem tenore praesentium ad nostrum seu dicti Caroli beneplacitum concedimus et impertimur.

Mandat eidem, ut praedictorum locorum possessionem Laurentio episcopo Caesenatensi ad eius requisitionem tradat.

§ 2. Volumus autem, ut dictus Nicolaus possessionem civitatum dictorum castrorum, terrarum, fortalitiorum et locorum huiusmodi, quam per se vigore praesentium assequi contigerit, venerabili fratri Laurentio episcopo Caesenatensi, moderno et pro tempore existenti ducatus et aliorum dominiorum huiusmodi gubernatori, sive eius deputando, ad omnem eius requisitionem consignare teneatur.

Obstantibus derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II octobris MDCXXVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 2 octobris 1628, pontif. anno VI.

CCCXII.

Confirmatio decreti Congregationis Concilii Tridentini, quo declaratur, episcopos posse uti operâ duorum canonicorum, sive cathedralis sive collegiatae ecclesiae, eosque interim percipere posse, dum vacant episcopi servitio, fructus praebendae, amissis distributionibus quotidianis[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Dubia Congregationi Concilii ab archiepiscopus Coloniensis proposita.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater archiepiscopus Coloniensis, sacri Romani imperii princeps elector, quod aliàs a venerabilibus et fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Illustrissimi et reverendissimi Domini. Pro parte archiepiscopi electoris Coloniensis supplicatur per hanc sacram Congregationem declarari: I. An privilegium competens episcopis, assumendi in sui servitium duos canonicos, habeat locum, non solum respectu canonicorum cathedralis ecclesiae, sed etiam collegiatae: II. An procedat hoc, non obstantibus constitutionibus ecclesiarum iuratis per canonicos de residendo in illis.

Responsiones.

Die IX septembris MDCXXVIII sacra Congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum, ad I. respondit: Episcopos posse uti operâ duorum canonicorum sive cathedralis sive collegiatae, eosque interim percipere posse, dum vacant episcopi servitio, fructus praebendae, amissis distributionibus quotidianis, dummodo tamen ultra duos canonicos episcopi pro suo servitio eodem tempore non adhibeant: ad II: Praedictas ecclesiae constitutiones, etiam iuratas, minime obstare.

N. cardinalis UBALDINUS FRANCISCUS PAULUTIUS sacrae congregationis secretatarius.

Loco ✝ sigilli.

Dictus archiepiscopus huiusmodi decretum auctoritate apostolicâ roborari petit.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus archiepiscopus decretum huiusmodi, pro illius validitate et sub-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

sistentiâ necnon observantiâ firmioribus, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desideret, nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Urbanus confirmat.

§ 3. Nos igitur, eumdem archiepiscopum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes decretum huiusmodi necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII octobris MDCXXVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 7 octobris 1628, pontif. anno VI.

CCCXIII.

Confirmatio privilegiorum et indultorum Ordini fratrum beatae Mariae de Mercede Redemptionis captivorum concessorum [1].

1 Hunc Ordinem approbavit Gregorius IX Constit. XLII, *Devotionis*, tom. III, pag. 485; Reformatis vero istius Ordinis transitum ad Calceatos sine Sedis Apostolicae licentiâ interdixit istemet Pontifex Urbanus VIII in Const. CCLXXV, *Iniuncti*, tom. XIII, pag. 623; Eidemque Ordini ut missam et officium recitare valeant in die festo sancti Raymundi confessoris concessit Const. CLXVI, *Salvatoris*, ibid. pag. 382.

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex clementi Sedis Apostolicae provisione, necnon personarum Deo devotarum sub religionis iugo Domino militantium piâ devotione provenire dignoscitur, ut Romanus Pontifex quandoque per praedecessores suos Romanos Pontifices pro personarum earumdem locorumque illarum felici successu et quiete concessa approbet et confirmet atque communiat, prout, personarum earumdem, ac locorum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Multa a diversis Pontificibus huic Ordini concessa fuerunt privilegia.

§ 1. Sane, pro parte dilecti filii Ludovici Apparicii, moderni procuratoris generalis infrascripti Ordinis beatae Mariae, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, cum inter omnes vitae regularis Ordines ille in primis conspicuus esse videretur, quem beatissima caelorum Regina ad captivorum infidelium partibus misere servientium redemptionem sancto Raymundo de Pennafort, et clarae memoriae Iacobo Aragonum regi, necnon quondam Petro Nolasco[1] primo illius professori, dum vitam ducerent in humanis, singulari quodam miserationis affectu sibi fore carissimum revelaverat, felicis recordationis Callistus Papa III praedecessor noster illum certis[2] Ordinibus, ratione quarti voti quo illius fratres se infidelibus in captivorum redemptionem pignus fore devovent et obstringunt, celsiorem et perfectiorem vocavit, et hic ipse Ordo iam inde ab anno Domini millesimo ducentesimo decimo octavo in civitate Barchinonensi ab eodem

1 Edit. Main. legit *Rolasco* (R. T.).
2 Puto legendum *ceteris* (R. T.).

Iacobo rege in die festo sancti Laurentii martyris, sub invocatione beatae Mariae de Mercede et Redemptione captivorum nuncupatae, institutus, et a piae memoriae Gregorio Papa IX etiam praedecessore nostro a nativitate Domini millesimo ducentesimo trigesimo, a revelatione vero praedictâ duodecimo, pontificatus autem sui octavo annis in festivitate sancti Antonii abbatis confirmatus, iis pietatis incrementis, in corporum animarumque captivorum huiusmodi salutem, scilicet eorum aliis redimendis, aliis instruendis, aliisque in fide corroborandis, opere et sermone in dies magis magisque effloruit, ut quamplurimi Romani Pontifices, similiter praedecessores nostri, non minus primam illius originem caelitus revelatam, quam pios huiusmodi progressus admirati, innumeras propemodum in eum gratias et privilegia, ex inexhausto Ecclesiae Dei thesauro depromptas, Sedis Apostolicae benignitate liberalissime contulerint[1]:

Quae Ordo supplicat a Pontifice confirmari.

§ 2. Quare pro parte dicti Ludovici, tam suo, quam universorum eiusdem Ordinis professorum nominibus, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus privilegia huiusmodi, pro firmiori illorum subsistentiâ, apostolico munimine roborare, aliàsque eis in praemissis, ut infra, opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Pront modo approbat et confirmat, dummodo sacris canonibus et Concilii Tridentini non adversentur, decretis, suppletque omnes defectus.

§ 3. Nos igitur, dicti Ordinis beatae Mariae, quem prae ceteris in visceribus gerimus caritatis, prosperum et tranquillum statum paterno zelantes affectu, ac Ludovicum et singulos religiosos huiusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privilegia et indulta, immunitates, exemptiones, libertates, praerogativas, antelationes, praeeminentias, licentias, facultates, concessiones, remissiones peccatorum, indulgentias, absolutiones, aliasque gratias universas per dictum Gregorium IX, et recolendae memoriae Gregorium XI, Innocentium IV, Innocentium VI, et Innocentium VIII, Alexandrum IV et Alexandrum VI, Clementem IV, Clementem VI et Clementem VII, Ioannem XXII, Nicolaum III, Nicolaum IV et Nicolaum V, Bonifacium VIII, Urbanum V, Martinum etiam V, Eugenium IV, Pium II, praedictum Callistum, Paulum II, Paulum III et Paulum IV, Sixtum VI, Iulium II et Iulium III, Leonem X, novissimeque Sixtum V, Clementem VIII et Paulum V, et alios quoscumque Romanos Pontifices, praedecessores nostros, universo Ordini beatae Mariae huiusmodi, et singulis illius provinciis, monasteriis, prioratibus, domibus, aliis regularibus locis, necnon generali magistro, illiusque sive ipsius Ordinis vicario, seu vicariis, procuratoribus, visitatoribus, provincialibus, redemptoribus captivorum, electoribus, definitoribus, commendatoribus, vocalibus, aliisque officialibus, quocumque nomine nuncupatis, et ceteris illius fratribus et religiosis, et aliis personis quibuscumque, tam in genere quam in specie, etiam per modum communicationis, extensionis et ampliationis, vel[1] aliàs quomodolibet, et sub quibuscumque verborum formis et expressionibus, concessa, innovata, confirmata et approbata, et litteras apostolicas desuper tam in plumbo quam in formâ Brevis expeditas, quorum et quarum omnium et singulorum ac singularum tenores (etiamsi talia, seu tales forent, quae specialem et individuam mentionem re-

1 Erronee edit. Main. legit *contulerit* (R. T.).

1 Particulam *vel* nos addimus (R. T.).

quirerent) ac datas[1] praesentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, dummodo tamen sint in usu, et sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis, necnon apostolicis constitutionibus et dicti Ordinis regularibus institutis non repugnent, illaque et illae hactenus revocata et revocatae, ac sub aliquibus revocationibus comprehensa et comprehensae non sint, apostolicâ auctoritate, earumdem tenore[2] praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti, et quarumcumque solemnitatum de iure, usu et consuetudine, aut aliàs quomodolibet requisitarum, ac in praemissis omissarum, necnon quoscumque alios etiam quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, dictâ auctoritate supplemus.

Clausulas praeservativas et decretum irritans apponit.

§ 4. Decernentes easdem praesentes semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere, sicque ab omnibus et singulis censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, dictaeque Sedis nuntios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, necnon praedicti Bonifacii Papae VIII, pariter praedecessoris nostri, de unâ, et in concilio generali editâ de aliâ dictis, dummodo tamen non ultra tres dietas quis vigore praesentium ad iudicium trahatur, aliisque quibusvis apostolicis, etiam in provincialibus, synodalibus, universalibusque conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon Ordinis beatae Mariae, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illi eiusque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et consistorialiter, ac aliàs, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse earum[1] serie latissime et plenissime derogamus; ceterisque contraris quibuscumque.

Transumptis fidem adhiberi mandat.

§ 6. Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manuque et sigillo pro tempore existentis magistri generalis ipsius Ordinis beatae Mariae seu illius vicarii subscriptis et munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, tam in iudicio quam extra illud, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Facultates generalis in fratres Reformatos non intendit approbare.

§ 7. Per easdem praesentes autem non intendimus facultates dicti magistri generalis, circa fratres ipsius Ordinis beatae Mariae reformatos seu recollectos nuncupatos, in aliquo approbare[2].

Sanctionem

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat

1 Vel *data*. Erronee ed. Main. legit *datis* (R.T.).
2 Male ed. Main. legit *eorumdem, tenore* (R.T.).

1 Videretur de more legendum *harum* (R. T.).
2 An *approbare* vel *reprobare* legend. iudica (R. T.).

poenalem superaddit.

hanc paginam nostrae absolutionis, confirmationis, roboris, adiectionis, defectuum suppletionis, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXVIII, VII idus octobris, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 9 octobris 1628, pontif. anno VI.

CCCXIV.

Excommunicatio contra extrahentes sacras reliquias aut libros ex ecclesiâ et bibliothecâ collegii S. Francisci de Paula ad Montes Urbis fratrum Minimorum nationis citerioris Calabriae[1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iustis et honestis christifidelium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

Causae huius inhibitionis.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum vicarii generali et fratrum domus regularis nationis Calabriae ad Montes nuncupatae de Urbe Ordinis S. Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum petitio continebat, quod in ecclesiâ eorum domus quamplures[2] diversorum martyrum ac beatorum et sanctorum reliquiae, necnon in eiusdem domus librariâ seu bibliothecâ diversi generis libri, volumina et alia scripta ecclesiae et domui huiusmodi hinc inde, pro maiori divini cultus augmento et fratrum eorumdem spirituali consolatione et profectu, pie et et studiose comparata reperiantur; et propterea, ne successu temporis tam reliquias quam libros et volumina seu scripta huiusmodi passim distribui et inde asportari ac disperdi contingat, pro parte eorumdem vicarii et fratrum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Inhibitio, de qua in rubrica.

§ 2. Nos igitur, praedictum vicarium et fratrum huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem vicario et fratribus, eorumque successoribus, et aliis personis quibuscumque, tam secularibus quam regularibus, ne deinceps perpetuis futuris temporibus ullas omnino reliquias nec libros seu volumina et scripta huiusmodi ab ecclesiâ et domo seu bibliothecâ praefatis ullo modo amovere, transportare, distribuere, seu mutuo dare audeant seu praesumant, sub excommunicationis eo ipso incurrendae sententiâ, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, inhibemus et praecipimus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes ex nunc irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter et ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus quibusvis apostolicis, et in provincialibus, synodalibus, universalibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon domus et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

1 De hoc collegio vide in huius Pontif. Constitut. VIII, *Ex iniuncto*, tom. XIII, pag. 53.

2 Erronee ed. Main. habet *quampluries* (R.T.).

Publicatio et affixio faciendae in dicto collegio.

§ 5. Volumus autem, quod litterae praesentes saltem semel quolibet anno in dictâ domo publicentur, ac illarum copia et exemplar authenticum, ad hoc ut ad omnium notitiam pervenire possint, in sacristiâ dictae ecclesiae ac bibliothecâ eiusdem domus portis interioribus remaneant affixa.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, inhibitionis, praecepti, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXVIII, pridie kalendas novembris, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 31 octobris 1628, pontif. anno VI.

CCCXV.

Facultas provinciae Romandiolae praesidi removendi flumen Rhenum a suo cursu, illudque derivandi ad loca Bondeni et Gambaroni[1].

Venerabili fratri Octavio archiepiscopo Tarsensi, provinciae nostrae Romandiolae praesidi,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Assidua de nostris et sanctae Romanae Ecclesiae subditis cura et sollicitudo, nec non praecipuus, quo eos complectimur, paternae charitatis affectus postulat, ut inter ceteras apostolicae servitutis curas in eam peculiari studio incumbamus, qua eorumdem subditorum incommodis, damnisque et iacturis obviam itur, illorumque utilitati et securitati opportunis rationibus consulitur.

Refert, quae a cardinali tituli S. Clementis iussu Clementis VIII gesta fuere.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, aliàs (cum felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster civitatem nostram, tunc suam, Ferrariensem, eiusque territorium, necnon agros provinciae Romandiolae et comitatus (nostrorum, tunc suorum) Bononiensis a periculis quae illis ex aquarum inundationibus imminebant eximere et liberare decrevisset, et opus huiusmodi curae et fidei bonae memoriae Francisci tituli S. Clementis presbyteri cardinalis demandasset) idem Franciscus cardinalis, inhaerendo mandatis dicti Clementis praedecessoris, et in vim facultatum sibi ab eo per suas in simili formâ Brevis sub die XII augusti MDCIV expeditas litteras concessarum, flumen Rheni e solito et naturali suo alveo eduxerit et in vallem S. Martini nuncupatam introduxerit, sive derivaverit, ad effectum, ut ibidem tandiu remaneret, donec, aqua Padi Lombardiae in alveum, a Stellatae seu alio opportuniori loco ad loca Primari et Volanae iuxta peritorum designationem deducendum, in eâ quantitate et sufficientiâ introducta esset, ut alveum ipsum usque ad praedicta loca Primari et Volanae purum et expurgatum conservare, ac turbidas aquas fluminis Rheni deducere et expellere posset, eâ tamen intentione, ut tunc ipsum flumen Rheni in loco a peritis approbando in eumdem alveum a dicto Stellatae usque ad Primari et Volanae loca huiusmodi expurgandum restitui valeret;

Causasque iterum expurgandi alveum fluminis Rheni.

§ 2. Processu vero temporis flumen praedictum vallem ipsam terrâ adeo repleverit, ut maiori periculo versus civitatem Ferrariensem praedictam aquis turbidis profluat, et gravioribus provinciam Romandiolae ac comitatum Bononiensem praedictos ruinis iacturisque affligat, cum certo atque evidenti non modo dictae

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

civitatis Ferrariensis, verum etiam Polesini, S. Georgii nuncupati, et vallis Comaclensis periculo, adeo ut hodie civitas nostra Ferrariensis non solum totum et integrum territorium, quod habet in parte dexterâ Padi nuncupati Ferrariensis, versus agrum Bononiensem et provinciam Romandiolae, utpote aquis submersum, amiserit, sed etiam brevi sui ipsius et Polesini S. Georgii unâ cum civitate nostrâ Comaclensi et illius vallibus inevitabilem submersionem, ac totalem devastationem subitura videatur; ager vero provinciae Romandiolae et comitatus nostrorum Bononiae nedum fere totus submersus, et aquis ac uliginibus vallium sterilis et incultus redditus reperiatur, sed in dies magis et magis, si quid sani ac fertilis habet, submergatur et in deteriorem statum reducatur:

Facultas archiepiscopo Tarsensi illud ad locum Bondeni, seu ad alium deducendi.

§ 3. Nos, qui tot et tanta nostrorum subditorum praeterita et praesentia ac futura pericula et detrimenta absque ingenti animi nostri moerore audire non possumus, paternâ sollicitudine tam illis, quam eiusdem civitatis securitati, agrorumque et locorum provinciae et comitatus praedictorum ab inundationibus fluminis Rheni huiusmodi damnisque innumerabilibus exinde provenientibus liberationi, quantum nobis ex alto conceditur, providere volentes, quousque alveus praedictus a loco Stellatae, seu alio opportuniori, usque ad loca Volanae et Primari praedicta excavatus, expurgatus, ac perfectus erit, et aqua Padi Lombardiae in eumdem alveum eius quantitatis introducta fuerit, ut illum excavatum et expurgatum manutenere et conservare possit et valeat, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, tibi dictum flumen Rheni a suo cursu ordinario in territorio Bononiensi et loco Mirabelli vulgo nuncupato removere, ac per lineam rectam ad locum Bondeni et per illum ad locum Gambaroni similiter nuncupatum, et ex hoc, vel unitum vel separatum cum flumine Panaro, ad flumen Padi magni et locum *la Stellata* pariter nuncupatum, iuxta ipsius lineae typum qui tibi cum praesentibus iussu nostro transmittitur, sive ad quemcumque alium locum, qui tibi videbitur et placuerit, deducere et derivare libere et licite possis et valeas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, potestatem et auctoritatem concedimus et impertimur.

Illudque, vel aliud quodcumque flumen extendendi ad quaecumque loca territoriorum Bononiensis et Ferrariensis.

§ 4. Dantes tibi plenam, liberam et amplam facultatem dictum flumen Rheni non solum in praedicto Mirabelli, verum etiam in alio quocumque loco territoriorum Bononiensis et Ferrariensis huiusmodi, ut praefertur, removendi, et per quaecumque eorumdem territoriorum loca in quamcumque vallem, seu quodcumque aliud flumen, aut quemcumque locum, quae seu quod, vel qui tibi magis expedire videbitur et placuerit, deducendi et derivandi;

Fossasque necessarias faciendi.

§ 5. Et ad hunc effectum quoscumque alveos et quascumque fossas et excavationes in praemissis necessarias et opportunas faciendi, in longitudine, latitudine, profunditate et in quibuscumque locis, necnon quoscumque aggeres, ubicumque opus fuerit, in altitudine, latitudine et longitudine, prout expediens tibi visum fuerit, omniaque et singula desuper necessaria et opportuna faciendi, constituendi, mandandi et exequendi respective;

Et quoscumque cogendi ad manum operi admovendam.

§ 6. Necnon pro illorum exequutione omnes[1] et singulos etiam ecclesiasticos seculares et regulares cuiusvis Ordinis, qui ex praedicto opere commodum sentient, ut expensas pro hoc opere necessarias facienda, contribuant, ordinandi;

Aliaque hic expressa faciendi.

§ 7. Et desuper opportunas taxas et repartitiones faciendi, illasque exequendi;

1 Verbum *ordinandi*, quod sequitur, dativum potius requireret (H. T.).

utque utilitas et beneficium, quod exinde cuiquam interesse habentium proventurum est, facilius dignosci valeat, ad effectum ut pro suâ ratâ tantum quisque supradictorum in huiusmodi expensas concurrat, altitudinem aquarum et terminos quos attingunt, cum interventu interesse habentium, vel etiam illis et aliis quibuscumque citatis vel non citatis tam laicis quam etiam ecclesiasticis et regularibus, mensurari faciendi; ac terras et bona, etiam ecclesiasticorum, ut supra, et aliorum cuiuscumque status, conditionis, qualitatis et praeeminentiae, etiam quacumque dignitate et auctoritate fulgentium, ac speciali mentione et notâ dignorum, in territorio Ferrariensi, Bononiensi et Romandiolae nunc palustria, aut tumentia, sive inundationibus huiusmodi obnoxia, terras et bona habentium, describendi et designandi, et ab aliis bonis huiusmodi detrimentis minime obnoxiis separandi; ac pro modo et ratione utilitatis, quae dictis bonis sic descriptis et designatis proveniet, sive ex eo quod ex opere huiusmodi facilius ad culturam reduci, vel, aliàs redacta, nunc faciliora, uberiora et utiliora reddi, vel ex eo quod ab aquarum incursionibus et inundationibus tutiora et securiora remanere, aut aliud quodvis commodum et utilitatem ex opere huiusmodi consequi possent, pro modo et ratâ et qualitate commodi et utilitatis expensas huiusmodi inter eos et singulos possessores dictorum bonorum, adhibito peritorum ad hoc electorum seu eligendorum iudicio et tuo arbitrio, statuendi, dividendi et partiendi, eosdemque ad realem et effectualem satisfactionem cogendi et compellendi;

Officiales ad hoc opus necessarios eligendi.

§ 8. Necnon, ultra dictos peritos, quoscumque officiales in hoc opere faciendo necessarios arbitrio tuo huiusmodi eligendi, et illos, quandocumque et quotiescumque opus fuerit, mutandi; provisiones et mercedes quibuscumque personis (non tamen architecto, nec congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super aquarum negocio huiusmodi secretario hactenus assignatas) annullandi et cassandi; et alia quaecumque circa praemissa omnia et singula quomodolibet necessaria seu opportuna faciendi, ordinandi, mutandi et exequendi; ac quascumque causas, etiam circa personas ecclesiasticas, ut supra, tam civiles quam criminales, ad huiusmodi opus spectantes aut ab eo dependentes et emergentes, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, manu regiâ, nulloque iuris ordine servato, ac omni et quacumque appellatione, recursu et reclamatione postpositis (ita ut si appellari aut recurri contingat, non ad alium, quam ad nos, aut Romanos Pontifices successores nostros appelletur et recurratur; et nihilominus nec processus causae, nec operis praedicti prosequutio, aut integra eius exequutio aliquo modo impediri, retardari aut differri vel suspendi possit vigore cuiusvis appellationis aut recursus etiam ad nos et Sedem Apostolicam, aut cuiusvis inhibitionis, nisi commissio manu nostrâ aut Romani Pontificis successoris nostri pro tempore existentis signata fuerit cum hac expressione *quod exequutio suspendatur*) necnon etiam intra limites legationum Ferrariae et Bononiae, aut alibi, ubicumque opus fuerit, audiendi, cognoscendi, terminandi et decidendi, cum potestate quos et quibus opus fuerit, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis, citandi et inhibendi privative quoad alios quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, necnon quoscumque commissarios et iudices in quibuscumque locis tibi benevisis toties quoties tibi videbitur, qui casus huiusmodi cognoscant et terminent et alia necessaria faciant et

exequantur, cum simili vel limitatâ facultate deputandi; ac etiam quibuscumque gubernatoribus, officialibus et aliis Apostolicae Sedis ministris, ubicumque existentibus, atque communitatibus, universitatibus, ac etiam particularibus personis in territoriis Ferrariensi, Bononiensi et provinciae Romandiolae et ipsarummet civitatum Bononiensis et Ferrariensis, ut omnia et singula, per te circa praemissa ordinanda et statuenda, debitae exequutioni demandare procurent, auctoritate nostrâ mandandi; ac inobedientes opportunis iuris et facti remediis, quacumque appellatione et recursu postpositis, cogendi et compellendi; unumque vel plures depositarios et exactores taxarum per te et tuo mandato faciendarum ab interesse habentibus supradictis exigendarum deputandi; utque fideliter in opus praedictum, et non in alium usum, exponantur, ab eisdem depositariis seu exactoribus idoneam cautionem recipiendi; insuper, pro felici huiusce operis prosequutione et expeditione, non solum praedicta omnia et singula ac decreta dicti Clementis praedecessoris desuper edita et in illis praescripta quaecumque non servandi, et ab eis recedendi, verum omnia et singula, etiam in eis non contenta, et quae tibi quomodolibet necessaria et opportuna videbuntur (etiamsi talia sint vel fuerint, de quibus specialis, specifica et expressa mentio habenda foret), necnon etiam ea quae venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales super aquis huiusmodi deputati facere possunt, faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, cum hoc, quod de faciendis, gerendis et exequendis per te vigore praesentium nemini praeterquam soli Deo rationem reddere tenearis.

Mandatum de parendo.

§ 9. Et nihilominus dilectis filiis gubernatoribus, officialibus et ministris, nec non communitatibus, universitatibus et particularibus personis quibuscumque, ceterisque, ad quos spectat et spectabit, ut tibi in omnibus prompte obediant, tuaque iussa exequantur, per praesentes praecipimus.

Derogatio contrariorum.

§ 10. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quarumcumque civitatum, terrarum et locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis ex supradictis communitatibus, universitatibus, necnon collegiis, monasteriis et locis piis, ac personis tam ecclesiasticis quam secularibus, cuiuscumque gradus, ordinis et conditionis existentibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Iudices ecclesiastici ad hoc deputati in suspensionem non incidunt in criminalibus procedendo.

§ 11. Volumus autem, ut tam tu, quam tui ministri quicumque in praemissis adhibendi, qui clerici extiterint, in negociis et causis criminalibus ratione eorumdem praemissorum vos immiscendo, nullam propterea censuram ecclesiasticam aut irregularitatis notam incurratis, dummodo a sententiâ sanguinis per ipsos ferendâ abstineatis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die IV novembris MDCXVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 4 novembris 1628, pontif. anno VI.

CCCXVI.

Confirmatio litterarum Pauli Papae V, quibus indultum Hispaniae regi fuit

concessum quasdam pecunias ab ecclesiasticis regni Siciliae exigendi[1].

Dilectis filiis, universo clero regni Sardiniae,

Urbanus Papa VIII.

Dilecti filii,

salutem et apostolicam benedictionem.

Litteras Pauli V recenset, quibus concessum Philippo III fuerat quasdam pecunias ab ecclesiasticis Sardiniae exigere.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Paulo Papa V praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Dilectis filiis universo clero insulae Sardiniae, Paulus Papa V. Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. Dudum, sicut nobis nuper exponi fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, felicis recordationis Gregorio Papa XIII praedecessori nostro pro parte clarae memoriae Philippi Hispaniarum etiam regis catholici genitoris sui tunc in humanis agentis exposito, quod occasione parlamenti, quod singulis certis annis in Sardiniae regno ad communem illius utilitatem convocari solet, necessariae quaedam expensae sustineri et subsidia praestare consuevissent, in quibus supportandis ecclesiasticae quoque personae ab immemorabili tempore citra semper contribuere solitae fuerant; sed, quia de Sedis Apostolicae licentiâ minime constabat, et ideo ab aliquibus dubitari probabiliter poterat, an dictus Philippus rex a vobis, etiam sponte solventibus, pecunias exigere, et vobis illas solvere liceret, eidem praedecessori praedictus rex supplicari fecit, ut tam suae, quam vestrarum conscientiarum securitati consulere dignaretur: ideo dictus praedecessor, ad omnem scrupulum ex animis vestris dimovendum, tam regi praedicto, ut contributiones huiusmodi occasione parlamenti per vos tunc faciendas exigere, seu exigi facere, quam vobis, ut illas iuxta solitum et consuetum solvere licite valeretis, apostolicâ auctoritate concessit et indulsit. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, expensae praedictae praeteritis annis creverint, subsidia quoque praedicta et contributiones ad vigintiquinque millium ducatorum summam aucta fuerunt. Quare nobis idem Philippus rex humiliter supplicari fecit, ut concessionem et indultum dicti praedecessoris extendere, ac tam suae, quam vestrarum conscientiarum securitati similiter consulere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, tam regi praedicto, ut contributiones huiusmodi occasione dictorum parlamentorum, quae quolibet decennio haberi nobis pariter expositum fuit, ut praefertur, auctas, per vos faciendas exigere seu exigi facere, quam vobis, ut illas infra[1] solitum et consuetum, ut praefertur, solvere licite valeatis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, pro tribus parlamentis proximis tantum, concedimus et indulgemus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. *Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris die* XIII *octobris* MDCVII, *pontificatus nostri anno* III.

Philippus IV eas petit confirmari.

§ 2. Cum autem, sicut carissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus nobis nuper exponi fecit, in parlamentis in eodem regno de annis MDCXIV et MDCXXIV convocatis, subsidia et contributiones huiusmodi ad aliam summam vigintiquinque millium ducatorum aucta fuerint, ita ut illa cum aliis in praeinsertis dicti Pauli praedecessoris litteris expressis insimul summam centum et quinquaginta millium ducatorum huiusmodi conficiant: nobis propterea dictus Philippus rex humiliter supplicari fecit, ut concessionem et indultum eiusdem Pauli praedecessoris ad posteriorem summam viginti quinque millium ducatorum huiusmodi extendere,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Videtur legendum *iuxta* pro *infra* (R. T.).

ac tam suae quam conscientiarum vestrarum securitati similiter consulere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Ratas habet Urbanus.

§ 3. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, tam eidem Philippo regi praedicto, ut contributiones occasione dictorum parlamentorum de annis MDCXIV et MDCXXIV convocatorum, ad summam vigintiquinque millium ducatorum, ut praefertur, auctas, per vos faciendas exigere seu exigi facere, quam vobis, ut illas iuxta solitum et consuetum, ut praefertur, solvere libere et licite valeatis, dictâ auctoritate, tenore praesentium, pro dictis duabus vicibus, seu duobus dumtaxat parlamentis de annis MDCXIV et MDCXXIV huiusmodi convocatis, ut praefertur, concedimus et indulgemus.

Obstantia tollit.

§ 4. Non obstantibus omnibus illis, quae in praeinsertis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV decembris MDCXXVIII pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 15 decembris 1628, pontif. anno VI.

CCCXVII.

Facultas clero regni Sardiniae parandi octo triremes ad eiusdem regni defensionem [1].

Carissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi catholico, Urbanus Papa VIII.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Procemium.

Eximius maiestatis tuae orthodoxae fidei conservandae et propagandae zelus ac singularis erga nos et Apostolicam Sedem devotionis aliaque praeclara merita plene exigunt, ut subsidia pro eiusdem fidei tuorumque regnorum et subditorum ab hostibus fidei defensione ab eisdem subditis tuis sponte oblata, quantum cum Domino possumus, adiuvemus.

Ecclesiastici subsidium regi efficiunt pro paranda octo triremibus contra piratas.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecisti, quod aliàs, cum dilecti filii subditi regni tui Sardiniae in parlamento de anno MDCXXIV celebrato (animadvertentes, praedictum Sardiniae prae aliis regnis tuis barbarorum et aliorum piratarum infestationibus, invasionibus et direptionibus, ob eius Africanae orae vicinitatem, expositum esse, eamdem vero maiestatem tuam pro religionis catholicae et obedientiae erga S. R. E. conservationem in tuis et exteris ditionibus ac regnis aliis gravissimis assidue sumptibus urgeri) commeatum, sive victualia et necessariam pannaticam, vulgo nuncupatam, pro octo triremibus ad eiusdem regni eiusque civitatum, urbium et locorum maritimorum, portuumque contra barbarorum et aliorum piratarum impetus, infestationes atque direptiones defensione, in certis terminis ac modo et formâ tunc expressis, solvendam sive praestandam maiestati tuae sponte obtulissent; venerabiles fratres archiepiscopi, episcopi, et universae personae ecclesiasticae eiusdem regni super hoc congregatae, in solutione sive praestatione commeatus, sive victualium, ac pannaticae huiusmodi pro ratâ eas tangente, nostro et huius sanctae Sedis accedente beneplacito, concurrere similiter sponte et libere obtulerunt, promiserunt et se obligarunt.

Rex ut illud possit recipere, sibi permitti flagitat.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, laicorum dumtaxat ipsius regni facultates ad praemissa nullatenus suppetant, et ex eo quod per Lateranensem concilium novissime celebratum diversasque alias canonicas sanctiones sub diversis censuris et poenis caveatur expresse, ne reges, principes et alii seculares magistratus ab archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis personis ecclesiasticis, etiam sponte offerentibus, aliquam pecuniarum

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

summam sive huiusmodi subventionem exigant aut recipiant, maiestas tua et tui illius regni ministri dubitetis, ratam praedictam recipiendo, censuras et poenas praedictas incurrere et forsan incurrisse, et propterea pro tuae et dictorum ministrorum conscientiae quiete nobis humiliter supplicari feceris, quatenus in praemissis nostram et huius Sanctae Sedis auctoritatem interponere dignaremur:

Permittit Urbanus.

§ 3. Nos, attentis praemissis, supplicationibus huiusmodi inclinati, spontaneae oblationi, promissioni et obligationi per archiepiscopos, episcopos, et alias ecclesiasticas personas ad effectum praemissum factis, quas ad decennium proximum dumtaxat, et non ultra, durare volumus, et dummodo rata huiusmodi in alios quam infra expressos usus nullo modo applicetur, pro hac vice tantum nostram et dictae Sedis auctoritatem interponimus per praesentes; et nihilominus archiepiscopis, episcopis, et aliis ecclesiasticis personis praedictis, ut ratam huiusmodi per eos, ut praefertur, sponte oblatam et promissam persolvere, ac tua maiestas, ac tui ministri eam petere et recipere, exigere et levare absque conscientiae scrupulo, seu censurarum et poenarum praedictarum incursu libere et licite possint, apostolicâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, concedimus et indulgemus; ipsosque archiepiscopos, episcopos et alias personas ecclesiasticas, et earum singulas, quatenus ipsi dictam ratam iam promiserint aut solverint, nec non eamdem maiestatem tuam et tuos ministros praedictos, si eamdem ratam iam perceperint, ab omnibus et singulis censuris et poenis per eos propterea quomodolibet incursis, auctoritate et tenore praedictis absolvimus et absolutos fore censemus et declaramus.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis quibusvis generaliter vel specialiter concessis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum inserti habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Nonnullas praescribit conditiones.

§ 5. Volumus autem, ut, finito decennio huiusmodi, personae ecclesiasticae dicti regni a solutione sive praestatione et exactione similium subventionum omnino abstineant, quodque poenitentiam, quam pro praemissis cuiusvis confessarius ab Ordinario approbatus illis et eorum cuilibet duxerit imponendam, adimplere omnino teneantur; quodque distributio, repartimentum, ac taxa et exequutio huiusmodi a personis ecclesiasticis, in comitiis huiusmodi ab eisdem ecclesiasticis forsan deputatis, aut, in eorum defectum, ab Ordinariis locorum, seu a personis ecclesiasticis per ipsos Ordinarios deputandis dumtaxat fiat, ac ministris regiis ad effectum praemissum tantum consignetur, aliàs praesentes nullae sint eo ipso;

Transumptis fidem addit.

§ 6. Necnon quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, sigilloque personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI decembris MDCXXVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 16 decembris 1628, pontif. anno VI.

CCCXVIII.

Nova institutio collegii Fuldensis ad scholares Germanicae nationis latinis litteris aliisque liberalibus disciplinis instruendos, unâ cum congruae dotis assignatione, ac gratiarum, privilegiorumque concessione et extensione[1].

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quoniam divinae bonitati visum est, humilitatem nostram turbulentissimis christianae reipublicae temporibus ad universalis Ecclesiae regimen vocare, ex eo tempore nos, eiusdem adiuvante gratiâ, ea cogitare non destitimus, quae, sicut officii nostri ratio postulat, ad divinum ubique cultum propagandum, et ecclesiasticam disciplinam restaurandam et augendam, animarumque salutem procurandam maxime cognovimus pertinere.

Recenset statum Germaniae.

§ 1. In primis vero, animo recolentes amplissimam Germaniae provinciam, quae superioribus seculis, inter fortissimae ipsius nationis laudes atque virtutes, tanto sincerae fidei et christianae religionis cultu eminere solebat, ut reliquis christianae reipublicae partibus non minori exemplo quam ornamento atque decori foret, nunc, tot tantisque in eâ instinctu satanae excitatis de religione dissidiis, ita miserandum in modum afflictam et deformatam esse, ut nemo vel mediocri pietate praeditus sine lacrymis tam gravem animarum iacturam recordari nedum intueri queat, eam praecipue curam suscepimus, ut, quibusvis possimus modis, nullis laboribus, nullisve sumptibus parcentes, apta sanandis illius vulneribus remedia adhibeamus.

Et institutionem huius collegii aliàs factam a Gregorio XIII.

§ 2. Ac proinde, considerantes, felicis recordationis Gregorium Papa XIII, praedecessorem nostrum, optimo quidem consilio collegium in oppido civitate muncupato Fuldensi, nullius dioecesis, provinciae Moguntinensis, quadraginta alendorum, ac latinis litteris, logicâ, physicâ, aliisque liberalibus disciplinis, ac sacrâ demum theologiâ, necnon piis et christiano nomine dignis moribus instituendorum Germanicae nationis puerorum causâ, ut haereticorum maxime nobilium filii, a quibus pendent pagi, oppida et ditiones in Germaniâ, escâ liberalis mensae illecti catholice ibidem educarentur, et sanctae Sedis Apostolicae nomen contra haereticorum execrationes antichristianas amabile fieret etiam ipsis hostibus fidei iuratis, nullâ obligatione requisitâ, stipendia vero danda iis, qui alumni esse non possent, ad facilius ibidem absolvendum humaniora studia, discendam fidem catholicam, et ut a scholis haereticorum germana iuventus abstraheretur, in quibus huiusmodi subsidia ex monasticis et Ecclesiae bonis tanquam illecebrae adolescentibus conferuntur, nullâ etiam obligatione a stipendiariis requisitâ, eidem collegio mille et octingentorum scutorum auri de camerâ, mille et ducentorum videlicet pro alumnatu, sexcentorum vero scutorum huiusmodi summâ pro stipendiis assignatâ, quam de praesenti camera nostra apostolica solvit, aliàs apostolicâ auctoritate erexisse et instituisse; tamen id eius coeptum atque conatum, tum propter obitum ipsius, tum ob varias quae postea sequutae sunt temporum et rerum difficultates parum processisse, imo nec litteras apostolicas super huiusmodi erectione et institutione expeditas esse verisimiliter

1 Non dissimilia collegia pro huiusmet nationis scholaribus erexit iste Pontifex in civitate Pragensi Constit. CCXXV, *Quoniam* (in h. n. ed. CCXLVI, tom. XIII, pag. 551). Et in civitate Viennensi, in Const. CCXXVI (CCXLVII), *Quoniam*, ibid. pag. 556. Ac unum antea pro adolescentibus ex Illyricis provinciis in civitate Lauretana instituerat in Const. CCXXIII, *Zelo Domus Dei*, (in n. ed. CCXLIV, ibid. pag. 541).

credendum sit, cum, factis plurimis tam in Romanâ curiâ quam in dicto oppido Fuldensi diligentiis, litterae apostolicae super huiusmodi erectione et institutione non potuerint reperiri expeditae:

Illud de novo erigit et instituit, alumnorumque numerum statuit.

§ 3. Nos, ad opus hoc propagationi fidei utilissimum, praesertim hoc tempore quo Germania summâ operariorum catholicorum inopiâ laborat, totis viribus, prout ex susceptae servitutis officio tenemur, promovendum animum et mentem nostram convertentes, ac coeptum et conatum dicti Gregorii praedecessoris renovare intendentes, ac singulares personas collegii huiusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, maturo desuper cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus Congregationi de Propagandâ Fide praefectis habito consilio, motu proprio, non ad alicuius nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ meràque liberalitate nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ad Dei omnipotentis laudem, sanctaeque ipsius Ecclesiae incrementum, praecipuamque Germaniae nationis salutem et commodum, in dicto oppido Fuldensi rursus collegium ipsum Fuldense appellandum (in quo, licet ex tenore erectionis et institutionis Gregorii praedecessoris huiusmodi quadraginta alumnorum numerus, ex quo tunc tempora erant optima, et minori sumptu ibi mortalis haec vita sustentari poterat, in eo manutenendus veniret, quia tamen nunc omnia in triplo aut quadruplo sunt pretio, nec unquam tanta annonae vilitas, quanta superiori seculo fuit, verisimiliter reditura est, triginta alumnorum numerus, non ex totâ Germania tantum, sed, ut hactenus consuevit, ex septemtrionalibus eius provinciis, videlicet Franconia, Hassia, Buchovia, Saxonia, Misnia, Turingia, Brunswigia, Westphalia, Marca, Brandeburgica, ducatu Mechlenburg, Pomerania, Holsatia et archiepiscopatu Bremensi evocandorum, de cetero manuteneri debeat) apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, denuo ex integro perpetuo erigimus et instituimus.

Et pro eius congruâ dote MDCCC scuta aurea annua assignat.

§ 4. Illique sic erecto et instituto, pro congruâ eius dote ac alumnorum praedictorum et illis inservientium personarum sustentatione onerumque illis incumbentium supportatione, redditus annuos mille et octingentorum scutorum aureorum huiusmodi ex camerae apostolicae pecuniis quotannis sumendos et numerandos, distributâ in trimestres singulos pro ratâ solutione, quoad de totidem redditiuum summâ in bonis stabilibus eidem collegio a nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus fuerit provisum, eisdem auctoritate et tenore concedimus et attribuimus.

Iuramentum a quindecim alumnis praestari et alios dispensari posse statuit.

§ 5. Ac ex praedictis triginta alumnis, quindecim obligandos ad praestandum iuramentum iuxta formulam ab eâdem Congregagione alumnis pontificiorum collegiorum praescriptam, reliquos vero quindecim, nobilibus et illustribus parentibus etiam haereticis ortos, dummodo ipsi sint catholici vel quam primum fiant, ab eâ obligatione a nostro et Sedis Apostolicae nuntio nunc et pro tempore in illis partibus residente (cui per praesentes ex nunc prout ex tunc plenariam et omnimodam concedimus facultatem et auctoritatem) pro eius prudentiâ (communicato tamen prius consilio super uniuscuiusque dispensatione et re accurate discussâ cum dilecto filio Ioanne Bernardo moderno et pro tempore existente abbate Fuldensi, vel habitâ relatione ab Ordinariis illarum partium

ex quibus ii alumni fuerint oriundi) dispensandos.

Et DC scuta ex praedictis MDCCC distribuenda scholaribus ut hic decernit.

§ 6. Et ex praedictis scutis sexcentis auri de camerâ, quae distribuuntur ad instar eleemosynae scholaribus pauperibus extra collegium degentibus, trecenta tantum eisdem pauperibus assignanda, et, ut hactenus factum est, distribuenda, reliqua vero trecenta quindecim alumnis, qui iuramentum huiusmodi praestituri sunt, applicanda, et in eorum necessitatibus impendenda esse, eâdem auctoritate volumus, statuimus atque decernimus.

Collegium regimini presbyterorum Societatis Iesu subiicit.

§ 7. Ceterum, cum dilectorum filiorum presbyterorum societatis Iesu in hoc educandorum instituendorumque alumnorum munere diligentia, fides, integritas, et in aliis huiusmodi collegiis, et in hoc ipso satis cognita sit atque perspecta, idem collegium atque scholares illius presbyterorum praedictorum, sicut adhuc fuit, regimini, institutioni, doctrinae atque prudentiae, eâdem auctoritate, etiam perpetuo subiicimus atque submittimus.

Protectores collegii constituit.

§ 8. Praeterea, ut eiusdem collegii conservationi bonoque, tam in his, quae ad scholarium institutionem et disciplinam, quam quae ad victum, vestitum, aliaque huiusmodi necessaria pertinent, opportunius consulatur, et promptum eis paratumque auxilium sit, S. R. E. cardinales Congregationi de Propaganda Fide praefectos praedictos, nunc et pro tempore existentes, eiusdem collegii protectores et defensores (qui in viceprotectorem illius dictum modernum et pro tempore existentem abbatem Fuldensem, ita tamen, ut in gravioribus nihil praecipere aut mandare vel facere valeat sine consilio et consensu nuntii apostolici praedicti, quibus aliquid eorum, quae vel in hac fundatione vel in regulis a Congregatione praedictâ approbatis continentur, immutare minime licebit absque eiusdem Congregationis, vel nostrâ aut Romani Pontificis pro tempore existentis expressâ licentiâ, deputare possint et valeant) eâdem auctoritate constituimus atque creamus.

Eisdem auctoritatem et facultates impartitur.

§ 9. Illisque ac viceprotectori praefato pro salubri illius conservatione, alumnorumque, bonorum et rerum, iurium temporalium et spiritualium eiusdem oeconomos, advocatos et procuratores in eo deputandi et amovendi, ac alios in eorum locum substituendi, differentias, lites et controversias, inter quascumque personas, tam alumnorum quam ministrantium, clericorum et laicorum, non tamen presbyterorum ipsius Societatis, exortas, summarie, simpliciter et de plano, sine figurâ aut strepitu iudicii, appellatione quacumque remotâ, decidendi, definiendi, terminandi, statutaque et ordinationes, disciplinam domesticam et studia alumnorum praedictorum concernentia, aequa tamen et honesta, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis non repugnantia, faciendi et condendi, quae postquam facta, edita, revocata, immutata et correcta fuerint, perinde habeantur et observentur, ac si auctoritate apostolicâ approbata et confirmata essent, prout illa ab omnibus dicti collegii alumnis ita haberi et inviolabiliter observari mandamus, plenam et liberam, auctoritate et tenore praemissis, facultatem impertimur.

Alumnorum admissionis modum et formam praescribit.

§ 10. Quod autem ad dictorum alumnorum admissionis modum et formam deinceps habendam attinet, rectorem praedictum dicti collegii, pro tempore existentem, librum habere, in quo notentur nomina et cognomina, ac patriae et parentes alumnorum, qui recipientur in dicto collegio, et ex eo dimittentur, ex dictoque libro singulis annis catalogum eorum qui recepti et qui dimissi fuerint, cum die menseque ingressus et egressus illorum, nuntio praedicto mittere, ut ipse nuntius illum praefatae de Propagandâ Fide congregationi transmittere possit; quod si ex

aliquâ peculiari causâ dimitti contigerit, eam etiam in dicto catalogo exprimi; insigniores vero alumnorum praefatorum actiones in eodem libro annotare, easque suo tempore eidem nuntio significare, ut pariter de illis eamdem congregationem certiorem facere valeat; quas ad nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes per eamdem congregationem deferri volumus, ut, cum occasio tulerit, praemio cohonestentur;

Et administrationis bonorum, ac rationis reddendae ordinem praefinit.

§ 11. Ac denique alium librum, in quo dati et accepti rationes diligentissime et clarissime descriptae sint, illaeque singulis annis ad minus eidem nuncio reddantur, et in eius manibus relinquatur folium, vulgo bilancium, in quo provisio collegii, et alia quae ipsius collegii vel alumnorum ratione acceperit, et ea quae illo anno pro ipsius collegii et alumnorum sustentatione impenderit, notata existant, ut similiter ab eodem nuncio ad Urbem mitti possit, etiam habere; si quid autem de totâ pensionis pontificiae summâ, redditis rationibus, supererit, id vel in aliis alumnis evocandis, vel in necessariis libris emendis, vel in vestiendis alumnis dimittendis, vel etiam in redditibus augendis, aut in aliis collegii necessitatibus, arbitrio nuntii et abbatis Fuldensis praedictorum, impendi debere, eâdem auctoritate statuimus et ordinamus.

Privilegia alumnis concedit et praesertim in promotione ad sacros Ordines.

§ 12. Ut vero huius collegii alumni, post longos studiorum, aut coeptorum aut consummatorum, labores, expeditiores et alacriores ad succurrendum patriae necessitatibus reddantur, eisdem alumnis, ut cum solis litteris testimonialibus dicti collegii rectoris pro tempore existentis abbati Fuldensi offerendis, ac eius sigillo muniendis (nisi forte alumni praedicti suos Ordinarios habuerint, a quibus dimissorias a Concilio Tridentino ordinatas habere possint), ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines sine aliquo beneficii vel patrimonii titulo, etiam extra tempora ad id a iure statuta, et intra annum, annique curriculo non expectato, minusque servatis ad id a Concilio Tridentino praedicto designatis interstitiis, dummodo ad id aliàs reperiantur idonei, promoveri, et, postquam promoti fuerint, in illis etiam in altaris ministerio ministrare, ac etiam tam ipsi quam ceteri omnes in dicto collegio degentes, ut Poenitentiae et Eucharistiae, etiam in die Paschatis, et Extremae Unctionis sacramenta a confessario aut alio sacerdote ipsius collegii a dicto rectore constituendo suscipere libere et licite valeant, auctoritate et tenore praemissis de speciali gratiâ indulgemus.

Necnon in occurrentibus beneficiorum vacationibus in provinciis, ex quibus alumni extiterint.

§ 13. Verum, ut, quantum fieri poterit, dictorum alumnorum paupertati et necessitati succurratur, serio requirimus atque monemus archiepiscopos, episcopos et alios antedictarum provinciarum beneficiorum ecclesiasticorum collatores et collatrices, ut in illis conferendis, et praesertim si beneficia huiusmodi pro tempore obtinentibus imminent cura animarum, alumnos praefatos aliis omnibus, ceteris paribus, praeferant: nuntios quoque Sedis Apostolicae, aliosque praelatos supradictarum provinciarum, in quorum dioecesi alumni praefati extiterint, ut in occurrentibus beneficiorum huiusmodi et praesertim curam animarum habentium vacationibus, quorum collatio, provisio vel dispositio quoquo modo ad Sedem Apostolicam pertinuerit, de illis alumnis antedictis pauperibus, praecipueque nostrâ pontificiâ gratiâ dignis, nos successoresque nostros Romanos Pontifices pro tempore similiter existentes certiores faciant, ut munificentiam nostram erga illos, prout tempus vel occasio tulerit, exercere possimus: et generaliter in dignitatibus, personatibus, canonicatibus et praebendis, parochialibus ecclesiis, et aliis beneficiis ecclesiasticis per collationem vel electionem in alumnorum

patriis providendis, eosdem alumnos aliis omnibus, ceteris paribus, tam in Romanâ curiâ quam in ecclesiis suis originalibus praeferri volumus et decernimus.

Eidem collegio et eius personis privilegia studii generalis Urbis communicat.

§ 14. Atque insuper eisdem collegio et scholaribus rectoribus et gubernatoribus omnia et quaecumque privilegia, exemptiones, libertates et indulta, quibus studium generale almae Urbis nostrae et illius rectores doctoresque in eo legentes quovis modo utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, ita ut collegium et scholares ac rectores et gubernatores huiusmodi illis non solum ad eorum instar sed pariformiter et aeque principaliter uti, potiri et gaudere possint et valeant in omnibus et per omnia, eisdem auctoritate et tenore similiter perpetuo communicamus.

Plenariam quoque indulgentiam in die ingressus et exitus, vel mortis in dicto collegio, eisdem confessis et eucaristia refectis elargitur.

§ 15. Ut vero temporalibus commodis spiritualia munera quoque coniungamus, quibus fidelium devotio et merita crescere magis et augeri possint, de eiusdem omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis scholaribus, rectoribus et ministris, qui in idem collegium recepti fuerint, in ipso ingressu, et deinde in exitu, si quidem confessi et contriti sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, atque etiam, si[1] in eodem collegio decedere eos ab humanis contigerit, in mortis articulo plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur.

Constitutiones ad eiusdem collegii coram a Congregatione de Propaganda Fide editas confirmat et observari ab omnibus mandat.

§ 16. Postremo quascumque regulas et constitutiones ad eiusdem collegii, illiusque personarum, rerum et bonorum spiritualium et temporalium curam, regimen, gubernium, directionem et administrationem, ac alumnorum praefatorum receptionem, admissionem, victum, amictum, instructionem, disciplinam et alia quomodolibet pertinentia, a dictâ de Propagandâ Fide congregatione die XXV mensis septembris anni Domini MDCXXIII editas, etiam perpetuo approbamus et confirmamus, illasque ab omnibus inviolabiliter observari volumus et mandamus.

Clausulas praeservativas apponit.

§ 17. Decernentes praemissa omnia et singula, ac easdem praesentes, nullo unquam tempore ex quibuscumque causis de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari, aut in ius vel controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci posse, nec quemquam ad easdem praesentes in camerâ apostolicâ, iuxta constitutionem piae memoriae Pii Papae IV etiam praedecessoris nostri desuper editam, aut aliâs quandocumque praesentandum, insinuandum et registrari faciendum teneri, neque propterea illa invalida esse, sed omni modo valere, ac si constitutio praedicta et alia contraria minime emanassent;

Aliter iudicari prohibet.

§ 18. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam camerae apostolicae praesidentes clericos, ac eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae camerarium, vicecamerarium et causarum palatii apostolici auditores, ac alios dictae Romanae Ecclesiae cardinales, sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores huius sanctionis instituit.

§ 19. Quocirca eidem nuntio et dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, ac abbati praedicto, motu pari per apostolica scripta manda-

1 Male edit. Main. legit *etiamsi* (R. T.).

mus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes nostras litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte rectoris et alumnorum collegii huiusmodi, seu aliorum quorum favorem illa concernunt, fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes, et in eis contenta huiusmodi, ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter observari; ac rectorem, alumnos, aliosque huiusmodi illis pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposità, compescendo, ac censuras et poenas ipsas, servatâ formâ eiusdem Concilii Tridentini, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§ 20. Non obstantibus nostrâ de gratiis ad instar non concedendis, ac praedictâ Gregorii praedecessoris huiusmodi, quatenus opus sit et quatenus reperiretur, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis et constitutionibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis universitatibus, collegiis, eorumque rectoribus et personis, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu et potestatis plenitudine similibus, et aliàs quomodolibet iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi aliàs pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in eis traditâ observatâ, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse harum serie derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter aut divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Exemplis credi iubet.

§ 21. Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu tamen notarii publici subscriptis, et sigillo communi dicti collegii, aut alicuius curiae ecclesiasticae, seu personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Decretumque poenale superaddit.

§ 22. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, erectionis, institutionis, statuti, subiectionis, submissionis, constitutionis, creationis, attributionis, indulti, requisitionis, monitionis, communicationis, concessionum, elargitionis, approbationis, confirmationis, decretorum, mandatorum, derogationis et voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXVIII, quar-

to[1] kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 19 decembris 1628, pontif. anno VI.

CCCXIX.

Confirmatio decreti Congregationis de Propagandâ Fide, quo statuit lectores et studentes Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ linguarum non esse exemptos a iurisdictione ministri generalis et aliorum superiorum quoad disciplinam regularem; quo vero ad remotionem a lecturâ et studiis, lectores non posse amoveri inconsultâ sacrâ Congregatione; studentes vero a solo generali et commissario etiam generali mutari et a studiis removeri posse[2].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Refertur decretum, de quo in rubricâ.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius commissarius curiae nuncupatus Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ etiam nuncupatorum, quod non ita pridem venerabiles fratres nostri sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, negotio propagandae fidei praepositi, declararunt, lectores et studentes linguarum a iurisdictione, potestate et correctione guardianorum et provincialium et ministri generalis seu commissarii generalis non esse exemptos quoad disciplinam regularem; quo vero ad remotionem eorum a lecturâ et a studiis, lectores quidem inconsultis eisdem cardinalibus officio legendi removeri non posse, quia illi sunt ministri congregationis eorumdem cardinalium, et ideo eorum nomina et officia in eius libris describi consuerunt studentes vero a solo ministro generali vel commissario etiam generali mutari posse, et a studiis removeri, prout in eorumdem cardinalium decreto desuper emanato plenius continetur.

Quod commissarius generalis petit confirmari.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, commissarius curiae praedictus plurimum cupiat decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ atque inviolabili observantiâ, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri; ideo nobis humiliter supplicari fecit, ut desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat Urbanus.

§ 3. Nos igitur, eumdem commissarium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum praedictum, omniaque et singula in eo contenta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; decretumque huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari debere; necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Obstantium derogatio

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus

1 Ex notula marginali tum edit. Cherubinii tum edit. Main., quae legunt 19 decembris, tum etiam ex ordine quo posita est haec constitutio, patet legendum esse *decimoquarto* (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX decembris MDCXXVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 20 decembris 1628, pontif. anno VI.

CCCXX.

Confirmat decretum sacrae rituum Congregationis, quod in ecclesiâ Calaritanâ servetur ad unguem caeremoniale episcoporum.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum et canonici ecclesiae Calaritanae, quod aliàs, in causâ seu causis differentiarum inter ipsos ex unâ, ac dilectos etiam filios beneficiatos eiusdem ecclesiae ex alterâ partibus, in congregatione venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum vertentibus[1], ab eisdem cardinalibus emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Decretum sacrae rituum Congregationis. § 1. Illustrissimi et Reverendissimi signori. Per comporre le differenze vertenti in questa Sacra Congregatione tra li canonici e capitolo della chiesa di Calleri per una parte, e li beneficiati della medema chiesa dall' altra, piacque alle Signorie Vostre Illustrissime di scrivere a quell'Arcivescovo, che saria stato bene di far osservare quanto disponeva il ceremoniale romano. Ma perchè tal lettera conteneva solo una semplice inclinatione della Sacra Congregatione, non ordine o precetto alcuno, perciò non è mai stato messo in essecutione; onde di nuovo supplicano li canonici le Signorie Vostre Illustrissime, che si degnino far decreto preciso sopra l'osservanza di detto ceremoniale romano, conforme la Constitutione di Clemente VIII sopra l'approbatione e[1] confermatione di esso: Che tutto, ecc.

Sacra rituum Congregatio mandavit et praecepit in ecclesiâ Calaritanâ servari ad unguem caeremoniale episcoporum. Die XXX septembris MDCXXVIII.

Confirmatio decreti. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, capitulum et canonici praedicti plurimum cupiant, decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ inviolabilique observantiâ, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri: nos, capitulum et canonicos huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum decretum huiusmodi apostolicâ auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, decretumque huiusmodi ac praesentes litteras valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac in praefatâ ecclesiâ ab omnibus et singulis ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, perpetuo observari; et ita per quoscum-

1 Male edit. Main. legit *vertentes:* posset etiam legi *vertentium* nempe *differentiarum* (R. T.).

1 Erronee edit. Main. legit *è* (R. T.).

que iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, auctoritate et tenore praefactis decernimus et declaramus.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae ecclesiae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX ianuarii MDCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 30 ianuarii 1629, pontif. anno VI.

CCCXXI.

Facultas apostolico apud catholicum regem nuncio[1] *conceditur permittendi, ut vectigal super carne et vino in Portugalliae regno pro summâ quatuorcentum mille scutorum imponi possit, etiam ab ecclesiasticis persolvendum*[2].

Venerabili fratri Laurentio episcopo Hieracensi, moderno et pro tempore existenti iurium et spoliorum camerae nostrae apostolicae in Portugalliae et Algarbiorum regnis collectori generali,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Direptiones haereticorum in Indiis Orientalibus recensentur et necessitas eos profligandi.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit carissimus in Christo filius noster Philippus Portugalliae et Algarbiorum rex catholicus, quod, susceptâ pridem per inimicos catholicae fidei in Indias Orientales navigatione, illi easdem Indias, a nonnullis annis citra, non solum latrociniis direptionibusque ac portuum et locorum illarum partium invasionibus, inibi etiam fortalitia seu propugnacula construendo, cum ingenti earumdem Indiarum detrimento infestas reddiderunt, et propagationem eiusdem fidei impedierunt, verum etiam, coniuratis et unitis animis viribusque, eamdem fidem, quae inibi summâ Redemptoris nostri benignitate, et tantis Portugalliae et Algarbiorum regum eiusdem Philippi regis praedecessorum impensis, tantâque sanguinis subditorum suorum effusione, dudum plantata fuit, necnon omnes earumdem partium christifideles, ecclesiasque, in notorium discrimen, maximumque periculum adduxerunt: unde dictus Philippus rex, pie considerans se tot classes et arma pro recuperandis Indiarum huiusmodi locis, aliisque minime occupatis conservandis, cum immensâ patrimonii sui impensâ eo destinasse, ea vero, praevalentibus inimicorum armis violentiisque, minime suffecisse, ut nihil intentatum relinquat, quo christifidelium praedictorum saluti et defensioni, locorumque huiusmodi recuperationi consulat, alia eisdem Indiis pro avitâ suâ in Deum pietate subministranda auxilia decreverit.

Oblatumque regi subsidium cc millium scutorum ex imposito quodam vectigali desumendorum.

§ 2. Quia vero patrimonii sui regalis [1] regnorum huiusmodi redditus iam oppignoratos et venditos reperit, pro comparando celeri ad praemissa subsidio ad subditos eorumdem regnorum suorum Portugalliae et Algarbiorum recursum habere coactus fuit; dilecti autem filii praesidens et officiales camerae civitatis Ulisbonensis, pios eiusdem Philippi regis conatus coadiuvare volentes, cum illi subsidium ducentorum millium cruciatorum monetae

1 Bulla autem dirigitur collectori generali nec de nuntio ulla mentio est (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Heic forsan praemittendo partic. *et* (R. T.).

illarum partium, summam ducentorum millium scutorum monetae romanae non excedentium[1], in sex annos repartitum, et pro ratâ cuiuslibet anni persolvendum obtulissent, ut pecunias, pro solutione subsidii huiusmodi, mitiori, qua fieri posset, ratione et minori subditorum detrimento congerere possent, gabellam ad sexennium, a die primâ mensis ianuarii proximi praeteriti vel a die quo imposita fuerit incipiendum, duraturam, unius scilicet super qualibet librâ carnis necnon alterius quatrenorum, in partibus illis, *reis* vulgo nuncupatorum, super qualibet vini, quod publice venditur, mensurâ, *canada* vulgo nuncupatâ, per carnem et vinum ementes quoscumque solvendam, reservato praesertim quoad ecclesiasticos nostro et Sedis Apostolicae beneplacito per eumdem Philippum regem impetrando, imposuerunt, seu imponere obtulerunt, vel decreverunt.

Rex petit, licitum esse, huiusmodi vectigal etiam ab ecclesiasticis solvi.

§ 3. Quare dictus Philippus rex, considerans laicorum facultates dictorum regnorum ad praemissa non suppetere, nobis humiliter supplicari fecit, ut de opportunâ nostrâ et huius sanctae Sedis licentiâ in praemissis providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Urbanus cccc millia scutorum solvi posse etiam ab ecclesiasticis permittit.

§ 4. Nos igitur, laudabilibus dicti Philippi regis votis, quantum cum cum Domino possumus, annuere, eumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, clerumque et ecclesiasticos regnorum praedictorum Portugalliae et Algarbiorum, sub quorum dominio Indiae praedictae consistunt, pro necessariâ dictorum locorum recuperatione, ac christifidelium ibi existentium salute, catholicae religionis defensione et augmento, de patrimonio Christi, cuius causa maxime agitur, etiam eorum ratam gabellae huiusmodi pro carne et vino publice emendo solvendam libenter suppeditaturos nobis persuadentes, praedictasque necessitates omnino attendentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut tam Ulisbonensis praedictae pro dictâ summâ ducentorum millium cruciatorum huiusmodi, quam aliarum eorumdem Portugalliae et Algarbiorum regnorum civitatum, oppidorum et locorum, quorum communitates ac universitates et homines pro recuperatione et manutentione locorum Indiarum praedictarum eumdem Philippum regem aliquo etiam subsidio coadiuvare voluerint, praesidentibus, officialibus et ministris, quovis modo nuncupatis, eamdem gabellam (si quam super carne et vino publice emendis, ut praefertur, ac aliâs modo et formâ praemissis, et infra sexennium ut praefertur computandum, ad effectum praemissum dumtaxat, in aliis civitatibus, terris et locis ipsorum regnorum Portugalliae et Algarbiorum, quae tamen insimul non excedant summam aliorum ducentorum millium cruciatorum valorem, scutorum ducentorum millium monetae romanae praedictae ut praefertur constituentium, ita ut praedicta gabella, tam civitatis Ulisbonensis, quam etiam quarumcumque aliarum civitatum, terrarum et locorum Portugalliae et Algarbiorum regnorum huiusmodi, insimul et in totum summam quadringentorum millium cruciatorum seu scutorum monetae romanae non excedat[1], imponi contigerit, vel respective imposita sit) etiam a personis ecclesiasticis, tam secularibus quam regularibus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existant, etiam exemptis, et quomodolibet qualificatis, vinum et carnem, ut praefertur, publice ementibus, absque ullo conscientiae scrupulo, aut censurarum et poenarum ecclesiasticarum incursu, et durante sexennio

1 Male edit. Main. legit *excedentem*: posset etiam legi *excedens*, nempe *subsidium* (R. T.).

1 Male ut puto edit. Main. legit *excedant*, nam de gabella agitur (R. T.).

praedicto a dictâ die primâ ianuarii proxime praeteriti, seu a die quo respective imposita fuerit, computando dumtaxat, exigendi, pecuniasque inde provenientes ad effectum praemissum, et non in alios usus quoscumque, convertendi et erogandi, licentiam et facultatem auctoritate nostrâ concedas et impertiaris, et respective, quatenus iam imposita sit, confirmes et approbes.

Pro exigendo hoc vectigali, duas personas unam ab eodem Philippo, alteram a clero deputari mandat.

§ 5. Volumus autem, quod pecuniae ratione gabellarum huiusmodi exigendae penes duas personas fide et facultatibus idoneas, unam[1] scilicet ab eodem Philippo rege, seu eius ministris in eodem regno existentibus, aliam vero a dicto clero, seu a te eiusdem cleri nomine, deputandas et respective approbandas, omnino deponantur, et per easdem personas coniunctim praecedentes[2] dictis Philippi regis ministris, ad effectum illas in supradictos et non alios usus, sub infrascriptis censuris et poenis eo ipso incurrendis, consignentur;

Quae has pecunias nonnisi ad dictum effectum impendant,

§ 6. Quodque personae sic deputatae et approbatae de pecunias huiusmodi, nonnisi ad effectum eadem subsidia in praedictos et non alios usus praestandi, eisdem Philippi regis ministris numerando, ministri vero praedicti pecunias ex dictis gabellis provenientes, sibi, ut praefertur, numerandas, nonnisi in istos et non alios usus erogando (sub excommunicationis maioris, ac privationis dignitatum, officiorum et beneficiorum, etiam ecclesiasticorum, ipso facto incurrendis[3], a quibus nonnisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente specialiter, non autem vigore cruciatae, seu cuiuslibet alterius concessionis, aut privilegii ab eâdem Sede pro tempore emanati et emanandi, absolvi posse declaramus) solitum praestent in manibus tuis iuramentum.

Sub poenis hic expressis.

§ 7. Insuper etiam volumus, quod quicumque alii ministri et officiales regis, cuiuscumque conditionis, qualitatis, status et praeeminentiae, specialique notâ digni sint, easdem pecunias in toto vel in parte, in alios quam praedictos usus, sub eisdem censuris et poenis ipso facto incurrendis, convertere non possint: quodque in eventum contraventionis seu inobservantiae omnium et singulorum praemissorum, vel cuiuslibet eorum, praesens gratia nulla sit, prout illam ex nunc tenore praesentium nullam fuisse et esse, contravenientesque ad restitutionem teneri, et nonnisi factâ actuali restitutione absolvi posse, similiter declaramus ac etiam decernimus;

Si autem in alios usus convertantur, ad restitutionem teneri declarat.

§ 8. Quodque sexennio huiusmodi elapso, et interim, si praedictae summae erunt solutae seu exactae, eaedem praesentes expirent similiter eo ipso, nec, sub eisdem censuris et poenis ipso facto incurrendis, gabellae praedictae ulterius exigi, minusve super eis aliquod onus, praesertim ultra praedictum tempus duraturum, imponi umquam possit.

Finito sexennio vectigal exigi vetat,

§ 9. Per praesentes autem non intendimus impositioni aliâs per eamdem civitatem Ulisbonensem pro derivandâ aquâ factae, et per nos confirmatae, in aliquo praeiudicare.

Declaratque vectigali pro aquae derivatione imposito non praeiudicari.

§ 10. Decernentes sic et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et nuncios, quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae.

1 Male edit. Main. legit *una* (R. T.).

2 Vide, lector, annon sit legendum potius *procedentes* (R. T.).

3 Male edit. Main. legit *incurrendi;* porro addendam etiam vel supplendam vox *poenis* (R.T.).

Derogatio contrariorum.

§ 11. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac quorumvis Ordinum et Congregationum, et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, et aliâs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXXI ianuarii MDCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 31 ianuarii 1629, pontif. anno VI.

CCCXXII.

Declaratio, quod opus remotionis fluminis Rheni a loco Mirabelli, illiusque derivatio in flumen Padi, perpetuo fiat[1].

Venerabili fratri Octavio archiepiscopo Tarsensi, provinciae nostrae Romandiolae praesidi,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Refert decretum aliâs emanatum pro removendo flumine Rheni a suo cursu et illo deducendo ad flumen Padi, seu ad alium locum.

§ 1. Cum nuper, ut intolerabilibus submersionibus et inundationibus agrorum provinciae Romandiolae, civitatis Ferrariae, ac comitatus nostrorum Bononiae, necnon periculis et damnis eidem civitati Ferrariae, Polesini, S. Georgii, civitati nostrae Comaclensi, et vallibus illius imminentibus aliquod remedium opportunum adhiberemus, tibi dederimus in mandatis, quatenus flumen Rheni, quod nunc in vallem S. Martini nuncupatam influit, et, ob repletionem eiusdem vallis, omnibus supradictis damnis et periculis causam praebet, a suo cursu moderno et ordinario in territorio Bononiensi et loco Mirabelli vulgo nuncupato removeres, et per lineam rectam ad locum Bondeni, et per illum ad locum Gambaroni similiter nuncupatum, et illinc, vel unitum vel separatum cum flumine Panaro, ad flumen Padi magni, et locum la Stellata pariter nuncupatum, iuxta ipsius lineae typum tibi transmissum, seu ad alium quemcumque locum, qui tibi videretur et placeret, deducere et derivare posses et deberes, prout in litteris nostris, in simili formâ Brevis, sub die IV novembris anni proxime praeteriti expeditis, tenoris infrascripti, videlicet: Venerabili fratri Octavio archiepiscopo Tarsensi provinciae nostrae Romandiolae praesidi. Urbanus Papa VIII, venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem. Assidua de nostris et S.R.E. subditis, etc. *(Reliqua invenies in suo loco*[1]*)*;

Communitates et civitates dubitant, utrum ista remotio sit ad tempus, vel perpetua.

§ 2. Postmodum vero dilecti filii civitatis nostrae Bononiensis ac provinciae Romandiolae, et quamplures alii subditi nostri, dubitantes remotionem dicti fluminis a loco Mirabelli et derivationem[2] ad flumen Padi supradictas non fore perpetuas, sed ad tempus, et[3], ut dicitur, pro interim, propter nonnulla verba in eisdem nostris praeinsertis litteris in formâ Bre-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Vide sup. pag. 28 (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *derivatione* (R. T.).

3 Particulam *et* nos addimus (R. T.).

vis apposita, nobis exponi fecerint, quod neutiquam ipsis expedit, pro remotione et derivatione ad tempus, et pro interim, tam ingentes labores, sumptus et expensas subire, quodque suspicantur, nedum dubitatur, an praedictae remotio et derivatio futurae sint perpetuae, vel ad tempus, et excavationes, effossiones, aggeres, et alia ad huiusmodi remotionem et derivationem necessaria, ita perfecta et durabilia fiant, prout opus est et requiritur;

Quod declarari petunt.

§ 3. Et propterea nobis humiliter supplicari fecerint, quatenus opportunae declarationis nostrae ministerio desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Et ideo Urbanus remotionem istam perpetuam esse declarat.

§ 4. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, tenore praesentium declaramus nostrae voluntatis et intentionis fuisse et fore, ut flumen Rheni a dicto loco Mirabelli non ad tempus sed perpetuo amoveatur, et exinde in flumen Padi magni derivetur et introducatur, ibique derivatum et introductum perpetuis futuris temporibus remaneat et defluat, quodque excavationes, effossiones, expurgationes, aggeres, et omnia et quaecumque alia necessaria et opportuna iisdem modo et formâ fiant, ut operi derivationis et introductionis huiusmodi perpetuis futuris temporibus inserviant et inservire possint, illaque ad hunc effectum similiter perpetuo manuteneri et conservari valeant et debeant, nisi tamen nobis et pro tempore existentibus Romanis Pontificibus successoribus nostris et Sedi Apostolicae aliter visum, et ab eisdem statutum, ordinatum et provisum fuerit, libero nihilominus nobis dictisque successoribus nostris ac Sedi Apostolicae remanente arbitrio, facultate et potestate, semper et quandocumque dictum flumen Rheni a dicto Mirabelli seu alio nobis et praedictis successoribus beneviso loco amovendi, vel amotum conservandi, et per eadem loca in typo descripta vel aliorsum per loca quaecumque benevisa conducendi et derivandi, et in loco nuncupato *la Stellata*, seu alio beneviso, in Padum magnum introducendi, vel idem flumen Rheni in eamdem S. Martini vel alias valles seu Padum Ferrariensem, vel in alium quemlibet locum, pari modo benevisum, remittendi, introducendi et derivandi, itaut semper et perpetuo amotio, manutentio, derivatio et introductio dicti Rheni in et per quaecumque loca benevisa, nobis et successoribus nostris penitus et omnino arbitraria et voluntaria sit, et esse et ad libitum et voluntatem nostram fieri possint et debeant.

Obstantibus derogat.

§ 5. Non obstantibus omnibus illis, quae in eisdem praeinsertis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI februarii MDCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 16 februarii 1629, pontif. anno VI.

CCCXXIII.

Concessio indulgentiae plenariae, pro Ecclesiae necessitatibus validius ingruentibus avertendis.

Urbanus Papa VIII,

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Votis et precibus pro sanctae Ecclesiae hostium conversione, eiusdemque Ecclesiae exaltatione, et inter principes catholicos pace impetrandâ Domino in superioris anni quadragesimali ieiunio enixe precati sumus[1]. Nunc autem, periculosius adver-

1 Vel paulo ante legendum *sint* vel nunc legendum *possit* et *debeat* (R. T.).

1 Vide indictionem universalis iubilaei ab ipsomet Urbano VIII factam in Const. CCLXXXV, tom. XIII, pag. 654 (R. T.).

sitatibus imminentibus et validioribus armorum ingruentibus motibus, ad immensam eius misericordiam, publicis etiam precibus indictis, denuo confugiendum esse duximus, sperantes fore, ut exaudiat preces nostras multiplicatis intercessionibus is[1], qui dixit: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Quapropter revertamur ad illum, et hoc praesertim acceptabili tempore scindamus corda nostra, et proiiciamus a nobis praevaricationes nostras, in quibus praevaricati sumus, humiliemus illi animas nostras in ieiuniis, orationibus, eleemosynis, aliisque piis operibus, ut coniunctis poenitentium suffragiis dirigantur preces nostrae sicut incensum in conspectu suo, et quae ab ineffabili eius clementiâ petimus, tandem consequamur. Hoc autem ut fructuosius et maiori cum spiritus ardore peragatur, veteri Ecclesiae Romanae omnium matris et magistrae more, in praesentibus necessitatibus eiusdem Ecclesiae thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus, proferre et erogare decrevimus. Itaque, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, omnes et singulos utriusque sexus christifideles, tam in almâ Urbe nostrâ, quam alibi ubicumque locorum constitutos, apostolicâ auctoritate paterne requirimus, monemus et in Domino adhortamur ad infrascripta devote peragendum et adimplendum, ac ad Deum Salvatorem nostrum orandum, ut per viscera misericordiae suae fidem catholicam protegere, ab hostium conatibus et insidiis defendere, haeresim extirpare, principibus christianis pacem et veram concordiam donare, ac praecipue praesentibus Ecclesiae necessitatibus subvenire dignetur.

Praescripta hic opera peragentibus plenaria conceditur indulgentia.

§ 1. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, universis et singulis christifidelibus in almâ Urbe praedictâ degentibus, qui in unâ ex tribus hebdomadis post praesentium publicationem immediate sequentibus, ceteris vero omnibus et singulis fidelibus extra eamdem Urbem existentibus, qui primâ vel secundâ hebdomadâ postquam ad eorum notitiam hac nostrae litterae pervenerint (maiori tamen et octavae Paschatis Resurrectionis hebdomadis exceptis) quartâ et sextâ feriis necnon sabbato ieiunaverint, et, quatenus ieiunare non possint, alia pietatis opera arbitrio infrascripti confessarii fecerint, ac in uno ex diebus huiusmodi vel sequenti dominicâ vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, et ut praefertur oraverint, eleemosynamque arbitrio suo fecerint, necnon processioni a dilecto filio nostro in Urbe praedictâ vicario in spiritualibus generali in eâdem Urbe in ecclesiâ seu ecclesiis designandis, extra illam vero ab Ordinariis locorum vel eorum vicariis seu officialibus, aut de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam animarum exercent, in unâquaque cathedrali seu collegiatâ, aut, his non extantibus, parochiali vel matrice ecclesiâ viciniore agendae, in qua litaniae cum solitis precibus et orationibus, additâ tamen oratione *Deus refugium*, etc. decantandae erunt, interfuerint, seu[1] unam ex dictis ecclesiis visitaverint, et ibi ut praefertur oraverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino, pro hac vice dumtaxat, concedimus.

Extensio ad infirmos, iter facientes, carceratos, etc. sub certis modo et formâ.

§ 2. Infirmis vero, navigantibus, iter agentibus, in carcere seu servitute aut alio quocumque legitimo impedimento detentis, qui processioni huiusmodi interesse, aut dictam ecclesiam visitare nequiverint, si alia pietatis opera, sibi a confessario ex

1 Perperam edit. Main. legit *iis* (R. T.).

1 Perperam edit. Main. legit *se* (R. T.).

approbatis ab Ordinario iniungenda, adimpleverint, ac vere poenitentes et confessi, ac sacrâ communione refecti, ut praefertur oraverint; regularibus quoque personis utriusque sexus, qui processioni, quoad moniales videlicet, in suis monasteriis, quo vero ad alios regulares ad cathedralem, seu, in eius defectum, collegiatam, aut aliam ecclesiam maiorem loci respective faciendae interfuerint, ibique similiter vere poenitentes et confessi, ac sacrâ communione refecti, ut praefertur oraverint, aliaque praemissa adimpleverint, ut eamdem indulgentiam consequantur, etiam concedimus et indulgemus.

Facultas pro secularibus tam laicis quam ecclesiasticis sibi eligendi confessarium approbatum, ut eos absolvat a casibus non tamen in Bulla Coenae Domini reservatis, cum prohibitione illos habilitandi, etc.

§ 3. Ac eisdem christifidelibus, tam laicis quam ecclesiasticis secularibus, licentiam concedimus et facultatem damus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium, tam secularem, quam cuiusvis Ordinis regularem, ex approbatis a locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis causâ, non tamen iudicialiter, latis, seu inflictis, ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis sive nobis et Sedi Apostolicae reservatis, non tamen in Bullâ die Coenae Domini legi solitâ contentis, in foro conscientiae et hac vice tantum, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet propter praemissa poenitentiâ salutari, et aliis eiusdem confessarii arbitrio iniungendis, absolvere et liberare valeat, citra tamen facultatem dispensandi super aliquâ irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate, quoquomodo contractâ, seu habilitandi et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiae.

Publicatio huius bullae facienda ab Ordinariis locorum

§ 4. Idcirco tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum, eorumque vicariis et officialibus, vel, iis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ullâ morâ, retardatione vel impedimento per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, clerisque et populis sibi subiectis privatas[1] processiones et supplicationes, ut praefertur, celebrandas indicant.

Contrariorum derogatio et exemplorum fides.

§ 5. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem praesentium transumptis vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, ubique locorum et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis litteris, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 1 martii MDCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 1 martii 1629, pontif. anno VI.

CCCXXIV.

Confirmatio decreti Congregationis Rituum, quo declaratur domino cuiusdam terrae dioecesis Cephaludensis non licere iuxta chorum in ecclesiâ maiori uti throno seu sede in loco eminentiori cum gradibus et baldacchino ad instar sedis episcopalis[1].

1 Forsan *praefatas* pro *privatas* legend. (R.T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Recenset dubia episcopi Cephaludensis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater episcopus Cephaludensis, quod, habito per eum ad venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales sacris ritibus praepositos recursu, quatenus dignarentur declarare, primum, videlicet, an comiti domino terrae de Isnello, Cephaludensis dioecesis, iuxta chorum in ecclesiâ maiori uti liceat throno seu sede in loco superiori et eminenti cum gradibus et baldacchino ad instar sedis episcopalis; secundo autem, an eidem comiti competat thurificatio per presbyterum pluviale gestantem; iidem cardinales responderunt, nihil ex supradictis domino terrae competere, prout in decreto desuper emanato plenius continetur.

Responsiones ad dubia,

Episcopus desiderat auctoritate apostolicâ confirmari.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, episcopus praedictus plurimum cupiat, decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ ac inviolabili observantiâ, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri:

Quod efficit Urbanus.

§ 3. Nos, eius votis huiusmodi annuere, illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praedictum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; decretumque huiusmodi ac praesentes litteras valida, firma et efficacia esse et fore, ac ab iis, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari;

Ita iudicari deceroit.

§ 3. Et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Obstantia tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x martii MDCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 10 martii 1629, pontif. anno VI.

CCCXXV.

Facultas episcopo Naulensi a censuris absolvendi duces et gubernatores reipublicae Genuensis, quod ipsi pro munitione unius propugnaculi usi sunt glebis ad mensas Saonensem et Naulensem spectantibus, absque Sedis Apostolicae licentiâ [1].

Venerabili fratri episcopo Naulensi,
Urbanus Papa VIII.
Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Cum propter acceptionem glebarum,

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii nobiles viri dux et gubernatores

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

dux et gubernatores in censuras incurrissent,

Reipublicae Iannensis, quod ipsi in praesentibus belli motibus, ut fortalitium S. Laurentii et situm S. Stephani in Vado nuncupatum munirent, glebis absque Sedis Apostolicae auctoritate acceptis ex bonis partim ad Saonensem et partim ad Naulensem mensas episcopales spectantibus usi fuerint, censuras et poenas ecclesiasticas propterea inflictas incurrendo.

Ab illis eos Pontifex absolvit.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipsi dux et gubernatores pretium glebarum huiusmodi solvere parati existant, et propterea super illius investimento, ut infra, necnon tam sibi, quam senatoribus et aliis, qui in glebarum huiusmodi occupatione, detentione et alienatione se ingesserunt, de opportunae absolutionis beneficio per nos provideri summopere desiderent: nos, ducem et gubernatores praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt; ad effectum praesentium consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis episcoporum praepositorum consilio,

Necnon etiam omnes, qui in tali negotio se ingesserunt.

§ 3. Ducem et gubernatores praedictos, necnon senatores et alios, qui in dictâ occupatione, detentione et alienatione se ingesserunt, ut praefertur, a quibuscumque censuris et poenis ecclesiasticis per eos praemissorum occasione quomodolibet incursis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, absolvimus et totaliter liberamus, illisque poenas huiusmodi gratiose remittimus et condonamus; et insuper tibi committimus et mandamus, ut unâ cum duabus primis dignitatibus, vel, in illarum defectum, antiquioribus canonicis ecclesiae Naulensis, ad dicti pretii investimentum huiusmodi procedas.

Derogat obstantibus.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Pauli Papae II praedecessoris nostri de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiae Saonensis et Naulensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV martii MDCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 14 martii 1629, pontif. anno VI.

CCCXXVI.

Confirmatio privilegiorum religionis Hierosolymitanae circa alienationes et praescriptiones suorum bonorum [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Militantis Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, divinâ providentiâ praesidentes, inter ceteras apostolicae servitutis curas, ei cum peculiari studio invigilamus, ut militarium Ordinum ad sanctae fidei catholicae defensionem et propagationem pie salubriterque institutorum bona in eisdem Ordinibus conserventur; et propterea ea, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris hac in parte sancita et decreta sunt, ut firmiora et validiora persistant, apostolicae confirmationis robore

1 Huius religionis privilegia confirmavit Urbanus Constit. LI, *Universalis*, tom. XIII, pag. 134; qui etiam moderavit Constit. Greg. XV, de conservatoribus, Constit. XC, *Exponi*, tom. XII, pagina 766; demum confirmavit ordinationes pro electione magni magistri, Constitut. CCXCVI, *In specula*, tom. XIII, pag. 672.

communimus, aliàsque disponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Clemens VII edidit Constitutionem de hac materiâ.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Clemens Papa VII[1] praedecessor noster donationes, concessiones, locationes, investituras et alias alienationes censuum, redditum, iurium, iurisdictionum et bonorum quorumcumque ad baiulivas, prioratus, castellaniam empostae, praeceptorias, domos, hospitalia, beneficia et loca hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani pertinentium, in illorum laesionem, iacturam vel detrimentum, etiam per personas dicti hospitalis, etiam cum renunciationibus, pactis, iuramentis et poenis desuper impositis et adiectis, ac instrumentis et litteris desuper confectis, et confirmationibus forsan inde sequutis, etiam de licentiâ Sedis Apostolicae, absque tamen consensu seu expressâ licentiâ magni magistri et conventus dicti hospitalis, quacumque praescriptione seu longissimâ pacificâ possessione et detentione non obstantibus, cassavit, revocavit et annullavit ac irritavit, nulliusque roboris vel momenti fore, et pro infectis haberi decrevit, ac census, redditus, iura, iurisdictiones et bona alienata huiusmodi, ac etiam per quoscumque seculares occupata, usurpata et detenta, ad ius et proprietatem dicti hospitalis, seu illius baiulivarum, prioratuum, castellaniae empostae, praeceptoriarum, domorum, hospitalium et beneficiorum praefatorum reduxit, illaque in integrum adversus concessiones, donationes et alias quaslibet alienationes praedictas, necnon investituras illarum praetextu quomodolibet quavis auctoritate factas et concessas in integrum ac in pristinum et eum statum, in quo antea erant, restituit, reposuit et plenarie reintegravit, illorumque detentores, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentes, ad illorum relaxationem per censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia cogi et compelli posse voluit, et similes alienationes de cetero, sub excommunicationis latae sententiae et privationis beneficiorum per eos obtentorum poenis per contrafacientes eo ipso absque ullâ declaratione incurrendis, fieri prohibuit, et, si fierent, illas viribus omnino carere decrevit. Postmodum vero recolendae memoriae Pius Papa IV similiter praedecessor noster per suas sub datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae MDLX kalendis iunii[1], pontificatus sui anno I, sub plumbo expeditas litteras inter alia cassationem, revocationem, annullationem, decreta, reductionem, repositionem, restitutionem, reintegrationem, voluntatem, declarationem et prohibitionem huiusmodi motu proprio et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine approbavit, et confirmavit, et aliàs, prout in dictis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[2].

Quam confirmavit Pius Papa IV.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, propter malam nonnullorum praeceptorum seu commendatariorum dicti hospitalis administrationem, multa ipsius hospitalis bona contra illius statutorum seu stabilimentorum ac ordinationum capitularium, auctoritate apostolicâ confirmatorum, prohibitionisque huiusmodi formam usurpata et alienata reperiantur: nos, eiusdem hospitalis indemnitati, eiusque bonorum, ut praefertur, usurpatorum et alienatorum recuperationi et conservationi, quantum cum Domino possumus, providere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedictas Pii praedecessoris litteras quoad prae-

Urbanus praedictas confirmat Constitutiones.

1 Erronee prorsus ed. Main. legit *Clem. VIII*, nam deinde dicitur ipsum secutus fuisse Pius IV. Ed. Cherub. legit *Clemens VII*, cuius tamen constit. in Bullario non est (R. T.).

1 In Bullario tom. VII, pag. 55 habetur *iulii* (R.T).
2 Vide tom. VII, pag. 31.

missa emanatas, in iis tamen quae praesentibus non adversantur, approbantes, confirmantes et innovantes, omnes et quascumque alienationes censuum, redditiuum et bonorum quorumcumque ad baiulivas, prioratus, castellaniam empostae, praeceptorias, domos, hospitalia, beneficia et loca hospitalis huiusmodi pertinentium, a personis religiosis dicti hospitalis, etiam de licentiâ dictae Sedis Apostolicae, sine consensu vel licentiâ magni magistri et conventus huiusmodi, in illorum laesionem, iacturam, vel detrimentum, cum quibusvis renunciationibus, pactis, iuramentis et poenis desuper appositis, ac instrumentis et litteris desuper confectis, et confirmationibus desuper a Sede Apostolicâ subsequutis, ad personarum religiosarum hospitalis huiusmodi, non autem regum vel principum, supplicationem, neque aliàs motu proprio huiusmodi, factas, quacumque praescriptione seu longissimâ pacificâ possessione et detentione non obstante, tenore praesentium etiam cassamus, revocamus et annullamus, ac irritamus, nulliusque roboris vel momenti fore et pro infectis haberi decernimus; necnon baiulivas, prioratus, castellaniam empostae, praeceptorias, domos, hospitalia et beneficia praedicta adversus alienationes huiusmodi in integrum ac in pristinum et eum, in quo antea erant, statum restituimus, reponimus et plenarie reintegramus; bonorumque ut praefertur alienatorum detentores cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentes, ad illorum relaxationem per censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia cogi et compelli posse volumus, et similiter decernimus; litterasque Clementis et Pii praedecessorum huiusmodi, in et quoad omnia et singula praemissa, ad praesentium formam, tenorem et terminos reducimus ac restringimus; et inhilominus quascumque alienationes bonorum huiusmodi, si quas de cetero a personis religiosis praedictis, sine consensu vel approbatione magni magistri et conventus praedictorum, etiam de licentiâ per nos seu Romanos Pontifices successores nostros pro tempore existentes ad religiosorum quorumcumque, non tamen regum vel principum, supplicationem seu instantiam, nec aliàs motu proprio, quae suam habeant et sortiantur exequutionem et effectum, concedendâ, fieri contigerit[1], ex nunc prout ex tunc nullas et invalidas, nulliusque roboris vel momenti fore et esse, nullique ius tribuere; praesentes vero litteras, etiam ex eo quod quicumque in praemissis quomodolibet interesse habentes ad praemissa concedendum seu concedi videndum vocati non fuerint, aut eisdem praemissis non consenserint, ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari vel invalidari minime posse, sed illas semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari;

Clausulas apponit.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, pariter decernimus.

Deputat exequutores.

§ 4. Quocirca dilectis filiis causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, ac nostris et Apostolicae Sedis in Franciae et Hispaniarum regnis nunciis, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, seu eorum quilibet, easdem praesentes litteras et in eis contenta quae-

1 Edit. Main. legit *contigit* (R. T.).

cumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte magni magistri, priorum, baiulivorum, praeceptorum, militum et fratrum praedictorum, seu alicuius eorum, desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque firmiter observari, et singulos, quos ipsae[1] concernunt, illis pacifice frui et gaudere; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tollit. § 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, eiusdem Clementis et Pii praedecessorum litteris, necnon recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII, similiter praedecessoris nostri, de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac etiam legibus, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, contractibus et instrumentis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. § 7. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prosus ubique fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV martii MDCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 15 martii 1629, pontif. anno VI.

CCCXXVII.

Religiosi Societatis Iesu non possunt uti facultate litterarum sanctae cruciatae, nec eligere alium confessarium, quam assignatum a suis superioribus.

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Romanus Pontifex ad ea sollicitudinis suae partes intendere debet, per quae religiosorum status in pace et quiete tutius conservetur.

Indicat concessiones aliàs factas a Gregorio XIII, Clemente VIII et Gregorio XV. § 1. Sane, cum ratio doceat et experientiâ compertum sit, religionibus valde perniciosum existere, ut eorum religiosis licitum sit confessarium sibi eligere, et, licet felicis recordationis Gregorius XIII, ac Clemens VIII et Gregorius XV[1] Romani Pontifices, praedecessores nostri, per suas in formâ Brevis litteras expresse prohibuerint, ne religiosi Societatis Iesu facultatibus cruciatae sanctae uti absque superiorum suorum licentiâ valerent,

1 Male edit. Main. legit *ipse* (R. T.).

1 Perperam edit. Main. legit *Gregorii* XIII, ac *Clementis* VIII, et *Gregorii* XV (R. T.).

Assignat causas huius novae Constitutionis.

§ 2. Nihilominus, quia nonnulli existimant ex clausulis litterarum dictae cruciatae cuicumque ipsius Societatis privilegio derogari, et propterea ipsis religiosis huiusmodi facultatibus uti licitum esse, speciali ad hoc nostro et Apostolicae Sedis opportuno remedio necesse sit:

Declaratio, de qua in rubricâ.

§ 3. Nos, pro nostri pastoralis muneris debito ea, quae ipsius Societatis quieto et pacifico statui ac debitae superioribus obedientiae conservandae opportuna esse cognoscimus, salubriter providere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ meràque deliberatione nostrâ, hac de apostolicae potestatis plenitudine, ac nostrâ perpetuo valiturâ Constitutione sancimus, nulli religiosorum eiusdem Societatis licere facultatibus cruciatae huiusmodi, in quacumque mundi parte publicatae vel publicandae, quoad eligendum confessarium et obtinendam absolutionem a casibus reservatis, uti, nec eis quoad hanc[1] eligendi confessarium et obtinendam absolutionem praedictam facultatem cruciatae huiusmodi suffragari, minusque praesentes litteras sub quibuscumque eiusdem cruciatae concessionibus, extensionibus, prorogationibus et confirmationibus factis et pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi.

Clausulae.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Obstantia tolluntur.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis quoque et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate alià roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu secretarii Societatis vel notarii publici subscriptis, et sigillo eiusdem Societatis vel personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur quae iisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXXI martii MDCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 31 martii 1629, pontif. anno VI.

1 Aliquid deest, ex. gr. *partem* (R. T.).

CCCXXVIII.

Confirmatio decreti congregationis rituum super usu baldachini et assistentium et aliorum ministrorum pro abbatibus Congregationis Olivetanae Ordinis S. Benedicti[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

A sacra Congregatione rituum nuper emanavit decretum prout hic subiungitur.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Silvius Favilla de Neapoli, procurator generalis congregationis monachorum montis Oliveti, quod nuper a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sacris ritibus praepositis emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Instante patre Don Silvio Favilla de Neapoli, procuratore generali congregationis monachorum montis Oliveti, nomine abbatum eiusdem congregationis, ut, attentâ antiquissimâ consuetudine solemniter cum baldachino et assistentibus in eorum ecclesiis celebrandi, recederetur quoad eos a decretis aliàs hac de re edi-

1 Ista congregatio approbata fuit primo a Ioanne XXII ut in eius Const. XXXVI, *Cum a nobis*, tom. IV, pag. 310; sed de illa iterum vide ad Clem. VI, Const. III, *Solliciludinis*, ibidem, pag. 472.

tis in causis Firmanâ XXVIII iannuarii MDCVI, et in Neapolitanâ XVIII martii MDCXVII; sacra rituum congregatio, saepius audito eodem procuratore generali, et rationibus ab eo deductis mature consideratis, illustrissimo et reverendissimo domino cardinali Caesarino referente, censuit et declaravit, in hac parte recedendum esse a dictis sacrae congregationis decretis, et licere abbatibus Olivetanis, solemniter, in tribus tantum anni festivitatibus, celebrantibus, uti baldachino, sine auro tamen et pompâ, necnon assistentiâ unius presbyteri et duorum diaconorum ac aliorum sex, ad summum, monachorum, sacris indumentis coloris solemnitati convenientis paratorum, ultra diaconum et subdiaconum, qui in missâ cantaturi sunt evangelium et epistolam: ita ut iidem abbates nullo modo teneant sedem abbatialem fixam et permanentem prope altare, ut sedes episcopalis retineri consuevit, sed eorum sedes retineatur in ecclesiâ iis tantummodo diebus, quibus solemniter celebratur, et dicti sex monachi, ut supra parati, non in sedibus choralibus, sed super scabellis sedeant, in situ congruo iuxta ecclesiarum convenientem situm tunc appositis, panno laneo coopertis; dictis sacrae Congregationis decretis in causâ Firmanâ et Neapolitanâ editis aliàs in suo robore permansuris. Die XVII martii MDCXXIX.

Ad instantiam procuratoris generalis huius Congregationis,

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, Silvius praefatus plurimum cupiat decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ inviolabilique observatione, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri:

Approbatur.

§ 3. Nos, specialem illi gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus dicti Silvii eiusdem Congregationis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum huiusmodi, cum omnibus in eo contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae praeservativae.

§ 4. Decretum huiusmodi, necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere;

§ 5. Atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Contraria removentur.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemplis danda fides.

§ 7. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV aprilis MDCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 4 aprilis 1629, pontif. anno VI.

CCCXXIX.

Episcopus Maceratensis, absente principe Masserani, deputatur gubernator ad Sedis Apostolicae beneplacitum, cum

facultate quamcumque in eodem principatum iurisdictionem exercendi[1].

Dilecto filio Iacobo Crispo Maceratensi, Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Tuis in nos et hanc Sanctam Sedem fide et devotione[2], necnon integritate, doctrinâ et rerum gerendarum usu, aliisque laudabilibus virtutum tuarum meritis inducimur, ut te rei, quae nobis maxime cordi est, administrandae libenter praeficiamus, firmâ spe in Domino freti, te iuxta datam tibi a Domino prudentiam desiderio nostro cumulate satisfaclurum.

Franciscus Philibertus princeps Masserani ministros suos in locis sibi subiectis tuto mittere non potest.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius nobilis vir Franciscus Philibertus Ferrerius Fliscus princeps Masserani, Vercellensis dioecesis, ob dissensiones seu differentias inter eum et universitates et homines locorum dicti principatus, ab eodem principatu qui feudum sanctae Romanae Ecclesiae existit dudum absens sit, nec officiales, seu ministros suos, qui ipsius principatus regimine et gubernio intendant, tuto mittere valeat:

Episcopus Maceratensis deputatur gubernator.

§ 2. Nos, ne propterea dictus Franciscus Philibertus princeps, eiusque iurisdictio, ac universitates et homines oppidorum seu locorum sub dicto principatu comprehensorum aliqua propterea detrimenta patiantur, simulque prospero illorum regimini et gubernio, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, te dicti principatus, ac terrarum, oppidorum, castrorum, arcium et fortalitiorum, ac locorum quorumcumque, etiam speciali notâ et expressione dignorum, in et sub dicto principatu quomodolibet comprehensorum, gubernatorem cum omnibus et singulis facultatibus, auctoritate, iurisdictione, honoribus, oneribus, provisione, salariis et emolumentis solitis et consuetis, et cum facultate in marchionatu Crepacorii et aliis castris seu locis sub illo comprehensis praetorem, in illisque ac dicto principatu aliisque locis infra expressis quoscumque alios officiales et ministros, etiam speciali notâ et expressione dignos, ad tui nutum amovibiles pro iustitiâ administrandâ constituendi et deputandi, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium facimus, constituimus et deputamus; tibique per praesentes committimus et mandamus, ut quam primum fieri poterit ad principatum huiusmodi personaliter te conferas, necnon in principatu, terris, oppidis, castris, arcibus, fortalitiis et locis praedictis quamcumque iurisdictionem civilem, criminalem et mixtam nostro et Apostolicae Sedis nomine exerceas, aliaque omnia et singula, quae pro felici principatus, oppidorum, terrarum, castrorum, arcium, fortalitiorum et locorum praedictorum, earumque universitatum et hominum gubernio prosperoque regimine necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna, facias, dicas, geras et exequaris: super quibus omnibus et singulis plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et impertimur.

Atque omnibus universitatibus et locis, ut illi pareant, mandatur.

§ 3. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, necnon rebellionis, ac etiam excommunicationis latae sententiae poenis, omnibus et singulis principatus, terrarum, oppidorum, castrorum, arcium, fortalitiorum et locorum praedictorum universitatibus, hominibus et personis, praetoribus, capitaneis, castellanis, magistratibus et aliis officialibus, ut te in gubernatorem huiusmodi, iuxta tenorem praesentium, re-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Erronee ut puto edit. Main. legit *fidei et devotionis* (R. T.).

cipiant, tibique pareant, faveant et assistant, tuaque iussa, monita et mandata, eâ qua decet obedientiâ et fide, exequantur et adimpleant, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Contrariis derogatur.

§ 4. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti principatus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Gubernator nihil recipere, praeter esculenta et poculenta potest.

§ 5. Volumus autem, quod de officio gubernatoris huiusmodi recte et fideliter exercendo, ac de non recipiendo aliquod genus muneris, praeter esculenta et poculenta quae triduo consumi possint, in manibus nostri et eiusdem S. R. E. camerarii debitum praestes in formâ solitâ iuramentum.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII aprilis MDCXXIX, pontificatus nostri anno VI[1].

Dat. die 18 aprilis 1629, pontif. anno VI.

CCCXXX.

Cardinali de Richelieu absolvendi haereticos regni Franciae facultas conceditur[2].

Dilecto filio nostro Armando Ioanni, sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali de Richelieu nuncupato,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili noster,

salutem et apostolicam benedictionem.

Facultas, de qua in rubricâ.

Cum ad salutem animarum regni Franciae maxime pertinere existimemus, si circumspectioni tuae haereticos poenitentes et ad gremium sanctae Romanae Ecclesiae redeuntes recipiendi et absolvendi facultatem concedamus: nos, qui pro pastorali munere id unum procurare tenemur, ut haereticae pravitatis errores ex hominum mentibus evellantur, et, si quae oves a veritatis semitâ deviarunt, in viam salutis revocentur, necnon de singulari pietate, prudentiâ, religionis zelo, aliisque eximiis virtutibus, quibus illarum largitor Altissimus personam tuam multipliciter insignivit, plurimam in Domino fiduciam habentes, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, generalium adversus haereticam pravitatem inquisitorum a sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatorum, consilio, tibi, ut, ad decennium proximum tantum, quoscumque regni Franciae, illiusque provinciarum, et dominiorum eidem regno subiectorum, ad te recurrentes utriusque sexus, tam laicos quam clericos, et cuiusvis Ordinis regulares, haereticos, schismaticos, et a fide catholicâ apostatas atque aberrantes, non tamen Italos, aut alios apud quos viget sacrum inquisitionis officium, in iudicio delatos et condemnatos, ab haeresibus, apostasiâ et schismate, necnon[1] excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quas propter haereses et excessus huiusmodi quomodolibet incurrerunt, dummodo corde sincero et fide non fictâ haereses, schismata et errores huiusmodi coram notario et testibus, publice vel privatim prout casus exegerit ac tibi visum fuerit, detestati fuerint, anathematizaverint et abiuraverint[1], ac se in gremium sanctae Matris Ecclesiae recipi et admitti humiliter postulaverint, et praestito per eos iureiurando promiserint, quod talia deinceps

1 Hac eâdem die, litterisque eiusdem exempli, Pontifex deputavit praetorem marchionatus Crepacorii et aliorum castrorum seu locorum sub eodem marchionatu comprehensorum, quae etiam sunt feuda sanctae Romanae Ecclesiae.

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Male edit. Main. legit *nec* (R. T.).

2 Erronee, ut puto, edit. Main. habet *obiuraverint* (R. T.).

non committent, neque committentibus praestabunt auxilium, consilium vel favorem, in formâ eiusdem Romanae Ecclesiae consuetâ, in utroque foro, necnon quibusvis criminibus, excessibus et delictis, etiam in casibus Sedi Apostolicae reservatis, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, iniunctâ eis et eorum cuilibet pro modo culpae poenitentiâ salutari, et aliis iniungendis prout eorum saluti expedire cognoveris, in foro conscientiae dumtaxat, auctoritate nostrâ absolvere et liberare, eosque gremio eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae et unioni fidelium reconciliare, ceteraque in praemissis necessaria et opportuna facere, dicere, gerere et exequi libere et licite possis et valeas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facultatem et auctoritatem concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV maii MDCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 4 maii 1629, pontif. anno VI.

CCCXXXI.

Prohibitio, ne ecclesiastici, tam seculares quam regulares, Neapolitani, nec in aedibus suis, nec in ecclesiis, vel earum ambitu, lectiones legum, medicinae, vel aliarum artium liberalium ecclesiasticis prohibitarum legant[2].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium. Inter ceteras apostolicae servitutis curas, in illam iugiter incumbimus, ut publica gymnasia ad iuventutem liberalium artium disciplinis excolendam instituta feliciter dirigantur; quapropter ea quae felici eorum directioni obesse, aut impedimento esse possent, quantum in nobis est, removemus et prohibemus, in hoeque sollicitudinis nostrae partes libenter interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Prohibitio, de qua in rubrica. § 1. Cum itaque, sicut pro parte dilecti filii nobilis viri Antonii Fernandez de Toledo ducis de Alva, regni Neapolis proregis, nobis nuper expositum fuit, ipse pro felici publicorum studiorum civitatis Neapolitanae directione per nos ut infra provideri summopere desideret: nos, eiusdem Antonii ducis et proregis votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, annuere, prosperoque et felici eorumdem studiorum regimini et gubernio consulere volentes, supplicationibus dicti Antonii ducis et proregis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne in civitate Neapolitanâ ecclesiastici, tam seculares quam cuiusvis Ordinis et instituti regulares, absque Sedis Apostolicae licentiâ, in aedibus suis, nec in ecclesiis, aut in ecclesiarum ipsarum ambitu, nec in monasteriis aut domibus regularibus, legum, medicinae, vel aliarum artium liberalium, ecclesiasticis a iure prohibitarum, lectiones legant, neque per quemcumque et coram quibuscumque legi permittant, praesertim tempore, quo eaedem lectiones in publicis scholis dictae civitatis publice legentur, sub excommunicationis et aliis per modernum et pro tempore existentem nostrum et dictae Sedis nuntium in regno Neapolis pro tempore commorantem infligendis seu declarandis poenis, cui opportunam ad hoc tribuimus facultatem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

Derogatio contrariorum. § 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Praeservatio lectionum theologiae et artium liberalium ecclesiasticis permissarum.

§ 3. Per praesentes autem, lectiones sacrae theologiae, aliarumque liberalium artium ecclesiasticis permissarum, quae etiam per laicos in eisdem aedibus, seu ambitu ecclesiarum, vel in monasteriis, seu domibus regularibus, aut alibi, pro servitio etiam ecclesiasticorum, et privatim legerentur, nullatenus intendimus prohibere.

Transumptis danda fides.

§ 4. Volumusque, quod earundem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo dicti nuntii munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX maii MDCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 9 maii 1629, pontif. anno VI.

CCCXXXII.

Quod priores generales Ordinis Eremitarum S. Augustini, utentes aliquâ facultate seu concessione a Sede Apostolicâ per litteras obtentâ, in patentium litterarum expeditionibus, earum tenores de verbo ad verbum inserant; neque ullo pacto quibusdam clausulis oraculum sapientibus in huiusmodi expeditionibus posthac uti audeant[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Commissi nobis per abundantiam divinae gratiae pastoralis officii debitum postulat, ut in his, per quae regularium personarum paci et quieti consulitur, litibusque et discordiis obviam itur, eiusdem officii partes, etiam per opportunae declarationis ministerium, interponamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causae propter quas.

§ 1. Cum itaque, sicut dilecti filii priores provinciales Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini Hispaniarum et Indiarum nobis nuper exponi fecerunt, a decennio citra dilecti filii modernus et alii priores generales Ordinis praedicti, qui pro tempore fuerunt, in eorum patentibus litteris quibusdam clausulis oraculum sapientibus, nimirum *facto verbo cum Romano Pontifice, sive, auctoritate apostolicâ nobis ad hoc specialiter commissâ*, aliisque similibus, quando scilicet suarum litterarum patentium expeditionibus seu concessionibus, quin effectum sortiantur, litterae apostolicae obsistant[1], uti coeperint, ex hoc autem quamplurimae lites et discordiae ac scandala orta iam sint et in dies oriantur:

Urbanus declarat modernos et alios priores huius Ordinis non habuisse, neque habere a Romano Pontifice vivae vocis oracula.

§ 2. Nos, incovenientibus huiusmodi opportunae declarationis nostrae remedio obviam ire volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus et declaramus, modernum et alios dicti Ordinis priores generales vivae vocis oraculum a nobis et pro tempore existente Romano Pontifice nequaquam habuisse neque habere;

Atque ita ab omnibus censeri, observari et

§ 3. Sicque, et non aliter, ab omnibus censeri et observari, atque ita per quos-

1 Istius Ordinis materiam habes supra ad Constit. XXIX, *Licet*, Alexander IV, tom. III, pag. 635; alia vero quae ibi non habes tamquam posterius edita vide in ipsius Urbani VIII Constit. CXXXIV, *Romanus*, tom. XIII, pag. 320; Vivae vocis oracula omnia revocavit, praeter ea quae facta fuerunt a sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus et eorum manu firmata, Greg. XV in Const. LXV, *Romanus*, tom. XII, pag. 706.

1 Videretur legendum *obsistunt* (R. T.).

cumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, ac Sedis Apostolicae nuntios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

iudicari debere decernit.

§ 4. Inhibentes propterea in virtute sanctae obedientiae ac sub officii prioris seu vicarii generalis, vocisque activae et passivae privationis, necnon excommunicationis maioris latae sententiae ipso facto incurrendae, ac aliis arbitrii nostri poenis, ne de cetero perpetuis futuris temporibus modernus et pro tempore existens prior seu vicarius generalis dicti Ordinis praedictis vel aliis aequipollentibus clausulis in eorum patentibus litteris uti ullo modo audeant seu praesumant;

Inhibet, ne de cetero huiusmodi clausulis oraculum sapientibus utantur sub poenis ipso facto, ut hic, incurrendis.

§ 5. Sed, si eos aliquâ facultate seu concessione apostolicâ motu proprio concessâ vel ab eis iam obtentâ uti oportuerit, litteras nostras et Romani Pontificis pro tempore existentis desuper expeditas, scilicet earum tenores de verbo ad verbum, integre in suis patentibus litteris inserant; aliàs, firmis remanentibus poenis praedictis, eorum litterae patentes huiusmodi nullae sint eo ipso.

Modum utendi facultatibus ab Apostolica Sede obtentis in suarum patentium expeditionibus praescribit.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini, illiusque priori generali, et quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Contraria prohibet obstare.

§ 7. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Huius bullae exemplis credi mandat.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die xv maii MDCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 15 maii 1629, pontif. anno VI.

CCCXXXIII.

Prohibitio imposterum concedendi exemptiones officiorum (et praesertim eas quibus fratres provinciales, definitores aut visitatores vel praedicatores maiores nuncupati Ordinis Eremitarum sancti Augustini gaudent) fratribus eiusdem Ordinis, qui ea numquam exercuerunt, absque Sedis Apostolicae expressâ licentiâ [1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Inter ceteras apostolicae servitutis curas, quibus circa universalis Ecclesiae regimen assidue premimur, ea nos precipue sollicitos habet, ut personae regulares, divini numinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatae, iuxta regularia earum instituta in pacis amoenitate salubriter regantur et gubernentur; et propterea, si qua [2] earum felici gubernio obesse, aut in earum regularis disciplinae observantiâ aliquod detrimentum vergere cognoscimus, ea, quantum cum Domino

Exordium.

1 De hoc Ordine vide in Const. CXXXIV, *Romanus*, tom. XIII, pag. 320.

2 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

possumus removemus et prohibemus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut dilecti filii priores provinciales provinciarum tam Hispaniarum quam Indiarum occidentalium Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini nobis nuper exponi fecerunt, regularis disciplinae observantia in eodem Ordine a nonnullis annis citra plurimum defecerit, praesertim ab eo tempore quo eiusdem Ordinis priores generales nimiâ facilitate, et nullo habito respectu, concedunt exemptiones officiorum dicti Ordinis fratribus, qui ea numquam exercuerunt, unde infinitae confusiones et discordiae oriuntur, eo quod eaedem exemptiones fratribus, ut plurimum, minus benemeritis eas favoribus et aliis modis extorquentibus conceduntur, quandoquidem rationi consentaneum minime videatur, ut aliquis religiosus officii, quod numquam exercuit, exemptionibus gaudeat aeque ac illi qui illud exercuerunt, dilectus vero filius modernus dicti Ordinis prior generalis, ut asserunt, multis fratribus dicti Ordinis qui numquam provinciales fuerunt, ut provincialium absolutorum, aliis vero qui numquam definitores extiterunt, ut definitorum, et aliis qui numquam verbum Dei praedicarunt, ut eiusdem verbi Dei praedicatorum exemptionibus gaudeant, concessit et indulsit:

Prohibitio, de qua in rubrica.

§ 2. Nos, inconvenientibus huiusmodi, quantum cum Domino possumus, occurrere volentes, supplicationibus eorumdem provincialium nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cetero praedictus modernus et pro tempore existens dicti Ordinis prior seu vicarius generalis exemptiones officiorum ulli dicti Ordinis professori, qui ea prius non exercuerit, et praesertim eas exemptiones quibus illi, qui provinciales, definitores aut visitatores vel praedicatores maiores nuncupati fuerunt, gaudent, absque expressâ Sedis Apostolicae licentiâ concedere audeat seu praesumat, sub poenâ excommunicationis ipso facto incurrendae, ac privationis vocis activae et passivae, et suspensionis ab officio, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus; decernentes nihilominus irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tolluntur.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem priori seu vicario generali, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illarum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Huius bullae exemplis danda fides.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV maii MDCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 25 maii 1629, pontif. anno VI.

CCCXXXIV.

Facultatibus cruciatae eligendi confessarium et obtinendi absolutionem a casibus reservatis uti non possunt monachi Ordinis sancti Benedicti congregationis Portugalliae [1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex ad ea sollicitudinis suae partes intendere debet, per quae religiosorum status in pace et quiete tutius conservetur.

Monachi Congregationis Portugalliae confessarios sibi eligunt, qui a casibus reservatis eos absolvant vigore privilegiorum cruciatae.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius modernus abbas generalis monachorum Ordinis S. Benedicti congregationis Portugalliae nobis nuper exponi fecit, monachi dictae congregationis in vim facultatum cruciatae sanctae confessarios sibi eligant, qui eos a casibus reservatis absolvant, non sine gravi regularis disciplinae detrimento:

Quod effici non posse declarat Pontifex.

§ 2. Nos, pro nostro pastoralis muneris debito, ad ea quae ipsius congregationis felici regimini et gubernio ac quieto et pacifico statui esse cognoscimus opportuna intenti, supplicationibus dicti abbatis generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, nulli religiosorum dictae congregationis licere facultatibus cruciatae huiusmodi, in quacumque mundi parte publicatae vel publicandae, quoad eligendum confessarium et obtinendam absolutionem a casibus reservatis, uti, nec eis, quoad hanc [2] eligendi confessarium et obtinendum absolutionem praedictam, facultates cruciatae huiusmodi suffragari, minusque praesentes litteras sub quibuscumque eiusdem cruciatae concessionibus, extensionibus, prorogationibus et confirmationibus factis et pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi;

Clausulas apponit.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat obstantibus.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis quoque et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX maii MDCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 30 maii 1629, pontif. anno VI.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Deesse videtur *partem*, uti sup. p. 55 (R.T.).

CCCLXXXV.

Exemptio concessa Clericis Regularibus Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum a processionibus et aliis actibus publicis [1].

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Debitum pastoralis officii nobis ex alto commissi requirit, nosque ad id promptos excitat, ut regularium [2], studio piae vitae, et puerorum institutionis sedulo vacantium, ne ipsi ab illis distrahantur, quantum cum Domino possumus libenter annuamus.

1 De istorum Clericorum Regularium Congregatione notavi in Const. XLII Greg. XV, *In supremo*, tom. XII, pag. 627.

2 Videtur hic deesse aliquid e. g. *votis* (R. T.).

Causae huius exemptionis.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii ministri generalis religionis seu congregationis clericorum regularium Matris Dei Scholarum Piarum nuncupatorum petitio continebat, videlicet:

[1]Clerici, presbyteri, aliique superiores et personae dictae religionis, seu congregationis, a principio eiusdem religionis institutionis, ut, iuxta pium eorum institutum, a quibuscumque occupationibus expediti, puerorum in bonis litteris et probis moribus ac doctrinâ christianâ aliisque piis et salubribus documentis eruditioni et instructioni et animarum saluti consulere et invigilare possint, ad publicas processiones, quae in civitatibus et locis in quibus ipsa religio seu congregatio propagata est celebrantur, et ab Ordinariis locorum indicuntur, convenire minime consueverint, nihilominus ipsius religionis seu congregationis clerici, presbyteri, aliique superiores praedicti, diversis in locis, ab eorumdem locorum Ordinariis, processionibus huiusmodi, contra eorum instituta, etiam sub censuris ecclesiasticis, interesse, et eas passim comitâri cogantur, unde non solum ab eorum piis exercitiis non parum retrahuntur, sed etiam gravissima iurgia et dissensiones inter eos et aliarum religionum fratres seu monachos super praeeminentiâ oriri consueverunt; cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, eorumdem clericorum, presbyterorum, superiorum et personarum institutioni non conveniat ad similes processiones accedere, et propria eorum instituta praetermittere, ipsique, pro fugiendis scandalis quae praecedentiae huiusmodi causâ inter eos et aliarum religionum fratres seu monachos huiusmodi intercedere possent, cupiant ab interessentiâ in processionibus publicis huiusmodi, ut infra, eximi et liberari; quare pro parte eiusdem ministri generalis nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Exemptio, de qua in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, qui iustis et honestis petentium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, ipsos ministrum generalem, ac clericos, presbyteros, superiores, et religionis seu congregationis Scholarum Piarum huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ex voto Congregationis venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium Concilii Tridentini interpretum, eidem ministro generali, ac primodictae religioni, seu congregationi, illiusque clericis, presbyteris, superioribus et personis nunc et pro tempore existentibus, quod ipsi, extra Urbem videlicet ex nunc de cetero perpetuis futuris temporibus, in Urbe vero arbitrio dilecti filii nostri nunc et Romani Pontificis pro tempore existentis vicarii in dictâ Urbe in spiritualibus generalis, quibuscumque processionibus et aliis quibuslibet actibus publicis quocumque tempore de more vel consuetudine aut aliâs pro tempore faciendis et celebrandis, aut ab Ordinariis locorum quibusvis indicendis, interesse minime teneantur, nec ubique locorum per quoscumque Ordinarios huiusmodi, aliasque personas, inviti cogi aut compelli possint, auctoritate apostolicâ perpetuo concedimus et indulgemus; ipsosque desuper ab eisdem Ordinariis vel aliis personis molestari, perturbari, aut inquietari nullatenus unquam posse,

[1] Syntaxis quae sequitur, requireret particulas *Cum, licet* (R. T.).

Decretum irritans.

§ 3. Irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac synodalibus, provincialibusque editis et edendis constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis, indulti et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIX, kalendis iunii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 1 iunii 1629, pontif. anno VI.

CCCXXXVI.

Absolvit regem catholicum eiusque ministros a censuris in quas incurrerant ob exactum ante obtentum beneplacitum apostolicum ab ecclesiis et ecclesiasticis regnorum Castellae et Legionis subsidium octodecim millionum[1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi catholico, Urbanus Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum Philippus rex propter exactionem, sine Sedis Apostolicae licentia, vectigalium ab ecclesiasticis in censuras incurrisset;

§ 1. Nuper a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: *Carissimo in Christo filio nostro Philippo*, etc.[2]. Cum autem, sicut eiusdem maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, tu gabellas seu sisas praedictas super vino, aceto, oleo et carne in praedictis Castellae et Legionis regnis pro servitio sive subsidio decem et octo millionum nummorum aureorum, iuxta praeinsertarum litterarum formam et tenorem persolvendo, et per laicos subditos eorumdem regnorum Castellae et Legionis tibi oblato impositas, etiam ab ecclesiis et ecclesiasticis personis eorumdem regnorum per ministros seu officiales tuos, antequam nostra et Sedis praedictae licentia seu approbatio super praemissis accederet, per nonnullos menses exegeris vel exigi feceris, contra sacrorum canonum et generalium conciliorum necnon Bullae in die Coenae Domini legi et publicari consuetae dispositionem:

Eum absolvit Pontifex.

§ 2. Nos, maiestatis tuae ac ministrorum seu officialium tuorum praedictorum conscientiae consulere, teque ac illos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus eiusdem maiestatis tuae nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, te ac ministros seu officiales tuos praedictos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, per te ac ministros seu officiales tuos praedictos praemissorum occasione quomodolibet incursis, modis et formis infrascriptis, dictâ auctoritate apostolicâ, absolvimus et liberamus, dictasque poenas ac pecunias, ad quamcumque summam accedentes[1], ex gabellis seu sisis huiusmodi per eosdem ministros seu officiales tuos ab ecclesiasticis, ut praefertur, exactas, tibi gratiose remittimus et condonamus.

Mandatque per eum adimpleri poenitentiam a confessario imponendam.

§ 3. Volumus tamen, ut poenitentiam, quam confessarius idoneus, omnino eligendus, tibi ac ministris et officialibus praedictis propter praemissa duxerit iniungendam, adimplere omnino teneamini, aliàs praesentes nullae sint.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Non puto eas esse in *Bullario*.

1 Videtur potius legendum *ascedentes* (R. T.).

Per praesentem absolutionem non intelligitur absolutus ab aliis exactionibus indebitis.

§ 4. Non intendimus autem ex hac nostrâ absolutione et condonatione inductam censeri seu induci posse futuris temporibus aliquam etiam tacitam facultatem vel approbationem gabellarum indebite exactarum vel exigendarum per quoscumque ab ecclesiis et ecclesiasticis praedictis, nec etiam in aliquo praeinsertis litteris derogare, nec praeiudicare, minusque novennium vel summam decem et octo millionum huiusmodi ampliare, quinimo praesentes litteras, omniaque et singula in eis contenta, omnino et cum effectu observari et adimpleri, pecuniasque condonatas huiusmodi in praedictâ summâ decem et octo millionum clero excomputari debere, alioquin presentes nullas eo ipso fuisse et esse declaramus et decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus apostolicis, et in universalibus, provincialibusque et synodalibus concilis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II iunii MDCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 2 iunii 1629, pontif. anno VI.

CCCXXXVII.

Confirmatio quarumdam constitutionum in capitulo generali fratrum Discalceatorum recollectorum nuncupatorum Ordinis beatae Mariae de Mercede Redemptionis captivorum [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Sacri apostolatus ministerio per abundantiam divinae gratiae (nullis licet nobis suffragantibus meritis) praesidentes, ex iniuncti nobis muneris debito, religiosorum Ordinum quorumcumque in Ecclesiâ Dei militantium prosperum statum, felicemque directionem sinceris desiderantes affectibus, his, quae [1] propterea praesertim in eorumdem Ordinum capitulis generalibus provide sancita fuisse comperimus, ut firma perpetuo et illibata persistant, exactiusque observentur, apostolicae nostrae confirmationis robur libenter adiicimus, eiusdemque muneris partes propensis studiis impertimur, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Petitio procuratoris generalis.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Alonsus de Sanctissimo Sacramento fratrum Discalceatorum recollectorum nuncupatorum Ordinis beatae Mariae de Mercede Redemptionis captivorum procurator generalis, quod in capitulo generali eorumdem fratrum de mense maii anni proxime praeteriti MDCXXVIII celebrato, pro felici prosperoque ipsorum fratrum regimine et gubernio constitutiones editae fuerunt tenoris subsequentis, videlicet:

(Hic Summus Pontifex inserit duas distinctiones continentes capita sexaginta septem; scilicet in prima distinctione capita quadraginta, nempe: cap. I ubi *Nostri instituti ratio, religionisque nomen exponitur;* cap. II *De uniformi vitâ ab omnibus etiam superioribus observanda;* cap. III *De indispensabili perpetuitate regulae et constitutionum;* cap. IV *De officio divino;* cap. V *De horis cum cantu solemniter celebrandis;* cap. VI *De aliis ad ecclesiam et missarum celebrationem spectantibus;* cap. VII *De oratione mentali;* cap. VIII *De suffragiis mortuorum;* cap. IX *De horis fratrum obedientiae;* cap. X *De disciplinis;* cap. XI *De silentio;* cap. XII *De clausura et modo exeundi;*

1 De his fratribus vide notata ad Constitutionem CCCI (*al.* 276), *Cum sicut,* sup. pag. 6. Et separationem a Calceatis, Const. CCL (*al.* 229), *In Sede,* huius Pontificis, tom. XIII, pag. 565.

1 Perperam edit. Main. legit *hisque* (R. T.).

cap. XIII *De ieiuniis;* cap. XIV *De cibo;* cap. XV *De honesta animi recreatione post prandium;* cap. XVI *De vestitu;* cap. XVII *De praelatorum circa communem usum et epistolas providentiâ;* cap. XVIII *De infirmis;* cap. XIX *De fratribus iter agentibus;* cap. XX *De redemptione captivorum;* cap. XXI *De his, qui pro redemptione captivorum eleemosynas petunt;* cap. XXII *De redemptoribus;* cap. XXIII *De ordinibus recipiendis;* cap. XXIV *De confessionibus et confessoribus;* cap. XXV *De confessoribus monialium;* cap. XXVI *De officio concionatorum;* cap. XXVII *De levi culpa et de eius poena;* cap. XXVIII *De gravi culpâ et de poenâ ei exhibendâ:* cap. XXIX *De graviori culpâ et de poenâ ei debitâ;* cap. XXX *De gravissimâ culpâ et de poenâ ei exhibendâ;* cap. XXXI *De proprietariis;* cap. XXXII *De apostatis et fugitivis;* cap. XXXIII *De incorrigibilibus et eorum expulsione;* cap. XXXIV *De aliquibus declarationibus in poenis praedictis observandis;* cap. XXXV *De absolutione apostatae vel excommunicati;* cap. XXXVI *De recipiendis ad Ordinem;* cap. XXXVII *De modo et caeremoniis quibus habitus conferri debet;* cap. XXXVIII *De instructione novitiorum;* cap. XXXIX *De professione;* cap. XL *De tradendo habitu manentibus in seculo, et de recipiendis ad beneficia Ordinis.*

In secunda vero distinctione capita viginti septem, nempe: cap. I *De capitulo generali;* cap. II *De electoribus capituli generalis et eorum convocatione;* cap. III *De electione vicarii generalis;* cap. IV *De aliis ad electionem et capitulum spectantibus;* cap. V *De electione et officio procuratoris generalis romanae curiae et regiae;* cap. VI *De officio vicarii generalis;* cap. VII *De capitulo provinciali;* cap. VIII *De electione provincialis;* cap. IX *De vicario provinciali et eius electione;* cap. X *De primâ die capituli provincialis et de electione definitorum et procuratoris generalis provinciae;* cap. XI *De secundâ die capituli provincialis;* cap. XII *De tertiâ die capituli provincialis;* caput. XIII *De quartâ die et absolutione capituli provincialis;* cap. XIV *De officio provincialis;* cap. XV *De electionibus in communi et in particulari;* cap. XVI *De statu omnium provinciarum, et de quibusdam aliis ad totum Ordinem spectantibus;* cap. XVII *De definitoribus, eorumque officio;* cap. XVIII *De officio commendatorum;* cap. XIX *De officio vicarii conventus;* cap. XX *De capitulo conventuali;* cap. XXI *De visitatore;* cap. XXII *De ordine sedendi;* cap. XXIII *De collegiis et studentibus in eis;* cap. XXIV *De bibliothecâ, litterarumque exercitio in aliis conventibus;* cap. XXV *De possessionibus habendis et de domibus acceptandis de novo;* cap. XXVI *De bonis temporalibus;* cap. XXVII *De modo servando in petendis eleemosynis).*

Prosequitur Bulla.

Petitur a Pontifice praedictarum Constitutionum confirmatio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Alonsus plurimum cupiat praeinsertas constitutiones huiusmodi, pro firmiori illarum subsistentiâ ac inviolabili observantiâ, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri; nobis propterea, eorumdem fratrum nomine, humiliter supplicari fecit, ut desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat prout in rubrica.

§ 3. Nos igitur, qui constitutiones huiusmodi aliquibus Romanae curiae praelatis pietate, prudentiâ, doctrinâ et religionis zelo praestantibus diligenter examinandas et ubi opus foret corrigendas commisimus, fratres praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis,

censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, constitutiones praeinsertas huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti et alios quoscumque defectus, si qui in praemissis aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem constitutiones ac praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab eisdem fratribus nunc et pro tempore existentibus firmiter et inviolabiliter perpetuo observari et adimpleri; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, dictaeque sedis nuntios, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II iunii MDCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 2 iunii 1629, pontif. anno VI.

CCCXXXVIII.

Confirmatio restitutionis provinciae Saxoniae fratrum Minorum de Observantia, mediante recuperatione conventuum e manibus haereticorum, etc. [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Decretum capituli generalis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Iosephus Bergaigne Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum definitor generalis, ac super provincias Germaniae, Belgii, Hyberniae, Angliae, Scotiae et alias commissarius etiam generalis, quod aliàs, in capitulo generali eiusdem Ordinis ultimo celebrato, statutum et decretum fuit, ut postliminio provinciae Saxoniae S. Crucis nuncupata [2] dicti Ordinis restitueretur, prout restituta existit. Unde, concessâ postmodum per nos eidem Iosepho per alias nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras facultate omnes nimirum regulares domus ipsius Ordinis in partibus Germaniae existentes, et in antea per haereticos seu alios indebite occupatas, recuperandi, et exinde plurimis regularibus domibus huiusmodi recuperatis, divinâ favente clementiâ, dictus Iosephus dominicâ sextâ post Pentecostem anni proxime praeteriti MDCXXVIII praedictum capitulum provinciale ipsius provinciae S. Crucis in domo regulari montis S. Mariae prope Fuldam eiusdem Ordinis celebravit.

Iosephus Bergaigne pristina iura provinciae S. Crucis competentia petit confirmari.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Iosephus plurimum cupiat provinciam huiusmodi ad Dei gloriam sic restitutam, quo firmius subsistat, omnia pristina eius iura sibi competentia per nos apostolicâ auctoritate confirmari; ideo nobis humiliter supplicari

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Vel legendum *nuncupatae*, vel antea *provincia* loco *provinciae* (R. T.).

fecit, ut desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Cui annuit Pontifex.

§ 3. Nos igitur, prospero felicique dictae provinciae statui, quantum cum Domino possumus, consulere, dictumque Iosephum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, restitutionem praedictae provinciae ut supra factam, omniaque et singula illius iura sibi olim quomodolibet competentia, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes praesentes litteras aliaque praedicta valida, firma et efficacia existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac eidem provinciae in omnibus et per omnia plenissime suffragari; et ita per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantia tolluntur.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 6. Volumus autem, quod praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate contitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX iunii MDCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 20 iunii 1629, pontif. anno VI.

CCCXXXIX.

Facultas cardinali ab Harach, et apostolico apud imperatorem nuntio, cum eodem imperatore super bonis, decimis, primitiis, rebus, iuribus et actionibus quibuscumque, ad ecclesiasticos regni Bohemiae, non tamen ad hospitale S. Ioannis Hierosolymitani, spectantibus, conveniendi et transigendi[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Inter gravissimas, multiplicesque apostolicae servitutis curas, quibus pro nostri pastoralis officii debito iugiter angimur, illa nos praecipue sollicitos habet, ut sacrosancta fides catholica, dispersis atque conculcatis inimici hominis zizaniis, ubique gentium inviolata vigeat et propagetur, haeresesque et alii damnati errores e mentibus christifidelium, ubi peccatis hominum facientibus irrepserunt, per immensam Dei bonitatem penitus evellantur; quapropter nos, qui militantis Ecclesiae regimen, omnimodamque universi Dominici gregis a Christo Domino curam in beatissimo Petro apostolorum principe accepimus, etsi nos ad omnium salutem procurandam debitores agnoscamus, iis tamen provinciis peculiare pastoralis vigilantiae studium impendimus, quae dex- Prooemium.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

terà Domini faciente virtutem e manibus haereticorum non ita pridem ereptae opem et operam nostras magis implorare dignoscuntur, piosque catholicorum principum conatus atque desideria ad id tendentia favoribus et gratiis prosequimur opportunis.

Causae concedendae facultatis.

§ 1. Cum itaque, concitatâ retroactis temporibus in regno Bohemiae per principes et potestates tenebrarum rebellione, furentibusque, etiam armatâ haeresi, seditionibus, bellisque intestinis, multa bona et iura ecclesiastica partim direpta partim occupata et usurpata fuerint, ac ad praesens detineantur; charissimus vero in Christo filius noster Ferdinandus Romanorum rex in imperatorem electus, pro suo avito et spectato religionis ac fidei catholicae huiusmodi zelo, profligatis, auxiliante Domino Deo exercituum, rebellibus haereticis, sedatisque armorum motibus, fidei praedictae in dicto regno, et illi adiacentibus provinciis, bonorumque ecclesiasticorum restitutioni totis viribus incubuerit et eorumdem haereticorum conversioni, haeresumque praedictarum extirpationi piâ sollicitudine iugiter invigilet:

Facultas, de qua in rubricâ.

§ 2. Nos, sperantes negotium restitutionis, extirpationis et conversionis praedictarum eo faciliores progressus habiturum fore, quo maior in ecclesiasticorum bonorum et iurium possessionibus, in dictis regno et provinciis, praeteritorum temporum huiusmodi confusione, ut praefertur occupatis, usurpatis et detentis, nedum benignitas et indulgentia ab hac sanctâ Sede ostendatur, sed etiam indemnitati ecclesiarum praedictarum, quantum cum Domino possumus, consulatur; nobisque persuadentes praedictum[1] Ferdinandum Romanorum regem in imperatorem electum, ob praeclaram eius in nos et Sedem eamdem observantiam, atque in reductione regni et provinciarum huiusmodi ad eiusdem Ecclesiae gremium et verae fidei praedictae confessionem nostramque et pro tempore existentis Romani Pontificis obedientiam singulare studium, infrascriptâ facultate tamquam maternâ[1] suae pietatis exercendae usurum, eamque ostensurum, tam in ecclesiis, monasteriis et locis piis, quae adhuc extant, conservandis et manutenendis, quam dirutis et eversis in dies instaurandis, occupatisque recuperandis, hisque sufficienter dotandis, ac reliquis denique vulneribus, quae eorumdem temporum confusione ecclesiae ipsae maxima acceperunt, medendis et sanandis; de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotio propagandae in universo mundo fidei praepositorum consilio, dilecto filio nostro Ernesto Adalberto S. R. E. presbytero cardinali ab Harach nuncupato, ecclesiae Pragensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesuli, necnon venerabili fratri Ioanni Baptistae archiepiscopo Thessalonicensi, nostro et Sedis praedictae apud eumdem Ferdinandum regem in imperatorem electum nuntio, super bonis, decimis, primatiis, rebus, iuribus et actionibus quibuscumque ecclesiasticis regni Bohemiae praedicti (non tamen ad hospitale S. Ioannis Hierosolymitani quomodolibet spectantibus), cuiuscumque qualitatis, quantitatis et valoris fuerint, ac quocumque praetextu vel causâ occupata et usurpata sint ac detineantur, tam nostro et eiusdem S. Sedis quam cleri secularis et regularis eiusdem regni nominibus, cum praedicto Ferdinando Romanorum rege in imperatorem electo conveniendi, concordandi et transigendi, ac de eisdem bonis disponendi, prout ad fidei catholicae in eodem regno propagationem ac manutentionem eisdem expedire

1 Male prorsus edit. Main. leg. *praediclarum* (R. T.).

1 Syntaxis certo errata, nec facile emendabilis: posset ex. g. legi *infrascripta facultate tamquam occasione maternae*, etc. (R. T.).

visum fuerit (reservatâ tamen nobis et eidem Sedi de bonis, iuribus et redditibus vigore praesentium assignandis nostro et dictae Sedis arbitrio ad Dei servitium et ecclesiarum dicti regni utilitatem disponendi omnimodâ facultâte et potestate), plenam et liberam potestatem et auctoritatem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus nostris de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, et exprimendo valore beneficiorum, ac de non tollendo iure quaesito, aliisque cancellariae apostolicae regulis, necnon piae memoriae Simmachi, quae incipit *Non liceat*, ac Pauli II, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiae non alienandis, et quibusvis aliis apostolicis, necnon in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac quarumcumque ecclesiarum, monasteriorum et locorum piorum fundationibus, ac etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die VII iulii MDCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 7 iulii 1629, pontif. an. VI.

CCCXL.

Confirmatio decreti a sacra Rituum Congregatione editi super usu baldacchini et ministrorum ac aliarum caeremoniarum pro abbatibus congregationis Cassinensis, aliàs S. Iustinae de Padua[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Recenset decretum sacrae Congregationis rituum emanatum super pontificalibus ad favorem abbatum Congregationis Cassinensis.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Dominicus Pinellus monachorum congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti procurator generalis, quod aliàs a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus sacris ritibus praepositis emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Cum aliàs, de anno MDCVI, sub die XXVIII ianuarii, sacra rituum Congregatio, instante archiepiscopo Firmano, interdixerit priori S. Catharinae Ordinis Canonicorum Regularium in eorum ecclesiâ usum aliquarum caeremoniarum, et de anno MDCXVII, sub die XVIII martii, illud decretum ad instantiam bonae memoriae cardinalis Caraffae archiepiscopi Neapolitani extenderit ad omnes priores et abbates cuiuscumque Ordinis, etiam Cassinensis; ab hoc decreto reclamavit procurator generalis Cassinensis, et ad sacram Congregationem recursum habuit, asserens suam Congregationem indefensam fuisse; et, re mature ac diligenter discussâ, referente bonae memoriae cardinali Lancellotto, sacra Congregatio, de anno MDCXVIII sub die XII martii, censuit, quoad usum baldachini et quorumdam ministrorum in aliis decretis prohibitorum[2], recedendum esse a praedictis decretis de annis MDCVI et MDCXVII emanatis, et licere iisdem abbatibus, quando solem-

1 De hac congregatione vide notata ad Constit. II. Iulii II, *Super cathedram*, tom. V, pagina 400. Et de definitorum electione, eorumque vacatione ab officio ac dictâ auctoritate, nonnulla ordinavit istemet Pontifex sup. in Constit. CCXC (*al.* 267), *Commissi*, tom. XIII, pag. 661.

2 Forsan legendum *prohibitum* (R. T.).

niter celebrant, uti baldachino et apparatu, iuxta eorum antiquissimam consuetudinem, ita tamen, ut modeste cum debitâ convenientiâ, sine pompâ et auro, atque in tribus ad summum festivitatibus quolibet anno, utantur, prout in dictis decretis latius continetur. Nunc demum archiepiscopus Florentinus ad sacram Congregationem accedens instetit, prohiberi abbati S. Mariae eiusdem civitatis Florentinae Ordinis Cassinensis usum baldachini et dictorum ministrorum, et aliarum multarum caeremoniarum in dedecus et praeiudicium suae archiepiscopalis dignitatis vergentium; et, citato et interveniente patre domino Dominico Pinello eiusdem Congregationis Cassinensium procuratore generali, et partibus saepe ac saepius auditis, ac negotio diligenter discusso, referente illustrissimo et reverendissimo domino cardinali Pio, eadem sacra rituum Congregatio, inhaerendo dicto ultimo decreto facto de anno MDCXVIII, censuit et declaravit, licere abbatibus Cassinensibus, quando solemniter celebrant (quod in tribus ad summum festivitatibus facere eis permittitur) uti baldachino, sine auro tamen et pompâ, et aliquibus etiam ministris paratis sacris indumentis; quia vero numerus horum ministrorum in aliquibus eorum monasteriis erat valde excessivus, vetuit ac prohibuit, ne iidem abbates solemniter ut supra celebrantes alios possint habere ministros sacris indumentis paratos, quam duos diaconos et presbyterum assistentes, diaconum et subdiaconum pro cantandis evangelio et epistolà, ac sex ad summum alios, duos cum pluvialibus, duos cum planetis, et duos cum tunicellis coloris tempori convenientis; quoad reliqua vero in dictis decretis de annis MDCVI et MDCXVII emanatis contenta, sacra Congregatio eadem decreta confirmavit, et, quatenus opus sit, innovavit, inhibens omnibus abbatibus Cassinensibus, ac serio praecipiens, ut in reliquis omnibus ea ad unguem inviolabiliter observent; eorumque dispositioni addidit, ut supradicti abbates nullo modo debeant, nec possint, habere, nec tenere sedem suam abbatialem fixam et permanentem prope altare, ut sedes episcopalis retineri consuevit; minusque liceat supradictis sex monachis, paratis ut supra, sedere in sedibus choralibus, ut canonicorum secularium mos est, sed sedes pro abbate solemniter celebrante retineatur in ecclesiâ iis tantummodo tribus diebus quibus ipse abbas solemniter celebrat, dictique sex monachi parati sedere debeant loco congruo iuxta ecclesiarum convenientem situm super scabellis ad hunc effectum tunc appositis panno laneo coopertis. Die XXIX ianuarii MDCXXVIII.

Quod instantiam procuratoris generalis approbat atque confirmat.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, Dominicus praedictus plurimum cupiat praeinsertum decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et inviolabiliter observetur, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, nos eius votis huiusmodi annuere, illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum decretum huiusmodi apostolicâ auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; ac omnes et singulos tam iuris quam facti et quosvis alios defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici vel censeri possent, supplemus.

Clausulas praeservativas apponit.

§ 3. Decretumque huiusmodi, necnon praesentes litteras, cum omnibus in eis contentis, semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac eidem Congregationi illiusque abbatibus ac monachis et personis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, neque illos a quoquam quavis auctoritate super praemissis quovis modo impediri, molestari, inquietari, vel perturbari umquam posse nec debere;

Ita iudicari decernit.

§ 4. Et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Exequutores deputati.

§ 5. Quocirca dilectis filiis nostris et Apostolicae Sedis nuntiis, ac causarum curiae camerae apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte abbatum et monachorum dictae Congregationis requisiti fuerint, seu aliquis eorum requisitus fuerit, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ abbates et monachos praedictos praemissorum omnium et singulorum commodo et effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposità compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogat obstantibus.

§ 6. Non obstante felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 7. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XI iulii MDCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 11 iulii 1629, pontif. anno VI.

CCCXLI.

Unio quarumdam domorum regularium provinciarum novi regni Granatensis, seu Quitensis, in Indiis Occidentalibus, fratrum Discalceatorum Ordinis Eremitarum S. Augustini, sub gubernio fratrum Calceatorum eiusdem Ordinis existentium, fratribus Discalceatis dicti Ordinis Congregationis Hispaniarum [1].

1 De hisce fratribus vide Gregorii XV Const. L (*al.* 49), *Pastoralis*, et aliam eiusdem Constitu-

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Universalis Ecclesiae regimini, nullis licet nostris suffragantibus meritis, sed immensâ Redemptoris nostri benignitate praepositi, ex iniuncti nobis muneris debito, christifidelium sub suavi religionis iugo et strictioris observantiae regulis Altissimo famulantium votis, per quae prospero, felicique eorum statui atque progressui opportune consulitur, libenter annuimus, ac desuper eiusdem muneris partes propensis studiis interponimus, ut iidem christifideles in pacis amoenitate ac iustitiâ et sanctitate coram Domino felicioribus in dies proficere valeant incrementis.

Fratres Discalceati Ordinis eremitarum sancti Augustini provinciae novi regni Granatensis sub cura fratrum Calceatorum eiusdem Ordinis existentes plurimum cupiunt uniri Congregationi fratrum Discalceatorum Hispaniarum accedente expresso consensu prioris generalis et vicarii dictae Congregationis.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus de Resurrectione procurator generalis fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis Eremitarum S. Augustini domorum regularium beatae Mariae de Candelaria ac sanctae Crucis de la Popa in provinciâ novi regni Granatensis, necnon S. Iosephi de Panama, eiusdem seu Quitensis provinciae, in Indiis Occidentalibus, sub curâ et gubernio fratrum Calceatorum eiusdem Ordinis existentium, quod fratres praedicti, pro maiori divini cultus incremento, ac catholicae religionis propagatione, et feliciori eorum statu et directione, se et eorum domos praedictas dilectis etiam filiis fratribus Discalceatis etiam nuncupatis dicti Ordinis Congregationis Hispaniarum per nos, ut infra, uniri et incorporari plurimum desiderent, et ad hoc dilectorum filiorum prioris generalis dicti Ordinis ac vicarii dictae Congregationis expressus accedit assensus; quare nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eorum votis huiusmodi annuere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Urbanus monasteria dictae provinciae unit praedictae Congregationi ita ut unum corpus inter se absque aliquâ differentia constituant.

§ 2. Nos igitur, qui religiosorum Ordinum quorumcumque in Ecclesiâ Dei militantium pacem, felicemque statum sinceris desideramus affectibus, Franciscum et fratres primodictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, fratres Discalceatos primodictos eorumque domos praedictas fratribus Discalceatis Congregationis Hispaniarum Ordinis huiusmodi (itaut unum corpus simul unamque Congregationem sub eisdem legibus, constitutionibus et iuribus constituant, nec aliqua inter eos sit differentia;

Fratres provinciae sic unitae vicarii generalis dictae Congregationis et commissarii ad eorum gubernium deputandi obedientiae subesse debere declarat.

§ 3. Ipsique primodicti fratres Discalceati secundodictis fratribus huiusmodi sese conformare, necnon vicario generali dictae Congregationis et commissario ab eo ad domorum regularium praedictarum regimen et gubernium pro tempore deputando subesse, eisque debitam obedientiam et reverentiam in omnibus praestare debeant;

Et recursum ad priorem generalem Ordinis sancti Augustini, ac Sedem Apostolicam concedit.

§ 4. Ita tamen, ut iidem primodicti fratres conventuum Indiarum huiusmodi in eorum negotiis et causis possint libere et licite recurrere etiam per viam appellationis ad priorem generalem dicti Ordinis S. Augustini, necnon ad Sedem Apostolicam, omisso medio, non secus atque si dicta unio quoad hoc facta non fuisset),

tionem LXXVII (*al.* 75), *Ad sacram*, ibid. pag. 731. Praeter quae, scito hunc sanctissimum Pontificem Congregationem Italiae horum fratrum in quatuor provincias divisisse ut in Constitut. CIX, *Ad uberes* (*al.* 189), ut tom. XIII, pag. 479.

apostolicâ auctoritate, tenore praesentium perpetuo unimus, annectimus et incorporamus.

Eisdem privilegia omnia et indulta ipsi Congregationi competentia concedit, ac eis pariformiter uti indulget.

§ 5. Eisque primodictis fratribus et regularibus domibus, quod omnibus et singulis privilegiis, indultis, favoribus, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, concessionibus et gratiis, quibus alii praedictae Congregationis fratres eorumque domus de iure, usu, consuetudine, privilegio, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, pari modo et absque ullâ prorsus differentiâ uti, frui, potiri et gaudere libere similiter et licite possint et valeant in omnibus et per omnia, perinde ac si ab initio erectionis dictae Congregationis primodicti fratres eorumque domus regulares praedictae eidem Congregationi unitae et incorporatae fuissent, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus.

Clausulas praeservativas addit.

§ 6. Decernentes praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac primodictis fratribus in omnibus et per omnia plenissime suffragari;

Decretum irritans apponit.

§ 7. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et Sedis Apostolicae nuntios, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 8. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, contitutionibus et ordinationibus, necnon Ordinis et Congregationis, ac domorum et provinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemptis fidem mandat.

§ 9. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI iulii MDCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 16 iulii 1629, pontif. anno VI.

CCCXLII.

Episcopo Osnaburgensi facultas conceditur erigendi academiam in ipsâ civitate Osnaburgensi, cui quidem academiae ceterarum academiarum privilegia conceduntur [1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Salvatoris et Domini nostri Iesu Christi vices licet immeriti gerentes in terris, ingenti utique desiderio ducimur, et curâ propensioris sollicitudinis excitamur, ut academiae, aliaque litterarum studia, per quae tenebrosa ignorantiae caligo expellitur, scientiarum thesaurus acquiritur, veritas agnoscitur, pestifera haeresis ex-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

tirpatur, funditusque tollitur, fides catholica et divinus cultus augetur, atque ad specialis et temporalis gaudii gloriam pervenitur, laudabilibus incrementis dirigant[1] ubilibet, et propensius invalescant, in illis potissime locis et partibus, quae idonea et accomoda fere noscuntur ad multiplicanda doctrinae semina, et germina salutaria producenda.

Causae academiam erigendi.

§ 1. Sane, pro parte venerabilis fratris nostri Francisci Guglielmi episcopi Osnaburgensis et sacri Romani imperii principis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod civitas Osnaburgensis [in qua olim clarae memoriae memoriae Carolus Magnus Romanus[2] rex et imperator augustus, post fundatam et institutam in eâ, quam Saxoniae metropolim esse cupiebat, sedem episcopalem, scholas publicas, in quibus sacra theologia et liberales artes ac lingua potissimum graeca et hebraica publice docerentur, et quas quasi seminarium, e quo viri eruditi in totam Saxoniam prodirent, esse voluerat, fundaverat et instituerat, cuiusque et fundatoris mens fuerat, ut scholae huiusmodi (quae iam ab octuaginta circiter annis, iniuriâ temporum et bellorum ac pestiferae haeresis, qua tota fere dioecesis Osnaburgensis, in qua etiam parochiae supra tercentae enumerantur, infecta est, et parochis doctis destituta, aboleverunt[3]) publicae ac totius quasi Saxoniae primariae essent, prout ex ipsis historiis et antiquis illorum temporum monumentis facile colligi potest] celebris admodum et populosa, ac situ ad fluvium Hasan iucundo, atque ad studia, tum propter illius ac locorum vicinorum incolarum bonam indolem, tum[4] propter annonae et commeatus opportunitatem, aliasque commoditates, non parum commoda existit, necessariumque omnino videtur ad evellendam haeresim, formandos parochos, et ecclesias recte procurandas (eo maxime, quia in vicinis ditionibus principatibusque impiarum[1] Lutheri et Calvini sectatores publicas pravae[2] dictarum sectarum et erronei dogmatis habent scholas seu academias, nempe Hemstaduensem, Bremensem, Rentelensem, Marspurgensem, Giessensem, et forsan alias, ad quas illius dioecesis multi incolae proficiscuntur, haustumque ibi haeresum virus in civitatem et dioecesim, populumque et plebem, uti experientia docet, effundunt), quod sine solidâ philosohiae et theologiae traditione ac disciplinâ fieri nequit, ut viri eruditi ad pastoralia officia formentur.

Quam Franciscus episcopus erigi curat,

§ 2. Et propterea idem Franciscus Gulielmus episcopus, provide advertens, si[3] in ipsâ civitate, utpote ad id, ut praefertur, non parum aptâ et commodâ, pro infrascriptis facultatibus academia, ut infra, erigatur, maxima tam Ecclesiae quam universae reipublicae christianae commoda esse inde oritura, et hac viâ adolescentes ingeniosos, qui incredibili cum sumptu, parique animi et corporis periculo, in exteras regiones obligantur, esse remansuros, et ibi frequentes atque idoneos, tam ex civitate et dioecesi huiusmodi, quam aliis finitimis civitatibus, oppidis et locis, etiam haereticis, non defuturos, qui ad huiusmodi studia concurrant[4];

Et petit.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipse Franciscus Gulielmus episcopus academiam pro philosophiâ et theologiâ publicâ[5] in ipsâ civitate Osna-

1 Verbum *dirigant* non satis aptum videtur; forsan legendum *erigantur* (R. T.).

2 Forsan legendum *Romanorum* (R. T.).

3 Neutrorum more verbum *aboleo* heic adhibetur, ut notat Forcellini in h. voce h. b. (R.T.).

4 Vocula *tum* addimus (R. T.).

1 Deest aliquid, ex. g. *haeresum* (R. T.).

2 Vel lege *pravarum*, vel adde *doctrinae* (R.T).

3 Perperam edit. Main. legit *se* pro *si* (R. T.).

4 Syntaxis manet inabsoluta (R. T.)

5 Forsan legendum *publicam* nempe *academiam*, vel *publice docendis* (R. T.).

burgensi per nos ut infra erigi atque institui, aliaque infrascripta fieri atque ordinari summopere desideret; quare pro parte eiusdem Francisci Guglielmi episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ipsius civitatis Osnaburgensis decori et venustati, ac illius civium et dioecesanorum animarum saluti et commoditatibus in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Ad quod efficiendum facultates eidem conceduntur.

§ 4. Nos igitur, attendentes, quod ex litterarum studio animarum salus maxime procuratur, ipsumque Franciscum Gulielmum episcopum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, atque aedificiorum ad usum dictae academiae constructorum situationes, confines, vocabula, denominationes, qualitates et quantitates praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, in ipsâ civitate Osnaburgensi et in aedibus a collegio per eumdem Franciscum Guglielmum episcopum magno sumptu constructis unam publicam academiam, in qua a religiosis Societatis Iesu, seu aliis professoribus vel lectoribus, philosophia et theologia scholastica publice doceantur, ad instar aliarum academiarum, tam in transalpinis provinciis et regnis, quam aliàs ubilibet institutarum, ex nunc, prout postquam idem Franciscus Gulielmus episcopus sufficientem dotem pro praemissis omnibus de propriis patrimonialibus aut aliis laicalibus bonis (non autem ex redditibus beneficiorum ecclesiasticorum) vel pro illorum[1] dote aut in alios pios usus destinatis et relictis, perpetuo, valide et efficaciter ac realiter et cum effectu donaverit et assignaverit, et non aliàs, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo, sine tamen alicuius praeiudicio, erigimus et instituimus; illique sic erectae et institutae, pro eius onerum supportatione, redditus, per eumdem Franciscum Gulielmum episcopum, ut praefertur, assignandos, ex nunc, prout postquam illos assignaverit, dictâ auctoritate etiam perpetuo applicamus et appropriamus.

Et huiusmodi academiae ceterarum academiarum privilegia concedunturur.

§ 5. Et insuper eiusdem academiae rectori, magistris, doctoribus, lectoribus, praeceptoribus, scholaribus, aliisque illius ministris et officialibus ac personis, necnon membris et subditis pro tempore existentibus, quod omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, antelationibus, praerogativis, favoribus et gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibusvis aliis tam superioris quam inferioris Germaniae academiis, illarumque rectoribus, magistris, doctoribus, lectoribus, praeceptoribus, scholaribus, ac aliis ministris, officialibus et personis, illarumque membris et subditis, pro tempore etiam existentibus, in genere vel in specie, aut aliàs quomodolibet, apostolicâ vel aliâ auctoritate, aut aliàs quomodolibet concessis, seu etiam praescriptis, ac imposterum concedendis vel praescribendis, ac quibus illi et illae de iure, usu, privilegio vel consuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad instar, sed pariter et pariformiter ac aequipollenter, et sine ullâ prorsus differentiâ, etiam per viam communicationis, seu novae concessionis (dummodo tamen illa sint in usu, nec revocata, nec sub aliquâ revocatione comprehensa, sacrisque canonibus et Concilii

1 Nescio an *illorum*, aut potius *illius* nempe *academiae* legendum sit (R. T.).

Tridentini decretis minime contraria), uti, potiri et gaudere;

Doctoribus quoque concessa privilegia.

§ 6. Et praeterea, quod eiusdem academiae, vigore earumdem praesentium erectae, scholares, tam seculares quam quorumvis Ordinum et militiarum regulares, illuc undecumque advenientes, qui inibi philosophiae et theologiae studebunt, ut, eorum[1] in facultatibus huiusmodi peractis cursibus, ac aliàs servatis servandis, prout moris est, et in aliis, tam superioris quam inferioris Germaniae, studiorum generalium universitatibus observari consuevit et solet, et tam ibi studentes, quam etiam alii, qui in aliis similibus academiis et universitatibus quibuscumque catholicis studuerint et post suorum studiorum in eisdem facultatibus cursus peractos eo advenerint, inibi ad baccalaureatus, licentiaturae et magisterii gradus promoveri, et, postquam promoti fuerint, disciplinas et artes in quibus graduati fuerint, tam in praedictà, quam aliis quibuscumque academiis, seu studiorum generalium universitatibus et aliis gymnasiis quibuslibet, ac aliàs etiam ubilibet voluerint, docere, legere, interpretare, ac in dictis disputare, necnon quoscumque gradui seu gradibus per eos susceptis convenientes actus exercere;

Eidem episcopo potestas facta condendi statuta

§ 7. Postremo dicto Francisco Gulielmo episcopo, ut ipse et pro tempore existens episcopus Osnaburgensis, unâ cum rectore ipsius academiae, ut praefertur, erigendae, pro felici et prospero regimine et administratione academiae huiusmodi, illiusque rectorum, magistrorum, doctorum, lectorum et aliorum eius officialium electione, nominatione, receptione, administratione, et scholarium institutione, visitatione et correctione, quaecumque statuta, ordinationes et capitula licita et honesta, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis ac constitutionibus apostolicis non contraria[1], edere, condere et promulgare, ac pro rerum et personarum ac temporum varietate et qualitate, mutare, corrigere, reformare, ac alia de novo edere, condere et ordinare, necnon super illorum observatione poenas per contumaces et contravenientes vel infractores incurrendas imponere, libere et licite valeant, auctoritate apostolicâ et tenore praemissis indulgemus.

Clausulae.

§ 8. Demum dictas praesentes, tamquam in divini cultus et bonorum operum ac fidei orthodoxae augmentum tendentes, perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque, et non aliàs, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et Sedis Apostolicae nuncios, iudicari et definiri debere, ac, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis apostolicis, necnon in synodalibus, provincialibusque conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, ac quarumcumque aliarum universitatum studiorum generalium ac academiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque et litteris apostolicis, eisdem academiis, illarumque rectoribus, aliisque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque decretis, in ge-

1 Vox *eorum* praeter rem esse videtur; vide quaenam supplenda; forsan legendum *studiorum* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *contrarias* (R. T.).

nere vel in specie, aut aliàs quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae poenales. § 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, indulti, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIX, XI kalendas septembris, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 22 augusti 1629, pontif. anno VI.

CCCXLIII.

Taxa redditnum exigendorum pro clericis alendis in seminario Romano denuo praescripta [1].

Urbanus Papa VIII,

Urbis.

Confirmatio applicationis seu assignationis annuorum redditnum pro manutentione seu subventione seminarii in Urbe erecti.

Motu proprio, ecc.

Refert taxam factam a Pio IV. § 1. Cum, sicut nobis innotuit, pridem felicis recordationis Pius Papa IV praedecessor noster, pro perpetuâ seminarii puerorum ecclesiastici per eum in Urbe apostolicâ auctoritate erecti et instituti, necnon illius, eiusque rectoris et alumnorum, aliorumque ministrorum pro illius servitio necessariorum, sustentatione, annuam et perpetuam pecuniariam collectam seu taxam super diversorum Urbis et illius districtus monasteriorum seu aliorum regularium diversorum Ordinum locorum, necnon eiusdem Urbis basilicarum, mensarum capitularium, ac aliarum, cum curâ et sine curâ, ecclesiarum, ac beneficiorum et cappellaniarum, fructibus distincte impositam et repartitam, ac per monasteriorum seu aliorum regularium locorum huiusmodi abbates, seu alios superiores, aut perpetuos commendatarios, vel alios administratores, quavis auctoritate et dignitate etiam cardinalitiâ fungentes, necnon basilicarum et aliarum collegiatarum capitula, ceterarumque ecclesiarum cum curâ et sine curâ huiusmodi rectores, ac perpetuos beneficiatos et cappellanos, beneficia et cappellanias huiusmodi pro tempore obtinentes, annis singulis, in certis tunc forsan expressis terminis, ipsius seminarii rectori, aut eius ministris, vel procuratoribus, pro ratâ quemlibet tangente, integre solvendam, iuxta normam, seu ordinem, impositionis taxae huiusmodi desuper emanatam, tenoris sequentis, videlicet:

Nota monasteriorum, capitulorum, parochiarum, cappellarum et ecclesiarum, quae manutentioni clericorum seminarii contribuere debent.

Monasterium Criptaeferratae, scuta centum quinquaginta, Taxa.

Monasterium Farfense, scuta centum quinquaginta,

Monasterium Sublacense, scuta ducentum quinquaginta,

1 De alumnis seminariorum materiam lege in Const. XXV Clem. VIII, *Ea semper fuit*, tom. IX, pag. 573; ubi vide quid dicti alumni gerere debeant quoad pietatem, precationes, virtutes, orationem, et litterarum studium.

Monasterium S. Gregorii, scuta octuaginta quinque,
Monasterium Triumfontium, sc. ducentum,
Monasterium S. Laurentii, scuta sexaginta,
Capitulum S. Mariae Maioris, scuta centum triginta,
Capitulum S. Petri in Vaticano, scuta mille trecentum,
Capitulum S. Ioannis Lateranensis, scuta ducentum decem et octo,
Capitulum S. Laurentii in Damaso, scuta centum triginta duo,
Capitulum S. Mariae in Transtyberim, scuta sexaginta sex,
Capitulum S. Mariae Rotundae, scuta quindecim,
Capitulum S. Mariae in Viâlatâ, scuta centum septem, obolos quadraginta,
Capitulum S. Marci, scuta quindecim, obolos septuaginta quinque,
Capitulum S. Nicolai in carcere, scuta duodecim,
Capitulum S. Eustachii, scuta sexaginta tria, obolos quinquaginta,
Capitulum S. Angeli in Foropiscium, scuta viginti septem, obolos quinquaginta,
Capitulum Ss. Iuliani et Celsi, scuta triginta octo, obolos quinquaginta,
Capitulum S. Anastasiae, scuta decem,
Capitulum S. Mariae in Cosmedin, scuta triginta octo, obolos quinquaginta,
Capitulum S. Laurentii in Lucina, scuta undecim,
Parochialis ecclesia S. Mariae in Posterula, scuta quinque,
Parochialis ecclesia S. Blasii della Fossa, scuta sex,
Parochialis ecclesia S. Salvatoris delle Cupelle, scuta quinque,
Parochialis ecclesia S. Stephani in Piscinola, scuta decem,
Parochialis ecclesia S. Andreae de Funaris, scuta quatuor,
Parochialis ecclesia S. Mariae in Vallicella, scuta sex,
Parochialis ecclesia S. Salvatoris in Primicerio, scuta quinque,
Parochialis ecclesia Ss. Simonis et Iudae, scuta sex,
Parochialis ecclesia S. Nicolai in Navona, scuta septem,
Parochialis ecclesia S. Agnetis in Navona, scuta decem,
Parochialis ecclesia S. Blasii de Annulo, scuta quinque,
Parochialis ecclesia S. Salvatoris de Curtibus, scuta quinque,
Parochialis ecclesia S. Mariae in Grottapinta, scuta duodecim, obolos quinquaginta,
Parochialis ecclesia S. Simeonis, scuta quinque,
Parochialis ecclesia S. Caeciliae in Monte Iordano, scuta quatuor, obolos quinquaginta,
Parochialis ecclesia S. Thomae in Parione, scuta quatuor, obolos quinquaginta,
Parochialis ecclesia S. Ioannis in Ayna, scuta quatuor, obolos quinquaginta,
Parochialis ecclesia S. Mariae in Cacaberis, scuta quatuor,
Parochialis ecclesia S. Laurentii in Monte, scuta quatuor,
Parochialis ecclesia S. Ioannis della Pigna, scuta quinque,
Parochialis ecclesia S. Blasii ad Scalas Campitelli in Ara-Coeli, scuta quatuor, obolos quinquaginta,
Parochialis ecclesia S. Salvatoris in Pede Pontis, scuta quatuor,
Parochialis ecclesia S. Benedicti alla Regola, scuta quinque,
Parochialis ecclesia S. Sebastiani della Valle, scuta quinque,
Parochialis ecclesia S. Mariae in Publiculis, scuta quinque,
Parochialis ecclesia S. Martinelli, scuta septem,
Parochialis ecclesia S. Blasii della Tinta, scuta septem,

Parochialis ecclesia S. Leonardi in Iudaea, scuta duo,

Parochialis ecclesia S. Mariae in Campitello, scuta duo,

Parochialis ecclesia S. Martini in Forcboario, scuta septem,

Parochialis ecclesia S. Mariae de Curtis, scuta quinque,

Cappella S. Pauli in S. Maria in Campitello, scuta viginta quinque,

Cappella S. Luciae in S. Caecilia in Monte Iordano, scuta tria, obolos quinquaginta unum,

Cappella S. Andreae ad Columnam in S. Maria in Via, scuta duo, obolos vigintos quinque,

Cappella Ss. Petri et Pauli in S. Angelo in Foropiscium, scuta duo, obolos quinquaginta,

Cappella Ss. Laurentii et Antonii in S. Stephano del Cacco, scuta duo,

Monasterium monialium Turris Speculorum, scuta duo,

Cappella in S. Maria Rotunda, scuta duo,

Cappella SS. Trinitatis in S. Eustachio, scuta duo,

Cappella Ss. Patris Mutii, Coprete et Alexandri in S. Maria in Vallicella, scuta quatuor,

Cappella S. Nicolai in S. Maria in Campitello, scuta septem, obolos quinquaginta,

Cappella S. Ioannis Baptistae in S. Barbara, scuta duo,

Cappella S. Nicolai in S. Maria in Viâlatâ, scutum unum, obolos octuaginta,

Cappella S. Nicolai in Monte in S. Marco, scuta quatuor,

Cappella S. Mariae Magdalenae in S. Ioanne Lateranensi, scuta viginti quinque,

Cappella Ss. Philippi et Iacobi in S. Laurentio in Lucina, scuta septem,

Cappella S. Ioannis Baptistae et S. Luciae in S Celso, scuta quatuor,

Cappella Ss. Sergii et Bacchi in S. Hadriano, scuta quatuor,

Cappella S. Mariae Innocentii Papae VIII in S. Petro in Vaticano, scuta duodecim,

Cappellae S. Petronillae in S. Petro in Vaticano, scuta quinque,

Cappella S. Marci in S. Petro in Vaticano, scuta decem,

Cappella S. Nicolai in S. Eustachio, scuta unum, obolos quinquaginta,

Cappella S. Francisci in S. Marco, scuta unum, obolos quinquaginta,

Cappella S. Caeciliae in S. Maria de Planctu, scuta duo, obolos viginti quinque,

Cappella S. Ioannis in S. Laurentio in Lucina, scuta unum, obolos quinquaginta,

Cappella S. Mariae Magdalenae in S. Angelo in Foropiscium, scutum unum, obolos quinquaginta,

Cappella Ss. Nativitatis in S. Celso, scuta duo, obolos viginti,

Cappella S. Annae et Conceptionis B. Mariae Virginis in S. Laurentio in Damaso, scuta duo, obolos quinquaginta,

Cappella SS. Crucifixi in S. Laurentio in Damaso, scuta duo,

Cappella S. Ioannis Baptistae in S. Laurentio in Lucina, scutum unum, obolos quinquaginta,

Cappella S. Luciae in S. Laurentio in Damaso, scuta duo,

Cappellae S. Mariae Misidianae in S. Celso, scuta duo,

Cappella S. Margaritae in S. Laurentio in Damaso, scuta duo,

Ecclesia S. Ioannis in Campo, scuta decem,

Cappella B. Virginis et S. Laurentii in S. Angelo in Foropiscium, scuta tria

§ 2. (Quoad S. Petri et S. Mariae in Viâlatâ capitula in tribus solutionibus distinctis, videlicet, quoad S. Petri in qualibet Resurrectionis Dominicae pro secundâ[1] et Assumptionis beatae Mariae pro quartâ[2] Tempora solutionum.

1 Forsan legendum *primâ* pro *secundâ* ceterum tot errores in seqq. occurrunt ut difficile sit omnes emendationes necessarias apponere (R.T.).

2 Forsan *secundâ* pro *quartâ* legendum (R.T.).

et in qualibet Nativitatis Dominicae festivitatibus pro reliquorum septingentorum scutorum summis ratae collectae seu taxae huiusmodi ad idem capitulum S. Petri tangentis, et quoad capitulum S. Mariae in Vialatà huiusmodi in tribus aequalibus solutionibus, nempe in eisdem festivitatibus, ratae impositionis collectae seu taxae huiusmodi ipsum tangentis, quo vero ad monasteria, ad aliarum collegiatarum capitula, et parochialium et aliarum ecclesiarum praefatarum rectores, ac cappellanos, et cappellanias superius expressas seu alia beneficia huiusmodi pro tempore quomodolibet obtinentes, in duabus aequalibus solutionibus ratae quemlibet tangentis, pro unâ videlicet in Domini Nostri Iesu Christi et alterâ medietatibus ratae quemlibet tangentis huiusmodi in beati Ioannis Baptistae nativitatum festivitatibus, integre perpetuis futuris temporibus persolvenda) imposuerit;

Seminarii administratio et cura commissa vicario Urbis et Societatis Iesu generali, etc.

§ 3. Ipsumque seminarium sic erectum et institutum curae[1], regimini et administrationi praepositi generalis et presbyterorum Societatis Iesu, et sui ac Romani Pontificis pro tempore existentis in dictâ Urbe vicarii in spiritualibus generalis tutelae, patrocinio et protectioni commiserit;

Deputatio commissarii pro exactione taxae facta a Pio V.

§ 4. Et subinde piae memoriae Pius Papa V, similiter praedecessor noster, ipsius seminarii indemnitati consulere cupiens, et ut facilius annuae collectae et taxae huiusmodi eidem seminario pro tempore debitae facilius exigerentur, bonae memoriae Iacobo, dum vixit, tituli S. Mariae in Cosmedin presbytero cardinali Sabello nuncupato, tunc suo in Urbe et eius districtu in eisdem spiritualibus vicario, licentiam et facultatem unum vel plures commissarios ad exactionem collectae seu taxae huiusmodi et pecuniarum illius occasione tunc debitarum, et in futurum quandocumque debendarum, ab illarum debitoribus, etiam episcopis et sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, abbatibus et aliis quaruncumque ecclesiarum et monasteriorum praelatis, seu commendatariis, aut aliis administratoribus, necnon basilicarum, aliarumque collegiatarum capitulis, et aliis quibuscumque, etiam de necessitate exprimendis, cum facultatibus amplissimis ad id necessariis, deputandi motu simili concesserit, prout in diversis decretis, seu aliis scripturis desuper confectis, plenius dicitur contineri:

Confirmatio rerum omnium praedictarum ab Urbano Papae VIII.

§ 5. Nos, decretorum seu scripturarum desuper confectarum huiusmodi tenores, etiam veriores, praemissis tamen minime contrarios, ac datam[1] praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, ac huiusmodi seminarii manutentioni ac felici progressui in praemissis opportunâ ratione consulere volentes, motu simili, non ad alicuius nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac merâ deliberatione nostris, et de apostolicae potestatis plenitudine, collectam, seu taxam, vel assignationem praefatas, prout in praedictâ notâ continetur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Praedicti omnes ad solutionem taxae tenentur.

§ 6. Decernentes, omnium et singulorum monasteriorum abbates, seu commendatarios, aut alios administratores, necnon basilicarum praedictarum aliarumque ecclesiarum capitula, ac singulas ecclesias ac cappellanias praefatas nunc et pro tempore quomodolibet in titulum, commendam, aut aliàs obtinentes, quavis etiam episcopali vel cardinalitiâ aut aliâ

1 Perperam edit. Main. legit *Curiae* (R. T.).

1 Potius legendum *datas* vel *data* (R. T.).

quavis auctoritate et dignitate praefulgentes;

Pro notis etiam, suppressis, incorporatis, etc. solvendum.

§ 7. Necnon ecclesiarum, seu mensarum capitularium, aut aliorum locorum piorum quibus forsan aliqua ex monasteriis, ecclesiis, cappellaniis, seu aliis beneficiis praefatis, etiam praeviâ illorum perpetuâ suppressione et extinctione, concessa, aut etiam unita, annexa et incorporata, vel etiam eorumdem monasteriorum et mensarum capitularium fructus, in toto vel in parte, etiam per viam dismembrationis, seu aliàs, apostolicâ vel aliâ canonicâ auctoritate applicati et appropriati fuerunt, capitula, rectores, seu administratores nunc et pro tempore existentes, ad integram solutionem taxae seu collectae huiusmodi, pro ratâ eorumdem fructuum illis, ut praefertur, unitorum et incorporatorum seu aliàs applicatorum et appropriatorum, a die qua singulae uniones, annexiones et incorporationes, aliaeque applicationes suum sortitae fuerunt effectum, et aliàs iuxta formam notae impositionis taxae seu collectae huiusmodi, eiusdem seminarii rectori, seu illius agentibus, vel ministris, debitis et consuetis locis et temporibus faciendam efficaciter teneri, ac omnino obligatos esse et fore;

Facultates vicarii circa exactionem solutionum.

§ 8. Ac eos, eorumque singulos, a praefatae Urbis vicario, seu seminarii rectore, vel aliis ministris praefatis a vicario huiusmodi deputatis, omnibus et singulis iuris et facti remediis necessariis et opportunis, manu regiâ, ac sine figurâ et strepitu iudicii, etiam per fructuum huiusmodi sequestrationem, appellatione postpositâ, cogi et compelli posse, sic, etc.

Clausula *sublatâ*.

§ 9. Sicque[1], et non aliàs, per quoscumque iudices, etc., etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et Sedis Apostolicae nuncios, sublatâ, etc., iudicari et definiri debere, irritumque, etc., attentari, etc.

Decretum irritans.

§ 10. Quocirca dilecto filio moderno et pro tempore existenti nostro et Romani Pontificis etiam pro tempore existentis in Urbe eiusque districtu vicario in spiritualibus generali per apostolica scripta mandamus, quatenus ipse, si et postquam praesentes sibi praesentatae fuerint, per se, vel per alium, seu alios, easdem praesentes, et in eisdem contenta quaecumque, quandocumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte rectoris eiusdem seminarii pro tempore existentis fuerit requisitus, solemniter publicans, eisque ac eorum singulis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ praesentes et in eis contenta quaecumque per eos ad quos spectat et pro tempore spectabit firmiter observari, et per singulorum monasteriorum praefatorum abbates, seu perpetuos commendatarios, aut alios superiores, ac ecclesiarum capitula, rectores, et cappellanias praefatas pro tempore quomodolibet obtinentes, quavis auctoritate vel dignitate etiam cardinalitiâ fulgentes, omnes et singulas pecuniarum praestationes praedictas, aut illarum ratas pro tempore debitas, manu regiâ, et sub censuris et poenis sibi benevisis, integre persolvi, necnon eiusdem seminarii rectorem pro tempore existentem, eiusdem seminarii alumnos, ceterasque illius personas praesentibus pacifice frui et gaudere;

Sub censuris et poenis.

§ 11. Non permittens[1] ipsos, vel eorum quempiam, desuper per quoscumque, contra earumdem praesentium formam et tenores, indebite molestari, perturbari vel inquietari; contradictores appellatione postpositâ compescendo, ac in legitimis super

1 Habeas specimen, benigne lector, negligentiae incredibilis qua aliquando peracta fuit edit. Main. Heic ibidem legitur *sic, etc.* in fine § praeced., et deinde § 9 *Quae* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *Non permittentes*, nam de vicario generali sermo est (R. T.).

his habendis processibus censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus, servatâ formâ Concilii Tridentini, aggravando, invocato ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio.

Derogatio contrariorum.

§ 12. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis apostolicis, necnon in synodalibus, provincialibusque et universalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon singulorum monasteriorum, ac singularum ecclesiarum praefatarum, etiam iuramento etc. roboratis, statutis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis illorumque abbatibus, commendatariis, capitulis et canonicis, aliisque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis et irritantibus vel aliis decretis, in genere vel in specie, aut aliàs quomodolibet concessis; quibus omnibus, etiamsi de illis, etc., eorum tenores, etc., latissime hac vice dumtaxat specialiter et expresse motu pari derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; cum clausulis opportunis;

Fiat, Motuproprio M.

Papae subscriptio.

Clausulae facultativae.

§ 13. Et cum absolutione a censuris ad effectum, etc.; et quod singularum litterarum, seu decretorum, aliarumve scripturarum praedecessorum praedictorum tenores, praemissis tamen minime contrarii, habeantur pro expressis, vel in toto vel in parte exprimi possint, et de perpetuis approbatione, confirmatione, roboris adiectione, defectuum suppletione, decreto, derogatione, aliisque praemissis latissime extendendis;

Sola signatura sufficiat.

§ 14. Et quod pro praemissorum omnium et singulorum etiam denominatione, qualibet nuncupatione, invocatione annexorum, aliorumque necessariorum maior et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris, seu, si videbitur, sola praesentium signatura sufficiat, et ubique fidem faciat in iudicio et extra, regulâ quacumque contrariâ non obstante;

Fides adhibeatur transumptis.

§ 15. Cum decreto, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu ipsius vicarii subscriptis, et sigillo eiusdem vicarii vel personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique in iudicio et extra illud fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae;

Regulares et alii obtinentes huiusmodi beneficia unita, ad taxam illorum teneantur.

§ 16. Et cum alio decreto, quod quaecumque ecclesiae tam seculares quam cuiusvis Ordinis regulares, aut capitula, conventus vel collegia, quibus aliqua ex beneficiis sive ecclesiis in praefatâ taxâ comprehensis, praeviâ eorum suppressione, unita, seu eorum fructus, etc., etiam pro erectione canonicatuum et praebendarum vel novorum titulorum beneficiorum seu assignatione quotidianarum distributionum, applicati fuerunt, vel imposterum uniri vel applicari contigerit, ad taxae contributionem et solutionem seminario huiusmodi faciendam teneantur, et ad id per vicarium praefatum omnibus iuris et facti remediis cogi et compelli possint ed debeant.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, VI kalendas septembris MDCXXIX, anno VII.

Fiat M.

Dat. die 26 augusti 1629, pontif. anno VII.

CCCXLIV.

Suppressio monasterii S. Salvatoris maioris et prioratuum ab eo dependentium[1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Singulari diligentiâ et exactissimâ curâ, qua super gregem nobis a Domino com-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

missum assiduos nos invigilare convenit, satis comperimus, quantum ex monasteriis aliisque regularibus locis pie institutis et recte administratis in Ecclesiâ Dei splendoris atque utilitatis oriatur, quantum quoque regularis disciplinae relaxatio perfectioni evangelicae, quam Christus Dominus noster a suis ministris et domestico quasi eius obsequio adscriptis exacte requirit, adversetur, atque charitatis fervorem extenuet, virtutisque robur ac[1] studium adimat; perindeque[2] restitutioni pristinae disciplinae regularis, quando collapsa est, solertius atque vigilantius intendimus: sed ubi pertinacia durius perseverat, et regularis vita inaniter et oretenus tantum iactatur, substantialiter autem non satis observatur, certaque in melius reformationis spes iam nulla aut modica expectatur, pro potestate nobis a Domino traditâ, regulares ipsos a monasteriis et locis, ubi segnius atque ignavius otiosi torpescunt, merito removemus, novos operarios in agrum Domini destinamus, ac postremo, pro pastoralis officii nostri solliciludine, ad hoc ut adolescentium (quorum proba indoles et voluntas semper afficiat[3] eos ecclesiasticis ministeriis sedulo perpetuo inservituros) recte instituatur aetas, et a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, attentius providemus, aliàsque desuper disponimus et ordinamus, prout, rerum, personarum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Paulus V Alexandro Montalto committit reformationem monasterii sancti Salvatoris Maioris.

§ 1. Sane, cum aliàs bonae memoriae Alexander episcopus Albanensis sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Montaltus nuncupatus felicis recordationis Paulo Papae V praedecessori nostro exposuisset, quod regularis disciplinae observantia in monasterio S. Salvatoris Maioris nuncupati Ordinis sancti Benedicti, monasterio B. Mariae Farfensis eiusdem Ordinis nullius dioecesis in districtu Urbis perpetuo canonice unito (quae praefatus Alexander episcopus et cardinalis in commendam, ad sui vitam, ex concessione et dispensatione apostolicâ tunc obtinere asseruit), necnon S. Victoriae eiusdem S. Victoriae, et S. Petri de Farcis, ac eiusdem B. Mariae, aliàs S. Laurentii de Rotellis, necnon S. Angeli de Montelparo, et eiusdem S. Mariae Cillanae de Monte, novem[1] locorum seu oppidorum, similiter nullius, seu Firmanae ac Montisalti respective dioecesum[2], prioratibus conventualibus eiusdem Ordinis, a primodicto monasterio dependentibus, iam dudum collapsa erat, idem Paulus praedecessor praedicto Alexandro episcopo et cardinali dilectos filios monachos primodicti monasterii ac prioratuum huiusmodi vulgo *Berrettanti* a Bireti de Laonensi nuncupatos, vitam laxiorem et liberiorem ac a statu monachali admodum alienam tunc agentes, reformandi licentiam et facultatem concessit, eidemque Alexandro episcopo et cardinali, ut eisdem monachis, qui reformationem huiusmodi amplecti recusarent, postquam illis ex eorumdem prioratuum redditibus de congruâ sustentatione providisset, in propriis domibus, habitu tamen regulari secreto retento, sub Ordinarii loci obedientiâ degendi etiam licentiam concedere posset, indulsit.

Ac deinde Congregationi Cassinensi unit.

§ 2. Et subinde (per dictum Paulum praedecessorem accepto, quod nonnulli ex praedictis monachis reformationem ipsam subire nolentes, datâ eis in vim praedicti indulti extra monasterium S. Salvatoris et prioratus huiusmodi commorandi licentiâ, in domos suas, seu in seculum

1 Edit. Main. legit *ad* (R. T.).

2 Forsan legendum *proindeque* (R. T.).

3 Verbum *afficiat* non aptum videtur; puto legendum *spem afferat* loco *semper afficiat* (R.T.).

1 Vix aut ne vix quidem in praemissis *novem* loca numerare valeo (R. T.).

2 Edit. Main. legit *dioecesis* (R. T.).

se receperant, plures[1] vero eamdem reformationem susceperant, et, ut ex ipsâ reformatione sperati fructus percipi possent, operae[2] pretium et valde expediens fore noscebatur, ut monasterium S. Salvatoris et prioratus huiusmodi Congregationi Cassinensi aggregarentur) idem Paulus praedecessor motu suo proprio tam monasterium S. Salvatoris quam prioratus huiusmodi, cum suis respective membris, bonis, iurisdictionibus, proprietatibus, annexis, pertinentiis et dependentiis quibuscumque, dictae Congregationi, per eam, illiusque praesidentem et superiores tunc et pro tempore existentes, iuxta illius mores, consuetudines et instituta regularia, regenda, gubernanda et administranda ac reformanda (titulo tamen et denominatione abbatis monasterii Farfensis, illiusque dignitate, mensâ, aedibus abbatialibus, ac quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum collatione, iurisdictionibus, bonis, proprietatibus, fructibus, decimis, et aliis quibuscumque rebus ad mensam abbatialem Farfensem huiusmodi quomodolibet spectantibus, praefato Alexandro episcopo et cardinali ac pro tempore existenti abbati seu perpetuo commendatario monasterii Farfensis huiusmodi salvis et illaesis remanentibus, eiusdem Alexandri episcopi et cardinalis expresso ad id accedente consensu, et dummodo praefati prioratus collativi non essent, apostolicâ auctoritate, perpetuo, sub certis modo et formâ tunc expressis, aggregavit, univit, annexuit et incorporavit.

Huiusmodi unionem revocat Gregorius XV.

§ 3. Successive vero, per piae memoriae Gregorium Papam XV etiam praedecessorem nostrum similiter accepto, quod Alexander episcopus et cardinalis praefatus, qui tunc temporis Farfensis et S. Salvatoris monasteriorum huiusmodi commendae ad favorem dilecti filii Francisci Ursini clerici romani cesserat, et eorumdem monasteriorum fructuum et aliorum praedictorum reservatarius dumtaxat existebat, consensum aggregationi et aliis praefatis in dicti Francisci ac eius in Farfensi et S. Salvatoris monasteriis huiusmodi successorum damnum et praeiudicium valide[1] praestare non potuerat, atque ideo consensus huiusmodi datus omnino nullus et invalidus fuerat et erat; ipseque Franciscus, in hoc aggregationis negotio de alienatione perpetuâ atque etiam de suo proprio interesse et detrimento agi et tractari videns, illi, prout debebat, numquam facile vel expresse assentire, immo vero, quantum in se erat, refragari semper intendebat, et supradicta reformatio tantummodo in dicto monasterio S. Salvatoris, ac in uno ex prioratibus huiusmodi subsequuta, neque hoc pacto posteriores litterae suum plenarium et integrum effectum sortitae fuerant, nec monachi praefati reformationem in reliquis eorum prioratibus suscipere intendebant; propterea que, et ex aliis rationabilibus causis praedicto Gregorio praedecessori notis, suppressio, unio, annexio et aggregatio, ac desuper confectae litterae merito revocandae, ipsique monachi ad pristinum eorum statum restituendi erant: unde ipse Gregorius praedecessor, etiam motu proprio, unionem, annexionem et incorporationem praedictas, cum omnibus inde sequutis, apostolicâ auctoritate praefatâ, etiam absque ullo Congregationis Cassinensis, illiusque praesidentis, superiorum et monachorum desuper habendo et requirendo consensu, perpetuo, penitus et omnino revocavit, cassavit, irritavit, annullavit, abolevit, viribusque et effectu evacuavit, et aliàs prout in diversis Pauli et Gregorii praedecessorum praefatorum desuper confectis litteris plenius continetur[2].

1 Male edit. Main. legit *pluries* (R. T.).
2 Inepte eadem habet *opere* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *valde* pro *valide* (R. T.).
2 Non puto eas esse in *Bullario* (R. T.).

Manentibus autem iisdem causis,

§ 4. Cum autem (sicut non sine magni animi nostri displicentiâ accepimus) dilectus filius noster Franciscus S. Agathae diaconus cardinalis Barberinus nuncupatus, noster secundum carnem ex fratre germano nepos, qui ad praesens S. Salvatoris et Farfense monasteria huiusmodi in commendam ad sui vitam ex similibus concessione et dispensatione obtinet, in monasterio S. Salvatoris et (qui omnes, ut etiam accepimus, per priores triennales, iuxta decretum in synodo abbatiali de anno Domini MDCIV celebratâ, regi consueverunt seu debent) prioratibus huiusmodi regularem disciplinam in deterius prolabi, monasteria et prioratus huiusmodi maiora in dies in spiritualibus detrimenta sustinere, ac monachos et religiosos praefatos (qui numero triginta quatuor vel circa existunt, et in parum distincto[1] a presbyterorum secularium habitu incedunt, ac professionem regularem in manibus supradicti commendatarii solemniter emittere eique obedientiam praestare consueverunt) vitam longe ab eorum institutis regularibus alienam cum propriae salutis periculo traducere animadverterit; et iam nullos ad habitum regularem in monasterio S. Salvatoris et prioratibus huiusmodi de cetero recipi debite statutum fuerit; lis vero et causa inter praesidentem et superiores Cassinensis congregationis ex unâ, ac eosdem monachos, seu alios eorum litis consortes, ex alterâ partibus, super aggregatione et aliis praemissis coram certo causarum palatii apostolici auditore ab eo tempore quo dictus Franciscus Ursinus monasteria praefata in commendam obtinebat introducta reperiatur:

Urbanus regularitatem in prioratibus ab eo dependentibus supprimit.

§ 5. Nos, eosdem monachos regularis disciplinae, reformationisque parum capaces agnoscentes, ex praemissis et aliis nobis etiam plane notis causis Ordinem praedictum in monasterio S. Salvatoris ac prioratibus huiusmodi tollere et supprimere litibusque et causis huiusmodi ac earum sumptibus occurrere volentes, necnon singularium litterarum praefatarum veriores et totos tenores ac datas, necnon quarumcumque causarum et rationum in eis deductarum, et quae forsan deduci possent, ac si de verbo ad verbum insererentur, illarumque statum et merita, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium, eorumque titulos et praetensiones, cum inde sequutis quibuscumque, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, motu simili, non ad dicti Francisci cardinalis vel alterius pro eo nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, etiam de consilio venerabilium fratrum nostrorum eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum, ad quos negotium huiusmodi examinandum et discutiendum reiecimus[1], tam in monasterio S. Salvatoris et prioratibus huiusmodi ex nunc, quam in parochiali ecclesiâ eiusdem S. Salvatoris in Campo nuncupati de Urbe, quae a praedicto monasterio S. Salvatoris dependet seu illius grangia existit, ac cuius, dum pro tempore vacat, collatio, provisio et omnimoda dispositio ad praefatum commendatarium spectare dignoscitur (cum primum tamen ipsam ecclesiam S. Salvatoris per cessum vel decessum, etiam ex causâ permutationis, etiam in nostris vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium vel etiam commendatarii S. Salvatoris et Farfensis monasteriorum huiusmodi manibus factae vel faciendae, seu privationem, vel quamvis aliam dimissionem aut amissionem quamcumque illam in titulum ad praesens obtinentis, vel aliis

1 Male edit. Main. legit *distinctos* (R. T.).

1 Forsan pro *reiecimus* legend. *retulimus* (R.T).

quibusvis modis, etiam apud Sedem Apostolicam, etiam in aliquo ex mensibus nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti, Sedique huiusmodi, per quascumque constitutiones apostolicas seu cancellariae apostolicae regulas nunc et pro tempore reservatis, aut ordinariis collatoribus per constitutiones seu regulas easdem, vel litteras alternativarum, aut quaecumque privilegia et indulta hactenus concessa et in posterum concedenda, competentibus, aut aliàs quomodolibet vacare contigerit, seu si iam parochialis ecclesia S. Salvatoris huiusmodi actu vacet), eorumque membris et dependentiis quibuscumque, ac in omnibus et singulis, si qua[1] sint, beneficiis dicti Ordinis regularibus quomodolibet qualificatis, et ab ipsis monasteriis seu prioratibus dependentibus, dictum Ordinem sancti Benedicti, omnemque illius statum et essentiam ac dependentiam regulares, necnon conventualitatem quamcumque, ac omnia et singula officia claustralia, si qua[2] sint, ac ministeria et munia regularia, necnon quaecumque statuta et ordinationes, ac constitutiones et decreta eiusdem, etiam iuramento, confirmatione apostolicà, vel quavis firmitate aliâ munita (quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, eisdem praesentibus etiam pro plene et sufficienter expressis habemus), ac in eisdem prioratibus etiam titulos, etiam absque priorum monachorum ac rectoris parochialis ecclesiae S. Salvatoris huiusmodi vel quorumvis aliorum, de quorum interesse forsan quomodolibet tractatur et agitur, consensu, immo etiam ipsis et eorum singulis ac quibusvis aliis invitis et reclamantibus, et firmo remanente titulo et denominatione abbatis seu perpetui commendatarii Farfensis et S. Salvatoris monasteriorum huiusmodi, et sine aliquo eius aut mensarum abbatialium utriusque monasterii huiusmodi necnon quorumcumque fructuum illarum reservationum vel assignationum praeiudicio, dictâ auctoritate apostolicâ, earumdem tenore praesentium, etiam perpetuo supprimimus, extinguimus et abolemus.

1 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

Et ad statum secularem reducit.

§ 6. Necnon omnia et singula, si qua[1] sint, officia et beneficia dicti Ordinis regularia, qualitercumque nuncupata et qualificata, ab ipsis monasteriis seu prioratibus dependentia, ecclesiasque seu cappellas, ad secularitatem et statum secularem (ita ut parochialem S. Salvatoris ecclesiam huiusmodi ad praesens obtinens, absque aliâ novâ provisione vel possessionis adeptione desuper faciendâ, illam deinceps in titulum, quoad vixerit, retinere, et illius fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque percipere, exigere et levare, ac in suos proprios usus, et onerum ad quae de praesenti tenetur et obligatus existit supportationem, necnon parochialis ecclesiae praedictae manutentionem, ut prius, convertere libere et licite possit et valeat), auctoritate et tenore praedictis, similiter perpetuo reducimus, ac priores et monachos praefatos, qui dictum Ordinem professi fuerint, ab observantiâ disciplinae regularis dicti Ordinis absolvimus et liberamus.

Monachos iure omni privat, propriasque remittit ad domos.

§ 7. Insuper omnes et singulos monachos tam monasterii S. Salvatoris quam prioratuum huiusmodi (rectore parochialis ecclesiae praedictae dumtaxat excepto), sic seculares effectos, domibus ac locis et bonis, immobilibus, mobilibus et semoventibus, sacrâ quoque et communi suppellectili, atque illorum omnium usufructu, administratione, possessione spirituali, temporali, ac etiam iure et actione privamus; eosque deinceps ad proprias domos esse dimittendos;

1 Iterum edit. Main., ut plerumque solet, legit *quae* (R. T.).

Locorumque Ordinarius subrogat.

§ 8. Monachos vero sic dimittendos praedictos (super quorum dimissione, ut praefertur, faciendâ, eidem Francisco cardinali moderno commendatario liberam, plenam et amplam facultatem concedimus et auctoritatem) visitationi, correctioni et iurisdictioni episcopi, in cuius dioecesi ipsos pro tempore commorari contigerit, in omnibus et per omnia, ita ut per Franciscum cardinalem et pro tempore existentem commendatarium dictorum monasteriorum ad claustra nullo umquam tempore revocare possint, subiacere, ac ecclesiarum secularium servitio adscribi debere, et beneficiorum ecclesiasticorum secularium capaces fore, ac in ecclesiis secularibus deservire posse; a novitiis vero et aliis quibuscumque non professis, si qui ad praesens in monasterio S. Salvatoris et prioratibus huiusmodi reperiantur, habitum regularem tollendum et detrahendum fore et esse; nullosque de cetero ad habitum et professionem regulares itidem aliquo modo recipi et admitti debere, et, si recipiantur et admittantur, receptionem et admissionem huiusmodi, ac inde sequuta quaecumque, nullius fore et esse roboris vel momenti, decerninus ac etiam declaramus.

Nomen rectoris in ecclesia S. Salvatoris in Campo supprimit.

§ 9. Praeterea in parochiali ecclesiâ S. Salvatoris huiusmodi, ex nunc, prout postquam illam quoquo modo, ut praefertur, aut aliàs vacare contigerit, nomen et titulum ac denominationem rectoris eâdem apostolicâ auctoritate pariter et perpetuo supprimimus et extinguimus.

Prioratus in vicarias pro presbyteris secularibus erigit.

§ 10. Et tam in eâ, ex nunc, prout postquam casus vacationis illius, ut praefertur, evenerit, quam in singulis prioratibus praefatis, quibus cura parochianorum imminet animarum, etiam ex nunc, unam vicariam perpetuam, quarum omnium et singularum[1] collatio, provisio et omnimoda dispositio ad praefatum Franciscum cardinalem, et, cessantibus tamen reservationibus et affectionibus apostolicis, pro tempore existentem commendatarium dicti monasterii Farfensis spectare, et de quibus singulis, quoties illas vacare contigerit, praevio examine per examinatores in synodo abbatiali deputatos (hac primâ tamen vice, quatenus providendi approbati iam reperiantur, exceptâ) provideri debeat, pro presbyteris secularibus, futuris inibi perpetuis vicariis, qui apud ecclesias praefatas perpetuo ac[1] continuo residere, et curam animarum exercere, et sacramenta ecclesiastica illarum respective parochianis ministrare, omniaque alia et singula officia et onera parochialia eisdem ecclesiis incumbentia subire et adimplere teneantur, dictâ apostolicâ auctoritate etiam perpetuo erigimus et instituimus.

Congruam unicuique vicario assignat.

§ 11. Ac a monasteriis[2] S. Salvatoris, necnon singulis prioratibus et parochiali ecclesiâ S. Salvatoris praefatis, tot eorum proprietates et bona stabilia, ex quibus redditus et proventus annuus sexaginta scutorum monetae pro unoquoque vicario commode percipi possit, similiter tam arbitrio dicti Francisci cardinalis, quam[3] personae vel personarum per eum ad hunc effectum deputandae seu deputandarum designanda[4], perpetuo quoque dismembramus et separamus; eaque sic dismembrata et separata cuilibet ex dictis vicariis pro congruâ et competenti cuiuslibet earum dote, ac illas pro tempore obtinentium sustentatione, onerumque eis incumbentium supportatione, etiam ultra alia incerta emolumenta ex curae animarum exercitio provenientia, quae ad perpetuos vicarios spectare debeant, eisdem apostolicâ auctoritate et tenore similiter perpetuo applicamus et appropriamus; ita quod liceat

1 Edit. Main. legit *singulorum* (R. T.).

1 Coniunct. *ac* nos addimus (R. T.).
2 Potius lege *monasterio* (R. T.).
3 Edit. Main legit *aut* (R. T.).
4 Male eadem ed. habet *designandus* (R. T.).

eisdem vicariis, et cuilibet eorum, pro tempore existentibus[1] (quos praedicto Francisco cardinali, et etiam pro tempore existenti dictorum monasteriorum commendatario, eodem penitus modo quo monachi praefati ante eorum absolutionem et liberationem subiecti erant, in omnibus et per omnia subiicimus et supponimus) corporalem, realem et actualem proprietatum et bonorum dismembratorum ac separatorum huiusmodi, ac eorum vicariis respective applicatorum, possessionem, per se, vel alium, seu alios, eorum, et cuiuslibet[2] eorum, necnon vicariarum per ipsos pro tempore obtinendarum nomine, propriâ auctoritate apprehendere, et apprehensam etiam perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque pari modo percipere, exigere, levare, recuperare, locare, arrendare, ac in suos usus et utilitatem convertere, dicti commendatarii nunc et pro tempore existentis vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ.

Beneficiorum a prioratibus dependentium collationem abbati commendatario concedit.

§ 12. Collationem vero, provisionem, et omnimodam dispositionem omnium et singulorum beneficiorum ecclesiasticorum, cuiuscumque naturae existant, de quibus per priores praefatos hactenus disponi consuevit, prout etiam institutionem personarum ad beneficia iurispatronatus, tam laicorum, etiam universitatum, quam illorum et clericorum mixtim[3], et clericorum tantum, etiam collegiorum et aliorum piorum locorum, per priores dumtaxat, seu etiam priores et conventus omnium et singulorum prioratuum praefatorum fieri solitas, necnon omnimodam iurisdictionem, correctionem et visitationem monasterii monialium eiusdem Ordinis in dicto oppido seu loco S. Victoriae siti et aliàs sub curâ prioris prioratus S. Victoriae huiusmodi existentis, necnon bona ab abbatibus seu commendatariis dictorum monasteriorum in emphyteusim seu livellum quibusvis personis concessa, seu aliàs possessa, si quandocumque ex quovis capite devolvantur, aut etiam ob delictum incorporanda veniant, servatâ tamen formâ circa dictas renovationes et locationes in aliis servari solitâ, locandi seu renovandi facultatem eidem Francisco cardinali et pro tempore existenti dictorum monasteriorum commendatario, seu ab eo ad praemissa communiter vel divisim deputando, cessantibus similiter, quoad beneficiorum collationes et provisiones per dicti Francisci cardinalis in eodem monasterio Farfensi successores pro tempore faciendas, reservationibus et affectionibus apostolicis, perpetuo competere declaramus.

Velat quominus rector ecclesiae S. Salvatoris eam resignet ad favorem.

§ 13. Ceterum rectori parochialis ecclesiae S. Salvatoris huiusmodi, ne deinceps illam ad favorem cuiusvis personae resignare, seu dimittere, vel eius iura in ipsâ parochiali ecclesiâ S. Salvatoris vel ad illam quomodolibet competentia cedere audeat seu praesumat, sub nullitatis resignationis, dimissionis, vel cessionis, ac indignationis nostrae et pro tempore existentis Romani Pontificis successoris nostri, et aliis dicti Francisci cardinalis et commendatarii[1] arbitrio imponendis poenis, inhibemus, atque interdicimus.

Providet fabricae cuiusque ecclesiae, et quoddam clericorum seminarium erigi iubet.

§ 14. Ex redditibus vero et proventibus ad prioratus, necnon mensam conventualem monasterii S. Salvatoris, et, cum primum illa vacaverit, parochialem ecclesiam S. Salvatoris huiusmodi quomodolibet spectantibus, et per exactores per Franciscum cardinalem ac pro tempore existentem commendatarium monasterii beatae Mariae Farfensis huiusmodi, per quem etiam procuratores ad lites de-

1 Edit. Main. legit *existentium* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *cuilibet* (R. T.).
3 Ibid. legitur *mixtum* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *commendatario* (R. T.).

super necessarii deputari debeant, deputandos exigendis, certam, alioquin sufficientem, portionem, ab eodem Francisco cardinali et commendatario pro tempore existente taxandam, [1] pro cultu uniuscuiusque ecclesiae et fabricae conservatione, et pro adimplendis oneribus cuilibet dictarum ecclesiarum incumbentibus, et manutentione sacerdotum secularium, vel cuiusvis Ordinis regularium, in [2] monasterii S. Salvatoris, et, ubi opus fuerit, prioratuum praefatorum ecclesiis praedictis residentium, et aliorum sacerdotum huiusmodi servitio insistentium, necnon pro necessitatibus et indigentiis dictorum monasteriorum et illorum prioratuum, qui sufficientes nunc et pro tempore non habuerint redditus, detrahendam [3], prout etiam residuum, ad quamcumque summam etiam notabilem ascendens, penes sacrum Montem pietatis de dictâ Urbe, aut aliquam aedem sacram, vel personam fide et facultatibus idoneam, per eumdem Franciscum cardinalem et pro tempore existentem dicti monasterii Farfensis commendatarium, ad effectum infrascriptum, deponendum et conservandum, uni seu pluribus seminariis in loco seu locis per eumdem commendatarium semel vel pluries eius arbitrio eligendis, et pro clericis eidem Francisco cardinali et pro tempore existenti commendatario dictorum monasteriorum subiectis, et praecipue ex locis monasterii S. Salvatoris et prioratuum praefatorum oriundis, et, in eorum omnium defectum, aliis per eumdem Franciscum cardinalem et pro tempore existentem commendatarium eligendis, qui in eo seu eis alantur, et religiose educentur, et in ecclesiasticis disciplinis et humanioribus litteris instruantur, et tandem ecclesiarum ministerio adduci, atque animarum curae salubriter praefici [1] valeant, applicari pariter mandamus;

§ 15. Demum omnes et quascumque lites, causas et controversias, quae super praemissis, ut praefertur, aut aliàs quovis modo motae et agitatae reperiuntur, in statu et terminis in quibus reperiuntur, etiam si instructae et in calculo ferendae sententiae existant, seu si in eis ad aliquos actus seu aliquas decisiones, etiam ad favorem praesidentis et superiorum congregationis Cassinensis huiusmodi, aut quorumvis aliorum, deventum sit, a quibuscumque iudicibus, coram quibus de praesenti pendent, seu aliis ordinariis vel delegatis, ac quavis auctoritate, dignitate, vel excellentiâ fulgentibus, harum serie, motu, scientiâ et deliberatione ac potestatis plenitudine paribus, ad nos avocamus; illasque, sic avocatas, penitus et omnino extinguimus, necnon, tam praesidenti et superioribus congregationis Cassinensis et monachis monasterii S. Salvatoris et prioratuum huiusmodi, quam quibusvis aliis interesse in praemissis quomodolibet habentibus, vel habere praetendentibus, super praemissis omnibus et singulis perpetuum silentium imponimus; praefatisque seu quibusvis aliis iudicibus, etiam causarum dicti palatii auditoribus et cappellanis nostris, ne posthac de statu et meritis litium et causarum praedictarum, tam forsan ad instantiam praesidentis et superiorum congregationis vel monachorum monasterii S. Salvatoris et prioratuum huiusmodi, quam quorumvis aliorum, coniunctim vel divisim, introductarum [2], ac iuribus et praetensionibus eorum, nunc vel quandocumque in futurum cognoscere, minusque ipsas partes, aut alios in praemissis interesse habentes vel habere praetendentes, ad illarum pro-

Causas omnes extinguit et ad se avocat.

1 Coniunct. *et* delemus (R. T.).

2 Praepositionem *in* nos addimus (R. T.).

3 Legerem *detrahi*, nempe *mandamus*, ut seq. (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *perfici* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *introductorum* (R. T.).

sequutionem[1] (etiam praetextu cuiuscumque commissionis vel rescripti, etiam a nobis vel successoribus nostris, seu de nostro aut de eorum mandato, etiam in plenâ nostrâ seu eorumdem successorum signaturâ, etiam cum quibusvis praegnantissimis et efficacissimis clausulis et decretis obtenti vel obtinendi) dimittere, aut desuper quandocumque audire, vel aliàs in causâ et causis huiusmodi ad ulteriores actus, vel aliàs procedere quoquomodo audeant seu praesumant, districtius etiam inhibemus.

Ex huiusmodi suppressione locorum, ecclesiarum et bonorum privilegiis nihil derogatum esse declarat.

§ 16. Ceterum per suppressionem, aliaque praemissa omnia et singula, monasterio S. Salvatoris et prioratibus ac parochiali ecclesiae S. Salvatoris praedictis, eorumque personis (dimittendorum monachorum dumtaxat exceptis) ac locis et bonis in aliquo praeiudicare non intendimus; neque in monasterio S. Salvatoris[2] eorumque personis (praeterquam dimittendorum monachorum), ac omnibus tam ecclesiis monasterii[3] S. Salvatoris ac prioratuum huiusmodi, quam monasterio S. Salvatoris et prioratibus ipsis actu inservientibus, ac locis et bonis praefatis, aliquod ius locorum Ordinariis acquisitum esse, sed monasterium S. Salvatoris, et prioratus, ac parochialem ecclesiam S. Salvatoris, eorumque etiam personas, loca et bona, et omnes eisdem ecclesiis et monasterio S. Salvatoris necnon prioratibus actu inservientes (non tamen monachos, ut praefertur, dimittendos) omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, facultatibus, libertatibus, indultis et gratiis, quibus ante suppressionem et alia praemissa quomodolibet utebantur, fruebantur, potiebantur et gaudebant, ac uti, frui et gaudere potuissent, pariter et absque ullâ differentiâ uti, frui, potiri et gaudere posse et debere, similiter decernimus et declaramus.

Monachorum dimissorum sustentationi consulit.

§ 17. Necnon monachis sic dimissis ac cuilibet eorum (donec aliunde etiam ex redditibus ecclesiasticis aequivalentem sustentationem habuerint) annuum redditum quadraginta scutorum monetae pro congruâ sustentatione per oeconomos, vel sindicos, seu ministros et exactores monasterii S. Salvatoris et prioratuum huiusmodi, per eumdem Franciscum cardinalem et pro tempore existentem commendatarium deputandos, ex[1] eorumdem monasterii praefati S. Salvatoris et prioratuum huiusmodi respective per eos debentur[2] fructibus, redditibus et proventibus annis singulis in duabus solutionibus, vel, si ita expediens videbitur, quolibet mense, seu bimestri, vel trimestri[3] pro ratâ eiusdem summae (quam quilibet eorum in administratione pro usibus religiosis et necessitatibus suis, etiam absque eo quod rationem de illâ Ordinario loci, aut alteri cuicumque personae reddere teneantur, detinere valeant) persolvi mandamus, exceptis etiam eisdem monachis, cum quibus de minori portione concordatum fuerit, quos portione sic[4] concordatâ, sicut etiam alios monachos simili portione quadraginta scutorum huiusmodi, eis ut praefertur solvendâ, contentos remanere, nec quidquam aliud ultra dictam portionem praetendere posse, seu debere; et quod sacris ordinibus non initiati, ad titulum redditus annui seu portionis huiusmodi, loco patrimonii, promoveri valeant; et nihilominus Franciscus cardinalis praefatus, et pro tempore existens commendatarius, illis omnibus, seu illorum aliquibus, qui

1 Male ed. Main. legit *prosequutionum* (R. T.).
2 Puto deesse *et prioratibus praed.* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *monasteriorum* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *et* pro *ex* (R. T.).
2 Haec verba *per eos debentur* praeter rem omnino esse videntur (R. T.).
3 Edit. Main. habet *bimestre* vel *trimestre* (R. T).
4 Perperam edit. Main. legit *quos portiones, seu concordata* (R. T.).

minori quam quadraginta scutorum huiusmodi summae acquieverint[1], aliquid aliud, ipsius Francisci cardinalis et pro tempore existentis commendatarii arbitrio, concedere possint, volumus et declaramus.

Clausulas addit opportunas.

§ 18. Decernentes easdem praesentes semper et perpetuo validas et efficaces fore et esse, in omnibus et per omnia, perinde ac si praemissa in consistorio nostro secreto de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio et assensu emanassent, ac nullo umquam tempore, etiam ex eo quod causae, propter quas emanarunt, coram Ordinariis locorum, etiam tamquam a Sede Apostolicâ delegatis, aut alibi, examinatae, verificatae, iustificatae et approbatae, ac praesidens et superiores praefatae congregationis Cassinensis, sive iidem monachi, vel quicumque alii in praemissis quomodolibet interesse habentes, seu habere praetendentes, ad id vocati et auditi non fuerint, nec eisdem praemissis consenserint, seu ex quovis alio etiam enormissimae laesionis praetextu, vel quacumque aliâ legitimâ et iuridicâ causâ hîc non expressâ, aut in corpore iuris clausâ, etiam necessario et de necessitate exprimendâ, de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, annullari, retractari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus eas quodcumque iuris, gratiae, vel facti remedium impetrari, aut motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concedi posse, neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revovationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos et quoscumque Romanos Pontifices successores nostros pro tempore existentes, et Sedem praefatam, etiam in crastinum assumptionis cuiuslibet eorum ad summi apostolatus apicem, vel aliâs, etiam consistorialiter, et de eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium pro tempore existentium consilio et assensu, sub quibuscumque tenoribus et terminis, et ex quibuscumque causis, pro tempore faciendis, etiam si in desuper conficiendis litteris de toto earum tenore ac datâ specialis, specifica et expressa ac de verbo ad verbum mentio fiat, comprehendi, sed semper ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum, ac eum in quo antequam emanassent quomodolibet erant statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriori datâ per quoscumque in hoc interesse habentes eligendâ concessas, semper validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat, firmiter et inviolabiliter observari, ac etiam adimpleri, sicque, et non aliâs, per quoscumque iudices commissarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique et in quacumque instantiâ iudicari et interpretari debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores designat.

§ 19. Quocirca dilectis filiis causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, et magistro Aurelio Maraldo in utrâque signaturâ nostrâ referendario, ac vicario venerabilis fratris nostri episcopi Ripanensis in spiritualibus generali, motu

1 Male edit. Main. habet *acquieverit* (R. T.).

pari mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte Francisci cardinalis et eius in dictis monasteriis successorum, vel aliorum quorum favorem illa concernunt, fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostrâ, easdem praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, firmiter et inviolabiliter observari; ac Franciscum cardinalem, et eius in monasteriis huiusmodi successores, aliosque praefatos, illis pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione quacumque remotâ, compescendo, ac sententias, censuras et poenas ipsas, servatâ formâ Concilii Tridentini, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogat contrariis.

§ 20. Non obstantibus litis pendentiâ, aliisque praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ de iure quaesito non tollendo, ac recolendae memoriae Pauli Papae II similiter praedecessoris nostri de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque apostolicis, necnon in Lateranensi et aliis universalibus necnon provincialibus et synodalibus conciliis editis vel edendis, constitutionibus et ordinationibus, ac omnibus illis quae Paulus et Gregorius praedecessores praefati in singulis eorum litteris praefatis voluerunt non obstare, necnon Ordinis ac monasteriorum et prioratuum ac congregationis Cassinensis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ordinationibus, usibus et stabilimentis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, tam illis quam eorum superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac etiam quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu simili et consistorialiter, ac aliàs, in contrarium forsan quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis (quibus omnibus, etiamsi aliàs pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus eisdem pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse, harum serie, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus derogamus) contrariis quibuscumque, aut si quibusvis communiter aut divisim ab eâdem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet aliâ dictae Sedis indulgentiâ generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quâ, cuiusque[1] toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Transumptis credi mandat.

§ 21. Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis,

1 Edit. Main. legit *cuiuscumque* (R. T.).

etiam[1] manu alicuius notarii publici subscriptis, ac Francisci cardinalis et pro tempore existentis commendatarii dicti monasterii B. Mariae Farfensis seu alterius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Clausulae poenales. § 22. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae cuiusvis et utriusque respective suppressionis, extinctionis, abolitionis, liberationis, privationis, concessionis, subiectionis, decreti, declarationis, erectionis, institutionis, dismembrationis, separationis, applicationis, appropriationis, suppositionis, inhibitionis, interdicti, mandati, avocationis, silentii impositionis, voluntatis, sublationis et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIX, pridie idus septembris, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 12 septembris 1629, pontif. anno VII.

CCCXLV.

Erectio unius Congregationis fratrum Discalceatorum reformatorum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum in regno Franciae[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Ad militantis Ecclesiae regimen divinâ dispositione, meritis licet imparibus evecti, illud nobis prae ceteris curandum proposuimus, ut ecclesiasticorum et religiosorum Ordines quoscumque ad pristini regularis cuiuscumque eorum instituti normam, a qua non parum deflexerunt, quantum in Domino possumus, reduceremus. Ac propterea, qui suâ sponte religionis ac arctioris vitae zelo ducti pristinae regulae, quam suae religionis auctores instituerunt, observantiam cum antiquo illo rigore amplecti ac de cetero sectari consueverunt, eosdem non solum in eorum proposito confovere, sed etiam opportunis gratiis et favoribus libenter prosequi solemus.

Causae huius constitutionis. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli pii et religiosi Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum professores, regni Franciae, pie considerantes praedictum Ordinem (qui a felicis recordationis Innocentio III praedecessore nostro institutus et confirmatus fuit prout in eius litteris sub datum in Laterano, V idus februarii, pontificatus sui anno I expeditis continetur) temporum iniuriâ et hominum tepiditate a primi eius instituti regularis observantiâ deflexisse, et laxiorem vivendi modum suscepisse et adhuc retinere, ac propterea divinâ inspirante gratiâ arctioris vitae zelo ducti primum dicti Ordinis regulare institutum imitari cupientes, postpositis quibuscumque corporis commoditatibus, dummodo Christum lucrifacerent, pristinam ipsius Ordinis regulam, a praedicto Innocentio praedecessore institutam, cum pristino illo rigore observare coeperint, et nonnullas eiusdem Ordinis domos ad huiusmodi primitivam regulam reduxerint, videlicet, S. Dionysii de Urbe, S. Laurentii Aquensis, et Sanctissimae Trinitatis Nannetensis, et seu de novo instituere sperent, ac alii quamplures eorum vestigia sectantes sub eâdem primitivae regulae observantiâ Altissimo famulari desiderent:

1 Vox *etiam* redundat (R. T.).

2 Hanc desumimus insertam in alterâ Urbani VIII constitutione, quam ed. Main. habet infra sub datum 28 februarii 1631 (R. T.).

§ 2. Nos, qui pro nostri pastoralis officii debito religiosorum quorumcumque statui prospere dirigendo libenter intendimus, pium dictorum religiosorum propositum summopere in Domino commendantes, ac eorum laudabilia principia felicioribus progressibus, quantum cum Domino poterimus, augere cupientes, et eorum quemlibet a quibuslibet excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ex venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super episcoporum et regularium negotiis et consultationibus deputatorum, quibus hoc negotium examinandum et nobis referendum commisimus, sententiâ,

Concedit prout in rubricâ.

§ 3. Motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, unam provinciam seu congregationem fratrum Reformatorum et Discalceatorum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum nuncupandam, qui primitivam regulam Ordinis praedicti perpetuo observent, habitu quem modo gestant utentes, in regno Franciae, per unum priorem provincialem in capitulo dictae provinciae seu congregationis, postquam, ut in Domino speramus, eorumdem religiosorum Reformatorum numerus auctus fuerit, canonice pro tempore celebrando, ex eisdem Reformatis et Discalceatis eligendum, regendam et gubernandam, in perpetuum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, erigimus et instituimus, eamque sic erectam et institutam ab aliis provinciis et congregationibus dicti Ordinis perpetuo seiungimus, separamus et dismembramus, ipsosque fratres Reformatos, et eorum domos et monasteria, tam hactenus erecta, quam in posterum erigenda, ab omni et quacumque iurisdictione, visitatione et superioritate, tam commissarii generalis, quam aliorum ministrorum provincialium aut localium, et aliorum quorumcumque superiorum eiusdem Ordinis, super dictis Reformatis et eorum domibus eis competente (excepto ministro generali, ut infra dicitur) perpetuo eximimus et liberamus.

Subiicit provinciam ministro generali.

§ 4. Ipsamque tam[1] provinciam seu congregationem fratrum Reformatorum Discalceatorum, eiusque domos et monasteria praesentia et futura, sub obedientiâ et superioritate ministri generalis totius Ordinis praedicti, sicut aliae provinciae eiusdem Ordinis ei subsunt et subiacent, perpetuo subesse, atque subiectam remanere et subiacere volumus, qui per seipsum tantum, vel alium idoneum ex ipsis tamen fratribus Reformatis ab eo eligendum, eos, iuxta eorum primitivam regulam et instituta regularia, visitare, reformare, corrigere et punire possit, in monasteriis tamen, domibus et locis eorumdem fratrum Reformatorum, extra quae nullatenus dicti fratres Reformati, vel aliqui eorum, ab eodem ministro generali quovis praetextu vel occasione amoveri, assignari, mutari, extrahi aut transferri, vel ad alias provincias mitti, aut in eis retineri possint, nec ipse minister generalis aliqua eiusdem Ordinis fratrum Reformatorum statuta auctoritate Sedis Apostolicae confirmata seu confirmanda, vel quae ipse nuncius nunc fecerit, vel quae postea a quocumque capitulo provinciali dictorum fratrum Reformatorum facta fuerint, si auctoritate nostrâ, ut dictum est, fuerint confirmata, mutare, nec aliquas gratias, exemptiones, aut privilegia alicui vel aliquibus adversus ipsa statuta concedere valeat.

1 Particula *tam* omnino praeter rem hîc legitur, nisi legendum sit *etiam* vel *istam* (R. T.).

Datur annus probationis ad deliberandum.

§ 5. Quia vero nonnulli praedicti fratres Reformati ex praedicto Ordine regulae modificatae, quam professi olim fuerant, sint[1] assumpti, volumus et mandamus, ut his et aliis, qui, ut[2] dictum est, ex conventibus dictam primitivam regulam non profitentibus ad hos reformatos in posterum recipientur, anni spatium concedatur loco probationis, intra quem, si qui praedicti instituti vitaeque austeritatem tolerare non possint, ad priores conventus reverti liceat, et si reformati sibi minus expedire eorum societatem existimaverint, missos facere valeant; post annum vero elapsum, quod ad experimentum periclitationemque conceditur, sine novâ professione nulli fratrum reformatorum huiusmodi liceat ad aliam religionem, neque etiam ad ullam aliam eiusdem Ordinis provinciam aut congregationem, dictam primitivam regulam non profitentem, absque apostasiae notâ transire.

Examinandi sunt.

§ 6. Ut autem in huiusmodi monasteriis ii tantummodo admittantur, qui ad onera supradictae primitivae regulae supportanda habiles et idonei futuri sint, dilecto filio nostro et Apostolicae Sedis in eodem regno Franciae nuncio nunc et pro tempore existenti per praesentes committimus et mandamus, quatenus aliquem religiosorum ex fratribus Ordinis Discalceatorum B. Mariae de Monte Carmelo, aut alicuius alterius Ordinis Mendicantium reformati, pietate, prudentiâ, doctrinâ et experientiâ, ac in primis religionis zelo praestantem, quem ad hoc munus magis aptum et idoneum iudicaverit, in visitatorem praedictorum fratrum Reformatorum Discalceatorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis eligat, qui monasteria praedictorum fratrum reformatorum personaliter visitare, et singulorum fratrum praedictorum, qui huiusmodi primitivae regulae observantiam amplexi sunt, vitam, mores et qualitates diligenter inquirat, ac eorum, quos vere arctioris vitae zelo ductos ad hanc primitivae regulae normam transire iudicaverit, professionem per eos, ut supra dictum est, emittendam recipere curet; ceteros vero, quos minus idoneos et aptos esse compererit, ut habitum fratrum reformatorum dimittant, et ex eorum domibus exeant, et ad modificatae regulae praedictae domos revertantur, auctoritate nostrâ, etiam sub excommunicationis, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis, cogat et compellat.

Edantur statuta.

§ 7. Praeterea idem nuncius, cum consilio praedicti visitatoris ac aliorum piorum et eruditorum virorum dictorum Ordinis[1] Discalceatorum Carmelitarum, aut alicuius alterius Ordinis Mendicantium reformati, et etiam ex ipsismet Reformatis SS. Trinitatis, statuta et constitutiones pro felici dictae provinciae reformatorum, eiusque domorum et monasteriorum gubernio, primitivae regulae praedictae ac sacris canonibus et concilii Tridentini decretis non adversantes, auctoritate nostrâ faciat et observari mandet.

Instituantur magistri novitiorum.

§ 8. Ministros insuper, domorum vicarios et magistros novitiorum, tam ex praedictis reformatis, si alioquin[2] idonei fuerint, quam etiam in supplementum ex dictis Carmelitis, aut alicuius alterius Ordinis Mendicantium reformati, prout felici huius novae provinciae progressui in Domino magis expedire iudicaverit, eâdem auctoritate nostrâ eligat. Dantes et concedentes eidem nuncio, et ab eo deputando visitatori praedicto, aut alii vel aliis quos idem nuncius ad hoc semel aut iterum, ut praemittitur, duxerit deputandos respective, tam praemissa faciendi, quam etiam domos, seu monasteria eiusdem pri-

1 Edit. Main. legit *fuerint sunt* (R. T.).
2 Particulam *ut* nos addimus (R. T.).

1 Edit. Main. legit *Ordinum* (R. T.).
2 Forsan legendum *aliqui* (R. T.).

mitivae regulae visitandi, ac ministris, seu aliis eorum superioribus, ut eos qui relicto seculo ad praedictam religionem confugere divinâ inspirante gratiâ statuerint, et alios qui ex praedicto Ordine modificatae regulae SS. Trinitatis, aut ex aliis laxioris tamen regulae Ordinibus ad praedictum Reformatorum Ordinem transire voluerint, servatis servandis, admittere possint, licentiam concedendi, dummodo, quoad eos qui ex aliis Ordinibus ad hunc transitum facere voluerint, maior pars vocalium domus, in qua recipiendi erunt, in illum[1] consentiat, et visitatoris praedicti licentia accedat: et nihilominus integrum novitiatus annum, prout alii de novo recipiendi, antequam professionem emittant, perficiant.

Ad capitulum convocentur.

§ 9. Postquam autem, benedicente Domino, praedictorum fratrum Reformatorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis numerus creverit, ita ut praedictorum externorum religiosorum auxilio non indiguerint, et octo saltem domos seu monasteria habuerint, in quorum singulis duodecim saltem fratres Reformati huiusmodi existant, praedictus nuncius eos ad capitulum celebrandum convocari faciat, et in dicto capitulo ipse praesideat, et tam visitator, quam ministri, et eorum procuratores, canonice electi, vocem et locum habeant, ac ministrum provincialem, ceterosque ministros domorum, ex eisdem fratribus reformatis, iuxta praesentium tenorem et regularia eiusdem Ordinis instituta, eligant: ipse vero minister provincialis primo electus auctoritate nostrâ praedictâ eâ vice dumtaxat ab ipso nuntio confirmetur, et tam ipse, quam eius successores, eamdem provinciam fratrum Reformatorum (salvâ semper ministri generalis tam in ipsam provinciam quam in eumdemmet ministrum provincialem pro tempore eligendum, ut supra dictum est, superioritate) ita ut[1] visitandi, regendi et gubernandi plenam et omnimodam habeat potestatem.

Provinciales confirmentur a ministro generali.

§ 10. Ceteri autem ministri provinciales pro tempore in capitulis provincialibus, quae de triennio in triennium, tam pro statutis faciendis, moderandis, aut ex causâ abrogandis, quam electionibus superiorum, et aliis ad bonum regimen eiusdem provinciae pertinentibus, faciendis et ordinandis celebrari debeant, eligendi, a ministro generali confirmationem quamprimum petere ac obtinere curabunt; statim tamen ac electi fuerint, praedictam auctoritatem habeant et exercere possint.

Habeant procuratorem generalem.

§ 11. Concedimus quoque eidem provinciae, ut, cum, crescente numero domorum et fratrum, prout supra dictum est, provincialem elegerint, procuratorem generalem apud Sedem Apostolicam pro eiusdem provinciae negotiis tractandis deputare et perpetuo retinere valeant.

Gaudeant privilegiis.

§ 12. Praeterea omnibus et singulis dictae provinciae personis nunc et pro tempore existentibus, quod omnibus et singulis privilegiis, gratiis et indulgentiis, exemptionibus et immunitatibus, praerogativis, favoribus et indultis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus fratres dicti Ordinis de iure vel consuetudine aut aliâs quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, decretis sacri Concilii Tridentini, constitutionibus apostolicis, ac primitivae regulae praedictis non contrariis, uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, indulgemus.

Prohibitio ne molestentur.

§ 13. Inhibentes ministro generali Ordinis Sanctissimae Trinitatis, commissario generali, ministris provincialibus, et localibus, et aliis quibuscumque dicti Ordinis superioribus, ne per se, aut alios, prae-

1 Legendum foret *in illos* (R. T.).

1 Voces *ita ut* redundant (R. T.).

dictos reformatos eiusdem Ordinis, aut etiam visitatores praedictos, aut[1] super praemissis quoquomodo molestare, aut inquietare audeant, vel praesumant, etiamsi nondum professionem praedictam regulae primitivae emiserint: quod si secus fecerint, eos et eorum singulos excommunicationis sententiâ ipso facto incurrendâ innodamus, dicti vero reformati nullo modo parere aut deferre teneantur; salvâ tamen in reliquis obedientiâ dicti ministri generalis, cui eos perpetuo subiectos esse et subiacere volumus, ut dictum est.

Decretum irritans.

§ 14. Decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae defectu, etiam ex eo quod omnes interesse habentes forsan vocati non fuerint, notari, argui, seu impugnari, aut sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam ab eâdem Sede emanatis, et in posterum emanandis, comprehendi posse, sed illas semper validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri debere; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputati.

§ 15. Quocirca eidem moderno et pro tempore existenti in dicto regno Franciae nuntio, ac venerabilibus fratribus modernis episcopis Senonensi et Lingoniensi per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte fratrum reformatorum praedictorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant eos auctoritate nostrâ praemissis omnibus et singulis, iuxta praesentium continentiam et tenorem, pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper per ministrum generalem, aliosque praedictos quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§ 16. Non obstantibus praemissis, ac aliis apostolicis, necnon in provincialibus, et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, praedictis vel quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, et aliàs quomodolibet, concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque

1 Aliquid deest, vel partic. *aut* redundat (R.T.).

contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter aut divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis credi iubet.

§ 17. Ceterum, quia difficile foret earumdem praesentium litterarum notitiam ad quascumque personas pervenire, et ubique illas praesentare, eâdem auctoritate volumus et decernimus, quatenus transumptis earumdem praesentium litterarum manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII septembris MDCXXIX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 12 septembris 1629, pontif. anno VII.

CCCXLVI.

Erectio reformatae provinciae S. Salvatoris Hungariae Ordinis fratrum Minorum strictioris observantiae sancti Francisci.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

Sacrosanctum apostolatus ministerium humilitati nostrae, nullo licet meritorum suffragio, per ineffabilem divinae sapientiae providentiam commissum postulat, ut, inter multiplices gravissimasque apostolicae servitutis curas, illam peculiari studio amplectamur, per quam personae sub suavi religionis iugo Salvatoris et Domini nostri obsequiis famulantes felicioribus in dies proficiant incrementis.

Causae huius constitutionis

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Ambrosius a Galbiato fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci strictioris observantiae per Germaniam superiorem commissarius generalis nobis nuper exponi fecit, dilecti filii fratres Ordinis praedicti provinciae S. Salvatoris Hungariae pro celebratione capituli provincialis congregati, se puritatem regulae sancti Francisci, iuxta decretum desuper a nobis aliàs emanatum, et prout dilecti etiam filii fratres Reformati nuncupati eiusdem Ordinis servant, servare velle unanimes decreverint, proindeque provinciam praedictam in provinciam fratrum Reformatorum Discalceatorum nuncupatorum per nos, modo et formâ infrascriptis, erigi et institui summopere desiderent:

§ 2. Nos, eosdem fratres in huiusmodi eorum laudabili proposito confovere, ac specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus dicti Ambrosii eorumdem fratrum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, provinciam praedictam in provinciam fratrum Discalceatorum Ordinis sancti Francisci Reformatorum Ungariae nuncupandam [quae reformata, et aliis eorumdem fratrum Reformatorum Discalceatorum nuncupatorum provinciis regnorum Hispaniarum conformis[1] et ad illarum instar esse, necnon sub omnimodâ ministri generalis dicti Ordinis ac eâ[2] italicae nationis et extra Italiam existentis[3] eius vicarii generalis, necnon etiam commissarii gene-

Declarat provinciam reformandam et subdicit superiori generali Italicae nationis.

1 Contra syntaxis rationem edit. Main. legit *conformem* (R. T.).

2 Male edit Main. legit *eo* (R. T.).

3 Iterum male ed. Main. habet *existente* (R.T.).

ralis iuxta Bullam unionis electi (non autem commissariorum generalium eiusdem Ordinis et regnorum nec superioris vel inferioris Germaniae,

Visitari non potest nisi a Reformatis.

§ 3. Ita quod minister ac vicarius et commissarius generales praedicti, iuxta Bullam huiusmodi electi, illam nonnisi per se ipsos aut commissarios Ordinis Reformatorum praedictorum visitare valeant) iurisdictione, auctoritate et superioritate, cuiusque fratres iuxta declarationes felicis recordationis Nicolai III et Clementis V Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vivere debeant;

Moderari debet sicut alia provincia reformata.

§ 4. Et cum hoc etiam, quod ex nunc minister provincialis provinciae Hungariae huiusmodi omnem iurisdictionem, facultatem et auctoritatem, tam in fratres Ordinis praedicti sibi subditos, quam circa novarum domorum eiusdem instituti in eâdem provinciâ fundationem seu erectionem aut aedificationem, necnon etiam circa novitios, aliaque in litteris apostolicis recolendae memoriae Gregorii Papae XIII etiam praedecessoris nostri contenta, prout alii ministri provinciales aliarum provinciarum fratrum eiusdem Ordinis Reformatorum Discalceatorum nuncupatorum, in omnibus et per omnia habeant[1], et tam ipsi, quam singularum domorum dictae provinciae fratrum Minorum S. Francisci Reformatorum Discalceatorum nuncupatorum Hungariae superiores[2], necnon singulares eorum et cuiuslibet illorum personae, omnibus et singulis praerogativis, praeeminentiis, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indultis, concessionibus, favoribus et gratiis spiritualibus et temporalibus, quibus alii huiusmodi ministri provinciales et illarum domorum regularium superiores et singulares personae uti, frui, potiri et gaudere solent, ac possunt et poterunt quomodolibet in futurum, pariter et pariformiter ac aeque principaliter, sine ullâ prorsus differentiâ, uti, frui et gaudere possint et valeant;

Ministri generalis potestatis limites.

§ 5. Quodque nunc et pro tempore existens minister generalis praedictus, aut visitatores ab eo etiam pro tempore mittendi, statuta, constitutiones et ordinationes eiusdem provinciae Hungariae, illiusque domorum regularium huiusmodi, nisi de consensu maioris partis fratrum vocalium dictae provinciae Hungariae in eorum capitulis provincialibus praestando, alterare vel immutare, aut eosdem fratres ab eorum modo vivendi, dummodo iuxta easdem declarationes vivant, disturbare,

§ 6. Necnon quod fratres eiusdem Ordinis sancti Francisci de Observantia nuncupati, infra limites eiusdem seu alterius provinciae existentes, collectas seu quaesturas ad domos regulares eiusdem provinciae Reformatorum Discalceatorum Hungariae spectantes, exceptis eis a fratribus dictae provinciae Hungariae in dicto eorum capitulo provinciali forsan concedendis, occupare, aut eosdem fratres Reformatos Discalceatos provinciae Hungariae huiusmodi desuper perturbare nullo unquam tempore possint, nec valeant] apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

§ 7. Ac insuper eidem ministro generali, ut ministrum provincialem, custodem et definitores dictae provinciae Hungariae creare et eligere, ceteraque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna, etiamsi talia sint, vel fuerint, quae magis specialem, specificam, individuam et expressam requirerent mentionem, facere, dicere, ordinare et exequi libere et licite possit et valeat, plenam, liberam et amplam, auctoritate etiam et tenore praedictis[1], conce-

1 Legend. *habeat, et tam ipse* (R. T).

2 Perperam ed. Main. legit *superioris* (R. T.).

1 Pessime edit. Main. legit *et amplam auctoritatem, etiam tenore praedictis concedimus* (R. T.).

dimus et impertimur licentiam et facultatem.

§ 8. Ita tamen, ut fratres provinciae huiusmodi constitutionibus et ordinationibus in capitulo seu congregatione generali factis, quae strictiori observantiae non adversentur, subiaceant, ad illarumque observationem omnino teneantur.

Decretum irritans.

§ 9. Decernentes provinciam, per praesentes erectam et institutam huiusmodi, decretis et declarationibus a nobis et Romanis Pontificibus praedecessoribus et successoribus nostris pro reformationibus et custodiis Italiae emanatis, seu emanandis, nullatenus subiectam et comprehensam esse vel fore, ac provincialem, custodem et definitores, aliosque superiores et fratres[1] provinciae, per praesentes erectae et institutae, a quoquam, quavis etiam archiepiscopali, aut episcopali, vel etiam maiori auctoritate fungenti[1], desuper molestari, inquietari, perturbari, aut impediri non posse; sicque per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 10. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, illiusque provinciarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem[2] Ordini et provinciis, illiusque et illarum superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV septembris MDCXXIX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 15 septembris 1629, pontif. anno VII.

1 Edit. Main. legit *fungentes* (R. T.).

2 Forsan legendum *eisdem* (R. T.).

CCCXLVII.

Quod regens et collegiales collegii S. Bonaventurae in domo Ss. duodecim Apostolorum de Urbe erecti subiaceant obedientiae guardiani dictae domus, aliorumque dicti Ordinis superiorum.

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Felici ac prospero collegii S. Bonaventurae, in domo Ss. duodecim Apostolorum de Urbe fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum erecti, quantum cum Domino possumus, pro nostri pastoralis officii munere consulere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac matura deliberatione nostris,

Praecipit prout in rubrica.

§ 1. Quod de cetero perpetuis futuris temporibus dilecti filii regens et collegiales dicti collegii obedientiae, correctioni et visitationi dilectorum filiorum guardiani dictae domus, aliorumque dicti Ordinis superiorum, prout ceteri fratres in eâdem domo degentes, subiaceant, ita ut debitis poenis puniri possint, non tamen in loco collegiali;

Oeconomus quolibet semestri reddat rationem.

§ 2. Quodque oeconomus pro tempore deputandus ipsius collegii cautionem idoneam de bene administrando dare debeat, necnon guardiani et alii praedicti Ordinis superiores huiusmodi computa ipsius oeconomi quolibet semestri revidere possint;

et ita in praemissis observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti collegii, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem collegio, illiusque regenti et collegialibus praedictis, et quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI septembris MDCXXIX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 26 septembris 1629, pontif. anno VII.

CCCXLVIII.

Confirmatio decreti sacrae rituum Congregationis super usu baldachini, ministrorum, ac aliarum caeremoniarum pro abbatibus Congregationis Caelestinae, Ordinis sancti patris Benedicti[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Sacra rituum Congregatio edidit decretum ad favorem abbatum monachorum Coelestinorum super pontificalibus.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Henricus Fortuna, procurator generalis totius Congregationis monachorum Caelestinorum Ordinis sancti Benedicti, quod nuper a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sacris ritibus praepositis emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Cum sacra rituum congregatio[2] *aliàs de anno* MDCVI *sub die* XVIII *ianuarii ad instantiam archiepiscopi Firmani prohibuerit priori S. Catarinae Ordinis Canonicorum regularium in eorum ecclesiâ usum baldachini et aliquarum caeremoniarum; et de anno* MDCXXVII[3] *sub die* XVIII *martii idem decretum ad instantiam cardinalis Carafae archiepiscopi Neapolitani extenderit ad omnes priores et abbates cuiuscumque Ordinis, etiam Cassinensis: reverendus pater dominus Henricus Fortuna de Monte Leone, procurator generalis totius Congregationis monachorum Caelestinorum Ordinis S. Benedicti, aegre ferens huiusmodi decreta tamquam praeiudicialia antiquissimae consuetudini solemniter celebrandi cum baldachino et assistentibus in eorum ecclesiis, instetit audiri in eâdem sacrâ Congregatione super dictâ antiquissimâ eorum consuetudine. Et commissâ causâ illustrissimo et reverendissimo cardinali Antonio Bar-*

1 De horum monachorum Congregatione lege Constit. I Caelest. V, *Etsi cunctos*, tom. IV, pagina 116. Cui postea communicavit aliarum monachorum privilegia Urbanus VIII, Const. LXXXII, *Sacrosancti*, tom. XIII, pag. 193. Et constitutiones vel statuta, novissime pro Congregationis gubernio edita, confirmavit in Const. CCII, *Sacrosanctum*, ibid. pag. 471.

2 Const. similes vide supra pag. 55, etc. (R.T.).

3 Potius ex loc. paralt. legendum MDCXVII (R.T.).

berino, coram quo, audito saepius dicto procuratore generali Caelestinorum et rationibus ab eo deductis bene perpensis, eodem illustrissimo ac reverendissimo Antonio referente, sacra rituum Congregatio, re mature discussâ, censuit in hac parte recedendum a supradictis decretis de anno MDCVI *et* MDCXVII, *et declaravit licere abbatibus Caelestinis, in tribus tantum anni festivitatibus solemniter celebrantibus, uti baldachino, sine auro tamen et pompâ, necnon assistentiâ unius presbyteri et duorum diaconorum, ac aliorum sex ad summum monachorum sacris vestibus coloris solemnitati respective convenientis indutorum, duorum nempe cum pluvialibus, duorum cum planetis, et aliorum duorum cum tunicellis, ultra diaconum et subdiaconum, qui in missâ cantaturi sunt evangelium et epistolam; dummodo iidem abbates nullo modo teneant sedem abbatialem fixam et permanentem prope altare, ut sedes episcopalis retineri solet, sed eorum sedes retineatur in ecclesiâ iis tantum diebus, quibus solemniter, ut supra, celebrari debet; et dicti sex monachi, ut supra parati, non in sedibus choralibus, sed super scabellis sedeant, in situ congruo, iuxta ecclesiarum convenientem situm, tunc appositis, panno laneo coopertis; frmis in reliquo remanentibus supradictis sacrae Congregationis in Firmanâ et Neapolitanâ decretis editis. Die*[1] XXX *iunii* MDCXXIX.

Quod decretum petit procurator generalis a Pontifice confirmari.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Henricus plurimum cupiat decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et inviolabili observantiâ, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri:

Pontifex illud confirmat et approbat.

§ 3. Nos, dictum Henricum specialis gratiae favore prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum huiusmodi, cum omnibus in eo contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulas praeservativas apponit.

§ 4. Decretumque et in eo contenta huiusmodi, ac praesentes litteras, valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac eidem Congregationi in omnibus et per omnia plenissime suffragari;

Aliter indicari prohibet.

§ 5. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Obstantia tollit.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI septembris MDCXXIX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 26 septembris 1629, pontif. anno VII.

1 Perperam edit. Main. puncto sublato legit *editis die* (R. T.).

CCCXLIX.

Episcopo Paphiensi ecclesiae omnes latinae regni Cypri administrandae demandantur[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Venerabili fratri Petro, episcopo Paphiensi, Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Commissio, de qua in rubrica.

§ 1. Felici ac prospero ecclesiarum latinarum regni Cypri statui et gubernio, quantum cum Domino possumus, ne aliqua in spiritualibus detrimenta patiantur, pro nostri pastoralis officii munere providere volentes, ac de fraternitatis tuae fide, prudentiâ, doctrinâ et religionis zelo plurimum in Domino confisi, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negocio Propagandae Fidei praepositorum consilio, tibi omnium ecclesiarum latinarum regni Cypri huiusmodi curam, regimen et administrationem in eisdem spiritualibus et temporalibus, cum omnibus et singulis facultatibus, auctoritate et potestate, quas ecclesiarum praedictarum episcopi de iure vel consuetudine habere solent et possunt, et praesertim iuxta sacrorum canonum et Concilii Tridentini decreta visitandi et reformandi, ceteraque omnia et singula, quae in praemissis et circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna (etiamsi talia forent, quae magis expressam et specificam exigerent commissionem), et quae dicti episcopi pro tempore existentes de iure, usu, consuetudine, aut aliâs quomodolibet facere possunt, faciendi, ordinandi et exequendi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, committimus et demandamus.

Mandatum de parendo.

§ 2. Mandantes propterea dilectis filiis cleris et populis dictarum ecclesiarum, ceterisque ad quos spectat, ut tibi in omnibus officium tuum concernentibus, et quae in Domino eis mandanda duxeris, pareant et obediant, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Obstantia tollunturur.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac dictarum ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes[1], illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II octobris MDCXXIX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 2 octobris 1629, pontif. anno VII.

CCCL.

Impositio nonnullarum decimarum super beneficiis ecclesiasticis in dominio Reipublicae Venetae existentibus in subsidium belli contra Turcas[2].

Venerabili fratri Ioanni Baptistae archiepiscopo Amasiensi, moderno et pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae in dominio Venetorum nuncio,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium a causis imponendi decimas sumptum.

Sacrosanctae militantis Ecclesiae regimini per abundantiam divinae gratiae, nullo licet meritorum suffragio, praepositi, inter graves sollicitudines, quibus pro eredito nobis apostolicae servitutis officio assidue premimur, ea est praecipua, quam

1 Vocem *habentes* nos addimus (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

continua pericula atque discrimina, quae a nefario Christi nominis hoste turcarum tyranno principibus et populis christianis numquam non impendent, nobis conficiunt. Quapropter, etsi Domini Dei exercituum, qui sponsam suam Ecclesiam sanctam protegit, praesidio potissimum confidamus, cogimur tamen pro debito pastoralis muneris in id omni cogitatione omnique curâ incumbere, ut provisionis nostrae ministerio, adhibitis catholicorum principum viribus, mala huiusmodi procul a populo christiano arceantur. Cum vero plus satis constet eumdem impium turcarum tyrannum nihil avidius quaerere, quam christianos populos invadere, et, christianam religionem exterminando, abominationem suam plantare ac propagare; idcirco, pro eâ quam universo gregi dominico curae nostrae divinitus commisso impendere tenemur sollicitudine, malum hoc iamdudum metuentes, pro officii nostri debito Venetorum praecipue nobilissimam Rempublicam, quae hostibus maxime exposita esse dignoscitur, non semel in Domino cohortati sumus, ne insidiarum plenâ cum impiis pace, quibus non est pax, confideret, sed prudenter caveret, suasque arces potius et loca muniret, classem et alia ad bellum necessaria compararet et parata haberet.

Sexdecim decimas super omnibus beneficiis ecclesiasticis imponit.

§ 1. Cum autem ingentes sumptus haec res postulet, felicis recordationis Clementis VIII et Pauli V, necnon Gregorii XV, aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, eam Rempublicam id enixe flagitantem ecclesiasticis auxiliis prompto libentique animo adiuvandum[1] decrevimus, attendentes non solum nos eius unius saluti, verum etiam multorum ac omnium Italiae populorum incolumitati consulere, cum ipsa sit magnum totius Italiae populorum munimentum, ac firmissimum maris Adriatici propugnaculum. Quamobrem aequum et rationi consentaneum esse duximus, eidem Reipublicae, eorumdem Clementis et Pauli necnon Gregorii praedecessorum exemplo, subsidio decimarum ex fructibus et redditibus cleri eiusdem Status Venetorum pro eisdem usibus ad certum tempus attribuendo, subvenire, firmam in Domino fiduciam habentes fore ut ea Respublica hac testificatione paternae voluntatis erga se nostrae non solum se esse[1] munitam et pro re natâ ad resistendum[2] communi hosti paratam in dies magis conservet, sed etiam ad pristinos belli spiritus resumendos contra eumdem turcarum tyrannum excitetur, ut ille christianorum armis ab Europae finibus aliquando detrudatur. Nos igitur, istis gravissimis et iustissimis de causis moti, motu proprio, ac ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine nostris, tenore praesentium, indicimus et imponimus sexdecim decimas integras omnium et quorumcumque fructuum, redditiuum et proventuum quarumcumque ecclesiarum patriarchalium, archiepiscopalium, episcopalium, abbatialium, capitularium et conventualium, prioratuum quoque, praepositurarum, praepositatuum, praeceptoriarum, canonicatuum, praebendarum, dignitatum, etiam maiorum ac principalium, personatuum, administrationum et officiorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium, ac S. Benedicti, S. Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis, S. Basilii, Silvestrinorum, et, qui proprietates redditusque certos ex privilegio apostolico vel aliâs possident, Mendicantium, et quorumvis aliorum Ordinum utriusque sexus et congregatio-

1 Ni legendum potius sit *adiuvandam* (R. T.).

1 Vocem *esse* redundare puto (R. T.).

2 Perperam edit. Main. legit *restituendum* (R. T.).

num[1], non tamen earum quae[2] inferius descriptae sunt, ac militiarum regularium in universo dominio dictae Reipublicae Venetorum existentium.

Aliasque sexdecim super quibuscumque pensionibus.

§ 2. Ac insuper alias sexdecim decimas omnium et quarumcumque pensionum annuarum, super fructibus, redditibus et proventibus supradictis assignatarum et assignandarum, ab omnibus et quibuscumque patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ceterisque cuiuscumque status, gradus, dignitatis et conditionis personis (exceptis dumtaxat venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, necnon dilectis filiis fratribus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, ac fratribus Mendicantibus praedictis, et insuper beneficiis ecclesiasticis officio sanctae Inquisitionis haereticae pravitatis in dicto dominio instituto unitis, annexis et applicatis, quos cardinales, ac fratres hospitalis praedicti, ac beneficia praedicto Inquisitionis officio unita, in totum; fratres vero Mendicantes pro medietate dumtaxat, ab eisdem decimis et earum solutione immunes et exemptos esse volumus et decernimus) ecclesias, monasteria et beneficia, ac pensiones, seu fructus, aut illorum partem huiusmodi in eodem dominio quocumque iure ac titulo obtinentibus et obtenturis, nec non ab universis etiam oeconomis, commendatariis, atque administratoribus perpetuis et temporalibus, usufructuariis similiter fructus omnes vel illorum partem loco pensionum annuarum, vel pensiones et alia huiusmodi iura ex quacumque auctoritate apostolicâ in toto vel in parte reservata habentibus et habituris, sive secularibus, sive quorumcumque Ordinum, Congregationum et militiarum praedictorum regularibus, et ab ipsis, et ecclesiis, capitulis, conventibus, ordinibus, congregationibus, personis, collegiis, militiis, massis et locis praedictis, quacumque amplissimâ et firmissimâ exemptione et immunitate, reali, personali vel mixtâ, antiquâ et immemorabili, pacificâ et continuâ, etiam ex titulo quantumvis oneroso, suffultis, integraliter et cum effectu numerandas, persolvendas et consignandas.

Cardinales, aliosque ab his decimis eximit.

Mendicantes autem pro medietate solvere iubet.

§ 3. Ulterius, supradictis de causis, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, imponimus et indicimus novem decimas omnium et quorumcumque fructuum, redditum et proventuum, ad Cassinensem, aliàs S. Iustinae de Padua, Lateranensem, Carthusiensem, Montis Oliveti, S. Salvatoris, Camaldulensem, S. Mariae Vallisumbrosae, S. Georgii in Alga Venetiarum, Caelestinorum, Cisterciensium, provinciae Lombardiae, Cruciferorum et S. Hieronymi Congregationes, earumque monasteria, abbatiales vel conventuales aut alias mensas, prioratus, praeceptorias, praeposituras, beneficia et officia, cum curâ et sine curâ, membra, grangias et alia loca illis annexa in dicto dominio consistentia quovis modo pertinentium[1], etiam per ipsas congregationes, earumque superiores, abbates, priores, praepositos, conventus, capitula et personas (ultra subsidia montis religionis, seu quadringentorum millium scutorum, et quartae partis eorumdem fructuum, redditum et proventuum, et alia onera, quae per Sedem Apostolicam eis imposita aut aliàs persolvunt, seu persolvere promiserunt) similiter numerandas et persolvendas et consignandas, secundum valorem annuum verum fructuum, redditum et proventuum praedictorum. Et ad hunc effectum (licet felicis recordationis Pius Papa V nonnullis tunc causis

Novemque alias super unaquaque Congregatione monasticâ hic expressa.

1 Edit. Main. legit *congregationis* (R. T.).
2 Edit. Main. habet *earumque* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *pertinentia solven.*, nam *pertinentium* pro *pertinentia* legi oportere constat; vox autem *solven.* praeter rem est, nam sequitur postea *numerandas et persolvendas et consignandas* (R. T.).

adductus, et Clemens, necnon Paulus, ac novissime Gregorius praedecessores nostri praedicti, etiam ex aliis tunc expressis causis, easdem congregationes a decimis super fructibus et redditibus ecclesiasticis deinceps ubivis etiam in dominio Venetorum et ex quacumque causâ imponendis liberas et immunes fecerint), pari motu, scientiâ, auctoritate, et de apostolicae potestatis plenitudine, quoad fructus, redditus et proventus ad ipsas congregationes, et quamlibet earum, in dicto dominio Venetorum spectantes, immunitates, exemptiones, ac omnes et quoscumque contractus, scripturas, conventiones, transactiones, concordias, pacta, instrumenta, obbligationes, etiam in formâ camerae apostolicae, et iuramento vel aliâ quavis firmitate roborata, praesertim inter Pium et Clementem, ac Paulum, necnon Gregorium praedecessores praedictos, et cameram apostolicam, et pro eâ S. R. E. camerarium vel thesaurarium generalem, aliosve quoscumque tunc existentes, et eiusdem camerae ministros, quantumvis amplâ et sufficienti facultate ad praemissa facienda suffultos, ex unâ, et congregationes ultimodictas illarumque procuratores ex alterâ partibus, ac omnia et quaecumque privilegia, indulta, libertates, exemptiones, immunitates, hac de causâ in hunc usque diem eisdem congregationibus etiam ex causâ et titulo oneroso concessa, hac vice dumtaxat et ex causis supradictis suspendimus, ac ipsis congregationibus quoad novem decimas praedictas hac vice, ut praefertur, suffragari nolumus, illa vero aliàs in suo robore permanere decernimus, ipsasque congregationes ex gravissimis causis praedictis novem decimis huiusmodi oneramus[1], quum ceteris secularibus ac regularibus clericis et[1] personis eiusdem dominii Venetorum sexdecim, ut praefertur, indixerimus, tali nostrae impositioni acquiescere, ac tacitas et contentas esse volumus. Universas vero et singulas personas, quavis dignitate vel auctoritate fungentes, tam supradictas ecclesias, monasteria et beneficia quomodolibet obtinentes, ac pensiones, seu fructus, aut earum partem sibi, ut praefertur, reservatas percipientes, quam ultimodictas congregationes, et eorum unumquemque, tam coniunctim quam divisim, ad huiusmodi decimas in octo annis, binas videlicet decimas dumtaxat quolibet anno, et, quoad ultimodictas congregationes, singulas tantum decimas cum unâ octavâ parte alterius decimae, quoad dictos autem fratres Mendicantes singulas similiter decimas quotannis, durante octennio a die qua ultima concessio expirat computando, et ut sequitur finiendo, in certis terminis per te praefigendis integre persolvendas efficaciter teneri et iure obligatos esse; iisdemque pensionariis, aut eorum alicui, pensiones annuas praedictas quantumlibet exemptas, et sub quibusvis obligationibus, etiam in formâ camerae, et iuramento etiam de non contraveniendo, et forsan de non impetrando gratias nostras contra eos, et de non utendo concessis, firmatas, aut aliàs vallatas, et forsan aliis cautelis et decretis munitas, causam donationis super iisdem fructibus et pensionibus etiam medio cedularum banchi, seu in formâ depositi, habentibus, et intra octo annos praedictos habituris (etiamsi ipsi, a quibus pensiones huiusmodi solvendae sunt, iuri et actioni petendae vel retinendae portionis[2], aut ratae partis pensionarios tangentis, iureiurando renunciaverint) ulla privilegia aut indulgentias sub quacumque verborum formâ

1 Aptius legend. *oneratas*, aut addenda vox *atque* (R. T.).

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

2 Edit. Main. legit *portiones*, contra syntaxis rationem, ut patet (R. T.).

aut expressione concepta quo ad hoc nullatenus suffragari volumus.

Clausula sublatâ.

§ 4. Sicque, et non aliter, in praedictis universis et singulis per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, etiam S. R. E. cardinales, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Exactores deputat.

§ 5. Ut autem huiusmodi decimae facilius exigantur, fraternitatem tuam, ac venerabiles fratres patriarcham Venetiarum et episcopum Clodiensem, ad dictas decimas exigendas, ducique et dominio praedictis, sive eius ministris ad id specialiter deputatis, statim, nulla interpositâ morâ, et sine aliquâ prorsus diminutione, retentione, aut detractione, etiam non detractis quinque pro centenario camerae nostrae praedictae in exactione talium decimarum applicari consuetis, integre consignandas, earumdem decimarum collectores et exactores praedictos constituimus et deputamus; ac tibi et patriarchae Venetiarum ac episcopo Vicentino [1], pro onere quod in exactione decimarum huiusmodi sustinebitis, quatuor millia scuta auri in auro ex eisdem decimis detrahenda, et illorum medietatem inter vos pro aequali portione et quolibet anno eiusdem octennii pro ratâ distribuendam et dividendam, reliquam vero medietatem subcollectoribus et aliis exactoribus ac procuratoribus, ad easdem decimas colligendas deputatis, etiam quolibet anno pro ratâ, habitâ ratione laboris et amplitudinis cuiuscumque civitatis et dioecesis, loco salarii seu stipendii et mercedis assignandam et distribuendam [1] (ita tamen, ut non quotannis huiusmodi quatuor millia scuta, sed in toto octennio integra summa eorumdem quatuor millium scutorum, pro ratâ quolibet anno, detrahatur, ac tam vos et quilibet vestrum, quam ipsi subcollectores et alii praedicti, ratione fructuum ecclesiarum, quibus nunc praeesse dignoscimini, aut imposterum praefici, vel beneficiorum obtentorum, aut quae obtinere, necnon fructuum et pensionum reservatorum et assignatarum, quos et quas vobis assignari posthac contigerit, decimas ipsas pro vestrâ et illorum ratâ, et illorum quemlibet tangente, integre et realiter persolvere omnino teneamini, et dictâ assignatione et distributione contenti esse debeatis, nec quidquam aliud vos et vestrum quilibet praetendere possitis) assignamus; ac [2] tibi et aliis praedictis, a dictis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, capitulis, conventibus et aliis personis (supra expressis exceptis) easdem decimas, ut praefertur, per nos impositas petendi, exigendi et colligendi, eisque tam in genere quam nominatim et in specie ut illas solvant sub privationis beneficiorum ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, aliisque prout nobis [3] videbitur poenis; etiam pecuniariis, ac demum per sententias et censuras ecclesiasticas mandandi et praecipiendi, ac pro earumdem decimarum faciliori exactione unum vel plures subcollectores, qui, si in dignitate ecclesiasticâ constituti sint, pari, actu vigore [4] praesentium, facultate fungantur, per locorum Ordinarios in quacumque civitate et dioecesi

1 Nescio qua ratione antea de episcopo *Clodiensi*, nunc de *Vicentino* mentio est (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *assignan. et distribuendi* (R. T.).

2 Haec verba *assignamus; ac* necessaria addenda censuimus (R. T.).

3 Forsan legendum *vobis* (R. T.).

4 Forsan legendum *actu et vigore* (R. T.).

et loco sibi subiecto pro tempore deputatos approbandi, et, si quis ex ipsis Ordinariis intra aliquem brevem terminum vestro arbitrio praefigendum viros idoneos ad id deputare neglexerit, tibi, etiam sine illorum consensu, tuo arbitrio illos libere deputandi et deputatos amovendi, aliosque eorum loco toties quoties tibi videbitur substituendi et subrogandi, ac solvere recusantes et differentes, et generaliter contradictores quoslibet et rebelles, et ne decimae huiusmodi solvantur persuadentes directe vel indirecte, per ipsas censuras ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendi, auxilioque brachii secularis contra eos ad hoc si opus fuerit invocandi, solventes vero de solutis quietandi et liberandi a censuris et poenis, quas dictâ occasione quomodolibet incurrerint, absolvendi, ac generaliter omnia et singula alia in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi, ordinandi, mandandi et exequendi, plenam et liberam, auctoritate et tenore praedictis, facultatem concedimus et potestatem.

Derogat obstantibus.

§ 6. Non obstantibus regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, ac aliis quibusvis apostolicis, ac etiam in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si ipsis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, capitulis, conveniibus, congregationibus et aliis personis praedictis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod ad solutionem alicuius decimae non teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari, seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis et exemptionibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis, quibuscumque dignitatibus seu Ordinibus, specialiter vel generaliter, sub quacumque verborum formâ expressis[1], etiamsi motu proprio, ac de apostolicae potestatis plenitudine et consistorialiter, ac etiam in vim contractus emanaverint, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda esset: quae eis quoad praemissa nolumus in aliquo suffragari.

Decreta concilii Viennensis servari mandat.

§ 7. Volumus autem, quod, iuxta ordinationem in concilio Viennensi super hoc editam, calices, libri et alia ornamenta ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum et aliorum piorum locorum divino cultui dicata, ex causâ pignoris vel aliâ, occasione solutionis decimarum huiusmodi, nullatenus capiantur, detrahantur vel occupentur;

Transumptis fidem addit.

§ 8. Quodque praesentium litterarum transumptis, tuo vel alterius praelati ecclesiastici sigillo et publici notarii subscriptione[2] munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III octobris MDCXXIX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 3 octobris 1629, pontif. anno VII.

CCCLI.

Beatificatio Caietani Thienaei Clericorum Regularium fundatoris, ac in-

1 Legendum vel addendum *concessis* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *subscriptae* (R. T.).

dultum celebrandi missam et officium de eodem recitandi[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In Sede Principis apostolorum, nullis licet nostris suffragantibus meritis, divinâ providentiâ constituti, ad ea per quae servorum Christi veneratio in terris promoveatur, et laudetur Dominus in sanctis suis, pastoralis muneris nostri partes propensis studiis impendimus, prout pia catholicorum regum et principum aliorumque christifidelium et praesertim[2] vota exposcunt, nosque conspicimus in Domino salubriter expedire.

Instantiae factae Pontifici pro huius viri beatificatione.

§ 1. Sane nomine dilectorum filiorum praepositi generalis et Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum nobis nuper expositum fuit, quod, factâ nuper per dilectos etiam filios causarum palatii apostolici auditores nobis relatione de processibus, apostolicâ auctoritate fabricatis, super sanctitate servi Dei Caietani Thienaei nobilis patritii Vicentini dictae Congregationis fundatoris, iisque in congregatione venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum, de mandato nostro, per plures sessiones, citato etiam ad hoc et audito promotore fidei, ad relationem dilecti filii nostri Antonii S. Mariae in Aquiro diaconi cardinalis Barberini nuncupati, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, acerrime discussis, cognito primum super validitate dictorum processuum, deinde super virtutibus heroicis, ac demum superper miraculis in vitâ et post mortem intercessione dicti servi Dei ab Altissimo patratis, iidem cardinales unanimi consensu censuerunt, tuto posse, quandocumque nobis placuerit, ad solemnem canonizationem dicti servi Dei Caietani Thienaei deveniri. Quare pro parte non solum praepositi generalis et Clericorum praedictorum, verum etiam charissimorum in Christo filiorum nostrorum Ferdinandi Romanorum regis in[1] imperatorem electi, ac Ludovici Francorum regis christianissimi, necnon dilectorum filiorum nobilium virorum ducis et Reipublicae Venetorum, aliorumque christianorum principum nobis fuit humiliter supplicatum, ut interim, donec ad solemnem canonizationem dicti servi Dei Caietani Thienaei deveniatur, idem servus Dei Caietanus Thienaeus Beatus nuncupari, atque officium et missa de eo, ut infra, celebrari possit.

Beatificatio eiusdem, ac concessio missae et officii, prout hic.

§ 2. Nos, piis Ferdinandi regis in imperatorem electi, ac Ludovici regis, necnon ducis et reipublicae, aliorumque principum, ac praepositi et clericorum praedictorum votis huiusmodi, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, ut ipse Dei servus Caietanus Thienaeus imposterum Beatus nuncupari, atque ab omnibus Clericis Regularibus ubique existentibus officium de communi Confessoris non Pontificis in die eius obitus recitari et missa celebrari, iuxta breviarii et missalis romani rubricas, etiam per sacerdotes regulares et seculares ad eorum ecclesias confluentes; in civitate vero Vicentinâ, ubi natus, et in civitate Neapolitanâ, ubi sacrum eius corpus requiescit, in omnibus ecclesiis, tam regularium, quam secularium, missam et officium, ut supra, respective celebrari et recitari valeat; ac, pro praesenti anno dumtaxat,

1 Huius Congregationis institut. habes in Constit. x Clementis VII, *Exponi nobis*, tom. VI, pag. 73.

2 Videtur addendum *religiosorum*; vel legendum cum Cherubinio *prout pia christifidelium, et praesertim catholicorum regum et principum vota* (R. T.).

1 Praep. *in* nos addimus (R. T.).

dicti praepositus generalis et clerici solemnem beatificationem cum officio et missâ, in die eis benevisâ, hic Romae in ecclesiâ S. Andreae de Valle, necnon alii ad illam confluentes celebrare libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus et impertimur.

Contrariorum remotio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, secretarii ipsius Congregationis vel alicuius notarii publici manu subscriptis, et alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae aut praepositi vel vicarii generalis eiusdem Congregationis sigillo munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII octobris MDCXXIX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 8 octobris 1629, pontif. anno VII.

CCCLII.

Extensio facultatum Cruciatae, quoad licentiam vescendi ovis et lacticiniis, ad patriarchas, archiepiscopos et alios inferiores praelatos, ac presbyteros et clericos seculares, tantum exceptâ maiori hebdomadâ[1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi catholico, Urbanus Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Pius V aliique Pontifices vigore cruciatae concesserunt ieiuniorum temporibus ovorum et lacticiniorum usum.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Pio Papa V praedecessore nostro (inter ceteras gratias illas spirituales et temporales ad certum tunc expressum tempus publicandas et duraturas clarae memoriae Philippo II Hispaniarum regi catholico avo tuo, ac omnibus et singulis christifidelibus in regnis et dominiis Hispaniarum et illis adiacentibus necnon Sardiniae insulis consistentibus et ad illa declinantibus, iis qui certa munera adimplevissent, concessas, et a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris eidem Philippo ac similis memoriae Philippo III etiam Hispaniarum regi catholico genitori tuo, et a nobis per nostras in simili formâ Brevis sub die XXVI martii MDCXXIV et die IX octobris praesentis anni MDCXXIX expeditas litteras[1] maiestati tuae prorogatas, indultum fuit, ut ipsi carnibus, de consilio utriusque medici, temporibus ieiuniorum tam quadragesimalium quam quorumlibet totius anni, ac, pro eorum libito, ovis et lacticiniis vesci, ita quod, qui carnes non[2] comedissent, servatâ in ceteris ieunii ecclesiastici formâ, dicto ieiunio satisfecisse censerentur, libere et licite possent.

Exceptis tamen patriarchis primatibus, etc.

§ 2. Sub hac tamen gratiâ et concessione minime comprehendi patriarchas, primates, archiepiscopos, episcopos, neque alios inferiores praelatos, neque quaslibet regulares personas, atque ex secularibus eas, quae in presbyteratus ordine constitutae essent, quoad quadragesimalia ieiunia; illis autem exceptis, omnes praedictos, praeterquam[3] insularum praedictarum incolas, etiam ovis et lacticiniis vesci posse, ut supra concessit; voluit etiam quemcumque ecclesiasticum, vel secularem, qui eam gratiam fuisset assequutus, eâ minime posse uti extra ipsa Hispaniarum regna, et aliàs prout in diversis tam sub

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Non istas sed aliam habes tom. XIII, p. 165 (R. T.).

2 Iam ib. notavimus particulam *non* videri delendam (R. T.).

3 Videtur potius legendum *praeter* (R. T.).

plumbo, quam in simili formâ Brevis desuper expeditis litteris, quarum omnium tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Urbanus idem privilegium extendit ad ipsos.

§ 3. Nunc autem nos, spirituali consolationi patriarcharum, primatuum, archiepiscoporum, episcoporum, aliorumque inferiorum praelatorum et presbyterorum secularium praedictorum dumtaxat, quantum cum Domino possumus, benigne consulere volentes, supplicationibus etiam maiestatis tuae nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et aliis inferioribus praelatis, necnon clericis et presbyteris secularibus praedictis tantum, ut quadragesimali tempore, hebdomadâ tamen maiori exceptâ, ovis similiter et lacticiniis, pro eorum libito, uti et vesci libere et licite valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, indulgemus.

Et Antonium de Soto huius indulti commissarium eligit.

§ 4. Ac dilectum filium Antonium de Sottomaior, Ordinis fratrum Praedicatorum professorem, praedictarum gratiarum exequutorem et commissarium apostolicâ auctoritate deputatum, et praesentium exequutorem et commissarium, auctoritate et tenore praedictis facimus, constituimus et deputamus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus litteris praedictis, ac omnibus iis, quae in illis concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus ad sexennium tantum valituris.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x octobris MDCXXIX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 10 octobris 1610, pontif. anno VII.

CCCLIII.

Iubilaei universalis concessio ad divinam opem pro imminentibus in diversis christiani orbis partibus periculis postulandam.

Urbanus Papa VIII.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Causa huius concessionis iubilaei et hortatio ad illud assequendum.

Irritatus assiduis humani generis flagitiis Deus consuevit iracundiae suae flagella saepius ostentare, ut errantes derelinquant vias suas, et aliquando visitat in virgâ iniquitates et in verberibus peccata; nolens tamen aliquem perire, remediis acrioribus excitat peccatorum sopitas mentes, ut resipiscentes ad eum revertamur. Nos igitur, e pastorali speculâ, dominici gregis nobis, licet immeritis, crediti, prospicientes saluti, cum propius imminere discrimina pestilentiae, et damna famis pervagari, bellique turbines in detrimentum catholicae religionis varias christiani orbis partes invadere, et ibidem violentius percrebescere animadvertamus, oculos in excelsum tollimus ad Altissimum, qui, licet sit iustus, etiam misericors est et placabilis super nequitiam populi sui; et, publicae orationis anchorâ, quod saepius fecimus, iterum innixi, instantis tempestatis impetum evitare speramus. Adeamus itaque in amaritudine animarum nostrarum, recogitantes vitae praeteritae annos, aram misericordiarum Domini, et sine intermissione orantes contriti cordis et humiliati spiritus offeramus ei sacrificium, ut, qui interdum opem implorantibus dormiens vult videri, et quandoque supplicantium preces serius audit, tandem cumulate exaudiat, et nostris et communibus fidelium votis in tempore opportuno adesse dignetur, et tantos aestuantis maris motus dissidiorum, ventis imperans, sedet, ut optata fiat tranquillitas. Hoc

autem ut fructuosius et maiori cum spiritus ardore peragatur, ex veteri Ecclesiae Romanae omnium matris et magistrae more, in praesentibus necessitatibus, eiusdem Ecclesiae thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus, proferre et largissime erogare decrevimus. Itaque, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, omnes et singulos utriusque sexus christifideles, tam in almâ Urbe nostrâ quam alibi ubicumque locorum constitutos, apostolicâ auctoritate paterne enixeque requirimus, monemus, et in Domino adhortamur ad infrascripta devote peragendum et adimplendum, ac ad Deum Salvatorem nostrum orandum, ut per viscera misericordiae suae fidem catholicam protegere, ab hostium conatibus et insidiis defendere, haeresim extirpare, principibus christianis pacem et veram concordiam donare, ac praecipue praesentibus Ecclesiae necessitatibus subvenire dignetur.

Concessio iubilaei pro existentibus Romae.

§ 1. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, meritis minime suffragantibus, contulit, universis et singulis christifidelibus in almâ Urbe praedictâ degentibus, qui solemni processioni, quam ab ecclesiâ B. Mariae Angelorum nuncupatâ, Carthusiensis Ordinis, ad basilicam eiusdem B. Mariae Maioris etiam nuncupatam de Urbe, feriâ quartâ proximae sequentis hebdomadae, unâ cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, christianorumque regum et principum apud nos et Apostolicam Sedem oratoribus, omnibusque praelatis, proceribus, ac universo clero et populo agemus, interfuerint, aut qui praedictâ vel immediate subsequenti hebdomadâ easdem ecclesiam et basilicam, saltem semel, visitaverint, ibique devote, ut supra, Deum oraverint, necnon feriâ quartâ et sextâ ac sabbato eiusdem vel subsequentis hebdomadae ieiunaverint, et peccata sua confessi fuerint, atque in primo die dominico, vel secundo, seu saltem alio dictarum hebdomadarum die, sanctissimum Eucharistiae sacramentum reverenter sumpserint, et eleemosynas ad libitum, prout charitas singulis suggesserit, fecerint;

Necnon pro existentibus extra Urbem.

§ 2. Ceteris vero omnibus et singulis fidelibus, extra Urbem existentibus, in quibusvis civitatibus, terris et locis, qui processioni ab Ordinariis locorum vel eorum vicariis seu officialibus de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam animarum exercent, primâ vel secundâ hebdomadâ postquam ad eorum notitiam hae nostrae litterae devenerint indicendae et agendae interfuerint, vel ecclesiam seu ecclesias per eosdem designandas saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, Deum oraverint, ac feriâ quartâ, sextâ et sabbato alterius ex duabus hebdomadis ab eisdem deputandis ieiunaverint, pariterque peccata sua confessi ac sanctissimâ communione refecti fuerint, et eleemosynas similiter pro arbitrio suo fecerint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et elargimur.

Ac pro itinerantibus.

§ 3. Navigantes vero, aut iter agentes, ut, cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, et, loco interventus in processione, visitatâ ecclesiâ cathedrali, vel maiori aut parochiali loco[1] eiusdem domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant;

Etiam pro regularibus aliisque impeditis.

§ 4. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis quam religiosis, secularibus vel

1 Puto legendum esse *loci* (R. T.).

regularibus, etiam in carcere aut in captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut confessarius, quem, ut infra, elegerint, eis praedicta omnia et singula, vel eorum aliqua, in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

Concessio eligendi confessarium cum facultatibus, ut hic.

§ 5. Cupientes autem omnes christifideles participes fieri huius pretiosissimi thesauri, universis et singulis utriusque sexus, tam laicis quam[1] ecclesiasticis, secularibus et regularibus, cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, licentiam concedimus et facultatem damus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium, tam secularem quam cuiusvis Ordinis regularem, ex approbatis a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis sive nobis et Sedi Apostolicae, et etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliàs per quascumque nostras aut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae, et hac vice tantum, non tamen a crimine haeresis, absolvere et liberare valeant[2], et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare; iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis.

Praeceptum illud publicandi, etc.

§ 6. Quapropter tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis ac quibuscumque Ordinariis locorum, eorumque vicariis et officialibus, vel, iis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ullâ morâ, retardatione vel impedimento per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, ac cleris et populis sibi subiectis solemnes processiones et supplicationes indicent et celebrent, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent.

Restrictio circa facultatem dispensandi.

§ 7. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate seu inhabilitate quoquomodo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae; neque etiam easdem praesentes iis, qui a nobis et Apostolicâ Sede vel ab aliquo praelato seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus celebrationis huiusmodi iubilaei satisfecerint aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Contrariorum remotio.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi, in certis tunc expressis casibus, ita Romano Pontifice pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles iubilaei indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis

1 Partic. *quam* nos addimus (R. T.).
2 Potius legerem *valeat* (R. T.).

derogatio fiat, cuique suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et Congregationum, sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus et Congregationibus atque institutis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac formam eorum traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter, nominatim et expresse ad effectum praesentium derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 9. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem praesentium transumptis vel exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, ubique locorum et gentium eadem prorsus fides adhibeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII octobris MDCXXIX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 22 octobris 1629, pontif. anno VII.

CCCLIV.

Pro Ordine S. Basilii Congregationis Reformatae del Tardon et S. Antonii de Valle del Gallegillos[1].

1 Vide de hisce tom. XI, pag. 39 seqq. (R. T.).

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii nobis ex alto commissi debitum postulat, ut, circa statum religiosorum Ordinum quorumcumque in Ecclesiâ Dei militantium salubriter dirigendum mentis nostrae aciem assidue intendentes, ad ea praecipue eiusdem officii partes sedulo impendamus, ut, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris pro felici eorumdem Ordinum statu et directione proinde sunt statuta et ordinata, ab iis, ad quos spectat, inviolabiliter observentur. Prooemium.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis monachorum Ordinis S. Basilii Congregationis Reformatae nuncupatae, quod aliàs felicis recordationis Clemens Papa VIII, praedecessor noster, cupiens S. Basilii huiusmodi regulam cum suo laudabili de labore manuum instituto in suâ propriâ et primitivâ sanctorum patrum observantiâ stabiliri ac perpetuo conservari, duo monasteria eiusdem Ordinis tunc expressa in monasteria reformationis et verae regulae observantiae constituens et separans, inter alia voluit, quod monachi monasteriorum reformationis huiusmodi abbati dicti Ordinis generali taliter subiacerent, ut ipse per se, non vero per alium, nisi forte ex eâdem congregatione reformatâ monachum, posset illa tam in capite quam in membris visitare, corrigere et emendare, non vero in aliquo contra supradictam reformationem, seu constitutiones ab ipsis faciendas et a Sede Apostolicâ approbandas, in communi vel cum aliquo particulari dispensare, vel quidquam aliud mutare sive innovare, neque monachos reformatos a suis monasteriis ad alia quacumque de causâ transferre, seu alios ab ipsis etiam ad breve tempus recipi facere, vel aliud quidquam ordinare seu statuere, in quo ipsos posset perturbare seu quomodolibet

Clemens VIII constitutionem de hac reformatione.

inquietare, et aliàs, prout in ipsius Clementis praedecessoris in simili formâ Brevis desuper expeditis litteris plenius continetur[1].

Quam hic Pontifex observari mandat.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praemissis nequaquam obstantibus nonnulli eiusdem Ordinis abbates generales, eorumque vicarii, quibusdam monachis reformatis ad provincias non reformatas transeundi licentiam et facultatem concesserint, atque ex hoc non leves in congregatione reformatâ huiusmodi exoriantur perturbationes, proindeque per nos desuper opportune provideri summopere desideret: nos, praemissis, quantum cum Domino possumus, obviam ire, prosperoque monachorum praedictorum regimini et gubernio consulere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis etc. censentes, supplicationibus dicti procuratoris nobis etc. inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, dilecto filio abbati generali dicti Ordinis pro tempore existenti per praesentes praecipimus, ut in posterum praedictas litteras in formâ Brevis praedicti Clementis praedecessoris omnino observet et observari faciat;

Mandat puniri transgressores.

§ 3. Decernentes illum, si unquam aliquem ex monachis reformatis huiusmodi contra dispositionem dictarum litterarum ad provincias non reformatas transferre praesumpserit, poenam privationis vocis activae et passivae eo ipso incurrere, sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios et commissarios quavis auctoritate fungentes iudicari, etc. attentari. Non obstantibus omnibus illis, quae dictus Clemens praedecessor in suis litteris praedictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX octobris MDCXXIX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 30 octobris 1629, pontif. an. VII.

1 Quas vide cit. in nota ad rubricam (R. T.).

CCCLV.

Vectigal super carne et vino, quod ab ecclesiasticis civitatis Ulyssiponensis exigi permiserat, ab ecclesiasticis quoque regnorum Portugalliae et Algarbiorum exigi posse indulget[1].

Venerabili fratri Laurentio episcopo Hieracensi, moderno et pro tempore existenti iurium et spoliorum camerae nostrae apostolicae in Portugalliae et Algarbiorum regnis collectori generali,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset indultum iam concessum exigendi vectigal ab ecclesiasticis civitatis Ulyssiponensis.

§ 1. Aliàs a nobis emanarunt litterae tibi directae tenoris subsequentis, videlicet: *Venerabili fratri Laurentio,* etc., sub datum XXXI ianuarii MDCXXIX, anno VI.

Petitio regis pro extensione ad omnes ecclesiasticos regnorum Portugalliae et Algarbiorum.

§ 2. Cum autem dictus Philippus rex denuo nobis exponi fecerit, maximas necessitates christifidelium et ecclesiarum illarum partium maiori indigere subsidio, personasque aliarum civitatum, oppidorum et locorum eorumdem Portugalliae et Algarbiorum regnorum numero valde excedere personas dictae civitatis Ulyssiponensis, emolumentaque dictae gabellae, si illam, pro maiori subsidio eidem regi ad praedictum effectum praestando, praedictae civitates, oppida et loca praedictorum regnorum Portugalliae et Algarbiorum, exceptâ civitate Ulyssiponensi, imposuerint, vel imponere voluerint, spatio praedicti sexennii dictam summam ducentorum millium cruciatorum hactenus a nobis per praeinsertas litteras etiam quoad ecclesiasticos approbatam longe excedere, et ad summam qua-

1 Ex Regest. in Secret. Brev. — Indultum, quod hîc recensetur, lege sup. in Const. CCCXXI (al. 295), *Exponi nobis,* pag. 43.

dringentorum millium cruciatorum et ultra ascendere, facultatesque laicorum eorumdem regnorum non suppetere: nobis idcirco dictus Philippus Rex humiliter supplicari fecit, ut, quoad praedictas alias civitates, oppida et loca dictorum regnorum, exceptâ dictâ civitate Ulyssiponensi, quatenus praedictae aliae civitates, oppida et loca, exceptâ civitate praedictâ Ulyssiponensi, eamdem gabellam imposuerint, vel imponere voluerint, nos eamdem gabellam etiam a personis ecclesiasticis earumdem civitatum, oppidorum et locorum dictorum regnorum, non tamen praedictae Ulyssiponensis civitatis, ad sexennium, pro ratâ carnis et vini per easdem personas ecclesiasticas publice emendi[1], etiam ultra summam dictorum ducentorum millium cruciatorum exigendi licentiam et facultatem concedere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Cui Pontifex annuit.

§ 3. Nos igitur, piis dicti Philippi regis votis, quantum cum Domino possumus, annuere, eumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praedictas necessitates omnino attendentes, clerumque et ecclesiasticos regnorum praedictorum Portugalliae et Algarbiorum, sub quorum dominio Indiae praedictae consistunt, pro christifidelium et ecclesiarum in illis existentium necessitatibus praedictis sublevandis de patrimonio Christi, cuius causa maxime agitur, etiam eorum ratam gabellae huiusmodi pro carne et vino publice, ut praefertur, emendo[2] solvendam libenter suppeditaturos, nobis persuadentes, tibi per praesentes committimus et mandamus, quatenus, exceptâ dictâ civitate Ulyssiponensi, reliquarum aliarum civitatum, oppidorum et locorum dictorum regnorum, quae gabellam huiusmodi imposuerint, vel imponere voluerint, praesidentibus, officialibus et ministris quovis nomine nuncupatis eamdem gabellam etiam a personis ecclesiasticis tam secularibus quam regularibus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existant, etiam exemptis et quomodolibet qualificatis, vinum et carnem, ut praefertur, publice ementibus usque ad aliam summam aliorum ducentorum millium cruciatorum, et sic in totum usque ad summam quadringentorum millium cruciatorum, exceptâ dictâ civitate Ulyssiponensi, infra tamen sexennium, a die impositionis dictae gabellae, si illam ut praefertur imposuerint vel imponere voluerint, computandum, dumtaxat et non ultra, modo et formâ in praeinsertis litteris expressis contribuendam, solvendam, exigendam et convertendam, absque ullo conscientiae scrupulo aut censurarum et poenarum ecclesiasticarum incursu exigendi, pecuniasque inde provenientes ad effectum praemissum et non in alios usus quoscumque convertendi et erogandi licentiam et facultatem auctoritate nostrâ concedas et impartiaris.

Pro exigendo hoc vectigali duas personas, unam scilicet a rege, alteram ab episcopo Hieracensi deputari mandat.

§ 4. Volumus autem, quod pecuniae ratione gabellae huiusmodi exigendae penes duas personas fide et facultatibus idoneas, unam scilicet ab eodem Philippo rege, seu eius ministris in eisdem regnis existentibus, aliam vero a dicto clero, seu a te, eiusdem cleri nomine, deputandas et respective approbandas, omnino deponantur, et per easdem personas coniunctim procedentes dictis Philippi regis ministris, ad effectum illas in supradictos et non alios usus sub infrascriptis censuris et poenis eo ipso incurrendis expendendi, consignentur;

Pecunias sic exigendas in alios impendi usus vetat.

§ 5. Quodque personae sic deputatae et approbatae de pecunias huiusmodi, nonnisi ad effectum eadem subsidia in praedictos et non alios usus praestandi, eisdem Philippi regis ministris numerando, ministri

1 Aptius legeretur *emendorum* (R. T.).
2 Pariter heic legerem *emendis* (R. T.).

vero praedicti pecunias ex dictis gabellis provenientes, sibi, ut praefertur, numerandas, nonnisi in usus istos et non alios erogando, sub excommunicationis maioris ac privationis dignitatum, officiorum et beneficiorum etiam ecclesiasticorum, ipso facto incurrendis poenis[1] (a quibus nonnisi a nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, specialiter, non autem vigore cruciatae, seu cuiuslibet alterius concessionis, aut privilegii ab eâdem Sede pro tempore emanati et emanandi, absolvi posse declaramus), solitum praestent in manibus tuis iuramentum.

Contrafacientes ad restitutionem teneri vult.

§ 6. Insuper etiam volumus, quod quicumque alii ministri et officiales regii, cuiuscumque conditionis, qualitatis, status, et praeeminentiae, specialique notâ digni[2] sint, easdem pecunias in toto vel in parte in alios quam praedictos usus sub eisdem censuris et poenis ipso facto incurrendis convertere non possint, quodque, in eventum contraventionis seu inobservantiae omnium et singulorum praemissorum vel cuiuslibet eorum, praesens gratia nulla sit; prout illam ex nunc tenore praesentium nullam fuisse et esse, contravenientesque ad restitutionem teneri, et nonnisi factâ actuali restitutione absolvi posse, declaramus[3].

Elapso autem sexennio vectigal exigi vetat.

§ 7. Similiter declaramus, ac etiam decernimus, quod sexennio huiusmodi elapso et interim si et postquam praedicta summa quadringentorum millium cruciatorum in civitatibus, oppidis et locis praedictis praedictorum regnorum, exceptâ civitate Ulyssiponensi huiusmodi, decursa, soluta seu exacta fuerit, praesens gratia expiret eo ipso, nec, sub eisdem censuris et poenis ipso facto incurrendis, gabella seu gabellae praedictae ulterius exigi, minusve super eis aliquod onus, praesertim ultra praedictum tempus duraturum, imponi unquam possit.

Clausulae.

§ 8. Decernentes sic et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et nuncios quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§ 9. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII decembris MDCXXIX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 2 decembris 1629, pontif. anno VII.

CCCLVI.

Erectio montis vacabilis subsidii *nuncupati*[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Causa huius Constitutionis.

§ 1. Impensarum moles, quas his durissimis et difficillimis temporibus pro defensione et conservatione Status nostri Ecclesiastici facere cogimur, nos impellit, ut pecuniam, undequaque haberi potest, pro imminentibus Sedis et camerae no-

1 Edit. Main. habet *incurren.* nos addimus *poenis* (R. T.).

2 Legerem *dignae* aut *dignorum*, nempe *praeeminentiae et status* (R. T.).

3 Vocem *declaramus* nos addimus (R. T.).

1 Materiam subsidii late videre poteris in Constit. XLIX Pauli III, *Decens*, tom. VI, pag. 365; item in Const. XXIX Pauli IV, *Cupientes*, ibidem pag. 557 et Pauli V, Constit. XXIII, *In maximis*, tom. XI, pag. 256. Revocationem vero exemptionum a solutione subsidii triennalis vide in Constit. VI Sixti V, *Inter varias*, tom. VIII, pag. 578.

strae necessitatibus, et ad ea gerenda quae pro eiusdem Sedis et praedicti Status nostri beneficio necessaria videntur, assidue cogitemus colligere et comparare, ut eam paratam in ipsis necessitatibus habeamus, idque minori quo possimus subditorum nostrorum et ipsius camerae incommodo et detrimento facere studeamus. Ideo unum montem vacabilem, ex quo opportuna pecuniae vis colligi possit, super augmento seu subsidio iulii unius pro quolibet cado vini, quod ad Urbem ex circumvicinis civitatibus et locis asportatur, pro annuis scutis viginti duobus millibus monetae dilectis filiis Ioanni Baptistae et fratribus de Gallis locatis[1], et alio augmento seu subsidio duarum ex tribus partibus quadrantis super qualibet librâ carnis, quae in Urbe venditur, ad annua scuta viginti quinque millia ascendente, per nos impositis et auctis, aliisque dictae nostrae camerae introitibus, erigere deliberavimus.

De erigendo monte vacabili super vectigali vini et carnis cogitat;

Et erigit.

§ 2. Motu igitur proprio ac ex certâ scientiâ et potestatis plenitudine nostris montem vacabilem scutorum trecentorum millium monetae *subsidii* nuncupandum, locorum seu portionum trium millium vacabilium resignabilium ad instar aliorum officiorum et montium vacabilium Romanae Curiae, scutis centum monetae pro quolibet loco computatis, annui fructus scutorum novem monetae pro quolibet loco et portione et anno, a die primâ mensis iulii proxime praeteriti praesentis anni MDCXXX inchoando, ad instar aliorum montium et officiorum vacabilium, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, erigimus, creamus, facimus et instituimus.

Dotem assignat.

§ 3. Illique sic erecto et instituto, ac personis, quae in eo pecunias, ut infra dicetur, posuerint, pro dicti montis congruâ dote, ac fructibus et emolumentis ad praedictam rationem scutorum novem monetae annis singulis pro quolibet loco et quolibet bimestri in fine pro ratâ solvendorum[1], summam scutorum viginti septem millium monetae ex dicto subsidio seu augmento iulii pro quolibet cado vini, et reliquorum scutorum septem millium monetae annuorum ex supradicto augmento gabellae carnis per nos, ut praefertur, imposito, a dictorum subsidiorum emolumentis et redditibus dismembramus et separamus, sicque dismembratam et separatam dicto monti illiusque depositario et montistis solvendam, eodem monte durante, concedimus, applicamus et appropriamus et assignamus, applicatamque et appropriatam esse volumus et mandamus.

Dictum montem ab omnibus oneribus eximit.

§ 4. Ipsumque montem et illius futuros creditores in nostrum ac Sedis ac camerae praedictarum locum, quoad integram summam praedictam eiusque liberam perceptionem, exactionem et consequutionem, etiam irrevocabiliter ponimus, substituimus et subrogamus, eamdemque summam ab omnibus oneribus, tributis, subsidiis et collectionibus et retentionibus per nos et pro tempore existentes Romanos Pontifices, ex quacumque urgenti et publicâ, ac etiam pestis, fidei catholicae tuendae causâ, augmento cultus divini, seu aliâ sublevatione et conservatione eiusdem nostri Status et Romanae Ecclesiae, quomodolibet impositis et imponendis, ac ab omnibus et quibuscumque aliis gravaminibus ordinariis et extraordinariis praesentibus et futuris eximimus et liberamus, exemptaque et libera, dictosque redditus, introitus et emolumenta eidem monti et illius creditoribus et montistis obligata et hypothecata esse volumus, et obligamus et hypothecamus.

Sedis Apostolicae et camerae bona pro dicti montis securitate obligat.

§ 5. Et, pro maiori eiusdem montis et personarum in eo pecunias ponere volentium cautelâ et securitate, omnia et singula alia Sedis et camerae praedictarum

1 Potius legend. *locato*, nempe *subsidio* (R.T.).

1 Vel *solvendis*, idest *fructibus* (R. T.).

bona mobilia, immobilia, iura, res et actiones quaecumque praesentia et futura ubique locorum existentia, introitusque, redditus et proventus, dicto monti *subsidii*, illiusque singulis personis et montistis generaliter et specialiter etiam obligamus et hypothecamus, ac obligata et hypothecata esse, nec super annuis summis praedictis, ut supra assignatis, illarumque exactione et perceptione etiam per nos et successores nostros praedictos quovis modo montistas praedictos perturbari, inquietari vel molestari posse, volumus et decernimus.

Facultatem omnibus tribuit in dicto monte pecunias ponendi, exceptis Mendicantibus, et infidelibus.

§ 6. Necnon etiam eâdem auctoritate statuimus atque decernimus, quod quaecumque utriusque sexus personae, cuiuscumque aetatis, etiam minores, pupilli, ac spurii et illegitimi, et cuiuscumque status, gradus, conditionis, dignitatis et praeeminentiae existentes, etiam si cardinalatus honore praefulgeant, et ecclesiis cathedralibus etiam metropolitanis et patriarchalibus seu monasteriis praesint, et quaecumque, quotcumque et qualiacumque ecclesiastica beneficia cum curâ et sine curâ obtineant, in sacris etiam presbyteratus ordinibus constitutae, necnon quorumvis sub quavis regulâ institutorum, hospitalium et militiarum et quorumcumque (non tamen mendicantium) Ordinum religiosi, quibus a iure aut per privilegium concessum est proprium retinere posse, cuiuscumque nominis, qualitatis et conditionis, praeterquam ratione regularis professionis in aliquo Ordine mendicantium inhabiles et incapaces existant, ac infidelibus exceptis, in monte praedicto *subsidii* quascumque pecuniarum quantitates (non tamen infra summam scutorum centum monetae in singulas personas, ita ut loca et portiones huiusmodi dividi minime possint) usque ad dictam summam locorum trium millium ponere, et ipsae personae pro pecuniis sic positis fructus ad rationem scutorum novem similium pro quolibet loco singulis annis, et quolibet bimestri eorum ratam, sine aliquo conscientiae scrupulo et sortis principalis diminutione vel aliquo restitutionis onere, integre, omni prorsus impedimento cessante, percipere et habere possint et valeant.

Confiscari prohibet.

§ 7. Praeterea etiam expresse prohibemus, quod loca praedicta, nec eorum fructus et emolumenta, etiam causâ rebellionis, proditionis, assassinii, sacrilegii, laesae maiestatis et aliorum criminum quantumcumque gravium et enormium per loca ipsa obtinentes, tam intus quam extra ditionem nostram et in qualibet mundi parte, non tamen in personam Romani Pontificis aut alicuius ex sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, commissorum, etiam confessorum et probatorum, publicari seu deliberari, nec sub aliquibus sive specialibus sive generalibus omnium bonorum, rerum et iurium confiscationibus comprehendi [1] (sed specialiter ab illis excepta fore et esse censeantur, deque illis ipsimet delinquentes integre disponere possint, ac si delicta huiusmodi nequaquam commisissent), minusque loca praedicta vel eorum fructus quolibet praetextu ad instantiam cuiusvis personae, etiam camerae nostrae, vel aliâs modo aliquo sequestrari, vendi, subhastari, aut impediri possint.

Reductionem prohibet et a vacatione per quinquennium liberat.

§ 8. Decernimus praeterea, quod mons praedictus non possit redimi, vel reduci ad non vacabilem, nec extingui, minusque illius fructus a ratione scutorum novem huiusmodi pro quolibet loco, ut supra, reduci nec minui sub quovis praetextu, etiam necessitatis urgentis et urgentissimae Sedis Apostolicae, enormissimae laesionis, urgentis necessitatis, seu etiam evidentis utilitatis, aut aliâ quacumque

1 Male, ut puto, edit. Main. legit *comprehendantur* (R. T.).

causâ: et, volentes montem praedictum, illiusque montistas et creditores pro tempore existentes specialibus favoribus et gratiis decorare, decernimus, atque eâdem auctoritate statuimus et indulgemus, quod loca seu portiones dicti montis per quinquennium incipiendum a kalendis eiusdem mensis iulii proxime praeteriti praesentis anni MDCXXX[1], et ut sequitur finiendum[2], per obitum personarum, super quarum vitae periculis loca extabunt, vel ab eis causam dicto quinquennio durante habentium, non vacent, sed illa ad decedentium, illorumque ad quos loca praedicta spectabunt, haeredes ex testamento seu ab intestato omnino deveniant, ipsique haeredes et successores loca seu portiones huiusmodi retinere vel resignare ac pretium exinde proveniens recipere possint, et resignationes sic per eos factae admitti debeant, etiam cum eodem privilegio non vacantiae per dictum quinquennium a kalendis iulii ut supra incipiendum; quod privilegium non vacantiae dicto quinquennio durante transeat etiam in quoslibet successores, quibus suffragari debeat pro residuo dicti quinquennii: quo elapso, loca praedicta per obitum illa obtinentium omnino vacent et vacare debeant ad commodum et favorem eiusdem camerae nostrae.

Facultates, exemptiones et privilegia concedit montistis.

§ 9. Volumus praeterea, quod montis praedicti creditores ad pecunias ab ipsis in eo positas et erogatas, aut illarum partem, in aliquam subventionem, utilitatem, seu necessitatem Status Ecclesiastici vel Sedis et camerae praedictarum conversas fuisse et esse probandum haudquaquam teneantur, sed, cum simplicibus litteris patentibus ab infradicendo thesaurario nostro generali et secretario dicti montis, ab ipso ut infra deputando, expeditis, iidem creditores et montistae tuti sint; eidemque monti et personis in eo pecunias habentibus collegium et defensores creandi et deputandi, ordinationes et statuta quaecumque, licita tamen et honesta, a praedicto thesaurario nostro generali examinanda et approbanda, condendi licentiam et facultatem concedimus; necnon iis, ut omnibus et singulis aliis privilegiis et facultatibus, exemptionibus et immunitatibus, libertatibus, praerogativis, gratiis et indultis, quibus ceteri creditores aliorum montium vacabilium Romanae Curiae potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, ac si illa sic de verbo ad verbum inserta forent, uti, frui et potiri libere et licite valeant indulgemus; quodque praesentes vim et robur veri et validi contractus ac obligationis inter nos et Sedem et cameram praedictas ex unâ, et eos, qui pecunias in ipso monte posuerint, ex alterâ partibus legitime initi et stipulati obtineant, et obtinere, dictusque mons et illius montistae in pacificâ, liberâ et quietâ dictorum annuorum scutorum viginti septem millium eis, ut praefertur, assignatorum exactionis et perceptionis possessione,[1] dicto monte durante, manuteneri et conservari debeant.

Thesaurarium generalem camerae apostolicae huius montis designat protectorem.

§ 10. Praeterea dilectum filium magistrum Stephanum Durantium thesaurarium nostrum generalem, aliosque pro tempore existentes thesaurarios generales, dicti montis protectores, cum potestate litteras patentes sub eorum nominibus et sigillis expediendi et concedendi, necnon omnes et quascumque causas, super dicto monte illiusque causâ et occasione, et ab eo quomobolibet dependentes, movendas, privative quoad omnes alios iudices cognoscendi et terminandi, ac omnia alia, quae ad eiusdem montis utilitatem, providamque directionem pertinere cognoverit[2], peragendi, cum facultate etiam depositarium ac secretarium et ratiocinatorem seu compu-

1 Ex loco h. bullae legend. foret MDXXIX (R. T.).
2 Perperam ed. Main. legit *finiendis* (R. T.).

1 Coniunct. *et* delemus (R. T.).
2 Cohaerenter legend. foret *cognoverint* (R. T.).

tistam dicti montis, cum emolumentis eidem benevisis, ad eorum vitam et donec vixerint et prout ipsis melius placuerit et videbitur, eligendi et deputandi.

Clausulas praeservativas apponit.

§ 11. Decernentes, praesentes nostras litteras de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae seu alio quocumque defectu notari, argui vel impugnari, aut revocari, restringi, vel limitari minime posse, seu debere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, etiam quod in dictâ camerâ eiusque libris non admittantur neque registrentur; sicque et non aliàs in omnibus et singulis praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici et dictae camerae clericos, cameramque ipsam, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 12. Non obstantibus praemissis et felicis recordationis Symmachi, Calixti III, Pauli II, Pauli III, Pauli IV et Pii V, aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, ac etiam nostris, de rebus Ecclesiae et camerae non alienandis, et alienatis recuperandis, ac etiam Pii IV de registrandis, aliisque apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus ac universalibus conciliis editis, specialibus et generalibus, constitutionibus et ordinationibus, etiam praedicta fieri specialiter expresse prohibentibus, et facta irrita esse decernentibus, dictaeque camerae, iuramento, confirmatione apostolicâ et quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem camerae et quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu proprio, ac ex certâ scientiâ et potestatis plenitudine similibus, et pro conservatione Status, dignitatis et existimationis sanctae Romanae Ecclesiae, concessis, confirmatis, ac etiam reiteratis vicibus innovatis, extensis et moderatis; quibus omnibus, etiam si de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, integra et individua mentio habenda esset, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, illaque, quatenus praemissis obstent, tollimus, abrogamus et abolemus.

Exemplis fides adhibeatur.

§ 13. Volumus autem, ut praesentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu secretarii dicti montis seu publici notarii subscriptis, et sigillo praedicti thesaurarii generalis seu personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique locorum adhibeatur, quae eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae, adhiberetur.

Papae subscriptio.

Placet motu proprio M.

CCCLVII.

Quod praecedentia in concursu cum aliis regularibus in processionibus competit fratribus Discalceatis S. Francisci in provinciis Hispaniarum.

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ex incumbenti nobis apostolici muneris debito, ad ea mentis nostrae aciem

1 Edit. Main. habet *dictae camerae.*

assidue intendimus, per quae christifideles, sub suavi religionis iugo et strictioris observantiae regulis Altissimo famulantes, sublatis obstaculis, in quietis ac pacis amoenitate vota sua Domino reddant, ac felicioribus in viâ mandatorum eius proficiant incrementis.

Decretum sacrae rituum Congregationis.

§ 1. Nuper siquidem a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, sacris ritibus praepositis, emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Procurator fratrum Discalceatorum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ provinciae S. Ioannis Baptistae Hispaniarum exposuit, suos fratres Discalceatos pati controversiam ab aliis regularibus, et praecipue ab Augustinianis, circa praecedentiam in processionibus et alias praerogativas, ipsis etiam Discalceatis, cum veri filii Reformati eiusdem Ordinis sint, pariter suffragantes, et expressas in Bullâ Clementis VIII incipiente *Ex iniuncto nobis*[1], sub die VII septembris MDCII, quotiescumque dicti Discalceati non incedunt aut degunt cum fratribus familiae de Observantiâ, quod cum sit contra expressam mentem et Bullam dicti Clementis VIII, citato etiam ad hoc procuratore generali Ordinis sancti Augustini, supplicavit provideri. Et sacra Rituum congregatio, sequendo votum illustrissimi Deti, cui haec causa erat commissa, censuit praecedentiam in concursu cum aliis regularibus in processionibus et aliis actibus publicis semper competere dictis Discalceatis, sive soli de per se et sub propriâ cruce, sive sub cruce et cum familiâ de Observantiâ incedant, et sive Discalceati, Reformati, aut alio quovis nomine nuncupentur, dummodo sint vere Reformati Ordinis sancti Francisci; necnon gaudere et frui debere omnibus aliis praerogativis in supradictâ Bullâ Clementis VIII expressis; et ita imposterum ubique servari mandavit hac die XXII decembris, et iuxta aliâs resoluta in antecedenti congregatione sub die X eiusdem mensis MDCXXIX.

1 Quam vide in tom. X, pag. 862 (R. T.).

Quod, petente fratrum Discalceatorum procuratore.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius procurator fratrum Discalceatorum praedictorum nobis exponi fecit, ipse plurimum cupiat, praeinsertum decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, exactiusque ab omnibus observetur, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri: nos, qui pacem et quietem inter regulares praesertim personas vigere sinceris desideramus affectibus, procuratorem et fratres praedictos, quo praemissorum commodo et effectu pacifice uti valeant, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis nuper hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum decretum huiusmodi, cum omnibus et singulis in eis contentis et expressis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti et quovis alios defectus, si qui in praemissis quomodolibet intervenerint aut intervenisse dici vel censeri possent, supplemus: necnon decretum, et in eo[1] contenta huiusmodi, praesentesque litteras valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac fratribus Discalceatis praedictis, ubicumque existentibus, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, necnon ab omnibus, ad quos spectat et in

Pontifex confirmat.

1 Male edit. Main. legit *in ea* (R. T.).

futurum quomodolibet spectabit, firmiter et inviolabiliter perpetuo observari, sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis Apostolicae nuncios, ubique et in quavis instantiâ iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super hoc a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate et tenore praefatis decernimus et declaramus.

Exequutores deputat.

§ 3. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis, ac Oroliensi, et aliis episcopis, in provinciis et locis, in quibus fratrum Discalceatorum huiusmodi regulares domus erectae sunt sive imposterum erigentur, constitutis, ac dilectis filiis eorum officialibus seu vicariis in spiritualibus generalibus per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte fratrum Discalceatorum huiusmodi requisiti fuerint, solemniter publicantes, eisdemque fratribus Discalceatis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praemissa omnia et singula ab iis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in futurum inviolabiliter observari, eosdemque fratres Discalceatos praemissorum commodo et effectu quiete et pacifice ubique frui et gaudere; non permittentes illos per aliorum quorumvis Ordinum et institutorum regulares in praemissis quovis praetextu, causâ vel occasione, aut aliàs quomodolibet indebite molestari, perturbari, inquietari vel impediri;

Mandat puniri transgressores.

§ 4. Contradictores quoslibet et rebelles, aut aliàs in praemissis non parentes, seu sese quomodolibet opponentes, eisque auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, directe aut indirecte, quomodolibet praestantes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogat contrarius.

§ 5. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in Concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quorumvis Ordinum et congregationum, illorumque domorum et locorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, eorumque superioribus et personis, ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, aut aliàs, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis.

§ 6. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 7. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX ianuarii MDCXXX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 9 ianuarii 1630, pontif. anno VII.

CCCLVIII.

Facultas cardinali a Balneo absolvendi archiepiscopum Rothomagensem, qui in quodam libro nonnulla contra Sedis Apostolicae auctoritatem inadvertenter scripserat[1].

Dilecto filio nostro Ioanni Francisco, sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali a Balneo nuncupato,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Sedes Apostolica pia mater recurrentibus ad eam post excessum cum humilitate filiis libenter se propitiam exhibet et benignam.

Archiepiscopus Rothomagensis contra Sedem Apostolicam inadvertenter nonnulla scripserat. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit venerabilis frater Franciscus archiepiscopus Rothomagensis, quod in certo libro per eum composito nunnulla contra nostram et huius Sanctae Sedis auctoritatem inadvertenter scripsit et publicavit.

Ideo a censuris absolutionem petit. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipse de praemissis plurimum doluerit et doleat ad praesens, et per eum contra nostram et eiusdem Sedis auctoritatem scripta, ut praefertur, ore et in scriptis palam et publice retractaverit sive revocaverit, cupiatque propterea a censuris et poenis ecclesiasticis, per eum praemissorum occasione quomodolibet incursis, per nos in utroque foro absolvi, et aliàs statui suo in praemissis opportune provideri:

Papa dat facultatem cardinali a Balneo ipsum absolvendi. § 3. Nos, attendentes exuberantem Sedis Apostolicae clementiam gremium suae pietatis petentibus claudere non consuevisse, ac cum eodem Francisco archiepiscopo more pii patris agere, eumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, circumspectioni tuae per praesentes iniungimus, ut eumdem Franciscum archiepiscopum, si hoc a te humiliter petierit, a quibuscumque censuris et poenis ecclesiasticis, per eum praemissorum occasione quomodolibet incursis, et quas incurrisse dici vel censeri posset, impositâ ei propter praemissa arbitrio tuo poenitentiâ salutari, et factâ per eumdem Franciscum archiepiscopum promissione de parendo nostris et sanctae matris Ecclesiae mandatis, auctoritate nostrâ in utroque foro absolvas, dictasque poenas illi gratiose remittas et condones, omnemque inhabilitatis notam, et aliud forsan praeiudicium contra eum praemissorum occasione quomodolibet insurgens, ab eo penitus tollas et aboleas, eumque in pristinum et eum, in quo antea quomodolibet erat, statum restituas, reponas et plenarie reintegres, secumque super irregularitate, si quam, eorumdem praemissorum occasione, contraxit, eâdem auctoritate dispenses.

Obstantia tollit. § 4. Non obstantibus apostolicis et in universalibus, provincialibusque conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII aprilis MDCXXX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 13 aprilis 1630, pontif. anno VII.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

CCCLIX.

Confirmatio concordiae et revalidatio litterarum, quibus iussu huius pontificis anno MDCXXVI *in conventu Virginis Mariae Solitudinis de la Iuna provinciae S. Ioannis Baptistae Minorum Discalceatorum S. Francisci de Observantiâ celebratum ac insuper confirmatum fuit capitulum provinciale, cum impositione silentii, ac poenis et censuris per contrafacientes eo ipso incurrendis.*

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Regis pacifici vices quamquam immeriti gerentes in terris, inter cetera cordis nostri desiderabilia, illud sinceris semper exoptamus affectibus, ut christifideles, praesertim sub suavi religionis iugo et strictioris observantiae regulis divinis obsequiis famulantes, vota sua in pacis amoenitate Altissimo reddant, ac unanimes et uno ore Deum glorificent. Quapropter, si qua[1] pro litibus et controversiis inter eos (superseminante humani generis hoste zizaniâ) exortis evellendis, penitusque exstirpandis concorditer facta fuisse comperimus, illa, ne in recidivae contentionis vitium denuo prolabantur, apostolicae nostrae confirmationis munimine roboramus, ac alias desuper pastoralis officii nostri partes, quantum nobis ex alto conceditur, sedulo impendimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Referuntur priores Pontificis litterae.

§ 1. Aliàs siquidem a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

In cathedrâ beati Apostolorum Principis, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per abundantiam divinae gratiae constituti, inter gravissimas pastoralis sollicitudinis curas illa nos sollicitos iugiter habuit, ut religiosi viri, divini numinis obsequiis sub regularibus arctioris vitae institutis famulantes, maioribus in dies in sanctitate et iustitiâ coram Domino proficiant incrementis, ac proinde, quae in hoc impedimento esse possunt, etiam per opportunae declarationis ministerium tollimus, aliàsque statuimus et ordinamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Quibus quamdam Clementis Constitutionem declaraverat.

§ 2. Aliàs siquidem felicis recordationis Clemens VIII praedecessor noster, felici ac prospero fratrum Ordinis Minoris S. Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum provinciae S. Ioannis Baptistae Hispaniarum regimini et gubernio pastorali sollicitudine invigilans, inter alia concessit et indulsit fratribus praedictis, quod suis arctioribus constitutionibus gubernarentur, nec ad observanda statuta generalia Ordinis, facta vel pro tempore facienda a capitulis vel congregationibus generalibus Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, nec ad peculiaria superiorum mandata, quae, definitorum provinciae iudicio, fuissent Excalceatorum reformationi aut commodo dissentanea, tenerentur: nec similiter possent fratres ipsius provinciae ab ipsâ suâ provinciâ abstrahi per quoscumque superiores, vel ad Indos vel alias partes et provincias remitterentur, nisi de consensu capituli provincialis eiusdem provinciae, et aliàs prout in ipsius Clementis praedecessoris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur[1].

§ 3. Cum autem, sicut accepimus, circa concessionem et indultum ac litteras Clementis praedecessoris huiusmodi nonnulla dubia, diversaeque lites et controversiae ac perturbationes in dictâ pro-

1 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

1 Quas non puto esse in *Bullario* (R. T.).

vinciâ hactenus ortae sint, et de praesenti vigeant, ac verendum sit alias longe maiores orituras: nos, praemissis pro nostri officii debito, quantum nobis ex alto conceditur, obviam ire, ac paci et quieti ipsius provinciae opportune consulere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus, constitutiones proprias illas tantum esse intelligendas, quae fuerunt firmatae et receptae in capitulo provinciali, necnon a clausulâ sequenti, nimirum, *nec ad peculiaria superiorum mandata, quae, definitorum provinciae iudicio, fuerint Excalceatorum reformationi aut commodo dissentanea*, verba illa *aut commodo* omnino delenda esse, prout nos earumdem praesentium vigore delemus; ubi autem dicitur, non posse fratres ipsius provinciae abstrahi per quoscumque superiores, nisi de consensu capituli provincialis eiusdem provinciae, verba illa *per quoscumque superiores* nimirum de superioribus eiusdem Ordinis tantum declaranda ac respective intelligenda esse.

Ac praesertim quae sit ministri generalis super hanc provinciam iurisdictio,

§ 4. Praeterea, pro maiori quiete, et ad omnes discordias et differentias inter dictae provinciae fratres removendas, auctoritate et tenore praesentium statuimus et decernimus, quod dilectus filius minister generalis praedicti Ordinis capitulo dictae provinciae, in quo tamquam minister generalis vocem habere solet, omnino interveniat cum facultate fratres quoscumque Ordinis provinciaeque huiusmodi in praemissis delinquentes a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis, ac super quibuscumque irregularitatibus, per eos propterea quomodolibet incursis et respective contractis, auctoritate nostrâ absolvendi et dispensandi, easdemque poenas illis remittendi et condonandi. Dilecti vero filii Antonius Vives, minister provincialis, ac Ioannes Ximenez, pro hac vice tantum, tres patres de corpore dictae provinciae, bonae famae et conditionis, ac ab omni factione alienos, Franciscus autem Borgia eiusdem Ordinis et provinciae professores tres alios eiusdem probitatis et prudentiae viros respective nominent; ac ex istis sic nominatis minister generalis praefatus quatuor definitores, ac provincialem et custodem, qui unâ cum eodem ministro generali de aliis electionibus, prout in capitulo provinciali facere solent, provideant, eligat. Quod si in dictâ nominatione faciendâ Antonius, ac Ioannes et Franciscus praedicti concordes non fuerint, vel aliquis eorum interea e vivis decesserit, tunc et eo casu minister generalis praedictus vices quoquomodo deficientis, auctoritate nostrâ, suppleat.

Cum decreto ut praedicta omnino serventur.

§ 5. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis et privationis quorumcumque officiorum per eos obtentorum, inhabilitatisque ad illa et alia imposterum obtinenda, ac aliis arbitrio nostro infligendis poenis, eidem ministro generali, aliisque Ordinis et provinciae huiusmodi superioribus quocumque modo nuncupatis, quatenus praemissa omnia et singula, necnon praesentes litteras firmiter et inviolabiliter observent, ac ab aliis observari curent et faciant; ac decernentes sic et non aliter in eisdem praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Clementis praedecessoris huiusmodi litteris, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictorum Ordinis et provinciae, etiam iuramento,

confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et constitutionibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Ceterum ministrum generalem praefatum harum serie in Domino monemus, ut in praemissis adimplendis taliter se gerere studeat, quod alicui ex factionibus suspectus minime reddatur; quinimo dictae provinciae concordiam, quietem, charitatemque prae oculis semper habeat, ut non solum in proximo futuro capitulo, sed etiam perpetuis futuris temporibus, Deo dante, valeat permanere. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI februarii MDCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Deinde silentium imposuerat super celebrato capitulo.

§ 6. Subinde vero (pro parte dilecti filii Ioannis Baptistae Beruegal, procuratoris generalis fratrum provinciae huiusmodi dicti Ordinis, nobis exposito, quod in capitulo provinciali dictae provinciae in domo B. Mariae *de la Soledad* vulgo nuncupatae, oppidi de la Iana, Dertusensis dioecesis, de mense maii tunc proxime praeterito, iussu nostro, praesidente in eo dilecto filio Bernardino de Senis dicti Ordinis ministro generali, celebrato, dilectus etiam filius Ioannes Olante, dicti Ordinis professor, in eiusdem provinciae ministrum provincialem canonice electus et deputatus fuerat) nos, dicti Ioannis Baptistae supplicationibus eâ in parte tunc inclinati, electionem et deputationem praedictas per nostras in simili formâ Brevis sub die XXIX ianuarii MDCXXVII expeditas litteras[1] apostolicâ auctoritate approbavimus et confirmavimus. Ac demum (per nos accepto, quod venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales, negotiis regularium praepositi, litteras remissorias aliquibus fratribus Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum provinciae sancti Ioannis Baptistae in regno Valentiae, ad effectum examinandi testes super tribus articulis, concesserant, prout in litteris remissoriis huiusmodi continebatur) nos, de eorundem cardinalium consilio, stante consensu procuratorum utriusque partis, motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostris, circa nullitates celebrationis capituli habiti die XVII maii anni MDCXXVI in coenobio B. Mariae Solitudinis de la Iana, supradictae provinciae, apostolicâ auctoritate perpetuum silentium imposuimus; inhibentes propterea omnibus et singulis eiusdem provinciae fratribus, cuiuscumque gradus et conditionis existerent, sub poenâ privationis officiorum quae tunc obtinerent, et inhabilitatis ad cetera in futurum obtinenda, ne ullo umquam tempore super electionibus in eodem capitulo factis aliquas lites seu controversias movere vel prosequi quoquomodo auderent vel praesumerent, et aliàs prout in diversis nostris in eâdem formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, plenius continetur[1].

Concordia inita refertur.

§ 7. Cum autem, sicut denuo dictus Ioannes Baptista nobis nuper exponi fecit, ortâ subinde inter dilectum filium Ioannem a S. Bernardino, tunc dicti Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum procuratorem generalem, ipsumque Ioannem Baptistam, et alios dictae provinciae fratres ex unâ, ac quondam Iacobum Palau dilectorum filiorum Honuphrii Legaza aliorumque ipsius provinciae fratrum Discalceatorum procuratorem ex alterâ partibus, lite et causâ de et super praetensâ dicti capituli ac electionum in eo factarum revocatione, rebusque aliis in actis causae seu causarum huiusmodi deductis, tandem Ioannes, ac Ioannes Baptista et alii fratres, necnon Iacobus praefati, communi bono, pacisque inter eos conservationi consulentes, ad

1 Quae in *Bullario* non leguntur (R. T.).

1 Quae in *Bullario* non sunt (R. T.).

certam inter se devenerunt concordiam et transactionem tenoris subsequentis, videlicet:

« Die XII septembris MDCXXVIII. Concordia facta inter reverendum patrem fratrem Ioannem a sancto Bernardino Ordinis sancti Francisci, generalem procuratorem, et patres fratrem Ioannem Baptistam Beruegual, fratrem Damianum Estellet, fratrem Ioannem Ruix et fratrem Franciscum Siruent provinciae sancti Ioannis Baptistae Discalceatorum, eiusdem Ordinis speciales procuratores, ex unâ, et ex alterâ partibus doctorem Iacobum Palau, procuratorem fratris Honuphrii Legaza aliorumque patrum ipsius provinciae. I. Quod litterae remissoriales a sacrâ congregatione obtentae die XVII decembris MDCXXVII anni proxime praeteriti totaliter annullentur, quamvis examen seu processus fuerint inchoati, et, ut paci quietique provinciae consulatur, comburantur. II. Decretum et motusproprius concessus a Sanctissimo Domino nostro Papa Urbano VIII, die XVIII ianuarii MDCXXVIII, permaneant semper in suo robore validitateque, quoad illam partem nempe et clausulas revalidantes ac perpetuum silentium ponentes super[1] capitulo et electionibus rite et canonice[2] in conventu Virginis Mariae Solitudinis de la Iana die XVII maii MDCXXVI virtute litterarum seu motusproprii eiusdem Sanctissimi incipientis: *Urbanus VIII ad futuram rei memoriam. In cathedra beati Apostolorum Principis*, etc. sub datum die VI februari MDCXXVI[3]; quin potius ex communi partium consensu illud totum ratum sit, ac denuo confirmetur, quacumque dubitatione non obstante, aut quae forsan inde oriri potest, eo quod in ipsismet decreto et motu proprio de huiusmodi litteris remissorialibus specialis fiat mentio, cum illas nunc et imposterum, partibus convenientibus, specialiter et expresse irritas, ad nihilumque redigendas omnimode placuerit. III. Circa sententias latas die XIX ianuarii MDCXXI, tam in favorem fratris Onuphrii Legaza, quam in poenam quorumdam fratrum (prout in ipsismet sententiis maiori provinciae sigillo munitis et a pleno definitorio, hoc est reverendo patre fratre Blasio Aybar ministro provinciali, fratre Ioanne Ximenes, fratre Hieronymo Planes, fratre Antonio Sobrino, provinciae patribus, et fratre Michaële Blanch, fratre Petro Adam, fratre Vincentio Naucasa, fratre Sylvestro Sanz definitoribus, etiam pronunciatis, subscriptisque liquido constat), huiusmodi igitur sententiae declarandae sunt et admittendae a provinciali praesente et definitorio, tamquam bene latae, neque aliquam patientes nullitatem; quocirca idem frater Honuphrius Legaza ab eodem provinciali et definitorio pleno per litteras patentes declaretur liber iuxta sensum expressum in praedictis sententiis, ita ut quicquid post latas sententias, vel praedictae concordiae confirmationem, seu interim dum exequutioni mandatur, attentatum pro parte cuiuscumque fuerit, nullum sit, irritum, et absque ullo fundamento, et si quis aliquid in contrarium praemissorum suscitare, commovere seu allegare quovis modo vel quacumque de causâ praesumpserit, poenis in confirmatione concordiae assignandis seu infligendis subiiciatur, quibus etiam donetur idem frater Onuphrius, si aliquid imposterum praetenderit aut directe vel indirecte facere tentaverit contra fratres contentos in illis sententiis, seu alias quascumque personas. IV. Rursus, circa praetensam apostasiam, praedictus frater Honuphrius subiiciat se, ad cautelam, absolutioni, ita et taliter, ut nullis donetur poenis a constitutionibus generalibus Ordinis et provinciae constitutis, nec censeatur active

1 Vocem *super* nos addimus (R. T.).
2 Vocem *celebratis* deesse censuimus (R. T.).
3 Vide sup. pag. 127 (R. T.).

nec passive incapax ad quodcumque religionis officium. V. Insuper in ipsâ concordiâ declaretur, quod a provinciali et definitorio, non solum dictus Honuphrius, verum etiam omnes illi patres, qui mandatum procurationis dederint ad effectum praetensum revocationis supradicti decreti, seu quarumcumque litterarum apostolicarum, affligi, molestari, seu aliquâ poenâ affici nequeant. VI. Denique inter partes concordantes declaretur etiam, quod praedicta transactio seu concordia nullum habeat vigorem, quousque tandem ab ipsâ sacrâ regularium congregatione fuerit confirmata, et ante huiusmodi confirmationem in partibus acceptata: quibus positis, praedictus frater Honuphrius a die datae confirmationis concordiae infra duos menses ad suam teneatur remeare provinciam »:

Confirmatur. § 8. Nos, inviolabili concordiae et transactionis huiusmodi subsistentiae et observationi, quantum cum Domino possumus, consulere, ac Ioannem Baptistam et alios praefatos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, ac auditis procuratoribus utriusque partis, motu proprio et ex certâ scientiâ nostris, concordiam et transactionem praeinsertas huiusmodi, cum omnibus in eis contentis (superadditis tamen in primo capite, loco verbi *comburantur*, sequentibus verbis, scilicet, *quod dicti processus comburantur*), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos, etiam consensus partium praedictarum, ac tam iuris quam facti, et solemnitatum, ac quosvis alios etiam substantiales defectus, si qui in praemissis aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici vel censeri possent, supplemus, sanamus et abrogamus; necnon omnibus et singulis fratribus Discalceatis praefatis, cuiuscumque conditionis seu gradus existant, perpetuum super praemissis silentium imponimus, eisdemque sub praecepto sanctae obedientiae, et sub excommunicationis ac privationis vocis activae et passivae, necnon quorumcumque officiorum quae obtinent, ac perpetuae inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda, poenis eo ipso incurrendis, iniungimus, ne de cetero dictae provinciae fratres huiusmodi lites seu controversias, quavis occasione, causâ seu praetextu, directe vel indirecte, per se vel alios, movere vel prosequi possint, nec inter se molestare seu molestari facere quomodolibet audeant seu praesumant.

Decretum irritans. § 9. Decernentes concordiam et transactionem praedictas, praesentesque litteras, cum omnibus in eis contentis, semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac omnibus et singulis fratribus praedictis, ceterisque ad quos spectat et in futurum pro tempore quomodolibet spectabit, firmiter et inviolabiliter in omnibus et per omnia observari et adimpleri debere, nec ab illis ullo umquam tempore resiliri posse; sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, ac Sedis Apostolicae nuncios, in quavis causâ et instantiâ iudicari et definiri debere, ac

irritum et inane si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputat.

§ 10. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Valentino, ac Orioliensi et Carthaginensi episcopis, nunc et pro tempore existentibus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel per alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Ioannis Baptistae et fratrum praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ concordiam et transactionem praedictas, praesentesque litteras ab omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari et adimpleri.

Mandat puniri transgressores.

§ 11. Non permittentes eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari aut inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ et in Concilio generali editâ de duabus dictis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis et provinciae praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 12. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII aprilis MDCXXX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 22 aprilis 1630, pontif. anno VII.

CCCLX.

Confirmatio gestorum ab episcopo Malleacensi pro restituendo exercitio religionis catholicae in valle Pragellae Taurinensis dioecesis [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Universalis Ecclesiae regimini divinâ dispositione praesidentes, in eam potissimum curam incumbimus, ut evulsis ex agro dominico nocuis perniciosarum haeresum stirpibus, eae superferantur plantae, quae copiosum in eodem agro fructum valeant producere, et propterea, si quid in praemissis provide factum et ordinatum fuisse accepimus, illud, quo firmius subsistat, apostolicae firmitatis robore communimus, aliasque in hoc sollicitudinis nostrae partes interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Facti series.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum rex christianissimus, quod (cum ipse rex, pro suâ avitâ et a

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

maioribus suis christianissimis regibus quasi haereditario iure acceptâ in Deum pietate, necnon catholicae religionis studio, eiusdem catholicae religionis exercitium restitui curaret in valle Pragellae Taurinensis dioecesis, quae ab anno MCXLVII diversarum haeresum labe infecta fuerat, et in qua licet religionis catholicae usus a clarae memoriae Ludovico XII eorumdem Francorum rege[1] in Italiam transeunte restitutus fuisset, ab eâ tamen saevientibus postmodum per illas partes bellis ita exterminatus fuerat, ut nec archiepiscopi Taurinenses, nec praepositi monasterii de Oulz canonicorum regularium Ordinis sancti Augustini, aut alii praeteriti dictae vallis Ordinarii ullum inibi actum iurisdictionis ecclesiasticae exercere potuerint, praeter bonae memoriae duos ultimos archiepiscopos Taurinenses, qui in medio dictae vallis agro in signum sui iuris et possessionis sacrosanctum missae sacrificium celebrari fecerunt) venerabilis frater Henricus episcopus Malleacensis, ad restitutionem eiusdem religionis in dictâ valle exequendam auctoritate apostolicâ deputatus (attentâ controversiâ inter modernum, seu tunc existentem, vicarium capitularem ecclesiae Taurinensis, illius sede archiepiscopali vacante deputatum, ex unâ, et Hieronymum de Birago vicarium praeposituraе dicti monasterii, dilectos filios[2], ex alterâ partibus, super iurisdictione spirituali dictae vallis ortâ) se ad eamdem vallem transtulit, ibique (cum, coram se, et aliis ad id etiam deputatis officialibus, convocatis consulibus et ministris praecipuis, aliisque senioribus dictae vallis incolis, praevio iuramento ab eis accepisset, in burgo de Mentoulle olim unum prioratum curatum dicti Ordinis sancti Augustini, a dictâ praeposituraе dependentem, necnon quinque parochias in dictâ valle, tam in de Fenestrelle et Usseaux, quam aliis illius locis, extitisse) coeptâ visitatione in dicto burgo de Mentoulle, expulsisque haereticis ex aedificiis et domibus, quae dicti haeretici sibi super ruinis ecclesiae et terris prioratus praedicti construxerant, dictus Henricus episcopus, aedificiis huiusmodi ad formam ecclesiae redactis, ecclesiam ipsam consecravit, in illiusque, ac eius domus, et terrarum ei adiacentium possessionem dilectum filium Michaëlem Orcellensem canonicum regularem dicti Ordinis de dicto prioratu canonice provisum ad deinceps possessione huiusmodi utendum et fruendum, illiusque decimas et redditus percipiendum (prout dicti prioratus priores, antequam illae ab haereticis occuparetur, uti et frui ac percipere potuerunt) induxit; deinde ad locum de Fenestrelle se contulit, cumque ibi praeviâ desuper captâ informatione similiter accepisset locum, in quo sepeliebantur haeretici, fuisse olim coemeterium catholicorum, in illoque etiam eorum ecclesiam et domum parochiales fuisse, expulsis praeterea exinde haereticis, ibi (donec liquidatio aliarum terrarum, decimarum et bonorum ad parochialem ecclesiam huiusmodi pertinentium, et ad unius parochi sustentationem sufficientium facta fuerit) duos Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum professores constituit, illisque unam domum pro eorum habitatione locari curavit, et in uno ex dictae domus cubiculis[1], ab omnibus domesticis usibus libero, ac decenter ornato, et ad formam oratorii redacto, sacrosanctum missae sacrificium publice celebrandi licentiam concessit, donec eis ecclesia, domusque regularis constructae fuerint; et subinde ad locum de Usseaux translatus, expulsis pariter haereticis ex coemeterio catholicorum, in quo alia etiam parochia-

1 Edit. Main. legit *regem* (R. T.).

2 Perperam ed. Main. legit *dilectus filius* (R.T.).

1 Edit. Main. habet *cubiculo* (R. T.).

lis ecclesia fuerat, ibi duos Societatis Iesu presbyteros constituit, donec bona ecclesiasticorum, ibi ab haereticis usurpata, recognita fuerint, eisque quamdam cappellam pagi de Pourrieres, quam a parochiali ecclesiâ loci de Usseaux dependisse acceperat, regendam et deserviendam concessit; et cum ad pagum de Rua accessisset, illumque visitasset, ibique nihil aliud quam quemdam locum amplum vacuum reperiisset, in quo olim ecclesia parochialis et coemeterium dicti loci existebant, duos presbyteros congregationis Doctrinae Christianae (donec liquidatio terrarum, decimarum, et aliorum bonorum spectantium ad dictam ecclesiam facta fuerit) in loci huiusmodi possessionem induxit, et iis quamdam domum locari similiter curavit, eisque omnium a parochiali eccelsiâ dicti loci dependentium curam et administrationem, tam a pago de Traudeses, quam usque ad locum Collum de Sistrieres nuncupatum, demandavit; et posthaec ad pagum de Villaret se contulit, ibique, cum eius cappellam fere ruinosam ab haereticis occupatam reperiisset, illis inde expulsis, eam fratribus Ordinis Minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, opportunam suae missionis facultatem super hoc a Sede Apostolicâ obtentam exhibentibus, concessit, illisque, donec aliquod hospitium constructum sit, unum cubiculum in domo prioris prioratus de Mentoulle assignari curavit. Quibus peractis, ordinavit, ut dicti professores, ac fratres, et presbyteri, in suâ quisque missione, actualiter, aut alii eorum loco, residere teneantur. Quia vero decimae, terrae, et alia bona spectantia ad parochos et ecclesiasticos dictae vallis sunt omnino adhuc ab haereticis possessa et usurpata, pro sustentatione cuiusque ex dictis missionibus summam trecentarum librarum monetae illarum partium e pecuniis dicti Ludovici regis, in manibus archiepiscopi Ebredunensis, ad effectum eas illis distribuendi, consignandam, sub dicti Ludovici regis beneplacito assignavit; et, ad evitandam confusionem, quae oriri posset inter dictos missionarios, sub nostro et Sedis apostolicae beneplacito, ordinavit, ut fratres Cappuccini huiusmodi omnium locorum curam gerant, quae a confinibus dictae vallis *à la Perouse* nuncupatae usque ad dictam terram de Mentoulle reperiuntur; fratres vero Minores, de Observantiâ nuncupati, praedicti burgi de Fenestrelle et pagorum ab eius parochiali ecclesiâ dependentium; presbyteri Societatis Iesu burgi de Usseaux, et pagi de Pourrieres, aliorumque locorum intra limites parochiae dicti burgi usque ad limites parochiae de Rua existentium; presbyteri autem Congregationis Doctrinae Christianae burgi de Rua, et pagi de des Traverses, et aliorum locorum dictae vallis, usque ad locum *Col de Sistrieres* vulgo nuncupatum, curam habeant. Postremo, cum eidem archiepiscopo, captis, quas potuit capere, informationibus, constitisset in dicto loco de Mentoulle prioratum praedictum tantum extitisse, praepositum vero dicti monasterii ius conferendi prioratum ac parochiales ecclesias de Fenestrelles, Usseaux et de la Rua locorum praedictorum habere, nihil autem de aliis ecclesiis locorum ab eis dependentium ei probatum fuisset; ipse, pro felici regimine dictae vallis, pariter sub nostro et Sedis praedictae beneplacito, infrascripta ordinavit, videlicet: Quod prior prioratus de Mentoulle, ingrediens possessionem omnium decimarum, terrarum, pratorum, et aliorum bonorum ad ecclesias parochiales et cappellas praedictas spectantium, actualiter residebit in dicto loco de Mentoulle, habebitque vicarium, qui eum in deserviendo parochiali ecclesiae dicti loci adiuvare et mediante provisione centum et quinquaginta libra-

rum similium pro eius sustentatione singulis dominicis et festis diebus de praecepto missam in ecclesiâ seu cappellâ loci de Villaret celebrare teneatur, ita tamen, ut baptismi aut matrimonii sacramenta administrare et mortuos sepelire nequeat absque expresso consensu dicti prioris, ad quem haec spectabunt; quo vero ad parochialem ecclesiam de Fenestrelles, praepositus dicti monasterii de Oulz, aut eius vicarius, nominabit illius parochum, seu rectorem, qui ibi celebrare, sacramenta administrare, aliaque munia parochialia intra eius limites exercere tenebitur; prior vero prioratus de Mentoulle, pro eius et unius vicarii sustentatione, summam annuam trecentarum librarum similium assignare debebit, nisi maluerit ei decimas, terras et bona ad dictam parochialem ecclesiam spectantia seu ab eâ dependentia relinquere: praeterea, quod dictus praepositus monasterii praedicti de Oulz, aut eius vicarius, nominabit parochum in burgo de Usseaux, qui possessionem domus parochialis, a quodam ministro haereticorum aliàs possessae, et iam ab eis restitutae, ingredietur, et dictae domus cubiculum, ad formam oratorii seu cappellae, servatis servandis, prius redactum, consecrari curabit, ad ibi sacrosanctum missae sacrificium celebrandum, et ecclesiae sacramenta administranda, aliaque officia parochialia peragenda, donec ecclesia sit constructa, ac singulis dominicis et festis diebus de praecepto unam missam in ecclesiâ seu cappellâ de Pourrieres per presbyterum, quem ad hunc effectum manutenebit, celebrari facere tenebitur, illi vero summa annua trecentarum librarum similium a dicto priore de Mentoulle persolvetur, nisi ipse prior maluerit eidem parocho omnes decimas et alios redditus, et iura ad dictam ecclesiam parochialem spectantia, ut praefertur, relinquere: Insuper, quod praepositus praedictus, aut eius vicarius, nominabit alium parochum in loco de Rua, qui curam habeat eius parochiae et pagorum intra eius limites existentium, cuique de loco commodo, et uno vicario ad ibi sacrosanctum missae sacrificium celebrandum, et munia et officia parochialia peragenda, donec ecclesia constructa fuerit, providebitur; et praeterea ei dictus prior trecentas libras similes pro eius manutentione (nisi, ut praefertur, maluerit ei eiusdem parochialis decimas, bona et iura relinquere), et, quoad vicarium praedictum, pro eo etiam summam annuam centum et quinquaginta librarum similium solvere tenebitur, quibus mediantibus ipse vicarius obligatus erit in ecclesiâ burgi de Traverses unam missam singulis dominicis et festis diebus de praecepto celebrari facere, ita tamen, ut sacramenta baptismi et matrimonii administrare aut mortuos sepelire non possit absque expresso dicti parochi consensu: et aliàs, prout in scripturis desuper confectis plenius dicitur contineri.

§ 2. Quare nos, praemissorum validitati et firmitati, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, supplicationibus dicti Ludovici regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praemissa omnia et singula per dictum Henricum episcopum, ut praefertur, acta, gesta et ordinata, cum inde sequutis, sine tamen praeiudicio quorumcumque iurium alteri vel aliis competentium, et presertim respectu iurisdictionis, tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus etiam substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Omnia rata habet Urbanus.

§ 3. Decernentes illa, nec non praesentes litteras, valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros ef- Clausulae.

fectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinum, Congregationis et Societatis praedictorum, ac aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Interina provisio.

§ 5. Volumus autem quod administratio, regularibus, ut praefertur, commissa, ad decennium proximum tantum duret, ita ut, si interim contingat bona recuperari, et de dote competente, aliisque necessariis, ecclesiis parochialibus praedictis provideri[1] ex tunc substituantur parochi seculares, iuxta formam per dictum Henricum episcopum, ut supra, ordinatam.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV maii MDCXXX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 15 maii 1630, pontif. anno VII.

CCCLXI.

Nonnullae facultates conceduntur cardinali Barberino Angliae et Scotiae protectori pro re catholicâ illis in regnis bene administrandâ[1].

Dilecto filio nostro sanctae Agathae diacono cardinali Barberino nuncupato, nostro secundum carnem ex fratre germano nepoti, Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Inter gravissimas pastoralis nostrae sollicitudinis curas, quibus assidue urgemur, in eâ cogitatione diu noctuque versamur, quâ[2] scilicet ratione catholica fides in iis regnis et locis, quae satanae fraudibus decepta ab illâ misere desciverunt[3] restitui valeat; sed erga nobilissima Angliae et Scotiae regna eorumque populos, quadam commiseratione commoti, eorum saluti, quibus possumus modis, omnino consulendum censemus. De tuae igitur circumspectionis erga dicta regna, qui apud nos et Apostolicam Sedem protector a nobis deputatus existis, illosque populos praecipuâ charitate, vigilantiâ, ardentique catholicae fidei restituendae et propagandae studio plurimam in Domino fiduciam habentes, infrascriptas tibi facultates, quibus provide et circumspecte ad restituendam in eisdem regnis catholicam fidem, et Anglorum et Scotorum salutem procurandam uti possis, concedendas duximus.

Nonnullas facultates hic expressas cardinali Barberino concedit.

§ 1. Motu itaque proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, tibi quoscumque Anglos et Scotos catholicos doctrinâ et moribus idoneos cuicumque catholico antistiti gratiam et communionem Apostolicae Sedis habenti per tuas litteras commendandi, ac etiam sine suorum Ordinariorum litteris dimissoriis, ac sine titulo, ad primam tonsuram ac omnes etiam sacros et presbyteratus ordines praesen-

1 Vocem *providcri* nos addimus (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

3 Perperam eadem habet *descruerunt* (R. T.).

tandi, omnesque pariter Anglos et Scotos, qui agnitis erroribus poenituerint, et ad S. R. E. catholicae gremium redire voluerint, ab omni haeresis et schismatis labe, ac quibuscumque peccatis et excessibus, quantumvis enormibus, ac censuris et poenis ecclesiasticis, etiam Apostolicae Sedis absolutioni reservatis, etiam contentis in litteris die Coenae Domini legi solitis, per eos propterea incursis (ipsis tamen clericis, qui haeretici Calvinistae seu Sacramentarii fuerint, ab altaris ministerio perpetuo vel ad tempus tuo arbitrio suspensis), dummodo non sint relapsi, in foro conscientiae absolvendi, ac cum eis super irregularitate praemissorum occasione quomodocumque, vel etiam ob communicationem cum haereticis, contractâ in eodem foro dispensandi, atque sacerdotibus in praedictis regnis Angliae et Scotiae degentibus, vel illuc pro tempore mittendis, vel aliquibus eorum, similem vel limitatam absolvendi et dispensandi (personarum et temporum qualitate pensatâ) facultatem, secundum prudentiam tuam, communicandi, eosque ad praedicta subdelegandi, nec non eisdem, ut in carceribus, cameris, cryptis et aliis locis, ubi tutius et melius, atque cum maiori, qui licuerit, cultu et ornatu, sacrosanctum missae sacrificium super altare portatili, etiam ante lucem, celebrare possint, licentiam et facultatem apostolicâ auctoritate concedendi; nonnullis etiam eorumdem sacerdotum, quos magis idoneos iudicaveris, paramenta et indumenta, aliaque utensilia ecclesiastica, non tamen calices, patenas et corporalia, aut alia, in quibus sacrum chrisma adhiberi solet, pro earum partium usu benedicendi facultatem tribuendi, atque etiam cum personis catholicis, aut haeresim relinquentibus, dictorum regnorum, durante in iis schismate huiusmodi, si saltem animarum bonum, religionis, aut evidentem rei necessitatem id exigere cognoveris, quas, secundo in lineâ aequali, ac secundo et tertio, ac tertio et quarto simplicibus vel mixtis consanguinitatis et seu affinitatis gradibus coniunctas, matrimonio iungi, aut in iam contractis matrimoniis remanere utile futurum sit, ut, non obstantibus gradibus huiusmodi, matrimonium, servatâ formâ Concilii Tridentini, quantum in illis locis fieri potest, contrahere et solemnizare, ac in eis, et seu iam contractis[1], remanere, et super cognatione spirituali similiter, non tamen inter levantem et levatum, tam de contracto, quam de contrahendo, in foro conscientiae tantum dispensandi, easque a censuris et poenis ecclesiasticis propterea incursis, et incestus reatu absolvendi, prolesque susceptas exinde legitimas nunciandi et decernendi, et ad praemissa quoque pios aliquos sacerdotes in eisdem partibus subdelegandi, dummodo tamen, cum fides catholica ibidem restituta fuerit vel aliàs commode potuerint, dispensationes et legitimationes huiusmodi ab Apostolicâ Sede in foro exteriori impetrentur; vota pariter quaecumque (castitatis et religionis dumtaxat exceptis) in alia pia opera, illis locis, personis, et temporibus magis convenientia, commutandi[2], vel super eis cum personis illarum partium, quae illa emiserint, dispensandi[3]; et ad haec quoque sacerdotes tibi benevisos subdelegandi; ad haec libros catholicos contra haereticos anglico et scoto idiomatibus scriptos, ac sacras Scripturas in eadem idiomata fideliter versas approbandi, catholicisque, ut eas legere possint, licentiam concedendi, certis etiam personis doctrinâ et pietate, ac catholicae religionis zelo praestantibus, ut libros haereticorum ad effectum illos confutandi dumtaxat legere, et contra eos scribere valeant, licentiam concedendi, plenam,

1 Potius: *ac in eo, et seu iam contracto* (R.T).
2 Perperam edit. Main. legit *commutandis* (R.T)
3 Edit. Main. habet *deputandi* (R. T.).

amplam et universam facultatem, auctoritatem et potestatem concedimus et impertimur.

Mandatum de ei parendo.

§ 2. Praeterea omnibus et singulis, ad quos spectat et in futurum spectabit, ut tibi[1] in praemissis omnibus prompte pareant, tuaque monita et iussa fideliter exequantur, ac omnes ad te, inter ipsos catholicos aut alios, controversias, dubia et difficultates referant, praecipimus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII maii MDCXXX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 18 maii 1630, pontif. anno VII.

CCCLXII.

Ne de cetero alia Mendicantium Ordinum monasteria, domus seu conventus, aut regularia loca per tres leucas circumcirca monasterium et ecclesiam B. Mariae de Monteserrato construantur, sub poena excommunicationis.

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Complura pietatis et charitatis opera, quae in monasterio B. Mariae de Monteserrato, monachorum Ordinis S. Benedicti, Vicentinae seu nullius dioecesis, exerceri consueverunt, nos inducunt, ut in his provisionis nostrae ministerio libenter intendamus, per quae pia opera huiusmodi conservari, maioraque in dies suscipere valeant incrementa.

Causae faciendae prohibitionis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, ad ecclesiam dicti monasterii, ac sacram eiusdem B. Mariae de Monserrato imaginem, inibi existentem, magnus peregrinorum ex omnibus orbis partibus devotionis causâ confluentium fiat concursus, ipsumque monasterium, in quo erga eosdem peregrinos hospitalitas, et alia christianae charitatis opera exercentur, plenam in civilibus et criminalibus iurisdictionem per longum circuitus spatium habeat, eâque mediante loca ei monasterio subiecta, licet aspra et deserta, proindeque ad bannitorum, viarumque grassatorum receptionem apta sint, ab illis tamen hactenus semper salva et illaesa, ipsisque peregrinis tuta servaverit:

Prohibitio, de qua in rubricâ.

§ 2. Nos, attendentes quod si alia Mendicantium Ordinum monasteria, domus seu conventus in districtu ipsius monasterii sive illius iurisdictione construerentur, id non solum eidem monasterio, circa pias fidelium eleemosynas et oblationem[1] eidem monasterio et ecclesiae fieri solitas, piorumque operum praedictorum exercitium, maximum praeiudicium et detrimentum illaturum fore, verum etiam bannitis et grassatoribus praedictis se in monasteria, domus et conventus huiusmodi recipiendi occasionem praebiturum; idcirco, praemissis, quantum cum Domino possumus, obviam ire, ac dilectos filios abbatem et monachos dicti monasterii specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, ne de cetero perpetuis futuris temporibus alia Mendicantium Ordinum monasteria, domus seu conventus, aut regularia loca

1 Verba *ut tibi* nos addimus, et in fine paragraphi verbum *praecipimus* (R. T.).

1 Forsan legendum *oblationes* (R. T.).

quomodolibet nuncupata, etiam vigore seu praetextu quorumvis privilegiorum eisdem Ordinibus, illorumque superioribus, etiam ab Apostolicâ Sede. quovis modo concessorum, per tres leucas circumcirca monasterium et ecclesiam beatae Mariae de Monte Serrato huiusmodi, nisi de expressâ abbatis et monachorum dicti monasterii pro tempore existentium licentiâ, construi, fundari, aut aliàs quomodolibet erigi vel instrui possint, sub excommunicationis maioris latae sententiae poenâ, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes praesentes litteras perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac eidem monasterio in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputat.

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus Elnensi et Urgellensi episcopis, ac dilecto filio curiae causarum camerae apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte abbatis et monachorum dicti monasterii fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque ab omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari, ac abbatem et monachos praedictos illorum commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari,

Inobedientes per censuras puniendi.

§ 5. Contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Mendicantium Ordinum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, illorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Obstantium derogatio.

Transumptis danda fides.

§ 6. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maio-

rem, sub annulo Piscatoris, die VII iunii MDCXXX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 7 iunii 1630, pontif. anno VII.

CCCLXIII.

Confirmatio contractus inter regem catholicum et clerum regni Portugalliae initi[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad clavum apostolicae servitutis in puppi militantis Ecclesiae, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per abundantiam divinae gratiae constituti, ad ea, per quae ecclesiarum ac monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum exornationi ac personarum ecclesiasticarum tranquillitati et paci opportune consulitur[2], libenter intendimus, et his, quae propterea, praesertim per catholicos reges et personas ecclesiasticas huiusmodi facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuo et illibata permaneant, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis adiicimus firmitatem, aliàsque statuimus atque decernimus, prout, rerum ac temporum necnon personarum qualitatibus debite pensatis, conspicimus salubriter in Domino expedire.

Gregorii XV suasque litteras refert.

§ 1. Aliàs siquidem a felicis recordationis Gregorio Papa XV praedecessore nostro et nobis emanarunt litterae, tenoris subsequentis, videlicet: *Gregorius Papa XV, ad futuram rei memoriam. In supremâ militantis Ecclesiae speculâ*, etc. (reliqua invenies in suo ordine sub datâ XXII iunii MDCXXIII, pontificatus anno III, tom. XII, pag. 697).

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico, Urbanus Papa VIII. Charissime, etc. *Orthodoxae fidei*, etc. (reliqua invenies in suo ordine sub datâ XXXI mai MDCXXV, pontificatus anno II[1]).

Expositio Michaëlis Soarez, nomine regis et status ecclesiastici.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Michaël Soarez Pereira, negotiorum regni Portugalliae in Romanâ Curiâ agens, tam eiusdem Philippi regis quam status ecclesiastici[2] dictorum regnorum nominibus, nobis nuper exponi fecit (instante postmodum apud eumdem Philippum regem venerabili fratre Ioanne episcopo Colimbriensi uti procuratore status ecclesiastici dictorum regnorum, ut ipse Philippus rex, tam nomine proprio quam coronae suorum regnorum, ab omni iure et actione, quae vigore concessionum et gratiarum in praeinsertis litteris contentarum huiusmodi praetendere posset, attentis ecclesiarum dictorum regnorum necessitatibus, desistere vellet, nec aliam gratiam seu gratias ob causas in dictis praeinsertis litteris expressas ab hac sanctâ Sede peteret, nec etiam motu proprio concessas acceptaret[3] seu eis uteretur), idem Philippus rex, praefatis et aliis magni momenti rationibus sibi per eumdem Ioannem episcopum nomine status ecclesiastici huiusmodi allegatis mature consideratis, cupiens quantum fieri poterat statui ecclesiastico praedicto gratificari, dilectum filium Mendum de Motâ de Valladares consiliarium suum et palatii senatorem in suum procuratorem constituerit, ut ipsius Philippi regis et coronae regnorum suorum nominibus ad aliquam super praeinsertis litteris cum praedicto Ioanne episcopo uti status ecclesiastici praefati procuratore concordiam deveniret; praefati vero Mendus et Ioannes episcopus, nominibus quibus supra, inter se concor-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Praeter syntaxis rationem edit. Main. legit *consulere* (R. T.).

1 Ita edit. Main.; sed bulla cit. deest; similis habetur pro regno Castellae, tom. XIII, p. 398 (R.T)

2 Vocem *ecclesiastici* certe necessaria nos addimus (R. T.).

3 Edit. Main. legit *acceptare* (R. T.).

daverint, pro eo quod spectat ad praeinsertas dicti Gregorii praedecessoris litteras, in centum nonaginta millium, et, pro eo quod spectat ad praeinsertas litteras nostras huiusmodi, in triginta trium millium cruciatorum monetae regni Portugalliae donativis voluntariis, summam insimul ducentorum et viginti trium millium cruciatorum huiusmodi constituentibus, et in duabus solutionibus aequalibus, primâ videlicet infra duos menses a datâ instrumenti contractus, seu scripturarum desuper confectarum, secundâ vero in festo Nativitatis D. N. I. C. MDCXXIX, persolvendis[1]; dictusque Ioannes episcopus, in exequutionem concordiae huiusmodi, ac nomine status ecclesiastici praefati, dicto Philippo regi, ob causas in praeinsertis litteris expressas, nomine voluntarii servitii, donativum seu donativa in totum ducentorum et viginti trium millium cruciatorum huiusmodi, nempe centum et nonaginta respectu prioris, triginta vero trium millium respectu posterioris concessionum seu gratiarum in praeinsertis litteris contentarum, in monetâ currenti regni Portugalliae praefati, ac temporibus et in terminis supra declaratis, persolvenda obtulerit; et dictus Mendus donativum, seu donativa huiusmodi, nomine ipsius Philippi regis acceptaverit, et promiserit, quod idem Philippus rex non utetur gratiis ac concessionibus sibi per praeinsertas litteras factis, neque aliam gratiam seu gratias ab eâdem Sede (pro succursu Indiarum, aliarumque necessitatum recuperationis et defensionis locorum quae [2] corona regni Portugalliae possedit in Indiâ Orientali, et sustentationis belli offensivi et defensivi quod in locis Indiae praedictae contra infideles, haereticos et schismaticos exercetur) obtinebit, nec illam, licet per Romanos Pontifices, pro tempore existentes, etiam motu proprio concessam, acceptabit, nec illâ utetur, sed in omnibus concordata olim inter clerum regni Portugalliae et bonae memoriae reges Emanuelem et Sebastianum super similibus gratiis inita observabit; propterea instrumentum contractus sive concordiae huiusmodi, cum omnibus in eo contentis, desuper sub die XVII februarii MDCXXIX celebratum, per eius schedulam, manu suâ subscriptam et regio sigillo munitam, ratum habebit in omnibus et per omnia, perinde ac si praemissa ab eodem Philippo rege et in eius praesentiâ facta fuissent; et, si idem Philippus rex instrumentum huiusmodi non ratificaverit, illud nullum sit, et nullius roboris; dictus vero Ioannes episcopus desistentiam et renuntiationem praeinsertarum litterarum, necnon promissionem de non impetrandâ neque acceptandâ aliâ gratiâ pro succursu dictarum necessitatum, per dictum Mendum nomine ipsius Philippi regis ac coronae suorum regnorum in instrumento huiusmodi factam, nomine status ecclesiastici praedicti acceptaverit, seque obligaverit, quod sui constituentes et dictus status ecclesiasticus ratificabunt et approbabunt statim hoc instrumentum, omniaque in eo contenta, aliàs nullum sit, et nullius vigoris, et idem Philippus rex gratiis et concessionibus sibi per praeinsertas litteras, ut praefertur, concessis libere uti possit; insuper Ioannes episcopus et Mendus praedicti, nominibus quibus supra, convenerint, quod pecunia donativi seu donativorum huiusmodi expensis dicti status ecclesiastici [1] et de eius mandato exigatur, neque in huiusmodi exactione expensae ex parte ipsius Philippi regis, seu regii eius patrimonii, minusve aliqua pecuniae donativorum praedictorum defalcatio fiat[2]; quodque ducenti viginti tres

1 Male edit. Main. legit *persolvendas* (R. T.).
2 Perperam ed. Main. legit *locorumque* (R. T.).

1 Perperam edit. Main. legit *fructus* (R. T.).
2 Aptius lege *fiant* (R. T.).

mille cruciati, qui[1] dividentur et distribuentur super redditibus ecclesiasticis in praeinsertis litteris huiusmodi comprehensis, solvantur et ponantur in civitate Ulyssiponensi expensis dicti status ecclesiastici penes personam seu personas, quas dictus Philippus rex nominaverit, et dicta quantitas exigatur, ut dictum est, expensis et sumptibus dicti status ecclesiastici, absque eo quod in exactione illius fiant aliquae expensae ex parte ipsius Philippi regis, dictaque exactio fiat per officiales ecclesiasticos, ordinarios praelatos et capitula, quibus dictus Philippus rex provisiones et litteras patentes pro exequutione necessarias expediri mandabit; ad transportationem vero et conductionem dictarum pecuniarum officiales iustitiae eiusdem Philippi regis assignent custodes cum provisionibus et aliis rebus etiam necessariis, absque eo quod pro huiusmodi custodiâ et securitate aliquid per statum ecclesiasticum expendatur seu erogetur; insuper praedictus Philippus rex personam aliquam seu communitatem, ex comprehensis in praeinsertis litteris, a contributione suae ratae in divisione dictorum donativorum nullatenus eximat, nec aliqua persona seu communitas, ex comprehensis in eisdem praeinsertis litteris, aliquo exemptionis generalis seu specialis privilegio ab eâdem Sede obtento vel obtinendo, ad effectum non contribuendi ad huiusmodi donativa, se iuvare possit, et in eventum, in quem privilegium huiusmodi obtinere contingat, derogatio illius ab eâdem Sede obtineatur, et si non obtinebitur, id totum quod personae seu communitates sic exemptae non contribuerint, idem Philippus rex ex pecuniis vigore praeinsertarum concessionum exactis deducat seu defalcet; quodque ipse Philippus rex, praemissorum omnium confirmationem cum clausulis et cautelis necessariis et opportunis, a nobis et eâdem Sede quantocitius petat; attentisque necessitatibus in praeinsertis dicti Gregorii praedecessoris litteris expressis, praedictâ pecuniarum quantitate, in terminis supra expressis exigendâ, etiam non expectatâ huiusmodi contractus confirmatione, uti possit; quodque idem rex, in computum quantitatis praedictarum pecuniarum, pecuniam, quae fuerit exacta vigore praedictorum Brevium ut praefertur renunciatorum, recipere et defalcare teneatur; et aliàs, prout in dicto instrumento per Baldassarem Martinez Criado scribam regium, Matriti sub die XVII februari MDCXXIX seu, etc. confecto, plenius dicitur contineri;

Philippus rex contractum cum ecclesiasticis initum petit confirmari.

§ 3. Quare, pro parte dicti Philippi regis ac praelatorum et personarum ecclesiasticarum dictorum regnorum Portugalliae et Algarbiorum, nobis fuit humiliter supplicatum, ut instrumento et contractui huiusmodi apostolicae confirmationis robur adiicere, aliàsque desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Cui Pontifex annuit.

§ 4. Nos igitur, Philippi regis ac praelatorum et personarum ecclesiasticarum votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, necnon singulares praelatorum et personarum ecclesiasticarum huiusmodi personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, contractum praefatum, ac, prout illum concernunt, omnia et singula in instrumento desuper confecto contenta, et inde sequuta quaecumque, licita tamen

1 Vocem *qui* nos addendam censuimus (R. T.).

et honestà, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti necnon solemnitatum quarumcumque etiam quantumvis necessariarum et requisitarum et alios etiam quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint aut intervenisse dici vel censeri possint, supplemus.

Laurentio episcopo Hieracensi, ut huiusmodi contractum observari faciat, mandat.

§ 5. Necnon, de venerabilis fratris Laurentii episcopi Hieracensis, iurium et spoliorum in eisdem regnis camerae apostolicae debitorum collectoris generalis, singulari fide, prudentiâ, integritate, doctrinâ et rerum gerendarum usu plurimum in Domino confisi, eidem Laurentio moderno et pro tempore existenti collectori huiusmodi, ut praefatum contractum et concordiam iuris et facti remediis observari, et per illos, ad quos spectat, adimpleri faciat; summaeque triginta trium millium cruciatorum huiusmodi, ac expensarum necessariarum desuper factarum et faciendarum, redditum scilicet ecclesiasticorum, archiepiscopatuum et episcopatuum et aliarum ecclesiarum et beneficiorum praesentationis seu nominationis eiusdem regis divisionem seu partitionem, auditis possessoribus et interesse habentibus (respectu vero litterarum eiusdem Gregorii praedecessoris dumtaxat pro ratâ quemcumque archiepiscopatum et episcopatum, archiepiscoposque et episcopos, ac capitula sedibus archiepiscopalibus et episcopalibus vacantibus tangente) auctoritate nostrâ faciat; pro reliquo autem alios obligatos tangente, per archiepiscopos et episcopos, sedibusque vacantibus[1], capitula et canonicos, uti a nobis et Sede Apostolicâ, quemque in suâ civitate et dioecesi, delegatos, fiat, et fieri et exequi, omni appellatione remotâ, debeat; cum facultatibus necessariis et opportunis, et cum hoc, ut, si aliqua dubia coram aliquo praefatorum archiepiscoporum, episcoporum, vel capitulorum super partitione et exactione huiusmodi desuper moveri contigerit, ad eumdem collectorem, sine tamen retardatione solutionis, recurratur, et quidquid ab eo in praemissis decisum, terminatum, seu aliàs ordinatum fuerit, illud, omni et quacumque appellatione remotâ, debitae exequutioni demandetur.

1 Prorsus delemus particulam *et* importune interpositam. Potius opportune hîc interiiciretur praep. *per* (R. T.).

Ecclesias, monasteria, etc. possidentes de iure patronatus regis quomodo persolvere debent.

§ 6. Quoniam vero ii dumtaxat praelati et personae ecclesiasticae, qui et quae ecclesias, monasteria et beneficia ecclesiastica de iurepatronatus ipsius Philippi regis in eisdem Portugalliae et Algarbiorum regnis possident, ad contributionem seu solutionem donativi triginta trium millium cruciatorum tenentur, volumus et eâdem auctoritate mandamus, ut, ob desistentiam per eumdem Philippum regem factam ab exequutione praeinsertarum litterarum nostrarum huiusmodi, ii, quorum ecclesiasticae dignitates seu beneficia post concessionem praeinsertarum litterarum nostrarum huiusmodi vacarunt (attento, quod eaedem praeinsertae litterae nostrae omnibus intimatae, et cum mulctis[1] per collectorem, in eisdem praeinsertis litteris nostris praedictis exequutorem deputatum, exequutioni demandatae fuerint), integre persolvant quidquid iam ratione earumdem praeinsertarum litterarum nostrarum solvere debeant, et, quidquid pro complemento summae triginta trium[2] millium cruciatorum huiusmodi defuerit, iis modo et formâ per eumdem collectorem dividatur, qui iustiores illi videbuntur; decernentes collectorem, ac archiepiscopos et episcopos, necnon capitulum et canonicos praefatos, tamquam nostros et Sedis praedictae

1 Clarius legimus *mulctis* quam *multis* (R. T).
2 Edit. Main. legit *tres* (R. T.).

delegatos, in praemissis omnibus processuros[1]; personas vero, ac communitates et universitates, in praeinsertis litteris comprehensas, quibuscumque privilegiis a Sede Apostolicâ obtentis vel obtinendis nullomodo ad effugiendam solutionem ratae pecuniarum illas ratione donativi huiusmodi tangentis uti seu se tueri posse, sed eas ad integram ratae suae damnorumque et interesse ob dilationem solutionis satisfactionem et solutionem per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias, collectoris, ac archiepiscoporum, episcoporum, necnon capituli et canonicorum praefatorum arbitrio respective imponendas, moderandas, et applicandas, cogi et compelli posse et debere; contractum vero quatenus adhuc, vel postquam, ut praefertur, a partibus ratificatus fuerit, ac, prout illum concernunt, omnia et singula in dicto instrumento contenta, ut praefertur, valida, firma et efficacia fore, nec partes ipsas ab eis ullatenus resilire posse, sed eas ad illorum omnium observationem et praestationem teneri et efficaciter obligatos fore, censurisque et poenis similibus compelli;

Clausula *sublatâ*.

§ 7. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus praeinsertis litteris huiusmodi, ac felicis etiam recordationis Bonifacii Papae VIII similiter praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, ac aliâs[2] apostolicis, necnon in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac quarumcumque ecclesiarum et monasteriorum, necnon Ordinum quorum fuerint, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque, aliisque decretis, in genere vel in specie, ac aliâs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII iunii MDCXXX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 17 iunii 1630, pontif. anno VII.

1 Male edit. Main. legit *praecessuros* (R. T.).
2 Potius lege *aliis* (R. T.).

CCCLXIV.

De facultate eligendi confessarium ad regulares utriusque sexus et cuiuscumque Ordinis non extendendâ, nec extra forum conscientiae[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

In speculâ militantis Ecclesiae, nullo licet meritorum suffragio, divinâ dispositione constituti, et attente considerantes sacros

1 Vide Clementis VIII Const. CCXXI, *Romani Pontificis*, in tom. X, pag. 519.

regularium Ordines tantas Ecclesiae Dei utilitates omni tempore attulisse, ut ad eos conservandos et instaurandos[1] Romani Pontifices praedecessores nostri magnam iure optimo diligentiam semper adhibuerint: dignum, quin potius debitum reputamus, ut, eorumdem Pontificum vestigiis inhaerentes, ad ea pastoralis vigilantiae partes iugiter intendamus, ut in eisdem Ordinibus disciplinae regularis observantia sarta tecta conservetur, et, si qua[2] illi obesse dignoscuntur, opportunae constitutionis ministerio salubriter removeantur.

Clemens VIII edidit Constitutionem indicatam in rubrica.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Clementi Papae VIII praedecessori nostro exposito per procuratorem generalem Ordinis fratrum beatae Mariae de Monte Carmelo, quod, cum in Bullâ cruciatae sanctae, et aliis privilegiis ab Apostolicâ Sede concedi solitis, detur facultas eligendi confessarium idoneum, ab Ordinario approbatum, qui possit christifideles absolvere a casibus Ordinario et Sedi Apostolicae reservatis, religiosi praedicti facultatibus uti praesumebant in detrimentum eorum regularis disciplinae: quare idem Clemens praedecessor suâ perpetuo valiturâ constitutione declaravit, facultatem et concessionem sanctae cruciatae et aliorum indultorum praedictorum, quantum ad praedictum articulum eligendi confessarium et absolvendi a casibus reservatis, non habere locum cum fratribus et sororibus monialibus quorumcumque Ordinum et Congregationum cuiusvis instituti, mendicantium et non mendicantium, tam in provinciâ Hispaniae quam extra eam ubilibet constitutis, neque eis suffragari, sed eiusdem Clementis praedecessoris intentionis fuisse, quod iidem fratres et moniales, quantum ad sacramentum poenitentiae seu confessionis administrationem, dispositioni suorum praelatorum subiecti essent, prout in dicti Clementis praedecessoris in simili formâ Brevis desuper sub die XXIII novembris MDXCIX, pontificatus sui anno VIII, expeditis litteris, quarum tenores pro expressis haberi volumus, plenius continetur[1].

Sed quia adhuc nonnulli regulares abutuntur bulla cruciatae.

§ 2. Nihilominus, cum[2], sicut nobis non sine animi nostri molestiâ innotuit, nonnulli Ordinis fratrum Praedicatorum professores, praetextu Bullae eiusdem sanctae cruciatae ac dictorum indultorum, confessarium huiusmodi, qui eos, ut praefertur, absolvat, eligere posse praetendant, et forsan eligant etiam ad praesens, postquam litterae nostrae sub die XIV iunii MDCXXIV, pontificatus nostri anno primo, super facultate eisdem regularibus confessarium ad effectum huiusmodi eligendi ad quinquennium tunc proximum concessâ emanatae, pridem ab anno et ultra expiraverunt[3], in maximum status et observantiae regularis praeiudicium:

Hic Pontifex innovat et observari praecipit const. clementinam.

§ 3. Nos, praemissis, quantum nobis ex alto conceditur, obviare, ac felici tam eorumdem sancti Dominici et beatae Mariae de Monte Carmelo religiosorum, quam omnium et quorumcumque aliorum cuiuslibet Ordinis, congregationis, societatis, et instituti, etiam speciali mentione et notâ digni, utriusque sexus, tam mendicantium quam non mendicantium, statui atque directioni, et aliorum christifidelium saluti consulere volentes, praefataeque Clementis praedecessoris declarationi inhaerentes, illamque tenore praesentium innovantes, ac, quatenus opus sit, ampliantes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, concessionem sanctae cruciatae, quae, respectu facultatis huiusmodi, etiam laicis et clericis secularibus cuius-

1 Ed. Main. h. *eas conservandas et instaurandas* (R. T.).

2 Edit. Main. legit de more solito *si quae* (R.T.).

1 Quas vide loc. cit. in notâ ad rubricâ (R. T.).

2 Voculam *cum* nos addimus (R. T.).

3 Has Urbani litteras habes in tom. XIII, pagina 165 (R. T.).

cumque status, gradus, qualitatis et conditionis, etiam speciali notâ dignis, quoad casus reservatos, etiam in Bullâ Coenae Domini (haeresi exceptâ) contentos, nonnisi in foro conscientiae, non autem in foro externo suffragatur, aliorumque indultorum huiusmodi, quantum ad praedictum articulum eligendi confessarium et absolvendi a praedictis casibus reservatis etiam in Bullâ Coenae Domini contentis, cum fratribus et monialibus praedictorum fratrum Praedicatorum, ac aliorum quorumcumque Ordinum et congregationum, societatisque et instituti praedictorum, mendicantium et non mendicantium, tam provinciae Hispaniae, quam extra eam ubilibet constitutorum, religiosis locum minime habuisse, neque habere, nec illis ullo modo suffragari potuisse, neque posse, excepto dumtaxat illo quinquenio quo litterae nostrae huiusmodi, ut praefertur, duraverunt, siquidem die XIV mensis iunii MDCXXIX proxime praeteriti iam expiraverunt, sed nostrae intentionis fuisse et esse, quod iidem fratres et moniales, quantum ad sacramenti poenitentiae seu confessionis administrationem, ordinariae dispositioni suorum praelatorum et Sedi[1] Apostolicae, quoad sibi reservata, subiecti sint, earumdem tenore praesentium perpetuo declaramus.

Clausulas praeservativas apponit.

§ 4. Decernentes praesentes nostras litteras de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quocumque defectu a quoquam impugnari non posse.

Ita iudicari mandat.

§ 5. Sicque, et non aliter, et in omnibus et singulis praemissis, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, ac Sedis Apostolicae nuntios, ac cruciatae commissarios, et quosvis alios quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, interpretari ac iudicari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria auferit.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac omnibus et singulis illis, quae in praedictis Clementis praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Quibus omnibus et singulis, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus.

Publicationem in Urbe omnes afficere decernit.

§ 7. Ut autem praesentium tenor omnibus innotescat, volumus eas in valvis basilicae Principis Apostolorum, et in acie campi Florae de Urbe, ut moris est, publicari, ipsasque sic publicatas, omnes et singulos ubique existentes ita afficere, ac si omnibus personaliter intimatae essent;

Transumptis credi iubet.

§ 8. Quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX iunii MDCXXX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 19 iunii 1630, pontif. anno VII.

1 Forsan legendum *Sedis* (R. T.).

CCCLXV.

Prohibitio ne aperiantur loca et domus sub titulo Congregationis Oratorii in regno Neapolis, nisi in civitatibus insignioribus, et tunc adsint decem sacerdotes, qui se sustentare valeant, quin eleemosynas quaerere cogantur[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Presbyteri Congregationis Neapolitanae referunt abusus ex multiplicitate Congregationum exortos.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii presbyteri Congregationis Oratorii Neapolitani, quod in regno Neapolitano nonnullae personae loca et domus Congregationis instituti Oratorii huiusmodi in aliquibus civitatibus et terris eiusdem instituti et minime capacibus, et ubi concursus pro praedicando inibi Dei verbo aliisque dicti instituti spiritualibus exercitiis decenter faciendis non adest, aperire, quin etiam, quo se sustentare valeant, in eisdem locis publice in scholis, constitutis etiam certis salariis, docere, victumque sibi, ac si mendicantium Ordinum professores essent, quaerere coeperunt, non sine magno eiusdem instituti praeindicio, gravique laesione: quare presbyteri praedicti nobis humiliter supplicari fecerunt, ut desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Pontifex alias Congregationes erigi nisi in insignioribus eiusdem regni civitatibus, vetat.

§ 2. Nos igitur, eorumdem presbyterorum indemnitati in praemissis opportune providere, illosque specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod de cetero perpetuis futuris temporibus loca et domus sub nomine seu titulo Congregationis Oratorii in dicto regno, nisi in illius insignioribus civitatibus, seu quae metropolis provinciae sit, et tunc decem inibi sacerdotes, iuxta qualitates a constitutionibus dictae Congregationis apostolicâ auctoritate confirmatis requisitas, fuerint, qui se (absque eo quod in eisdem locis publice vel privatim in scholis, constitutis etiam certis salariis, vel sine ipsis doceant seu eleemosynas quaerant, aut docere vel quaerere, cogantur) sustentare, aliaque servitia, seu exercitia, per presbyteros instituti Oratorii huiusmodi fieri solita, facere valeant, quorum quidem omnium requisitorum verificatio coram nostro et Apostolicae Sedis in regno praedicto pro tempore existente nuntio eisdem presbyteris semper ad omnia citatis et auditis fieri debeat, aperiri nullatenus possint nec debeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, sub excommunicationis maioris latae sententiae poenâ interdicimus et prohibemus.

Quibus sic erectis decem adsint sacerdotes.

Clausulae.

§ 3. Decernentes praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, nec illis aliquo modo derogatum aut contra eas dispositum sit aut censeatur, nisi in derogationibus aut dispensatione huiusmodi presbyteri praedicti prius citati et auditi fuerint; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantia tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, aut aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, e-

tiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod earumdem, etc.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II iulii MDCXXX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 2 iulii 1630, pontif. an. VII.

CCCLXVI.

Concessio plenariae indulgentiae in Urbe ad agendas gratias Deo pro praeservatione dictae Urbis, aliarum civitatum, ac provinciarum Italiae a dirâ epidimiae seu pestis vexatione, et ad divinam opem implorandam pro earumdem conservatione, et aliarum dictae vexationi obnoxiarum liberatione.

Urbanus Papa VIII,

Dilectis filiis clero et populo Romano, ac aliis christifidelibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Causae huius concessionis.

Pater misericordiarum et totius consolationis Deus votis nostris clementer annuens, almam Urbem nostram, et multas alias Italiae civitates et provincias a dirâ epidimiae lue, aliisque belli et famis calamitatibus et periculis immunes hactenus conservavit. Quamobrem cumulata in nos caelestium gratiarum dona omnino exigunt, ut maiores, quas possumus, divinae maiestati gratias concordibus et efficacibus affectibus agamus, eumque humillime deprecemur, ut praedictam almam Urbem nostram, ac civitates et provincias praedictas, reliquasque totius christiani orbis partes praeservare, illas vero, quae praedictis afflictionibus obnoxiae existunt, liberare, ac praesentibus Ecclesiae necessitatibus subvenire dignetur, ut, si divinae placuerit bonitati, orationes exaudiantur, et fiat super nos misericordia Altissimi speciosa in tempore tribulationis. Hoc autem ut fructuosius et maiori cum spiritus ardore peragatur, ex veteri Ecclesiae Romanae omnium matris et magistrae more, eiusdem Ecclesiae thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus, proferre et erogare decrevimus.

Concessio indulgentiae, de quo in subrricâ.

§ 1. Itaque, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, meritis minime suffragantibus, contulit, universis et singulis christifidelibus, qui spatio trium mensium proxime decurrendorum in aliquâ ex sextis feriis cuiuslibet hebdomadae ieiunaverint, ac confessi et sacrâ communione in die dominicâ immediate sequente refecti fuerint, propriamque parochialem, seu unam ex infrascriptis tribus ecclesiis Urbis, nempe Lateranensem, Principis apostolorum, et in eâ situm altare sancti Michaëlis Archangeli nuncupatum, aut sanctae Mariae Maioris basilicas, sive ecclesiam nationalem, quoad ipsius ecclesiae nationales, eâdem hebdomadâ respective visitaverint, ibique ut supra, ac etiam pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, eleemosynasque sibi benevisas erogaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Praescriptio ulterius formae pro voleotibus sibi eligere confessarium cum facultatibus, ut hic.

§ 2. Iis, qui praeterea intra dictos tres menses septem hebdomadarum sextis feriis ieiunaverint, et aliquam ecclesiarum seu basilicarum praefatarum iisdem he-

bdomadis etiam devote visitaverint, licentiam insuper concedimus, et facultatem damus, ut possint sibi ad hunc effectum eligere quemcumque presbyterum confessarium, tam secularem quam cuiusvis Ordinis regularem, ex approbatis a dilecto filio nostro in almâ Urbe nostrâ praedictâ vicario in spiritualibus generali, qui eos ab omnibus excommunicationibus, suspensionibus et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis criminibus et delictis, quantumvis grâvibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis sive nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliàs per[1] quascumque nostras aut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae, et hac vice tantum, non tamen a crimine haeresis, absolvere et liberare valeat; et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis.

Praescriptio pro regularibus et aliis impeditis.

§ 3. Regularibus autem personis utriusque sexus in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus et regularibus, in carcere existentibus vel aliquâ corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut confessarius, quem ut supra elegerint, praedicta omnia et singula vel eorum aliqua in alia pietatis opera commutare possit, pariter concedimus et indulgemus.

Duae restrictiones praedictarum facultatum.

§ 4. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate seu inhabilitate quoquomodo contractâ dispensare vel aliquam facultatem tribuere dispensandi seu habilitandi et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae; neque etiam easdem praesentes iis qui a nobis et Apostolicâ Sede vel ab aliquo praelato seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi et interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denuntiati fuerint, nisi infra tempus ut supra praefixum satisfecerint aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus contitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, ac quorumcumque Ordinum, congregationum sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ordinibus et congregationibus, atque institutis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac formam eorum traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter, nominatim et expresse, ad effectum praesentium, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maio-

1 Ed. Main. h. *et alias per*, f. *et per alias* (R.T).

rem, sub annulo Piscatoris, die IX iulii MDCXXX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 9 iulii 1630, pontif. anno VII.

CCCLXVII.

Extensio plenariae indulgentiae praedictae ad universam Italiam, insulasque ei adiacentes.

Urbanus Episcopus, ad futuram rei memoriam.

Refertur tenor concessionis indulgentiae Urbi.

Nuper a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, etc. (*Omittitur tenor ipsius constitutionis quia legitur in constitutione praecedenti*).

Petitiones pro illius extensione.

§ 1. Cum autem, sicut multi venerabiles fratres archiepiscopi et episcopi, necnon dilecti filii nobiles viri, duces, principes et alii magnates in Italia et insulis illi adiacentibus nobis nuper exponi fecerunt, ipsi, ut etiam fructuosius et maiori cum spiritus ardore divinam opem in praesentibus Ecclesiae necessitatibus implorent, praeinsertas litteras nostras ad universos Italiae et insularum praedictarum christifideles extendi summopere desiderent[1].

Extensio de qua in rubrica.

§ 2. Nos, pro eâ, qua eorundem christifidelium animarum saluti iugiter invigilamus, paternâ charitate, ut illi tam pretiosi Ecclesiae thesauri participes fiant providere volentes, piis archiepiscoporum, ducum, episcoporum, principum et aliorum magnatum votis, quantum nobis ex alto conceditur, annuendum duximus. Igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertas litteras nostras, cum omnibus et singulis in eis contentis concessionibus, facultatibus, indultis, clausulis et decretis, ad universos utriusque sexus christifideles seculares et regulares in Italia et insulis praedictis existentes, necnon ecclesias per Ordinarios locorum, seu per alios de eorum mandato designandas, et confessarios ab iisdem Ordinariis approbatos seu approbandos, spatio trium similiter mensium, a die publicationis praesentium in dictis locis faciendae inchoando, durante, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, extendimus, praefatisque christifidelibus, nec non ecclesiis et confessariis concessiones, facultates et indulta, cum clausulis et decretis huiusmodi, auctoritate et tenore praedictis communicamus.

Contrariorum abrogatio.

§ 3. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac omnibus illis, quae in dictis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII iulii MDCXXX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 17 iulii 1630, pontif. anno VII.

1 Ed. Main. habet *desiderant* (R. T.).

CCCLXVIII.

Inquisitor Melitensis praeses deputatur capituli, a sexdecim compromissariis in hospitali S. Ioannis Hierosolymitani habendi, cum facultatibus necessariis et opportunis[1].

Dilecto filio magistro Ludovico Serristorio in utrâque signaturâ nostrâ referendario, haereticae pravitatis in insulâ Melitensi inquisitori generali,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Deputatio, de qua in rubrica.

§ 1. Cum capitulum generale fratrum hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani die VII mensis octobris proxime futuri, iuxta quasdam nostras in simili formâ Brevis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

expeditas litteras[1], benedicente Domino celebrandum sit; nos cupientes, ut capitulum huiusmodi recte et fideliter ad Dei laudem, eiusdemque hospitalis utilitatem celebretur, te, qui haereticae pravitatis in insulâ Melitensi inquisitor generalis existis, et de cuius fide, pietate, prudentiâ et religionis zelo plurimum in Domino confidimus, super sexdecim compromissariis electis, sive plures fuerint deputati, nostro et Apostolicae Sedis nomine praesidentem,

Cum facultatibus, quae hic indicantur.

§ 2. Cum auctoritate, facultatibus, iurisdictione, honoribus et oneribus, similibus praesidentibus competentibus, ac aliis solitis et consuetis, ac cum facultate quascumque propositiones, tractatus et resolutiones, prout melius in Domino expedire iudicaveris, impediendi, terminum quindecim dierum non feriatorum dictis compromissariis pro expediendis negociis ad aliud tibi benevisum extendendi et prorogandi, dictos sexdecim, et plures si fuerint, et alios in dictis sessionibus interessentes cogendi ad iuramentum praestandum de non revelando seu indicando, verbo, scripto, signo, seu alios quovis modo, propositiones, tractatus et resolutiones in dictis sessionibus habendas et faciendas[2] cuivis personae, etiam in quavis dignitate constitutae, praeterquam dictis electis et interessentibus, sub poenis arbitrariis, etiam excommunicationis latae sententiae, donec tamen eorum omnium publicatio in capitulo generali facta fuerit, capitulum generale, septimâ die octobris inchoandum, ad aliam diem, si tibi videbitur, prorogandi, et, quando in dictis sessionibus compromissariorum interesse nequiveris, aliquam personam tibi benevisam in tui locum ad huiusmodi munus obeundum substituendi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facimus, constituimus et deputamus.

1 Quas deesse puto (R. T.).

2 Male ed. Main. leg. *propositionibus, tractatibus et resolutionibus... habendis et faciendis* (R.T).

Adhortatio ad eumdem, ut bonum militiae curet.

§ 3. Teque in Domino hortamur et monemus, ut sessiones praefatas feliciter regere, et in illis omnia, quae ad prosperum totius hospitalis statum, regimen et gubernium pertinere iudicaveris, decerni, statui et ordinari, cures et facias.

Mandatum de et parendo.

§ 4. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae dilectis filiis eiusdem hospitalis magno magistro, prioribus, baiulivis, praeceptoribus, seu commendatariis, ceterisque fratribus, quocumque nomine nuncupatis, et specialiter vocalibus in dicto capitulo et sessionibus congregatis, aliisque ad quos spectat, ut te in eorumdem sexdecim sive plurium compromissariorum electorum[1] nostro et dictae Sedis nomine praesidentem recipiant reverenter, tibique, ac per te substituendae personae huiusmodi, in omnibus ad praesidentis huiusmodi officium pertinentibus pareant, obediant et assistant, tuaque et eiusdem personae salubria monita et iussa suscipiant reverenter, et efficaciter adimplere procurent.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique hospitalis, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI augusti MDCXXX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 6 augusti 1630, pontif. anno VIII.

1 Male edit. Main. legit *electionem* (R.T.).

CCCLXIX.

Facultas eidem inquisitori iubendi, ut electio duorum compromissariorum fiat a qualibet linguâ, vel ab aliis incorporatis in capitulo per secreta suffragia, etc. [1].

Dilecto filio magistro Ludovico Serristorio, in utrâque signaturâ nostrâ referendario, haereticae pravitatis in insula Melitensi inquisitori generali,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset dilatam a se fuisse capituli celebrationem ad 7 octobris.

§ 1. Nuper, certis de causis animum nostrum moventibus, celebrationem capituli generalis fratrum hospitalis S. Ioannis Hierosolimitani, ad dominicam secundam (quae fuit die XIV mensis aprilis proxime praeteriti) vigore quarumdam litterarum nostrarum in simili formâ Brevis expeditarum [2] indictam, ad diem septimam mensis octobris praesentis anni MDCXXX, firmis in reliquis remanentibus eisdem nostris litteris, apostolicâ austoritate extendimus et prorogavimus, prout in aliis nostris in eâdem formâ Brevis expeditis litteris [3], quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, plenius continetur.

§ 2. Et quoniam, iuxta primodictarum nostrarum litterarum formam et tenorem, in dicto capitulo duo eiusdem hospitalis fratres pro qualibet linguâ, ad numerum sexdecim, qui compromissarii existunt, conficiendum, eligendi sunt: ideirco tibi, quem in eorumdem sexdecim compromissariorum nostro et Apostolicae Sedis nomine praesidentem deputavimus, quod duorum fratrum huiusmodi electio a totâ linguâ, vel ab iis tantum, ut moris est, qui in eodem capitulo incorporati erunt, fiat;

Deputatum inquisitorem, qui ei praesit.

Iubet compromissarios a totâ lingua eligi,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Hae primae litterae desunt (R. T.).
3 Secundae quoque litterae desunt (R. T.).

§ 3. Et tam is quam alius modus per secreta suffragia, prout eisdem litteris nostris cavetur, similiter fiat, sumpto tamen prius ab illis sanctissimo Eucharistiae sacramento, ac praestito praecise iuramento de aptioribus eligendis, et in omnibus, prout tu, cui modus, qui in dictâ electione servari debeat, praescribendus relinquitur, melius in Domino expedire iudicaveris, auctoritate nostrâ apostolicâ mandandi facultatem, eâdem auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Per secreta tamen suffragia, sumptoque ab electoribus SS. Eucharistiae sacramento.

§ 4. Non obstantibus omnibus illis, quae in primodictis litteris nostris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogat obstantibus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI augusti MDCXXX, pontificatus nostri, anno VIII.

Dat. die 6 augusti 1630, pontif. anno VIII.

CCCLXX.

Facultas eidem inquisitori conceditur nominandi sexdecim compromissarios absque participatione linguae aut incorporatorum in capitulo, qui sic nominati habeant eamdem facultatem quam habent nominati a capitulo [1].

Dilecto filio magistro Ludovico Serristorio in utrâque signaturâ nostrâ referendario, haereticae pravitatis in insulâ Melitensi inquisitori generali,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Facultas inquisitori nominandi sexdecim compromissarios.

§ 1. Cupientes prospero felicique capituli generalis fratrum hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani die VII mensis octobris proxime futuri benedicente Domino celebrandi successui, quantum cum Domino possumus, providere, tibi, quem ho-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

die super sexdecim compromissariis, sive plures fuerint, nostro et Apostolicae Sedis nomine praesidentem sub certis modo et formâ tunc expressis deputavimus, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, ut solus per te ipsum, absque eo quod lingua sive alii a capitulo ut supra incorporati nominationem aliquam facere possint, sexdecim compromissarios, auctoritate nostrâ apostolicâ nominare,

Qui eamdem habeant facultatem ac si a capitulo forent electi.

§ 2. Qui quidem sic per te nominati eamdem facultatem et auctoritatem habeant, quam alii sexdecim haberent, si a capitulo generali, sive ab eo incorporatis, nominati et electi essent, quam tamen nominationem praedictum capitulum sive incorporati pro hac vice tantum facere non possint;

Ipse vero capituli nominationem possit impedire.

§ 3. Utque etiam ad hunc effectum incorporatis praedictis, et quibusvis aliis, quamcumque nominationem impedire possis et valeas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus et impartimur.

Contraria tolluntur.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti hospitalis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis quoque, ac legibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI augusti MDCXXX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 6 augusti 1630, pontif. anno VIII.

CCCLXXI.

Facultas inquisitori Melitae nominandi eos fratres hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, qui capitulo generali pro lingua Angliae adsint[1].

Dilecto filio magistro Ludovico Serristorio in utrâque signaturâ nostrâ referendario, haereticae pravitatis in insulâ Melitae inquisitori generali,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem

Refert praecedentes litteras.

§ 1. Cum nos hodie te in sexdecim vel plurium compromissariorum fratrum S. Ioannis Hierosolimitani, eligendorum in proximo capitulo generali die VII mensis octobris praesentis anni benedicente Domino celebrando, nostro et Apostolicae Sedis nomine praesidentem apostolicâ auctoritate constituerimus et deputaverimus, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur:

Facultas, de qua in rubricâ

§ 2. Nunc autem cupientes, ut capitulum huiusmodi, ac dictorum sexdecim seu plurium compromissariorum sessiones feliciter celebrentur, tibi eos dicti hospitalis fratres, qui capitulo huiusmodi et dictorum sexdecim seu plurium compromissariorum sessionibus pro linguâ Angliae ipsius hospitalis intervenire debebunt, auctoritate nostrâ apostolicâ nominandi facultatem, eâdem auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Contraria tolluntur.

§ 3. Non obstantibus quacumque concessione dignitatum ipsius linguae quibusvis dicti hospitalis fratribus hactenus, etiam per litteras apostolicas in formâ Brevis huiusmodi, factâ, ac quibuscumque aliis privilegiis, statutis et consuetudinibus, necnon omnibus illis, quae in aliis nostris, in eâdem formâ Brevis super in-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

dictione dicti capituli emanatis, voluimus non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII[1] augusti MDCXXX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 7 augusti 1630, pontif. anno VIII.

CCCXLXXII.

Facultas inquisitori Melitae nominandi sexdecim fratres hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani etiam ex non incorporatis in capitulo, duos scilicet pro qualibet lingua, qui adiungantur aliis a linguis seu capitulo nominatis[2].

Dilecto filio magistro Ludovico Serristorio in utrâque signaturâ nostrâ referendario, haereticae pravitatis in insulâ Melitensi inquisitori generali,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Causae concedendae facultatis.

§ 1. Nuper, certis de causis animum nostrum moventibus, celebrationem capituli generalis fratrum hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, ad dominicam secundam (quae fuit dies XIV mensis aprilis proxime praeteriti) vigore quarumdam litterarum nostrarum in simili formâ Brevis expeditarum indictam, ad diem VII mensis octobris praesentis anni MDCXXX, firmis in reliquis remanentibus eisdem nostris litteris, apostolicâ auctoritate extendimus et prorogavimus, prout in aliis nostris in eâdem formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, plenius continetur.

Facultas, de qua in rubricâ.

§ 2. Nunc autem prospero felicique capituli huiusmodi successui quantum cum Domino possumus providere volentes, tibi, quem hodie in sexdecim sive plurium compromissariorum electorum[1], nostro et Apostolicae Sedis nomine praesidentem deputavimus, alios sexdecim dicti hospitalis fratres, etiam ex non incorporatis in dicto capitulo generali, duos scilicet pro qualibet linguâ, qui dictis sexdecim, a linguis sive a capitulo incorporatis nominatis, adiungi debeant, auctoritate nostrâ apostolicâ nominandi facultatem, eâdem auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

§ 3. Non obstantibus omnibus illis, quae in primodictis nostris litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Obstantium derogatio.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII[2] augusti MDCXXX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 7 augusti 1630, pontif. anno VIII.

CCCLXXIII.

Prohibitio erigendi scholas sub denominatione scholarum piarum, et annullatio erectarum sub tali nomine ab aliis quam a Clericis Regularibus religionis pauperum Matris Dei Scholarum Piarum. Necnon interdictio deferendi habitum per dictos Clericos gestari solitum[3].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Ad uberes fructus, quos dilecti filii Clerici Regulares congregationis Matris Dei Scholarum Piarum in vineâ Domini proferunt, considerationis nostrae aciem convertentes, dignum, quin potius debitum reputamus, ut ea, quae felicibus eorum progressibus obesse possunt, quantum cum Domino possumus, removeamus et prohibeamus. Exordium.

1 Videretur legendum VI (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Male ed. Main. legit *electorem* (R. T.).
2 Etiam hîc legendum VI (R. T.).
3 Scholarum piarum materiam lege in Constit. CCLXXXVII Pauli V, *Ad ea*, tom. XII, pag. 382.

Prohibitio, de qua in rubrica.

§ 1. Specialibus itaque illos favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus ministri generalis dictae congregationis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne alii quicumque, quavis auctoritate fungentes, scholas sub denominatione scholarum piarum erigere, aut forsan iam erectas pias nominare nec inscribere, minusque habitum per dictos Clericos Regulares gestari solitum gestari audeant seu praesumant, sub excommunicationis et aliis censuris ecclesiasticis per contrafacientes ipso facto incurrendis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium interdicimus et prohibemus.

Clausulae praeservativae.

§ 2. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, et ab omnibus inviolabiliter observari;

Clausulae irritantes.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Ut autem, praesentes facilius omnibus innotescant, volumus, ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII mensis augusti MDCXXX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 17 augusti 1630, pontif. anno VIII.

CCCLXXIII.

Declaratio constitutionis Pii IV de registrandis in camerâ gratiis illius interesse concernentibus [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Cum, sicut accepimus, plures Romani Pontifices praedecessores nostri concesserint, prout etiam nos concessimus, diversa privilegia, indulta, licentias et gratias, etiam interesse camerae apostolicae concernentia, tam per litteras apostolicas sub plumbo et in simili formâ Brevis expeditas, quam per chirographa eorum et nostrâ respective manu subscripta, in quibus quidem litteris et chirographis motui proprio [2], seu constitutioni, felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri, quo cavetur ut omnes et singulae gratiae interesse dictae camerae concernentes in eâdem camerâ intra certum ibi expressum tempus registrari debeant, aliâs gratiae ipsae nullae sint, derogatum reperitur, a nonnullis vero nimium scrupulosis in dubium revocetur, an tales derogationes adhuc in camerâ praedictâ registrari debuerint et debeant:

Dubitatio circa registrationem.

§ 1. Nos, ne ullo unquam tempore de ipsorum privilegiorum, indultorum, licentiarum et gratiarum validitate, ex eo quod privilegia, indulta, licentiae, gratiae seu facultates aut derogationes huiusmodi in eâdem camerâ registratae non fuerint, haesitari, eosque, ad quorum favorem ema-

1 Hanc Pii IV constitutionem habes in Constitut. CXVI, *Ingens humeris nostris*, tom. VII, pag. 375.

2 Edit. Main. legit *motu proprio* (R. T.).

narunt, eo praetextu, super privilegiis, indultis, licentiis, gratiis et facultatibus eisdem pro tempore, ut praefertur, concessis, molestari contingat, providere cupientes, ac motus proprii seu constitutionis praedicti Pii praedecessoris tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes,

Pontificis ex motu proprio decretum.

§ 2. Motu proprio, non ad alicuius nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex merâ animi nostri deliberatione, certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula privilegia, indulta, licentias, gratias et facultates tam per praedecessores nostros quam per nos ipsos per litteras apostolicas sub plumbo aut in formâ Brevis expeditas, seu per chirographa eorumdem praedecessorum vel nostrâ manu respective subscripta, etiam quodcumque interesse dictae camerae concernentia, cuiuscumque qualitatis, generis, quantitatis et valoris etiam maximi et inexcogitabilis existat, concessa hactenus, et imposterum per nos et Romanos Pontifices successores nostros concedenda, in quibus motui proprio seu constitutioni Pii praedecessoris huiusmodi ad effectum, ut illi, ad quorum favorem emanarunt et emanabunt pro tempore, ad ipsa privilegia, indulta, licentias et gratias in eâdem camerâ registrandum non teneantur, derogatum fuerit, seu derogari contigerit in futurum, etiamsi illae et illa sive derogatio et voluntas huiusmodi in praedictâ camerâ registrata non sint et non registrentur, etiam ab earum datâ valere et de eorum validitate dubitari non posse, neque propterea illos, ad quorum favorem emanarunt, aliquo modo molestari debere, tenore praesentium decernimus et declaramus.

Silentii officialibus impositio.

§ 3. Ac dilectis filiis nostro[1] sanctae Romanae Ecclesiae camerario ac thesaurario generali, praesidenti et clericis necnon commissario eiusdem camerae, nunc et pro tempore existentibus, et aliis quibuscumque desuper interesse quomodolibet praetendentibus, aut qui illud quomodolibet praetendere possent, perpetuum silentium desuper imponimus.

Contrafacientibus poena decreta.

§ 4. Mandantes camerario, thesaurario, praesidenti et clericis, necnon commissario, nunc et pro tempore existentibus, et aliis interesse praetendentibus praedictis, ne, sub nostrae et pro tempore existentis Romani Pontificis indignationis, aliisque nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio imponendis poenis, et etiam interdicti ingressus ecclesiae, ac aliis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, ipso facto per contravenientes et eorum quemlibet toties quoties contravenerint respective incurrendis, a quibus a nemine, praeterquam a Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi, seu illae eis relaxari nequeant, praedictorum aliquem super praemissis aliquo modo molestare audeant vel praesumant.

Praeservatio.

§ 5. Volentes, et eâdem auctoritate decernentes praesentes nostras litteras, declarationem et voluntatem, etiam quod in dictâ camerâ non registrentur neque praesententur, iis omnibus, de quorum interesse actum fuerit vel agetur, pro tempore suffragari debuisse et debere, perinde ac si in eâdem camerâ debito tempore praesentatae et in eâ registratae fuissent.

Exequutorum deputatio.

§ 6. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostiensi et Portuensi episcopis, ac dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte in praemissis interesse habentium desuper

1 Aptius legeretur *nostris*; ed. Cherub. habet *nostro et* (R. T.).

requisiti fuerint, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate nostrâ illos praemissorum commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes illos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariorum abrogatio.

§ 7. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, ac motu proprio huiusmodi, seu praedictâ Pii praedecessoris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, aliisque in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica et expressa ac individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, latissime hac vice, ad effectum praemissorum tantum, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 7. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX augusti MDCXXX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 19 augusti 1630, pontif. anno VIII.

CCCLXXIV.

Indulgentiae ac privilegia omnia monachis Ordinis S. Basilii monasterii sanctae Catharinae montis Sinai a praedecessoribus Pontificibus concessa confirmantur[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Romanus Pontifex, universalis Ecclesiae regimini praepositus, ad singulorum quoque monasteriorum, praesertim ab hac sanctâ Sede longe remotorum, statum respiciens, indulta et gratias, illis eorumque personis, ac aliàs ad ea et illorum ecclesias confluentibus, seu aliàs illorum intuitu concessa, libenter, cum[2] a se petitur, apostolicae confirmationis munimine corroborat, ut exinde fidelium pietas et devotio, animarumque salus maiora in dies, Deo dante, suscipere valeant incrementa. Proœmium

§ 1. Dudum siquidem (postquam recolendae memoriae Pius Papa IV praedecessor noster acceperat, quod felicis recordationis Innocentius VIII, ex certis tunc expressis causis, in monasterio hospitali beatae et gloriosae virginis et martyris Catharinae montis Sinai Ordinis sancti Basilii, nullius dioecesis, unam utriusque sexus christifidelium confraternitatem erexerat, et voluerat, quod omnes et singuli utriusque sexus christifideles illius confratres pro tempore existentes confessarium idoneum secularem vel regularem eligere possent, qui illis semel tantum in mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum, de quibus contriti et Innocentius VIII confraternitatem in monasterio sanctae Catharinae montis Sinai instituit. Spiritualesque confratribus gratias impertitus fuit.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Male edit. Main. legit *eum* (R. T.).

confessi essent, remissionem et absolutionem apostolicâ auctoritate impendere, ac votum visitandi sepulchrum ipsius beatae Catharinae commutare valeret;

Iulius II huiusmodi gratias novas addidit.

§ 2. Et deinde piae memoriae Iulius II, praemissa approbans, ipsis fratribus concesserat, ut idem confessor eos, etiam ab omnibus criminibus, excessibus et delictis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, exceptis contentis in litteris in Coenâ Domini legi consuetis, semel in vitâ, a non reservatis vero quoties opus esset, absolvere posset;

Proni etiam Leo X.

§ 3. Ac postea recolendae memoriae Leo X, omnes et singulas indulgentias, gratias, privilegia, indulta, ab eisdem Innocentio et Iulio praedecessoribus ad tam pium opus concessa similiter approbans et confirmans, perpetuo statuerat et ordinaverat, quod in quacumque civitate aut terrâ illius incolae de dictâ confraternitate existentes altare unum seu unam cappellam sub invocatione ipsius beatae Catharinae in aliquâ ecclesiâ seu monasterio aut loco construere et deputare, ac in eâ singuli [1] primis diebus cuiuslibet mensis convenire, et inibi processionem et missam celebrare et celebrari facere, ipsamque cappellam, necnon omnia et singula ad eos et dictam confraternitatem inibi quomodolibet spectantia, per duos ex eisdem incolis et confratribus, annis singulis eligendos, gubernare et in dictâ cappellâ missas et alia divina officia per presbyterum ad eorum nutum ponendum et amovendum, etiam tempore cuiuscumque interdicti ordinariâ auctoritate appositi, dummodo ipsi vel eorum aliqui interdicto huiusmodi causam non dedissent [2], celebrari facere, ac eorum confratrum [3] corpora ecclesiasticae sepulturae, sine tamen funerali pompâ, tempore interdicti huiusmodi, tradi, et quilibet ex dictis confratribus quadragesimalibus et aliis temporibus, quibus esus carnium et lacticiniorum prohibetur, ovis, butiro, lacte et aliis lacticiniis, ac, de utriusque medici consensu, etiam carnibus vesci, et a quacumque excommunicationis sententiâ a iure, non tamen ab homine, quavis occasione vel causâ latâ, per presbyterum ad eius nutum eligendum, sine tamen iuris alieni praeiudicio, absolvi; ac nobiles et clerici necnon infirmitate vel aliàs impediti confratres altare portatile habere, ac super eo missas et alia divina officia in quibusvis locis, ad hoc tamen congruis et honestis, per se ipsos, qui presbyteri forent, alii vero per presbyterum ad hoc eligendum celebrari facere possent, et insuper quod quicumque cappellam seu altare huiusmodi, singulis, annis dominicis ac primis cuiuslibet mensis diebus, viginti annorum et totidem quadragenarum, qui vero illam in festo eiusdem beatae Catharinae visitarent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, singulis diebus et festo praedictis quibus id facerent, respective consequerentur, et, qui diebus stationum in almâ Urbe et extra eius muros celebrandarum deputatis dictam cappellam visitarent, easdem indulgentias et peccatorum remissiones consequerentur, quas ipsi [1] eisdem diebus ecclesias almae Urbis et extra eius muros pro indulgentiis huiusmodi consequendis deputatas personaliter visitarent, et quaecumque ad id opportuna facerent, et nihilominus tam vivi quam defuncti fratres omnium eleemosynarum et missarum participes et consortes in perpetuum essent;

Paulus III et Pius IV.

§ 4. Et subsequenter sanctae memoriae Paulus III, ac successive dictus Pius, Romani Pontifices praedecessores nostri, per quasdam suas litteras erectionem et institutionem confraternitatis, necnon omnia

1 Forsan legendum *singuli* (R. T.).

2 Perperam ed. Main. leg. *Con dedissent* (R.T.).

3 Perperam ed. Main. legit *non fratrum* (R.T.).

1 Adde: *consequerentur, si* (R. T.).

et singula concessiones, indulgentias, facultates, indulta et alias gratias huiusmodi similiter approbaverant et confirmaverant, necnon, ut cappellae in honorem beatae virginis et martyris Catharinae erigendae ferventiori devotionis zelo a christifidelibus frequentarentur, ipsique christifideles, monasterii, eiusque abbatis et monachorum praedictorum necessitatibus promptius succurrerent, quo se caelesti munere uberius refectos esse cognoscerent, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, vere poenitentibus et confessis, seu statutis a iure temporibus confitendi propositum habentibus, qui infra decennium tunc proxime futurum cappellas praefatas, iovis in Coenâ Domini hebdomadae sanctae et festi Assumptionis beatae Mariae Virginis quintadecimâ mensis augusti diebus, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi devote visitarent, necnon senibus valetudinariis, et mulieribus praegnantibus, vel alio legitimo impedimento detentis, qui per alium id facerent, plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam in formâ Ecclesiae anni quinquagenarii, et non secus ac si ipsius beatae Catharinae sepulchrum et loca sancta civitatis Ierusalem visitarent, auctoritate apostolicâ concesserant; mandantes, sub interdicti et ingressus ecclesiarum privationis et excommunicationis poenis respective, universis et singulis venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis eorum vicariis in spiritualibus generalibus, verbi Dei praedicatoribus, parochialium ecclesiarum rectoribus et vicariis, ceterisque personis ecclesiasticis secularibus et quorumvis etiam canonicorum regularium et mendicantium Ordinum regularibus, exemptis et non exemptis, quod, quando et quoties pro parte abbatis monasterii praefati et cuiusdam[1] tunc existentis monachi et procuratoris ipsius monasterii desuper requisiti forent, praemissas et quasvis alias indulgentias, concessiones, facultates et alia indulta, in litteris desuper confectis contenta, in eorum ecclesiis, aliisque decentibus locis, cum solemni et generali processione, publicarent et publicari facerent, capsasque sub clavibus pro collectione eleemosynarum in suis ecclesiis ponerent, nec, durante descriptionis et indulgentiae huiusmodi tempore, aliquas alias indulgentias, etiam sub sancti Sebastiani ad catacumbas, vel sancti Rochi de Urbe, aut Redemptionis Captivorum, seu alio nomine, per quosvis commissarios et quaestores publicari sinerent; ac districtius inhibentes quibuscumque commissariis, etiam sancti Sebastiani et sancti Rochi eorumdem, necnon Sancti Spiritus almae Urbis, ac Redemptionis Captivorum Neapolitanae et Avenionensis ac Toletanae, aliisque quibuslibet, ne, vigore quarumcumque litterarum eâtenus sibi concessarum, abbatem et procuratorem praedictos super liberâ indulgentiarum aliorumque praemissorum publicatione molestare, inquietare vel perturbare praesumerent);

Privilegia quoque nonnulla et indulgentias monachis monasterii monalis Sinai concessit idem Pius IV.

§ 5. Demum (post certam dicti Pii constitutionem similium indulgentiarum ad ipsamet principalia loca, pro quibus emanassent, personaliter visitantes restrictivam, sub datum VII kalendas maii, pontificatus sui anno II expeditam)[1] provide considerans, quod idem monasterium beatae Catharinae (ob itineris difficultatem et maxima pericula, cum ipsum sit inter Arabos situm, difficileque posset a christifidelibus visitari) illiusque monachi (quorum et dicti eorum monasterii bona ab infidelibus occupantur) maximâ affligebantur inopiâ, eorum egestati succurrere volens, per alias suas, indulgentias, litteras et facultates ac desuper confectas litteras praedictas, et inde sequuta quaecumque,

1 Forsan legendum *cuiusque* (R. T.).

1 Heic subde *idem Pius* (R. T.).

adversus suam huiusmodi constitutionem in pristinum et eum, in quo antequam illa emanassent[1], erant statum, robur et vires, in omnibus et per omnia, dummodo praeterquam per monachos dicti monasterii non differentur[2], apostolicâ auctoritate restituit, reposuit et plenarie reintegravit, ac pro restitutis, repositis ac reintegratis haberi[3] voluit; et ita ab omnibus censeri, necnon dictarum praedictarum litterarum transumptis, etiam impressis, procuratoris generalis monasterii huiusmodi ac ab eo substituendi manu subscriptis, sigilloque alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eamdem fidem adhiberi debere, quae originalibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae, litteris ipsis post decennium praedictum minime valituris, decrevit; ac postmodum (per dictum Pium accepto, quod abbas et monachi monasterii praedicti, linguae latinae penitus ignari, graecam solum noverant) indulgentias praedictas ad duos dies, eisque[4] abbati et monachis, seu eorum procuratoribus quos ad id duxissent deputandos, benevisos, necnon ad animas defunctorum, in purgatorio existentes, per modum suffragii (ita quod christifideles, qui in diebus per abbatem et monachos seu procuratorem praedictos[5] declarandis, etiam alicuius defuncti animae in purgatorio existentis etiam propinqui nomine, cappellas praedictas visitarent, et alia in praedictis litteris contenta facerent et adimplerent, ipsius defuncti anima per suffragii modum indulgentiae huiusmodi particeps efficeretur, ipsique christifideles easdem indulgentias consequerentur, quas, si feriâ[6] quintâ in Coenâ Domini et festo Assumptionis beatae Mariae Virginis praedictis ea adimplevissent, consequerentur, dictâ auctoritate apostolicâ extendit et ampliavit; decernens[1] easdem indulgentias per quascumque personas abbati et monachis praedictis benevisas et ad eorum nutum eligendas publicari ac denuntiari posse;

1 Probabiliter legendum *emanasset* (R. T.).
2 Vide quid legendum loco *differentur* (R.T.).
3 Edit. Main. legit *habere* (R. T.).
4 Aptius lege *eisdem* (R. T.).
5 Male edit. Main. legit *praedictis* (R. T.).
6 Edit. Main. legit *quartâ* (R. T.).

Idemque Pius praefatas omnes concessiones ratas habuit et confirmavit.

§ 6. Ac demum (dicto Pio praedecessori pro parte tunc existentis abbatis et monachorum dicti monasterii exposito, quod ab aliquibus haesitabatur, an indulgentiae[1] huiusmodi sub certis aliis revocationibus per ipsum Pium praedecessorem postmodum editis comprehenderentur) idem Pius praedecessor, abbatis et monachorum supplicationibus tunc inclinatus, omnes et singulas indulgentias, ac desuper confectas litteras apostolicas, adversus praedictas et quasvis alias revocationes, limitationes aliasque contrarias dispositiones, ab ipso Pio praedecessore eâtenus forsan emanatas, in pristinum et eum, in quo antea quomodolibet erant, statum, sub certis modo et formâ tunc expressis, apostolicâ auctoritate plenarie restituit, reposuit et reintegravit, ac etiam innovavit, prout in ipsius Pii et aliorum praedecessorum praedictorum litteris desuper confectis, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, plenius continetur[1].

Procurator generalis petit iterum confirmari.

§ 7. Cum autem, sicut dilectus filius Clemens Lambardus dicti monasterii procurator dilectorum filiorum abbatis et monachorum ipsius monasterii nomine nobis nuper exponi fecit, ipsi plurimum cupiant praemissa omnia, quo firmiora subsistant, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, nobisque propterea humiliter supplicari fecerit, ut desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Confirmat Urbanus.

§ 8. Nos, attendentes monasterium hu-

1 Perperam ed. Main. legit *decernentes* (R.T.).
2 Quas omnes deesse puto (R. T.).
3 Pessime edit. Main. legit *indulgentias* (R.T).

iusmodi inter Arabos situm, maximamque illius ab hac sanctâ Sede distantiam, et propterea eiusdem monasterii monachos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula concessiones, indulgentias, facultates, indulta et alia superius expressa huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium (scilicet ad triginta annos, quoad indulgentias extraordinarias huiusmodi), approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulas necessarias apponit.

§ 9. Decernentes eadem praemissa ac praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac monachis praedictis, et aliis quos illa concernunt et concernent in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 10. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 11. Volumus autem, quod, si aliàs christifidelibus dictam cappellam visitantibus aliquam aliam indulgentiam, perpetuo vel ad tempus non elapsum, concesserimus, praesentes nullae sint.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV septembris MDCXXX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 4 septembris 1630, pontif. anno VIII.

CCCLXXVI.

Magistratui Ferrariensi facultas concedit tur vectigal salis et olei imponendi, montemque non vacabilem super eius fructibus erigendi [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Paterna de nostris et sanctae Romanae Ecclesiae subditis cura et sollicitudo postulat, ut eorum commoditatibus et saluti, quantum cum Domino possumus, iugiter consulamus.

Facultas magistratui Ferrariensi concedi tur vectigal salis et olei imponendi,

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, dilecti filii iudex et magistratus sapientum civitatis nostrae Ferrariensis, ad avertendam, quantum divinae placuerit misericordiae, contagionem in nonnullis Lombardiae partibus grassantem, varia atque gravia expensarum onera subeant: nos, ut iudex et magistratus praedicti praemissa facilius et minore quo fieri potest eorum incommodo peragere valeant, pro nostri pastoralis officii debito opportune providere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eisdem iudici et magistratui, ut in praedictâ civitate dumtaxat unam duorum quatrenorum cum dimidio alterius similis quatreni monetae illarum partium super qualibet librâ salis, et aliam, gabellas, tertiae partis unius bolognini super qualibet librâ olei imponere, easque a quibusvis personis, tam

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

secularibus quam ecclesiasticis, ac cuiuscumque Ordinis, congregationis, societatis et instituti, etiam mendicantium, utriusque sexus regularibus, hospitaliumque, et aliorum locorum piorum, etiam quocumque immunitatis, exemptionis vel alio quovis privilegio suffultis, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, exigere libere et licite possint et valeant, tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus et impertimur.

Et montem non vacabilem erigendi.

§ 2. Praeterea super gabellis vigore praesentium imponendis huiusmodi, illarumque exactione et annuo redditu (qui, ut asseritur, ad summam septem circiter millium scutorum monetae ascensurus est), unum montem temporalem non vacabilem, et ut infra extinguibilem, mille locorum cum annuo redditu sex scutorum pro quolibet loco (ex quibus quidem mille locis, trecenta et quinquaginta dumtaxat per iudicem et magistratum praedictos, reliqua vero sexcenta et quinquaginta loca huiusmodi nonnisi de nostrâ seu pro tempore existentis Romani Pontificis licentiâ vendi possint, pecuniae vero ex eorumdem locorum montium venditione provenientes in alios usus, quam ad avertendam, quantum Deo propitio fieri poterit, praedictam contagionem, seu aeris alieni eâ de causâ contracti extinctionem, seu prout a nobis desuper mandatum fuerit, sub excommunicationis latae sententiae et aliis arbitrii nostri poenis, converti et erogari nequeant), apostolicâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, erigimus et instituimus: ac illi sic erecto et instituto omnes et singulos redditus et proventus ex gabellis vigore praesentium imponendis, earumque exactione, ut praefertur, faciendâ proventuros, ab omni onere, impositione, gravamine et restauro, ac etiam quocumque casu fortuito, quantumcumque inexcogitabili, liberos, immunes et exemptos (ex quibus fructus locorum montis praedicti personis in eo pecunias suas collocantibus ad rationem sex pro centenario annuatim persolvantur, ac quidquid supererit in solutionem expensarum per communitatem et homines ob causam supra expressam factarum, iisque persolutis, in ipsius montis extinctionem, ut infra faciendam, omnino convertatur), auctoritate et tenore praedictis applicamus et appropriamus, ac titulo venditionis concedimus, tradimus et assignamus, necnon personas praedictas, et eis collegium ex instituendum, in locum dictorum iudicis et sapientium in dictarum gabellarum exactionem, pro concurrenti quantitate eorum crediti, ponimus, substituimus et subrogamus.

Cuilibet huiusmodi montis portiones acquirendi facta potestas.

§ 3. Volentes, quod quaecumque utriusque sexus personae, cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis existentes, etiamsi cardinalatus honore praefulgeant, et ecclesiis, etiam cathedralibus et metropolitanis, et monasteriis praesint, ac quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtineant, ac in sacris, etiam presbyteratus, ordinibus sint constituti, et quorumvis (non tamen mendicantium de Observantiâ) Ordinum, ac hospitalium et mendicorum religiosorum, ac mulieres cuiuscumque nominis, qualitatis et conditionis (praeterquam illae, quae, ratione regularis professionis in aliquo Ordine mendicantium de Observantiâ ut praefertur, inhabiles et incapaces existunt) super dicto monte pro unâ vel pluribus portionibus integris vel dimidiis quamcumque pecuniarum summam iuxta tenorem praesentium ponere, et pro pecuniis sic positis, ad rationem sex pro centenario annis singulis, et quolibet bimestri eorum ratam, sine aliquo peccato et conscientiae scrupulo seu restitutionis vel satisfactionis onere in utroque foro (etiam absque eo, quod eorum solutio, quorumvis interdictorum, aut repressa-

Exemptiones montistis concessae.

liarum, etiam forsan contra civitates, loca et castra, aut dominos, seu subditos, vel incolas, in genere vel in specie, etiam ex causâ belli, vel cuiusvis inobedientiae, seu rebellionis, etiam excogitatarum, incogitatarum, decretorum, aut relaxatorum, aut quovis alio praetextu, denegari aut protrahi vel differri queat) recipere et habere, et quamcumque remissionem et quamlibet aliam diminutionem, ex quibusvis honestis, rationabilibus ac necessariis et quantumvis urgentibus etiam inexcogitatis causis pro tempore faciendas, ad damnum et totale incommodum camerae Ferrariensis cedere et pertinere debere, ita ut conductores seu appaltatores dictarum gabellarum singulo quoque bimestri integros redditus, pro concurrenti quantitate eorum crediti, dictis collegio et personis, seu eorum depositario, persolvere teneantur, et in eo quod supererit de dictis redditibus, et, in subsidium, in ceteris introitibus et bonis dictae camerae Ferrariensis, de remissione aut diminutione praedictis refici debeant, ac etiamsi laesae maiestatis aut alia quaecumque et qualiacumque et quantacumque gravia et gravissima crimina (praeterquam in personam Romani Pontificis, aut alicuius personae S. R. E. cardinalis, ac legatorum, vicelegatorum, vel gubernatorum Ferrariensium pro tempore existentium) committerent[1], et propterea ultimo supplicio condemnati et traditi seu condemnandi et tradendi forent, ac omnia eorum bona sint confiscata vel confiscanda, de locis et portionibus montis huiusmodi, etiam emolumentis sibi ex eo spectantibus, necnon pecuniis per eos, qui ab ipsis causam habuerint, super eodem monte positis, ita statuimus, quod nullatenus confiscari, aut ad instantiam quorumcumque creditorum, vel aliàs aliquo modo sequestrari vel impediri, sine licentiâ legati pro tempore, possint, sed ad eorum ab intestato haeredes, seu proximiores, aut aliàs succedere habentes, transeant, ac de eis libere in testamento vel codicillis, aut quocumque contractu inter vivos, in quoscumque etiam illegitimos et alios, ac in omnibus et per omnia, iuxta facultates aliis montibus et praesertim almae Urbis nostrae et civitatis nostrae Bononiensis per quoscumque Pontifices praedecessores nostros ac etiam nos concessas, disponere, et ut personae, pecunias super dicto monte ponentes et habentes, collegium inter se constituant, ac collegialium iura et insignia, statutaque[1] et ordinationes ad instar aliorum montium habeant, illaque mutare et alterare, necnon possessionem, seu quasi, exactionis annui redditus huiusmodi pro ratâ pecuniarum, quas in eodem monte posuerint, propriâ auctoritate et absque alio[2] iuris seu iudicis ministerio vel mandato, etiam iudicis et magistratus praedictorum aut aliorum quorumcumque, apprehendere et perpetuo retinere libere et licite valeant; et quod gabellarum praedictarum conductores, seu appaltatores, antequam ad ipsarum possessionem admittantur, de solvendis dictis collegio et personis, vel eorum depositario, dictos annuos redditus pro quantitate eorum crediti singulo bimestri integro et sine aliquâ diminutione, ut supra, promittere, et ad hoc se se principaliter et in solidum, etiam in formâ camerae apostolicae, cum iuramento et aliis clausulis opportunis et necessariis obligare, ac idoneos fideiussores praestare teneantur; et quod quicumque ad dandum investituram in aliquâ re immobili tutâ et securâ etiam cum iuramento obligatus, dando aliquam ratam et partem dicti montis aequivalentem pretio per eum investiendo, obligationi suae

1 Male ed. Main. legit *committerentur* (R.T.).

1 Perperam ed. Main. habet *statumque* (R.T.).
2 Eadem edit. legit *alia* (R. T.).

satisfecisse censeatur, et super illo pecuniae pro mulieribus nuptui dandis assignari possint; ac mons ipse, illiusque singulae portiones et loca ab illa pro tempore possidentibus, libere vel cum pacto recuperandi, aliis resignari, et, si libere, nullâ in instrumento resignationis aut campiono factâ mentione, quod loco rei immobilis dentur libere, etiam aliis cedi et resignari possint; ita quod illae et illa aliàs, quam in instrumento contractus aut campiono exprimatur, obligari aut hypothecari nequeant, sed illas et illa acquirentes tuti sint et securi [1], quod illae et illa ab omni onere et hypothecâ prorsus et omnino liberae et libera existant, dictique iudex et magistratus, cum participatione tamen et consensu dilecti filii nostri moderni et pro tempore existentis in civitate et ducatu Ferrariensi nostris de latere legati, depositarium, notarium et camplonerium, ac alios quoscumque officiales, deputare, ac cum participatione et consensu similibus amovere, illisque ex fructibus et redditibus eiusdem montis salaria et honoraria respective constituere et deputare libere possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus.

Cardinalis legati super monte huiusmodi iurisdictio.

§ 5. Ultraque salaria et honoraria a dilecto filio nostro moderno in dictâ civitate et ducatu de latere legato dictis secretario et camplonerio assignata annuorum scutorum centum octo in totum, eisdem collegio et personis alia scuta triginta ex fructibus et redditibus dictarum gabellarum eius et eorum arbitrio in aliis sustinendis oneribus et expensis pro dicti collegii conservatione eroganda [2], necnon etiam facultatem dictos secretarium, camplonerium et depositarium electos, cum solo consensu eiusdem vel pro tempore existentis de latere legati, amovendi et mutandi, dictis salario et honorario non alteratis, eâdem auctoritate concedimus et impertimur.

Alia montistatum privilegia.

§ 6. Decernentes has nostras concessiones, tam respectu eorum, qui postea pecunias super dicto monte ponent, quam eorum, qui hactenus posuerunt, effectum suum sortiri debere; decernentes insuper montem et collegium, ac personas huiusmodi, eorumque assignamenta et iura quaecumque per eos eis, ut praefertur, concessa et assignata, etiam per nos ac dictam Sedem et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes aliquo gravamine ordinario seu [1] extraordinario onere affici, aut ratione cuiuscumque pecuniarum summae eidem, pro sustentatione onerum Romanae Ecclesiae aut nobis incumbentium, seu ex quacumque aliâ etiam urgentissimâ et efficacissimâ causâ, pro tempore imposito [2] minui, aut ex eis aliquam partem auferri vel retineri nullatenus posse vel debere; neque collegium dicti montis, illiusque personas ad probandum, in quos usus dictae pecuniae concessae fuerint, teneri;

Clausulae pro praesentium litterarum firmitate.

§ 7. Praesentesque litteras de nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quocumque alio defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, aut quoquomodo in ius vel controversiam revocari nullatenus posse; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Verba *quod illas et illa ementes tuti sint et securi* importune repetita delemus (R. T.).

2 Forsan legendum *erogandi* (R. T.).

1 Turbate ed. Main. legit *seu ordinario* (R. T.).

2 Forsan *impositae*; sed corrigat qui potest, et vide loc. parall. supra pag. 120 *b* (R. T.).

Leges in redemptione montis servandae.

§ 8. Volumus autem, ut index et magistratus ac deputati praefati montem huiusmodi modo et formâ infrascriptis redimere et extinguere, ac ad id etiam ad favorem montistarum non solum fructus earumdem gabellarum, sed etiam se se, ac omnia et singula camerae Ferrariensis bona efficaciter obligare, etiam in ampliori formâ camerae apostolicae, omnino teneantur; utque praedictae impositiones, extincto monte, eo ipso etiam extinctae existant, neque ulterius exigi possint; quodque redemptio et extinctio montis huiusmodi fieri nequeant, nisi elapso quinquennio a datâ praesentium computando, et deinde omnino fieri debeant per iudicem et magistratum praefatos coram eodem cardinale legato, seu eius vicelegato, iis modo et formâ, quibus redemptiones et extinctiones montium almae Urbis nostrae praedictae fieri consueverunt.

Obstantium derogatio.

§ 9. Non obstantibus piae memoriae Pii Papae IV praedecessoris nostri de gratiis interesse camerae concernentibus in eâdem camerâ infra certum tempus praesentandis et registrandis, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim felicis recordationis Simmachi, quae incipit: *Non liceat,* ac aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum et nostris, necnon in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon civitatis Ferrariensis huiusmodi[1], etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus et libertatibus, ac litteris apostolicis, in contrarium praemissorum, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibus et aliis decretis, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut consistorialiter, seu aliâs quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda sit, etiamsi in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus derogari possit, eorumque causam, ad[1] effectum praesentium, pro sufficienter expressis et ad verbum insertis, necnon modos et formas ad id servandas pro individuo servatis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, etc.

Fides danda transumptis.

§ 10. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI septembris MDCXXX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 16 septembris 1630, pontif. an. VIII.

1 Male edit. Main. comma istud praec. anteposuit (R. T.).

1 Perperam edit. Main. legit *et* (R. T.).

CCCLXXVII.

Confirmatio concordiae initae inter Philippum IV Hispaniarum regem et capitula ecclesiarum regnorum Castellae et Legionis super solutione primae decimae[2].

2 Ex regest. in Secret. Brev.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Pro nostro munere[3] in his partes nostras libenter interponimus, quae ad concordiam et pacem inter catholicos reges et ecclesiasticas personas super exactionibus apostolicâ auctoritate faciendis pertinere dignoscuntur.

Rex et capitula concordiam ineunt super solutione primae decimae eidem regi a Sede Apostolicâ concessae.

§ 1. Nuper siquidem (sicut nobis exponi fecerunt charissimus in Christo filius noster Philippus IV Hispaniarum rex catholicus, ac dilecti filii singularum Toletanae, Hispalensis, Compostellanae, Granatensis, Burgensis, Legionensis, Ovetensis, Palentinae, Seguntinae, Cochensis, Cordubensis, Pampilonensis, Giennensis, Zamorensis, Astoricensis, Malacitanae, Cauriensis, Pacensis, Auriensis, Canariensis, Guadixensis, Segobiensis, Civitatensis, Calagurritanae, Calciatensis, Salamantinae, Oxomensis, Vallis Soletanae, Lucensis, Mindoniensis, Almeriensis, Tudensis, Abulensis, Oriolensis, Placentinae, Carthaginensis et Gadicensis ecclesiarum capitula, quae universum clerum regnorum Castellae et Legionis repraesentant), considerantes dictus Philippus rex et capitula praedicta gratiam et concessionem primae decimae quarumlibet dictarum ecclesiarum et parochialium in omnibus Hispaniarum regnis et insulis illis adiacentibus dudum per felicis recordationis Pium Papam V praedecessorem nostrum clarae memoriae Philippo II Hispaniarum regi catholico ipsius Philippi IV regis avo ad quinquennium concessam[1], et postea pluries a recolendae memoriae Gregorio XIII, et deinde a Sixto V, et postmodum a Gregorio XIV ac Clemente VIII, necnon Paulo V, Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, eidem Philippo, ac clarae similiter memoriae Philippo III ipsius Philippi II nato et dicti Philippi IV genitori, pluries, et in ultimâ vice a nobis ad aliud quinquennium, a principio anni MDCXXVII inchoatum, et in fine anni MDCXXXI finiendum[1], respective prorogatam et extensam (prout in singulis eorumdem praedecessorum, et nostris desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur), si iisdem modo et formâ, quibus concessa est, exequutioni demandaretur, id non sine eiusdem cleri incommodo exequi posset, cupientesque praemissis eâ qua fieri potest ratione occurri, quo facilius illa, ad quae tenentur, ab ipsis adimpleri valeant, ipsaeque personae ecclesiasticae onus illis eam ob causam incumbens supportare facilius possint, ad infrascriptam concordiam per earum procuratores ad hoc a se[1] specialiter deputatos devenerunt.

Concordiae tenor.

§ 2. In primis, quod praedictus status ecclesiasticus coronae Castellae ac Legionis darent et solvèrent dicto Philippo IV regi, seu personae ab eo deputatae seu deputandae, ducentos et quinquaginta mille ducatos, qui ascenderent ad numerum nonaginta trium millionum[2] et septingentorum quinquaginta millium morapetinorum, quolibet anno, durantibus quinque annis prorogationis, pro iis quae ad huiusmodi effectum dicto regi debentur et ad eum spectant ratione dictorum regnorum Castellae et Legionis, non comprehensis in praesenti concordiâ et repartitione dictorum ducentorum et quinquaginta millium ducatorum regnis Aragoniae, Cathaloniae et Valentiae cum insulis illis adiacentibus, ita ut dictus Philippus IV rex ab ipsis possit exigere illud quod sibi ex prorogatione huiusmodi provenit exceptâ ecclesiâ Oriolensi, cuius dispositio et pars

1 Similes litteras vide in tom. XIII, p. 343 (R.T.).
2 Male edit. Main. legit *concessum* (R. T.).

1 Perperam edit. Main. leg. *inchoatam ... finiendam* (R. T.).
2 Perperam, ut puto, ed. Main. legit *a te* (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *millium* pro *millionum* (R. T.).

ingreditur et computatur unà cum statu ecclesiastico coronae Castellae et Legionis. Et quia transactionis et concordiae[1] instrumentum, antequam gratia praedictae prorogationis currere inciperet, stipulari debebat, id autem factum minime fuit, et[2] eo quod ecclesiae distulissent insimul se congregare ad eum effectum, et ante congregationem huiusmodi fuissent decreti et relaxati ordines directi dictis ecclesiis pro summâ ducentorum quinquaginta millium ducatorum solvendorum in fine iunii et novembris anni MDCXXVIII, pro quartâ parte in argenteâ, et tribus reliquis partibus in aeneâ monetâ, pro fructibus anni MDCXXVII, qui fuit primus huius quinquennii eidem Philippo IV regi, ut praefertur, ultimo prorogati; et multi solverunt, non obstantibus protestationibus factis quod non tenebantur: ideo convenerunt et concordarunt, quod, cum solverint dictam quartam partem in argento in duabus solutionibus, non possit peti nec defalcari quicquam pro parte ecclesiarum quae hoc modo solverunt; sed illae quae non solverunt usque in diem concessionis et concordiae censeantur (non obstantibus quibusvis ordinationibus datis a quibuscumque sententiâ seu sententiis iudicum qui de huiusmodi causis cognoverint et cognoscent in futurum) satisfacere solvendo quidquid debebunt ratione dictae quartae partis argenti in monetâ aeneâ unâ cum cambio ad rationem viginti pro quolibet centenario; et in hanc conformitatem teneatur consilium cruciatae decernere, et relaxare litteras, ad effectum ut iudices et exequutores admittere debeant huiusmodi solutiones, et hoc modo cessare debeant exequutiones et impensae; et quod aliae successive[3] solutiones, adimplendae et terminandae in fine anni MDCXXXII, fiant similiter, videlicet, solvendo dictam quartam partem in argento et reliquas tres in monetâ aeneâ, et quoad dictam quartam partem argenteam censeatur satisfieri dando et solvendo pro reductione et cambio ad rationem viginti pro quolibet centenario pro quinquennio praedicto ultimo prorogato; ita tamen ut in futurum non possit trahi in consequentiam, neque quinquennio huiusmodi durante possit aliqua lex aut pragmatica alterare neque mutare dictam reductionem seu cambium, loquendo et intelligendo tam de pragmaticis factis, quam faciendis et promulgandis, et neque illae neque ista[1] censeantur comprehendere hanc conventionem et concordiam initam cum statu ecclesiastico. Quas quidem solutiones facient et facere teneantur suis sumptibus in civitatibus principalibus cuiuslibet dioecesis, secundum contributionem et repartitionem infrascriptam, quam invicem fecerunt ad hoc, ut contributio huiusmodi assignetur et recuperetur in specie in qualibet dioecesi ex redditibus decimalibus, etiam primitialibus, earumdem dioecesum, quia super istis et non super ullis aliis redditibus ecclesiasticis debent repartiri et recuperari quolibet anno dictorum quinque annorum dicti ducenti et quinquaginta mille ducati; et ex nunc remaneant obligata, prout se obligant, capitula generaliter, et debeant se obligare in particulari pro solutionibus, quarum remanent debitores pro quinquennio ipsi Philippo regi IV ut praefertur prorogato, iuxta repartitionem, quae est ut sequitur:

Praefigitur taxa ab unaquaque ecclesia solvenda.

Capitulum ecclesiae Toletanae, pro se et suâ dioecesi, solvet summam quatuordecim millionum, ac septingentorum et decem millium, noningentorum et triginta morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Hispalensis, pro se ac suâ dioecesi, novem millionum, sexcen-

1 In loc. paralt. additur *huiusmodi* (R. T.).
2 Coniunct. *et* aptius deleretur (R. T.).
3 Forsan legendum *successivae* (R. T.).

1 Potius lege *istae* (R. T.).

torum et sexaginta quinque millium, et trecentorum et triginta octo morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Salamantinae, pro se ac suâ dioecesi, duorum millionum, ducentorum et nonaginta sex millium, et duodecim morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Zamorensis, pro se ac suâ dioecesi, duorum millionum, et septuaginta novem millium, ducentorum et quinquaginta septem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Seguntinae, pro se ac suâ dioecesi, duorum millionum, sexcentorum et quadraginta trium millium, centum et quadraginta septem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Conchensis, pro se ac suâ dioecesi, quatuor millionum, sexaginta et duorum mille, quingentorum et octuaginta et unius morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Carthaginensis, pro se ac suâ dioecesi, unius millionis, quingentorum et octuaginta quatuor mille, ducentorum et quadraginta septem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Oriolensis, pro se ac suâ dioecesi, quadringentorum et quadraginta millium, trecentorum et nonaginta septem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Cordubensis, pro se ac suâ dioecesi, trium millionum, quadringentorum ac quinquaginta duorum mille, centum et octuaginta ac quinque morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Pacensis, pro se ac suâ dioecesi, unius millionis, sexcentorum et novem millium, noningentorum et decem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Cauriensis, pro se ac suâ dioecesi, unius millionis, quingentorum ac nonaginta novem millia, ducentorum et quatuordecim morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Placentinae, pro se ac suâ dioecesi, duorum millionum, trecentorum et novem millium, septingentorum ac viginti et unius morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Giennensis, pro se ac suâ dioecesi, duorum millionum, ducentorum et nonaginta quatuor millium, quadringentorum et sexaginta octo morapetinorum;

Capitulum ecclesiae S. Iacobi, pro se ac suâ dioecesi, duorum millionum, septingentorum et undecim millium, ducentorum et quinquaginta octo morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Burgensis, pro se ac suâ dioecesi, quinque millionum, centum et triginta duorum millium, quingentorum et sex morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Legionensis, pro se ac suâ dioecesi, duorum millionum, ducentorum et octuaginta sex millium, et quinquaginta novem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Ovetensis, pro se ac suâ dioecesi, unius millionis, quadraginta duorum millium, octingentorum et viginti sex morapetinorum;

Capitula ecclesiarum Calaguritanae et Calciatensis, pro se suisque dioecesibus, duorum millionum, octuaginta[1] et trium millium, centum et sexaginta quatuor morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Astoricensis, pro se ac suâ dioecesi, unius millionis, ducentorum et sexaginta millium, et sexaginta et octo morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Abulensis, pro se ac suâ dioecesi, trium millionum, quinquaginta duorum millium et quadraginta sex morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Segobiensis, pro se ac suâ dioecesi, duorum millionum, ac ducentorum ac quadraginta septem millium, trecentorum et nonaginta unius morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Oxomensis, pro se ac suâ dioecesi, duorum millionum, ducentorum et duorum millium, ducentorum et nonaginta novem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Auriensis, pro se

1 In loco parall. legitur *octingentorum* (R.T.).

ac suâ dioecesi, unius millionis, centum et quinquaginta quatuor millium, centum decem et octo morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Lucensis, pro se ac suâ dioecesi, quadringentorum decem et septem millium, et septuaginta duorum morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Mindoniensis, pro se ac suâ dioecesi, ducentorum et nonaginta trium millium, septingentorum et quadraginta morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Tudensis, pro se ac suâ dioecesi, quingentorum millium, noningentorum et quinque morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Palentinae, pro se ac suâ dioecesi, trium millionum, sexcentorum et quinquaginta millium, sexcentorum et nonaginta et unius morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Vallis Soletanae, pro se ac suâ dioecesi, unius millionis, sexcentorum et tredecim millium, quadringentorum et nonaginta duorum morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Civitatensis, pro se ac suâ dioecesi, septingentorum et quatuordecim millium, ducentorum et quadraginta sex morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Guadixensis, pro se ac suâ dioecesi, trecentorum et viginti quatuor millium, centum et octuaginta octo morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Almeriensis, pro se ac suâ dioecesi, trecentorum et viginti sex millium, septingentorum et quinquaginta et unius morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Gadicensis, pro se ac suâ dioecesi, sexcentorum et sexaginta septem millium, et quinquaginta novem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Granatensis, pro se ac suâ dioecesi, unius millionis, quadringentorum nonaginta et octo millium, noningentorum et quinquaginta septem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Malacitanae, pro se ac suâ dioecesi, unius millionis, trecentorum et nonaginta septem millium, trecentorum et quinquaginta sex morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Pampilonensis, pro se ac suâ dioecesi, unius millionis, quadringentorum et septuaginta duorum millium, centum et quinquaginta quinque morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Canariensis, pro se ac suâ dioecesi, quingentorum decem et octo millium, sexcentorum et duorum morapetinorum;

Abbatia de Alfaro, octuaginta novem millium, quingentorum et octuaginta septem morapetinorum;

Abbatia de Agreda, centum et quinquaginta sex millium, septingentorum et octuaginta morapetinorum;

Vicaria de Alva de Liste, centum et septuaginta novem millium, centum et septuaginta septem morapetinorum;

Vicaria de Huescar, centum et triginta trium millium, octingentorum quadraginta et unius morapetinorum;

Abbatia de Baza, centum et quinquaginta octo millium, centum viginti et unius morapetinorum;

Milites militiae S. Iacobi, duorum millionum, noningentorum et undecim millium, sexcentorum et triginta quatuor morapetinorum;

Milites militiae de Calatrava, duorum millionum, centum et octuaginta trium millium, septingentorum ac viginti quatuor morapetinorum;

Milites militiae de Alcantara, unius millionis, noningentorum et trium millium, septingentorum et septuaginta morapetinorum.

Nullus exemptus sit.

§ 3. Insuper, quod aliquis de comprehensis in praedictâ concessione et prorogatione, cuiusvis dignitatis, praeeminentiae, Ordinis et religionis existat, non eximetur, neque dictus Philippus rex consentiet, neque permittet, quod se eximat a solutio-

ne et contributione ratae illum tangentis dictorum ducentorum et quinquaginta millium ducatorum quolibet anno dictis quinque annis durantibus; et quod, si per nos aut dictum Philippum regem aliquis exemptus esset, aut eximeretur, ex dictis personis, vel militiis, ordinibus, aut quavis aliâ dignitate fulgentibus, sic comprehensus in dictâ concessione et prorogatione, idem Philippus rex fieri mandabit iustam et aequalem refectionem et satisfactionem pro illis[1], admittendo a dictis ecclesiis ad bonum[2] computum ratam huiusmodi respective ducentorum et quinquaginta millium ducatorum.

Decimae liberae onere declarantur.

§ 4. Rursus quod quaelibet personae, cuiuscumque dignitatis et qualitatis existant, quae percipiunt et percipient pensiones, comprehendi debeant, et nullo modo sint exemptae, ad effectum contribuendi ad instar aliorum redditum decimalium, in divisione huiusmodi ducentorum et quinquaginta millium ducatorum, non obstantibus quacumque clausulâ, exemptione, praerogativâ, ordinatione et obligatione, etiam in formâ camerae, in sui favorem factis.

Non tamen illae, quas ecclesiae, collegia, etc. possident.

§ 5. Quodque decimae et tertiae, quas idem Philippus rex habet et quocumque modo possidet, vel aliâs vendidit, aut impignoravit cum evictione et securitate ac promissione quod sint et esse debeant liberae a divisione et subsidio et qualibet aliâ impositione apostolicâ, remanere debeant liberae et salvae a solutione et repartitione dictorum ducentorum et quinquaginta millium ducatorum, absque eo quod hac de causâ, vel aliquâ aliâ, etiam extra contentas et expressas in praesenti concordiâ, aliquid minuatur ex summâ ducentorum et quinquaginta millium ducatorum[3];

1 Aptius legeretur *pro illo*, idest *exempto* (R.T).
2 In loco parall. legitur *ad suum* (R. T.).
3 In loco parall. additur *huiusmodi* (R. T.).

Neque etiam illi, qui pensiones percipiunt.

§ 6. Reliquae vero tertiae decimae huiusmodi, et aliae primitiae, per quascumque ecclesias, collegia, universitates, monasteria, et quascumque alias personas possessae et perceptae quocumque titulo, iure, consuetudine, seu privilegio fuerint, remaneant comprehensae et contribuere debeant in dictâ divisione ducentorum et quinquaginta millium ducatorum huiusmodi.

Vacantibus episcopalibus et archiepiscopalibus sedibus, eorum redditus possit ipse rex percipere intuitu praedictae summae.

§ 7. Insuper, quod dictus Philippus rex recipere debeat et recipiat ad computum omne id quod tanget, et fuerit iuste assignatum et distributum mensis archiepiscopalibus et episcopalibus dictorum regnorum Castellae et Legionis, pro toto tempore quo sedes vacabunt, intuitu dictorum ducentorum et quinquaginta millium ducatorum.

Brachium seculare debet dictae solutioni opem praestare.

§ 8. Quod idem Philippus rex debeat mandare dari et relaxari quascumque provisiones et litteras necessarias ad effectum ut brachium seculare det et praestet favorem et auxilium ad exequutionem et exactionem dictae divisionis praedictorum ducentorum et quinquaginta millium ducatorum et expensarum desuper faciendarum, et ut negotia praesentem concordiam et contributionem vel earum expensas tangentia non ducantur seu trahantur in audientias regias per viam gravaminis, neque ipsae regiae audientiae in illis se intromittant.

Iudices, etc. debent relaxare mandata ad effectum praedictum.

§ 9. Quodque iudices commissarii apostolici exequutores generales dictae concessionis et prorogationis decernere et relaxare teneantur provisiones et subdelegationes iudicum et omnia recapita necessaria pro recuperatione subsidii prorogati huiusmodi et expensarum.

Omnia credita capituli, etc. etiam per viam iudicii, possint recuperari.

§ 10. Quodque omnia credita capituli, dignitatum, vel canonicorum possint recuperari coram iudicibus subdelegatis, nempe debita ad quae tenentur ipsorum oeconomi, redditarii et affictuarii, aliique

se submiserint iurisdictioni commissarii generalis et eius subdelegatorum, etiamsi sint subiecti aliis iudicibus, quamvis[1] huiusmodi creditum proveniat ex fructibus seu redditibus, de quibus debeatur et solvi debeat subsidium, et dummodo non excedat quantitatem, quae unicuique fuerit repartita, nec sint debita decocta, nec debitores intentaverint causam graduationis, et aliàs, prout continetur in instructionibus ac provisionibus et scripturis super praemissis datis.

Etiamsi per pragmaticam ab ipsomet rege publicatam sit prohibitum.

§ 11. Quodque, cum per pragmaticam, a dicto Philippo rege de anno MDCXXII publicatam, inter alia prohibeatur, ne in scripturis concessionum, sive arrendamentorum, redditiuum et debitorum submissiones iudicibus specialibus, neque salaria solvenda personis, quae ad illas exequendas se conferre debent, poni possint, per hoc non intelligatur[2] prohibitas fuisse dictas submissiones et salaria in redditibus ecclesiasticis de quibus solvitur subsidium et excusatum, sed in scripturis dictorum redditiuum ecclesiasticorum, super quibus impositae sint gratiae huiusmodi, possint poni submissiones et salaria iisdem prorsus modo et formâ, quibus fieri consueverat, antequam pragmatica huiusmodi promulgaretur, alioquin praesens concordia similiter nulla sit eo ipso.

Cum Philippus quoddam tribunal iussisset erigi:

§ 12. Et quoniam praedictus Philippus III anno MDCXVII iussit expediri quamdam regiam cedulam ad effectum ut in concilio iustitiae adesset quoddam tribunal seu aula, in quo seu qua terminarentur competentiae quae occurrerent inter consilium cruciatae eiusque subdelegatos et ministros ex unâ, ac alia tribunalia et iudices dictorum regnorum ex alterâ partibus, et istud similiter concessit regno in comitiis congregato, et fuit una ex conditionibus in conventione seu concordiâ super servitio millionum initâ positis et adiectis, et quamvis se obtulerint aliqui casus, in quibus decretum, circa dictam aulam competentiae seu incompetentiae iudicum factum, exequutioni mandari potuisset, id nihilominus propter incommoda, quae fuerunt exposita, factum minime fuit,

Postea per congregationem habitam ipse rex, ut nihil innovaretur circa hoc tribunal, iussisset,

§ 13. Et ultimo loco praedictus Philippus rex, propositis per consilium cruciatae et congregationem status ecclesiastici in congregatione habitâ anno MDCXXIV dictis incommodis, idem Philippus rex per suum decretum commiserit praesidi Castellae, quod pro tunc nihil innovaretur circa exactionem superius mandatorum: idcirco convenerunt, quod nihil innovetur circa erectionem dictae aulae competentiae seu incompetentiae iurisdictionum, sed quod omnes lites et negotia tangentia dictum cruciatae consilium tractentur, prosequantur et terminentur privative in tribunalibus suorum subdelegatorum et in praedicto consilio, perinde ac si dicta regia cedula et concessio dicto regno facta non emanassent, modo et formâ quibus eâtenus tractata fuerant, alioquin praesens gratia pariter nulla sit eo ipso.

Nihil innovandum statuitur.

Petenda pontificia concordiae confirmatio.

§ 14. Praeterea, ut pro parte dictorum Philippi regis et status ecclesiastici praedictorum regnorum supplicetur nobis, quod concederemus Breve, quo confirmaremus et approbaremus dictam concordiam, quam teneantur adimplere omnes ecclesiae dictorum regnorum, tam illae quarum procuratores ibi aderant, quae maiorem partem constituunt, quam illae, quarum procuratores erant absentes, aut non subscripserunt se huiusmodi concordiae.

Commissarii generalis et subdelegatorum munus quale esse debeat.

§ 15. Rursus, quod commissarius generalis, iudex apostolicus, exequutor generalis dictae concessionis seu prorogationis, det et dare debeat provisiones et subde-

1 Aptius in loco parall. *dummodo tamen* (R. T.).

2 Sic in loco parall. Male hîc edit. Main. legit *intelligantur* (R. T.).

debitores, etiamsi ipsi aliquam in hoc experiantur difficultatem, et debitores non legationes iudicum subdelegatorum, et quod dicti subdelegati sint et esse debeant de gremio capituli, ut moris est, pro dictâ recuperatione faciendâ, et quando ad dictum commissarium generalem fuerit appellatum per viam gravaminis, quod aliquis sibi in dictâ contributione et exactione illatum praetendat, si aliquas litteras seu provisiones decernet super istâ materiâ, non suspendat per eas solutionem, neque impediat quin subdelegati possint procedere ad exequutionem praedictae exactionis, et super omnibus iustitiam administret; et aliàs, prout in publico desuper a dilecto filio Ioanne de Talavara[1] scriba regio et publico notario sub die XIX mensis iunii MDCXXIX confecto instrumento plenius dicitur contineri.

Pontifex concordiam confirmat.

§ 16. Cum autem, tam Philippus rex, quam capitula et status ecclesiasticus regnorum Castellae et Legionis huiusmodi, cupiant concordiam praedictam, pro illius maiori validitate, apostolicae confirmationis robore communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos, qui honestis Philippi regis et capitulorum praedictorum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, eumdem Philippum regem et singulares personas capitulorum huiusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, necnon concordiae et instrumenti praedictorum veriores tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concordiam huiusmodi, et inde sequuta quaecumque, etiam si ad exactionem pecuniarum in eâdem concordiâ contentarum, etiam ante huiusmodi nostram confirmationem, in totum vel in partem sit processum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; supplentes omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, eaque, tam quoad capitula quae in dictâ concordiâ intervenerunt et illi consenserunt, quam quoad alia capitula quae nullo modo praesenti concordiae et distributioni interfuerunt nec illis consenserunt, etiamsi S. R. E. cardinales fuerint ecclesias et alia beneficia possidentes, necnon decimas, primitias et alios fructus in dictâ concordiâ expressos exigentes, valida et efficacia esse, ac per eos omnes inviolabiliter observari debere, illosque ad illorum omnium observationem et solutionem omnibus viis, ac iuris et facti remediis, cogi et compelli posse et debere decernimus; absolventes etiam, si opus fuerit, tam ipsum Philippum regem, quam quoscumque eius ministros, necnon quascumque ecclesiasticas tam seculares quam regulares personas, a quibusvis censuris et poenis, si quas propter praemissa quomodolibet incurrerint, etiamsi in irregularitatem aliquam inciderint, ac missas et alia divina officia interim, non tamen in contemptum clavium, celebraverint, super qua irregularitate, sic per eos forsan quomodolibet contractâ, harum serie dispensamus, nec propterea fructus ecclesiarum et beneficiorum obtentorum suos non fecisse dici aut censeri posse declaramus, ac ab eis omnem inhabilitatis maculam, sive notam, si quam propter praemissa quomodolibet incurrerint, abolemus, eosque in pristinum et eum in quo ante

Absolvit ipsum regem, si aliquas incurrisset censuras.

1 In loc. paralt. legitur *Talavera* (R. T.).

praemissa quomodolibet erant statum in omnibus et per omnia restituimus, reponimus et plenarie reintegramus, ac restitutos, repositos et plenarie reintegratos per praesentes nunciamus.

Ad solutionem etiam monasteria et alia loca pia teneri, declarat.

§ 17. Ceterum, ad obviandum litibus et controversiis quae inter personas ecclesiasticas oriri possent, harum serie declaramus, ad contributionem solutionum huiusmodi concordiae vigore faciendarum monasteria et alia loca pia quaecumque, respective[1] etiam eorumdem bonorum quae vulgo dicuntur *de la branza et crianza*, quae vix pro usu et victu personarum eorumdem monasteriorum et piorum locorum inserviunt, teneri et obligatos fore.

Clausula *sublatâ*.

§ 18. Sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam sacri palatii auditores, et eiusdem S. R. E. cardinales, ubique iudicari ac definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Nuncio apostolico ut hanc concordiam observari faciat, mandat.

§ 19. Et nihilominus venerabili fratri moderno, et dilectis filiis, nostro et apostolicae Sedis apud dictum Philippum regem nunc et pro tempore existenti nuncio, et commissario generali cruciatae in regnis praedictis, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dicti Philippi regis et singularum personarum praedictarum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ad exequutionem eorum omnium, quae in dictâ concordiâ continentur, procedant, et per eos, ad quos spectat, eadem observari curent et faciant; necnon eisdem nuncio et commissario generali iniungimus, quod, ubi et quoties, super repartitione et aliis[1] in dictâ concordiâ contentis, aliquas differentias exortas fuisse compererint, illas, absque retardatione solutionis, iuxta repartitionem iam factam et faciendam, iudicio eorum aequaliter[2] componant et terminent, iustitiam partibus ministrando. Nos enim eisdem tam praemissa peragendi, quam quidquid super praemissis statuerint, omni et quacumque appellatione remotâ, exequutioni debitae demandandi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, per opportuna iuris et facti remedia, ac demum per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postpositâ, compescendi, legitimisque super iis habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravandi, auxiliumque brachii secularis invocandi, plenam et liberam facultatem concedimus.

Obstantia tollit.

§ 20. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, legibus etiam municipalibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et ex-

1 Aptius in loc. parall. legitur *respectu* (R. T.).

1 Sic in l. parall.; ed. Main. hîc h. *aliùs* (R.T.).

2 Aptius in loc. parall. leg. *aequabiliter* (R.T.).

pressa mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; necnon omnibus illis, quae in dictâ concessione primae decimae huiusmodi expressum est non obstare; seu si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, aut excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Cardinales a praedictâ contributione eximit.

§ 21. Ceterum eosdem S. R. E. cardinales tantum, quibus pensiones annuae super fructibus ecclesiarum cathedralium aut metropolitanarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum reservatae, seu ipsi fructus vel eorum pars loco pensionum reservali reperiuntur, a praemissâ contributione, quoad ipsas pensiones et reservationes fructuum, volumus exemptos esse;

Fides danda transumptis.

§. 22. Quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX septembris MDCXXX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 20 septembris 1630, pontif. anno VIII.

CCCLXXVIII.

Venerabilis Ioannes Dei, congregationis huius nominis fundator, in Beatorum Confessorum numerum refertur, cum concessione indulti recitandi officium et missam celebrandi de eo[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

In Sede Principis Apostolorum, nullis licet nostris suffragantibus meritis, divinâ providentiâ constituti, ad ea, per quae servorum Christi veneratio in terris promoveatur, et laudetur Dominus in sanctis suis, pastoralis muneris nostri partes propensis studiis impendimus, prout pia christifidelium et praesertim catholicorum regum et principum vota exposcunt, nosque conspicimus in Domino salubriter expedire.

Ad petitionem hic enumeratorum.

§ 1. Sane, nomine dilectorum filiorum maioris et aliorum confratrum congregationis Ioannis Dei sub regulâ S. Augustini nobis nuper expositum fuit, quod, transmissis de mandato nostro ad venerabiles fratres nostros sanctae Romanae Ecclesiae cardinales sacris ritibus praepositos processibus apostolicâ auctoritate fabricatis, et in sacro Rotae auditorio examinatis, super sanctitate, virtutibus et miraculis servi Dei Ioannis de Deo fratrum vulgo *Fate ben fratelli* nuncupatorum fundatoris, iisque in congregatione eorumdem cardinalium per plures sessiones acerrime discussis, citato etiam et audito prius super iisdem, ut moris est, dilecto filio promotore fidei, cognito primum de validitate processuum, deinde de virtutibus heroicis, ac demum de miraculis in vitâ et post mortem ab omnipotenti Deo intercessione dicti sui servi patratis, referente dilecto filio nostro Petro Maria sancti Georgii diacono cardinali, iidem cardinales unanimi consensu pronuntiarunt, tuto posse, quandocumque nobis placuerit, ad solemnem canonizationem dicti

1 De his fratribus vide constitutionem CXXXIII (*al.* 131) Pauli V, *Inter alias*, tom. XI, pag. 570.

Ioannis de Deo deveniri, et interim Beatum nuncupari, ac missam et officium de eo, ut infra, recitari et celebrari. Quare, pro parte non solum maioris et confratrum praedictorum, verum etiam charissimorum in Christo filiorum nostrorum Ferdinandi Romanorum regis in imperatorem electi, ac Philippi Hispaniarum regis catholici, et charissimae in Christo filiae nostrae Isabellae Hispaniarum reginae catholicae, aliorumque christianorum principum, nobis fuit humiliter supplicatum, ut interim, donec ad solemnem canonizationem dicti Ioannis de Deo deveniatur, idem servus Dei Ioannes de Deo Beatus nuncupari, atque officium et missa de eo ut infra celebrari possit.

Concedit ut venerabilis Ioannes de Deo Beatus nuncupari et de eo missas celebrari, ac officium recitari possit, ut hic.

§ 2. Nos, piis Ferdinandi regis in imperatorem electi, ac Philippi regis, et Isabellae reginae, aliorumque principum, necnon maioris et aliorum confratrum praedictorum votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, ut ipse servus Dei Ioannes de Deo in posterum Beatus nuncupari, ac de eodem ab omnibus dictae congregationis regularibus ubique existentibus quotannis in die eius obitus officium recitari et missa celebrari de communi Confessoris non Pontificis ritu duplici maiore per annum iuxta rubricas breviarii et missalis Romani, et quoad missam etiam per alios regulares et seculares sacerdotes ad eorum ecclesias confluentes, in civitate vero Granatensi, nempe in ecclesiâ, ubi eius sacrum corpus requiescit, et in terrâ nuncupatâ *Montemor il novo,* ubi natus est, in omnibus ecclesiis tam regularium quam secularium, officium et missa ritu duplici minore recitari et celebrari possit et valeat; ac, pro praesenti anno dumtaxat, maior et alii confratres dictae congregationis solemnem beatificationem cum missis in die eis benevisâ hîc Romae in ecclesiâ S. Ioannis Calabitae celebrare[1], necnon alii sacerdotes tam regulares quam seculares ad dictam ecclesiam eo die confluentes cum eâdem missâ iuxta rubricas se conformare libere valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus et impartimur.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

§ 4. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Transumptis credi mandat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI septembris MDCXXX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 21 septembris 1630, pontif. anno VIII.

CCCLXXIX.

Prorogatio indulgentiae plenariae in Urbe ad Italiam extensae ad alios tres menses.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Nuper a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: Pontifex edidit constitutionem praemissam.

Dilectis filiis clero et populo Romano. *(Haec constitutio est relata supra pag. 148, et ideo praetermittitur);*

§ 2. Et subinde, multorum venerabilium fratrum archiepiscoporum et episcoporum, necnon dilectorum filiorum nobilium[2] vi- Et eam extendit, ut in immediate antecedenti.

1 Verbum *celebrare* nos addimus (R. T.).

2 Vocem *nobilium* nos addimus ex loco parall. supra pag. 150 et infra pag. 190.

rorum, ducum, principum et aliorum magnatum in Italiâ et insulis illi adiacentibus existentium supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas litteras nostras concessionis indulgentiarum, ac facultatis eligendi confessarium, cum omnibus et singulis in eis contentis indultis, clausulis et decretis, ad universos utriusque sexus christifideles seculares et regulares tunc temporis in Italiâ et insulis praedictis existentes, necnon ecclesias per Ordinarios locorum seu per alios de eorum mandato designandas, et confessarios ab iisdem Ordinariis approbatos seu approbandos, spatio trium similiter mensium a die pubblicationis litterarum desuper expeditarum inchoandorum durante, apostolicâ auctoritate extendimus; praedictisque christifidelibus necnon ecclesiis et confessariis concessiones, facultates et indulta cum clausulis et decretis huiusmodi communicavimus, prout in ultimodictis litteris in simili formâ Brevis sub die XVII iulii proxime praeteriti expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur [1].

Modo eas prorogat ad alios tres menses.

§ 3. Cum autem, per abundantiam divinae misericordiae, alma Urbs nostra, ac multae aliae civitates et provinciae, non solum S. R. E., verum etiam aliarum ditionum et dominiorum temporalium in Italiâ et insulis praedictis existentium, a periculis et calamitatibus huiusmodi immunes hactenus conservatae, et aliae etiam liberatae fuerint: nos, ut christifideles praedicti caelestium miserationum copiosiores fructus consequi valeant uberius providere volentes, tam praeinsertas concessionis, quam alias subinde expeditas litteras extensionis praefatae, cum omnibus et singulis in eis contentis concessionibus, facultatibus, indultis, indulgentiis, clausulis et decretis, ad infrascriptos tres menses proximos, videlicet octobris, novembris, decembris, quibus durantibus, si omnia et singula in praeinsertis litteris expressa dicti christifideles adimpleverint, illi omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones cum omnibus facultatibus, gratiis et indultis praedictis consequi valeant, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, extendimus et prorogamus.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem praesentes litterae facilius omnibus innotescant, etc.

Transumptis credi mandat.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV septembris MDCXXX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 25 septembris 1630, pontif. anno VIII.

CCCLXXX.

Quod magister generalis fratrum Calceatorum Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum infra quindecim dies confirmare debeat electionem vicarii generalis pro tempore fratrum Discalceatorum recollectorum eiusdem Ordinis.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Commissi nobis per abundantiam divinae gratiae pastoralis officii debitum postulat, ut in his, per quae christifidelium sub suavi religionis iugo Altissimo

1 Quas habes supra pag. 150 (R. T.).

famulantium prospero statui, felicique directioni consulitur, sedulo intendamus, eaque statuamus et decernamus, per quae iidem christifideles, litium sublatis obstaculis, in pacis amoenitate reddere valeant Domino abundanter fructus suos.

Causae controversiae.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, inter dilectos filios fratres Calceatos Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum ex unâ et fratres Discalceatos nuncupatos eiusdem Ordinis ex alterâ partibus vertatur lis et causa de et super confirmatione vicarii generalis praedictorum fratrum Discalceatorum; instantibus et petentibus fratribus Discalceatis huiusmodi, et cum supplici libello nobis porrecto et per nos ad venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales negotiis regularium praepositos transmisso, illos de cetero amplius, iuxta concordiam inter ipsos factam et per felicis recordationis Gregorium Papa XV praedecessorem nostrum ac etiam nos confirmatam [1], non adstringi aut teneri petere dictae electionis confirmationem a dilecto filio magistro generali fratrum Calceatorum huiusmodi, ex quo id fieri non possit sine magno ipsorum fratrum Discalceatorum incommodo et perturbatione, praesertim cum magister generalis, etiam sine aliquâ iustâ causâ, per binas vices illam concedere recusaverit vel dare distulerit; dictis vero fratribus Calceatis aliter praetendentibus; rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi latius deductis:

Quod generalis infra quindecim dies confirmet vicarium generalem.

§ 2. Nos, pro nostri pastoralis officii debito, paci et quieti, felicique fratrum eiusdem Ordinis regimini, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, ad dissensiones, quibus religiosi carere debent, de cetero evitandas, de eorumdem cardinalium consilio, partibus pluries auditis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus, quod vicarius generalis dictorum fratrum Discalceatorum pro tempore electus, in signum solius praeeminentiae dicto magistro generali fratrum Calceatorum huiusmodi in supradictâ concordiâ reservatae, infra tres menses a die suae electionis teneatur eamdem electionem praesentare eidem magistro generali fratrum Calceatorum, qui illam absque aliquâ contradictione vel cognitione super eiusdem electionis validitate, an videlicet canonice facta fuerit, confirmare debeat; si vero id facere recusaverit, vel confirmationem praedictam a die praesentatae electionis ultra quindecim dies dare distulerit, dictus vicarius Discalceatus electus accedat et recursum habeat, pro eâdem confirmatione obtinendâ, ad nostrum et Sedis apostolicae nuntium in regnis Hispaniarum commorantem. Dictis vero fratribus, tam Calceatis quam Discalceatis perpetuum super praemissis silentium imponimus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes statutum et ordinationem nostram huiusmodi, praesentesque litteras, perpetuo valida, firma et efficacia fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter in praemissis perpetuo observari, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, dictaeque Sedis nuntios, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Quocirca dilectis filiis causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, ac nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuntio, ac officiali Toletano, nunc et pro tempore existentibus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum,

1 De hisce vide Const. CCL huius Pontificis in tom. XIII, pag. 565, et specialiter § 10, pag. 566 b (R. T.).

per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte fratrum Discalceatorum praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos praemissorum commodo et effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes illos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dictis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus praemissis adversetur, concordiâ praedictâ, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenore et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 6. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v novembris MDCXXX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 5 novembris 1630, pontif. anno VIII.

CCCLXXXI.

Super concordiâ inter praesules seu administratores ex unâ, necnon praepositos et canonicos ex aliâ, ac abbatem et monachos ecclesiae S. Ambrosii Mediolanensis, Cisterciensis Ordinis, ex reliquâ partibus.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Gregis Dominici cura a Salvatore et Domino nostro, qui charitas est et Deus pacis, humilitati nostrae, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, commissa, postulat, ut, inter gravissimas multiplicesque apostolicae servitutis curas, in eam peculiari sollicitudine incumbamus, qua litibus et controversiis inter christifideles quoslibet, praesertim ecclesiarum praesules et cardinalatus honore fulgentes, ac personas ecclesiasticas seculares et regulares exortis opportunae transactionis remedio obviam itur, ut personae ipsae ecclesiasticae, quae in sortem Domini vocatae sunt, divinis eius obsequiis commodius deserviant in sanctitate et iustitiâ coram ipso, eique, semotis litium impedimentis, tranquilliori spiritu reddant abundanter fructus suos; unde his, quae propterea facta fuisse dicuntur, ut perpetuâ roboris validitate subsistant, et a partibus ipsis inviolabiliter observentur, apostolici muniminis adiicimus firmitatem, prout, rebus omnibus maturâ consultatione pensatis, conspicimus salubriter in Domino expedire.

Causae huius constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, a quingentis annis et amplius inter ecclesiae

Mediolanensis praesules seu administratores ex unâ, necnon praepositos et canonicos ex aliâ, ac abbatem et monachos ecclesiae S. Ambrosii Mediolanensis, Cisterciensis Ordinis, ex reliquâ partibus, qui pro tempore respective fuerunt, lis et causa seu quaestionis materia ratione dictae ecclesiae S. Ambrosii, ac illius dominii et usus, necnon administrationis[1] tam in spiritualibus quam in temporalibus intentata, et ad haec usque tempora magno earumdem partium dispendio protracta fuerit;

Promotores concordiae.

§ 2. Cumque nuper dilectus filius noster Fridericus S. Mariae Angelorum presbyter cardinalis Borromaeus, praedictae ecclesiae Mediolanensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesul, liti et causae praedictis finem aliquando amicabiliter imponi desideraret, et dilectus etiam filius Cosmus Reynonus, eiusdem ecclesiae S. Ambrosii abbas, et in Italiâ congregationis Cisterciensis praeses, pio dilecti filii nostri Francisci S. Agathae diaconi cardinalis Barberini nuncupati, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, hortatu inductus, propensam eius ad huiusmodi concordiam voluntatem ostendisset; dilecti similiter filii nostri Robertus tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Ubaldinus, Ordinis Cisterciensis apud nos et hanc sanctam Sedem protector, et Theodorus S. Caesarii diaconus cardinalis Trivultius nuncupatus, a nobis super hoc specialiter deputati, nobis et eodem Francisco cardinali annuentibus, totum huiusmodi negotium dilectis filiis magistris Martino Aliforo et Antonio Torniello in utrâque signaturâ nostrâ referendariis discutiendum commiserint; praefati vero Martinus et Antonius plures super negotio huiusmodi tractatus (praesentibus eodem Cosmo ac dilectis pariter filiis Ioanne Baptista Besutio, canonico Mediolanensi, necnon Hieronymo Rampono, nostro et Sedis Apostolicae notario, uti praefati Friderici cardinalis ac dilectorum etiam filiorum praepositi et canonicorum eiusdem ecclesiae S. Ambrosii procuratoribus respective, necnon Matthaeo Moretto eiusdem Theodori cardinalis auditore) de illius mandato habuerint, negotioque ipso mature discusso, ac visis omnibus et singulis iuribus et processibus per Martinum et Antonium necnon Matthaeum praefatos, et, nomine eiusdem Roberti cardinalis, dilectum similiter filium Franciscum Nerlium eius auditorem, et factâ per eos omnes dictis Roberto et Theodoro cardinalibus relatione, habitisque, primo coram ipso Theodoro, et successive coram eo et praedicto Roberto cardinalibus, super nonnullis capitibus, quorum resolutio illorum prudentiae et iudicio relicta fuerat, diversis congregationibus, tandem, auctoritate eorumdem Roberti et Theodori cardinalium, et in eorum praesentiâ, fuerunt[1] inter dictas partes sub die XXI mensis septembris proxime praeteriti firmata et subscripta transactionis sive concordiae capitula tenoris subsequentis, videlicet:

Capitula concordiae.

§ 3. *Capitula concordiae initae inter eminentissimum et reverendissimum dominum Fridericum cardinalem Borromaeum, Mediolani archiepiscopum, et capitulum praepositi et canonicorum ecclesiae collegiatae et insignis S. Ambrosii Mediolani, ac abbatem et monachos eiusdem ecclesiae ac monasterii, quae infrascripti eorum deputati inviolabiliter et bonâ fide observare promittunt,* XXI *septembris* MDCXXX.

Canonici tam horis diurnis quam vespertinis teneantur ingredi chorum per dimidium horae antequam ingrediatur capitulum metropolitanae, servatâ semper

1 Male, ut puto, edit. Main. legit *administratione* (R. T.).

1 Legendum foret *fuerint*, nam ex praemissis adhuc perdurat suspensa syntaxis pendens e particula *cum* (R. T.).

ordinariâ tabellâ illustrissimi domini archiepiscopi.

In diebus solemnioribus, et praecipue sancti Ambrosii et Ss. Gervasii et Protasii, caveat capitulum canonicorum, ne diutius immoretur in choro, quam par sit, ita ut monachis remaneat tantum temporis, quo possint congrue eorum vesperas celebrare.

Ritu ambrosiano, quo clerus utitur, monachi utantur in solemnioribus diebus, videlicet die dominico in Ramis Palmarum usque ad dominicam in Albis, et in primis vesperis sancti Ambrosii et Ss. Gervasii et Protasii; reliquis vero, suo ambrosiano monastico, quem vocant, iuxta solitum utantur, et in musicis possint etiam adhibère instrumenta ad symphoniam pertinentia.

Unica missa sabbati sancti, quae in qualibet ecclesiâ celebrari solet, iuxta solitum, alternis vicibus, ab unoquoque collegio celebretur. Monachi nunquam divina celebrare incipiant, donec capitulum canonicorum e choro discesserit.

Tam canonici quam monachi sub quovis praetextu tempore celebrationis divinorum nullum actum faciant, per quem possit ad invicem celebratio impediri.

Liber usus pontificalium abbati monachorum non controvertatur in quibuscumque eius functionibus ecclesiasticis. Sedes abbatis ad usum pontificalium exercendorum, diebus quibus illustrissimus archiepiscopus solet in ecclesiâ S. Ambrosii solemniter celebrare, in latere epistolae apponatur; ceteris vero diebus abbas in utroque latere, prout sibi magis libuerit, pontificalia exerceat. Super sede solitâ arcuatâ abbatis baldachinum apponatur.

Decreta sacrae congregationis rituum, tam quoad numerum ministrorum, quam quoad alia, in solemni abbatis celebratione seu functione (quae tamen sunt in usu) observentur.

Illustrissimus dominus archiepiscopus a latere monachorum non possit visitare nisi ad limites quatuor visitationum tantum, ut infra, et non aliàs etc., duarum scilicet factarum per sanctum Carolum de annis MDLXVI et MDLXXVIII, tenoris, ut in eorum[1] authentico, integre ac de verbo ad verbum et non aliàs inserendi instrumento desuper inter ipsas partes celebrando, et aliarum duarum factarum per eminentissimum dominum cardinalem archiepiscopum modernum de anno MDCVII, prout tamen in particulis inserendis ut supra in dicto instrumento celebrando, ita quod praesens concordia, dictarum visitationum respectu, sit restricta ad dictas particulas dumtaxat, et non ad totas et integras visitationes ac reliquum earum[2] tenorem, etiam si quid amplius ad favorem archiepiscopi in illis possit contineri; quia sic, etc. et non aliàs, etc., omni, etc.

Oblationes publicae, et praecipue altaris maioris, ad canonicos spectent. Privatas unaquaeque pars in suo latere percipiat, quae absque alio impedimento aut dubitatione percipientium fiant.

Haereditates, legata et ceterae dispositiones factae ad favorem ecclesiae S. Ambrosii in genere, praeter supradictas oblationes, quae hîc non comprehendantur, neutri collegio censeantur acquisitae, sed debeantur fabricae ipsius ecclesiae.

Claves portarum ecclesiae lateralium tres consuetas teneat capitulum canonicorum, inter quas clavis portae maioris connumeratur, tres alias monachi, prout hucusque consueverunt.

Custodia altaris aurei ad capitulum canonicorum spectet, eiusque claves ab eodem, seu a deputando ab eo, custodiantur. Habeant canonici curam thesauri dictae ecclesiae ac sacrae suppellectilis, etiam

1 Forsan legendum *earum* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *eorum* (R. T.).

communis, si quae, etc., et in specie candelabrorum argenteorum.

Custodia Sanctissimi Sacramenti in altari maiori existentis ad capitulum canonicorum pertineat: quoad illius tam publicam quam privatam expositionem servetur ut infra, videlicet: quando exponendum est processionaliter, prout in festivitatibus quadraginta horarum vel similium, fiat alternis vicibus a capitulo canonicorum et monachorum, ita ut primus turnus in exequutionem concordiae sit canonicorum; clavem igitur tabernaculi, quando solemnitas fiet per monachos, durante dumtaxat solemnitate, monachi per canonicos traditam custodiant, finità solemnitate eisdem canonicis absque morâ restituendam; ubi vero ex privatorum precibus erit exponendum, si recursus piorum erit ad monachos, teneantur illico canonici, eisdem monachis instantibus, sanctuarium aperire, et ad eamdem pariter instantiam claudere.

Capitulum canonicorum semper altare maius et ecclesiam apparari faciat, et eius sit peculiare. Superstantiarius, a capitulo canonicorum iuxta consuetum nominandus pro tempore, liberam habens superstantiariae eiusdemque introituum administrationem, sarta tectum et ecclesiam[1] manutenere debet.

In accessu legatorum, archiepiscopi, ecclesiasticarum personarum et principum, ubi recipere opus est ad ianuam maiorem, tam capitulum canonicorum quam monachi obviam eant, et ab ambobus collegiis recipiantur; abbas tamen et monachi cucullati incedant, nec obviam eant, nisi praesente capitulo canonicorum. Vicarius, quem vocant provisionum, cum suo tribunali, eiusque publicae oblationes a solo capitulo canonicorum excipiantur.

Unica crux in ecclesiâ adoranda populo die veneris maioris hebdomadae ad altare maius, nec alibi, exponatur alternis vicibus ab utroque collegio, prout in processione et expositione solemni Sanctissimi Sacramenti, eodemque turno servato. Eleemosyna eiusdem occasione adorationis populi ministris exponentium pro tempore relinquatur. Adoratio solemnis eiusdem crucis iuxta solitum fiat in ecclesiâ S. Ambrosii per monachos tantum, quae actio intelligatur prorsus ab expositione crucis separata.

Sepulchrum Domini, quod in maiori hebdomadâ in qualibet ecclesiâ fieri solet, unicum pariter in ecclesiâ S. Ambrosii fiat alternis vicibus a capitulo canonicorum et monachis quolibet anno, servatâ formâ turni, prout in solemni expositione Sacramenti et Crucis die veneris sancti, canonici quidem in navi dexteri lateris, monachi autem in sinistri.

Quando ob supplicationes summo mane faciendas, vel aliud simile impedimentum, binae missae capitulares celebrari non possunt, canonici celebrent ad altare maius et monachi in cappellâ sancti Satyri vel aliâ versus monasterium, rogationibus exceptis, quas litanias vocant.

Festivitas baptismi sancti Ambrosii in die sancti Andraeae solemniter a capitulo canonicorum celebretur. Monachi vero eâdem die celebrent, prout in aliis festivis diebus ordinariis solent. Canonici et monachi, quilibet in labello versus navem sui lateris existenti aquam ad aspergendum populum benedicant. In navi mediâ ecclesiae, sive maiori, relicto loco medio ad usum sepulchri pro archiepiscopis Mediolani, duo sepulchra fiant, a dextero scilicet pro sepulturâ praepositorum et canonicorum, alterum a sinistro latere ad usum abbatum et monachorum, neque alia sepulchra in dictâ navi mediâ fieri aut concedi valeant.

Funeralibus praepositorum et canonicorum monachi interveniant, et pariter

1 Forsan *sactam tectam ecclesiam* (R. T.).

abbatum et monachorum canonici. Quoad ordinem, quando praepositi aut canonici erit funus, abbas, vel dignior post ipsum, abbate impedito, in eius locum, officium celebret mortuorum, et cadaver deferatur a monachis, ipsis a latere dextero cum canonicis a sinistro binis procedentibus. Cum vero abbatis vel monachi funus sit peragendum, observetur ordine converso, praepositus scilicet, vel, eo impedito, dignior primus ex capitulo officium celebret, cadaver a presbyteris deferatur, canonicis latus dexterum et monachis sinistrum tenentibus, bini bini, prout in funere canonici, procedant. Circa qualitatem et sumptum funerum, solitum servetur, sicut in hanc usque diem fuit servatum.

Quoad sepulturas extraneorum, laicorum vel ecclesiasticorum, quilibet in suo latere concedant et sepeliant. Nullum ducatur in ecclesiâ funus absque interventu canonicorum. Funeralia cadaverum in mediâ navi ecclesiae fiant. Emolumenta funerum, in quocumque latere sepeliantur mortui, aequaliter inter capitulum canonicorum et monachos dividantur. Officiorum vero integraliter emolumenta sint eorum, in quorum latere celebratur officium.

Capitulum canonicorum provideat ecclesiae de subselliis, mensis et aliis huiusmodi ad usum ecclesiae communem spectantibus. Dignior locus semper in quacumque functione sit capituli canonicorum, excepto tamen casu funeris praepositi vel canonicorum in ecclesiâ S. Ambrosii. In recitatione completorii servetur decretum sancti Caroli in visitatione sub die XXVII februarii MDLXXVIII. Organum, pulpitum, seu vulgo *lettorino*, utrique collegio, canonicorum scilicet et monachorum, tam quoad usum, quam quoad reparationes, quamvis in diversis lateribus reperiantur, sint communia.

Pollutâ[1] ecclesiâ, si quando contigerit, facultas reconciliandi ab illustrissimo archiepiscopo impetretur, eoque nolente, per se ipsum, alternis vicibus, a praeposito ecclesiae et abbate monachorum reconcilietur, ita ut primus turnus sit praepositi. Teneatur cimiliarcha, absque ullâ contradictione, utrique collegio necessaria, communia tamen, pro servitio divinorum tradere.

Redditus superstantiariae, in ornatum, reparationem et alios necessarios usus ecclesiae erogandi, diligenter per canonicos eorumque cimiliarcham ministrentur. In solemnibus ecclesiam decenter ornari pro utroque collegio curet, et ornatam pariter in pristinum redigi, idque etiam pro missis primâ vice, tam a canonicis, quam a monachis, sive praepositis, aut abbatibus pro tempore, item in funeribus eorumdem, seu aliarum illustrium personarum, expensis tamen monachorum, ubi ad eorum instantiam fiat[1].

Benedictio solemnis cerei paschalis die sabbati sancti alternis vicibus per capitulum canonicorum et collegium monachorum fiat, ita ut illud, ad quod spectabit onus sacrae functionis, expensas cerei faciat, et quod remanebit finito usu retineat. Ordo benedictionis antedictae sit, ut a collegio celebrante missam sabbati sancti fiat. Ad postulationem abbatis, canonici, seu ab eis deputandi, altare aureum in adventu illustrium personarum ostendant. Castrum doloris, quod vulgo *tomba* vocant, et candelabra pro eodem servitio destinata serventur in loco solito subtus organum ad usum communem utriusque collegii. Possint monachi diebus festivis sanctorum particularium cappellas in suo latere existentes in eorumdem sanctorum honorem erectas arbitrio suo tam intus quam foris, unâ cum columnis e regione

1 Vide an legend. sit *Pollutam ecclesiam* (R.T).
2 Aptius legeretur *fiant*, idest *funera* (R. T.).

cappellae existentibus, in honorem festivitatum eorumdem ornare.

Ut commodius officiis monachi incumbere possint, capitulum canonicorum in gratiam eminentissimorum dominorum cardinalium Ubaldini et Trivultii concedit clavem unam eisdem monachis tenendam perpetuo, donec praesens concordia durabit, qua cancellos ferreos altaris maioris aperire possint, his tamen adiectis conditionibus, et non aliter, etc., quod ab abbate dicti monasterii monachus eligatur, cui dicta clavis consignetur, qui tamen cavere debebit, ne cancelli aperti remaneant extra horas divinorum officiorum. Ulterius, ut custodiae altaris, quanto minus fieri potest, praeiudicetur, quotiescumque aperiri contigerit altare aureum, idque apertum remanere, teneatur dictus monachus horâ praeambulâ, ad monitionem simplicem superstantiarii canonicorum, dictam clavem ei consignare ab eo tenendam, donec dictum altare aureum apertum remanebit, eo tamen statim clauso superstantiarius eamdem clavem reddat monacho sic ut supra deputato.

In festivitatibus sanctorum iuxta stylum kalendarii monastici ambrosiani (quae tamen in diebus festivis ex communi praecepto contigerint), si apparatus, ad usum canonicorum, monachorum festivitati non respondebit, teneantur canonici, statim eorum divinis peractis, proportionabiliter pallium altaris maioris et conopoeum ciborii immutare. Idem particulariter fiat in festo sancti Benedicti, etiamsi in die non festivo communi occurrat. Abbas pro suo arbitrio propria monachorum candelabra argentea et sanctorum reliquias in suis vasibus existentes ad ampliorem altaris maioris ornatum, candelabris tamen argenteis communibus non amotis, exponere valeat.

Lampades numero undecim circa altare maius, pro Sanctissimo Sacramento supra idem existente, quinque ad capitulum canonicorum, quinque ad monachos, et una ad societatem, quam vocant *scuroli*, spectent, et earum manutentio ad singulos proportionabiliter pertineat. Clavis confessionis, seu scuroli, cuique collegio consignetur ad usum communem.

Altare privilegiatum pro defunctis fidelibus, a Sanctissimo Domino Nostro in scurolo impetrandum, ad usum utriusque collegii tam canonicorum quam monachorum petatur, cum generali pariter prohibitione, ne quicquam per confratres dicti scuroli, neque pro missarum celebratione, aut sub alio quovis praetextu, nomine eleemosynarum a quoquam percipiatur. Quoad eleemosynas pro missis mortuorum ibidem celebrandis, nullus in dictâ ecclesiâ, aut scurolo, ad hunc effectum deputetur, aut pro eisdem recipiendis a fidelibus assistat, sed utrumque collegium in suâ sacristiâ a sponte consignantibus recipiat.

Ne ulla confusio quoad modum celebrandi in scurolo gignatur, modus infra dicendus servetur: quotidianae, et ex perpetuis obligationibus hinc inde celebrandae statutis diebus, iuxta praecisam formam obligationis et consuetudinis celebrentur; extraordinariae[1], quae dictim occurrunt pro defunctis, alternis diebus ab utroque collegio adimpleantur; quilibet e suâ sacristiâ exteros sacerdotes ad altare privilegiatum dirigere possit, discreto tamen modo, ita ut alter ab altero non impediatur: quod a prudentiâ hinc inde utendâ speratur.

Clavis organi utrique collegio consignetur, ita ut quilibet pro suo arbitrio et usu ex se aperire possit, et organista quandocumque pro servitio utriusque sit paratus. In solemni processione Corporis Christi et Rogationum ad ritum ambrosianum quilibet in suo latere ecclesiam in

1 Nempe *missae;* male ed. Main. legit *extraordinaria* (R. T.).

navi maiori viridibus frondibus et similibus ornet. Lampades, aliaque luminaria, sanctorum imaginibus, tam in navi maiori quam minori e suo latere existentibus, monachi absque contradictione accendant. Antiphona *Sub tuum praesidium* per monachos, processionaliter diebus festivis procedendo per navem canonicorum et inde per medium ecclesiae, ad eorum libitum cantari possit. Item eodem modo in festivitatibus Purificationis, Olivarum et Dedicationis ecclesiae egredi a ianuâ laterali canonicorum, procedi per cortinam, et portam maiorem ingredi eisdem liceat, quemadmodum a capitulo canonicorum viceversâ solet.

In vigiliis sancti Ambrosii ac sanctorum Gervasii et Protasii abbas celebrans cum monachis ad altare sancti Michaëlis a latere canonicorum existens antelatis insignibus abbatialibus procedat, ibique pro solitâ statione immoretur, et inde discedens, portamque maiorem ecclesiae egrediens, per plateam proximam ad ecclesiam divi Francisci pergat, redeundo per portam canonicalem ingrediatur ecclesiam S. Ambrosii, et omnes easdem ecclesiasticas caeremonias, praecedenti die per capitulum canonicorum factas, ipse abbas cum suis proportionabiliter adimpleat. Monachi in suo latere subsellia ad usum confessariorum, quae vulgo confessionalia nuncupantur, habeant, quae tamen sint conformia cum aliis a latere canonicorum existentibus.

Finito funere in medio ecclesiae, cum assistentiâ cleri secularis secundum determinationem superius factam, eorum qui debent sepeliri in latere monachorum, possint monachi, absque ullo interventu eiusdem cleri, asportare cadavera ad sepulturam destinatam propriâ auctoritate. Cerei seu candelae, quae solent sustineri per binos angelos hinc et hinc super altari maiore existentes, et per canonicos celebrantes solent accendi, eodem modo per monachos celebrantes, propriis tamen sumptibus, apponantur et accendantur. Monachos religionem Cisterciensem ingredientes abbas ad altare maius novis vestibus pro libito induat, ibique professionem suorum monachorum et equitum sui Ordinis recipiat.

Officia mortuorum etiam cum solitis ornamentis ab utroque collegio in medio ecclesiae iuxta solitum fiant. Ubi corpora vel reliquiae sanctorum vel alii thesauri in ecclesiâ S. Ambrosii reperiantur, si in navi maiori, liberae archiepiscopi dispositioni remaneant; si vero in latere dextero, collegio canonicorum; sicuti in latere sinistro monachorum collegio cedant: non tamen corpora vel reliquiae sanctorum ex eâdem navi seu latere extrahantur, sed in eo, vel eâ, debitâ veneratione serventur; ea tamen inquirere nemini liceat, absque expressâ archiepiscopi licentiâ.

In ecclesiâ S. Ambrosii non intelligantur comprehensae ecclesia S. Sigismundi ac cappella S. Satyri et S. Ioannis.

Item, ad tollendas dissensiones ac lites quae hactenus versae fuerunt ac vertuntur inter dominum archiepiscopum ac duo collegia canonicorum et monachorum super pertinentiâ dominii ecclesiae S. Ambrosii Mediolanensis, eadem collegia, ex causâ praedictâ et pro bono pacis, ut evulsâ radice communis controversiae cum divini cultus augmento quiete ac libere fruantur, imposterum omni commodo dictae ecclesiae cesserunt ac cedunt domino archiepiscopo Mediolani pro tempore dominium eiusdem ecclesiae, quod ambo praetendunt habere, eâ tamen conditione ac lege, et non aliàs, ut debeat perpetuo penes eum residere, nec ipse possit ullo unquam tempore illud, vel aliquam illius partem, aut maiorem commoditatem, quam de praesenti habeant, eis, aut eorum alteri, seu aliis quibuscumque cedere,

aut quod illud habeant consentire; quodque deinceps dominus archiepiscopus, vigore dictae cessionis, sic, ut supra, factae, nihil amplius, quavis auctoritate, titulo, aut iure, etiamsi indigerent speciali mentione, in dictâ ecclesiâ contra et in praeiudicium utriusque collegii, eorumque personas, fructus, redditus, proventus et emolumenta, tam coniunctim quam divisim, facere seu praetendere possit, quam usque in praesentem diem appareat habuisse et fecisse respectu utriusque collegii, singula singulis congrue referendo, vel, circumscriptâ praesenti cessione, de iure prius habere et facere quavis auctoritate, titulo et iure potuisset et posset; et quod etiam huiusmodi cessio in quieto ac libero usu ipsius ecclesiae, ac etiam in aliis concordatis, nullatenus praeiudicet, nec contra eorum usum et utilem substantiam aut exercitium quomodolibet et qualitercumque possit allegari; aliâs quaelibet contraria praetensio et quilibet actus in contrarium attentatus sint ipso iure nulla, non solum praemisso, sed etiam omni alio meliori modo.

Huius concordiae intuitu, liti fabricae monasterii monachorum S. Ambrosii Mediolanensis finis perpetuo imponatur, neminique liceat praetendere demolitionem fabricae hactenus factae et in futurum faciendae. Teneantur tamen abbas et monachi providere, ne ex huiusmodi fabricâ, tam factâ quam faciendâ, inferatur praeiudicium ecclesiae S. Ambrosii, videlicet altius eam tollendo versus dictam ecclesiam ultra summitatem in qua reperitur de praesenti, vel eidem magis appropinquando dictam fabricam, et praecipue, ne ex aquâ pluviâ[1] murus ecclesiae e latere[2] monasterii labefactetur, construendo cloacam, per quam illa recipiatur et ducatur extra. Et quia nonnullae cappellae dictae ecclesiae versus monasterium, occasione luminis ampliandi, nuper fuerunt ab antiquâ earum formâ deformatae, abbatis et monachorum expensis in priorem formam reducantur, quatenus ita videatur eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Borromaeo moderno archiepiscopo, et non alteri eius successori.

Tandem, ne imposterum aliquid in dictâ ecclesiâ innovetur, nihil, aut restaurationis, aut novae reaedificationis praetextu, in eâdem fieri, nisi accedente expresso consensu illustrissimi domini archiepiscopi, praepositi ecclesiae et duorum canonicorum per suum capitulum deputandorum, necnon abbatis eiusdem ecclesiae et duorum monachorum de corpore monasterii S. Ambrosii per monachos eligendorum, ita ut saltem duae partes ex tribus consentiant, et non aliâs, etc.; salvâ tamen superstantiarîâ cum suis concordatis. Et quoad expensas, hae ubi a fidelibus non subministrentur, et ubi non adsint redditus vel proventus ad hunc effectum destinati qui sufficiant in subsidium, abbas et monachi non possint adstringi ad contribuendum ultra tertiam partem. Attentis omnibus supradictis concordatis voluerunt ac volunt, tam illustrissimus dominus archiepiscopus, quam duo collegia, quod omnes controversiae et quaecumque lites censeantur et sint omnino extinctae, super dominio quomodolibet praetensae tam per dominum archiepiscopum quam per utrumque collegium, et perpetuum silentium quoad omnes desuper impositum, etc.:

Pontifex praedictam concordiam confirmat, omnesque defectus supplet.

§ 4. Nos, quibus deinde, et eidem Francisco cardinali, facta fuit postmodum per eosdem Robertum et Theodorum cardinales de praemissis omnibus relatio, inviolabili concordiae, sive transactionis, omniumque et singulorum capitulorum praeinsertorum observationi, quantum no-

1 Potius legeretur *pluviae* vel *pluviali* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *latera* (R. T.).

bis ex alto conceditur, providere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, concordiam sive transactionem huiusmodi, omniaque et singula capitula praeinserta huiusmodi, cum omnibus et singulis in eis contentis, tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, illisque omnibus et singulis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis vim et robur adiicimus, ac omnes et singulos, non modo consensus omnium et singulorum in praemissis interesse habentium seu habere praetendentium, sed solemnitatum etiam substantialium, et a quibusvis statutis, legibus et consuetudinibus, aut aliàs quomodolibet et ex quacumque causâ requisitarum, et forsan omissarum, necnon quoscumque alios, tam iuris quam facti, et quoslibet alios defectus, cogitatos vel excogitatos[1], si qui principaliter vel accessorie aut aliàs quomodolibet intervenerint in eisdem, etiamsi de illis, ad hoc ut suppleri et sanari possint, specialis, specifica et expressa mentio habenda esset (quam tamen pro habitâ et factâ haberi volumus), plenissime supplemus, eosdemque omnes et singulos defectus a concordiâ seu transactione et praeinsertis capitulis huiusmodi ex nunc tollimus, abrogamus et amovemus.

Mandat observari concordiam.

§ 5. Necnon concordiam, seu transactionem, ac capitula praeinserta huiusmodi, omniaque et singula in illis quomodolibet contenta, ab omnibus et singulis, ad quos nunc quomodolibet spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, eaque omnia et singula suum plenarium effectum, exequutionem et observantiam sortiri debere volumus et mandamus, in omnibus et per omnia, perinde ac si cum omnibus et singulis solemnitatibus, ac aliis etiam substantialibus, de iure, privilegio, etiam apostolico, etiam in corpore iuris clauso, stylo et consuetudine, etiam immemorabili, vel aliàs quomodolibet, ex constitutionum apostolicarum vel statutorum etiam iuratorum[1], aut aliàs quomodolibet[2] requisitis, ac aliis servandis plene servatis, facta et gesta, conventa et celebrata forent.

Decretum irritans.

§ 6. Decernentes concordiam, seu transactionem, ac praeinserta capitula, praesentesque litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, aut habere praetendentes, eis nullatenus consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, minusque causae, propter quas eaedem praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae, vel aliàs iustificatae fuerint, ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, nullitatis aut invaliditatis, seu intentionis nostrae vel alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, maximo et incogitato; sive etiam ex eo, quod in eisdem praemissis, seu eorum aliquo, solemnitates et quaevis alia, servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio, etiam a iure vel facto, aut statuto, seu consuetudine aliquâ resultante, seu etiam enormis et enormissimae ac in totum laesionis, sive alio capite, etiam in corpore iuris clauso, aut occasione vel causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ huiusmodi nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, vel gratiae remedium impetrari,

1 Potius lege *inexcogitatos* (R. T.).

1 Hic puto deesse *praescripto,* aut simile (R.T).

2 Verba *aut aliàs quomodolibet* delenda (R.T).

seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concedi, aut sic impetrato vel concesso quempiam uti seu se iuvare in iudicio vel extra posse, neque ipsas praesentes et in eis contenta praedicta sub quibuscumque generalibus vel specialibus, etiam per viam legis, aut aliàs, etiam motu proprio, ac etiam consistorialiter, etiam per nos et successores nostros ex quacumque causâ quantumlibet favorabili et iuridicâ editis et edendis regulis, constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus et modificationibus, aliisque quibuslibet contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis libera et exempta et sub posteriori datâ per quemlibet ipsorum eligendâ concessa, et adversus quascumque impugnationes et impedimenta valida, firma, ac efficacia esse et fore; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios, commissarios, et causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, quavis auctoritate et potestate fungentes, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 7. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiae et Ordinis seu congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, usibusque, et naturis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam in corpore iuris clausis, per nos seu quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, etiam motu proprio et consistorialiter, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et saepius innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII decembris MDCXXX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 7 decembris 1630, pontif. anno VIII.

CCCLXXXII.

Facultas archiepiscopo Panormitano permittendi, ut ecclesiastici regni Siciliae subsidium regi persolvant[1].

Venerabili fratri archiepiscopo Panormitano, Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Ecclesiastici Philippo regi subsidium offerunt.

Exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, quod, cum dilecti filii tres hominum status, seu tria brachia ecclesiasticum, militare et demaniale nuncupata, regni Siciliae ultra pharum, cuius ipse Philippus rex existit, quibusdam ra-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

tionabilibus de causis eorum animos moventibus, de offerendo eidem Philippo regi, ac dilecto filio nobili viro Francisco Fernandez de la Cueva duci de Alburquerque, dicti regni proregi, certas pecuniarum summas, donativum ordinarium nuncupatas, ad triennium, ac sub certis terminis, modoque et formâ exigendas, inter se tractaverint, venerabiles fratres archiepiscopi, episcopi, ac dilecti filii archimandrita, et aliae ecclesiasticae personae dicti regni, certam ratam sponte suâ obtulerunt et dare statuerunt in parlamentis ordinariis habitis de mense maii proxime praeteriti; ipsique archiepiscopi, episcopi, archimandrita, et aliae ecclesiasticae personae, eorum ratam huiusmodi, accedente ad hoc nostro et Apostolicae Sedis beneplacito, persolvere obtulerunt, et forsan etiam persolverunt.

Cum a concilio Lateranensi expresse hoc regibus et principibus prohibeatur,

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ex eo quod per Lateranense concilium novissime celebratum, diversasque alias canonicas sanctiones, sub certis censuris et poenis caveatur expresse, ne reges, principes et alii potentatus ab archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis personis ecclesiasticis, etiam sponte offerentibus, aliquam pecuniarum summam sive subventionem recipiant, dictus Philippus rex, ac eius regni illius ministri, necnon dictus Franciscus dux et prorex, dubitent, ratam praedictam ante obtentum beneplacitum apostolicum recipiendo, censuras et poenas huiusmodi incurrere et forsan incurrisse;

Ipse Philippus beneplacitum apostolicum petit,

§ 3. Nobisque propterea dictus Philippus rex humiliter supplicari fecerit, pro suâ et dictorum ministrorum, ac Francisci ducis et proregis conscientiae quiete, quatenus praemissis nostram et huius sanctae Sedis auctoritatem interponere dignaremur:

Archiepiscopo Panormitano Pontifex facultatem concedit id permittendi,

§ 4. Nos, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, constito tibi per legitimas probationes de expresso maioris partis cleri, scilicet archiepiscoporum, episcoporum et aliarum personarum ecclesiasticarum secularium et cuiusvis Ordinis regularium dicti regni consensu, et quod reliqui et reliquae personae non consentientes vocati et vocatae fuerint, oblationi et promissioni, necnon solutioni per archiepiscopos, episcopos et archimandritam, ac alias ecclesiasticas personas factis, pro hac vice tantum, nostram et Sedis praedictae auctoritatem, vigore praesentium, interponas, ipsosque archiepiscopos, episcopos et alias personas ecclesiasticas huiusmodi, etiamsi sint de illis, quae pro minori cleri parte praemissis non consenserint, ad ea tamen vocati et vocatae fuerint, ad solutionem eorum ratae huiusmodi opportunis iuris et facti remediis cogas et compellas; et nihilominus archiepiscopis, episcopis et archimandritae et aliis ecclesiasticis personis praefatis, ut ratam huiusmodi, per eos, ut praemittitur, oblatam et promissam, persolvere, ac dictus Philippus rex et eius ministri, dictusque Franciscus dux et prorex, eam petere et recipere absque conscientiae scrupulo, seu censurarum et poenarum praedictarum incursu, libere et licite valeant, auctoritate nostrâ concedas et indulgeas.

Ipsumque et ecclesiasticos a censuris absolvendi, si quid iam persolverint.

§ 5. Ipsosque archiepiscopos, episcopos et archimandritam, et alias personas ecclesiasticas, et earum singulas, quatenus ipsi dictam ratam iam promiserint aut solverint, necnon eumdem Philippum regem, eiusque ministros, et Franciscum ducem et proregem praefatos, si eamdem ratam iam perceperint, ab omnibus et singulis censuris et poenis, propterea quomodolibet incursis, eâdem auctoritate absolvas, et absolutos fore censeas et declares; et quod omnes et singuli pensionarii, seu ii, quibus loco[1] pensionum fructus in

1 Male edit. Main. legit *loca* (R. T.).

totum vel in partem reservati existunt, cuiuscumque dignitatis vel conditionis sint, exceptis tamen sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, ad huiusmodi ratae solutionem, in omnibus et per omnia, perinde ac si nominatim ratam eamdem se soluturos obtulissent, clausulis et decretis in litteris apostolicis reservationum pensionum et fructuum huiusmodi, etiam consistorialiter appositis, et quod dictae pensiones ab omni decimâ, subsidio charitativo, et quovis alio onere, tam ordinario quam extraordinario, quavis auctoritate, etiam pro expeditione tam offensivâ quam defensivâ contra turcas et alios infideles reipublicae christianae hostes ab illorum conatibus defensione, seu inexcogitabili causâ, a Romano Pontifice pro tempore existente, etiam ad imperatoris, regum, ducum et aliorum instantiam, illorumque contemplationem et intuitum, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ impositis et imponendis, aut aliàs qualitercumque exemptae sint, nequaquam obstantibus, teneantur et efficaciter obstricti sint; ipsique archiepiscopi, episcopi et archimandrita[1], et aliae personae, quarum ecclesiae, monasteria et alia beneficia ecclesiastica annuis pensionibus, auctoritate apostolicâ assignatis, gravata et onerata sunt, ratam pensionariorum suorum seu eorum, quibus fructus huiusmodi sunt reservati, solvere, et illud, quod pro ipsis pensionariis, seu iis, quibus fructus huiusmodi sunt reservati, vere et realiter, ac quacumque fictione cessante, persolverint, suâ propriâ auctoritate postmodum penes se retinere possint, nec propterea sententias, censuras et poenas in eisdem pensionum reservationibus contentas incurrant, eâdem auctoritate decernas.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis, quibusvis, generaliter vel specialiter, concessis, necnon litteris reservationum pensionum et fructuum huiusmodi, ac quibusvis obligationibus, etiam in formâ camerae, etiam cum iuramento, ac censurarum et mandati exequutivi susceptione, vel aliàs desuper factis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum mentio seu quaevis alia expressio habenda sit, et in eis caveatur expresse, quod per huiusmodi clausulas generales, etiam mentionem specialem importantes, eis derogatum esse non censeatur, aut derogari non videatur, nisi certis modo et formâ in illis expressis plene observatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Inopes ecclesiasticos ab hac annua contributione eximit.

§ 7. Ceterum volentes providere, ne pauperes ecclesiastici ad contributionem huiusmodi graventur, te hortamur attente, et in virtute sanctae obedientiae tibi mandamus, quatenus pauperes ecclesiasticos, qui in redditibus annuis nihil aut parum, etiam usque ad valorem decem unciarum scuta viginticinque monetae illius regni constituentium inclusive, habent, ad contributionem praedictam per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, cogi aut compelli nullo modo permittas.

Huiusmodi exactionem per personas ecclesiasticas fieri vult.

§ 8. Volumusque, quod exactio pecuniarum huiusmodi ab ecclesiasticis per personas ecclesiasticas, a dicto Philippo rege seu Francisco duce et prorege nominandas et per te deputandas, fieri debeat,

1 Male edit. Main. legit *archimandritae* (R.T.).

invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis;

Contrafacientibus poenas addit.

§ 9. Quod si secus in aliquo praemissorum factum fuerit, qui contravenerint, in poenas et censuras incurrant, perinde ac si praesentes litterae non emanassent;

Transumptis credi mandat.

§ 10. Quodque etiam praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX decembris MDCXXX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 20 decembris 1630, pontif. anno VIII.

CCCLXXXIII.

Prorogatio indulgentiae plenariae, in Urbe concessae et ad Italiam extensae, ad alios tres menses, cum decreto, ut, eisdem tribus mensibus elapsis, quaecumque extensiones et ampliationes indulgentiae huiusmodi ad certum tempus factae, etiam eo ipso exspirent.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Pontifex edidit constitutionem praeinsertam.

§ 1. Nuper a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Dilectis filiis clero et populo Romano, etc. *(Omittitur tenor constitutionis, quia habes supra pag. 148).*

Indulgentiarum ad alios tres menses prorogatio.

§ 2. Et subinde, multorum venerabilium fratrum archiepiscoporum, episcoporum, necnon dilectorum filiorum nobilium virorum, ducum, principum et aliorum magnatum in Italiâ et insulis illi adiacentibus existentium supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas litteras nostras concessionis indulgentiarum, ac facultatis eligendi confessarium, cum omnibus et singulis in eis contentis indultis, clausulis et decretis, ad universos utriusque sexus christifideles, seculares et regulares, tunc temporis in Italiâ et insulis praedictis existentes, necnon ecclesias per Ordinarios locorum seu alios de eorum mandato designandas, et confessarios ab iisdem Ordinariis approbatos seu approbandos, spatio trium similiter mensium a die publicationis litterarum desuper expeditarum inchoandorum durante, apostolicâ auctoritate extendimus; praedictisque christifidelibus necnon ecclesiis et confessariis concessiones, facultates et indulta praedicta cum clausulis et decretis huiusmodi communicavimus; et postmodum, tam praeinsertas quam alias subinde expeditas litteras praedictas, cum omnibus et singulis in eis contentis concessionibus, facultatibus, indultis, indulgentiis, clausulis et decretis, ad infrascriptos tres[1] octobris et novembris proxime praeteritos ac praesentem decembris menses extendimus pariter et prorogavimus, prout in aliis nostris sub die XVII iulii[2] necnon sub die XXV septembris[3] proxime praeteritorum desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores etiam praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Secunda extensio ad alios tres menses.

§ 3. Cum autem per abundantiam divinae misericordiae alma Urbs nostra, ac multae aliae civitates et provinciae, non solum sanctae Romanae Ecclesiae, verum etiam aliarum ditionum et dominiorum temporalium in Italiâ et insulis praedictis existentium, a periculis et calamitatibus huiusmodi immunes hactenus conservatae, et aliae etiam liberatae fuerint, nos, ut christifideles praedicti caelestium miserationum fructus uberius consequi mereantur peramplius providere volentes, tam

1 Aptius forsan legeretur *duos*, vel postea *praeteritorum* non *praeteritos* (R. T.).
2 Quas vide supra pag. 150 (R. T.).
3 Has habes supra pag. 175 (R. T.).

praeinsertas quam alias subinde expeditas litteras praedictas, cum omnibus et singulis in eis contentis concessionibus, facultatibus, indultis, indulgentiis, clausulis et decretis, ad alios tres[1] menses proximos, videlicet, ianuarii, februarii et martii (quibus durantibus, si omnia et singula in praeinsertis litteris expressa dicti christifideles adimpleverint, illi omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones praedictas, cum omnibus facultatibus, gratiis et indultis huiusmodi, consequi valeant), auctoritate praedictâ, tenore praesentium, iterum extendimus et prorogamus.

Contrariorum abrogatio.

§ 4. Quia vero, ad supplicationem nonnullorum episcoporum ac principum et rerumpublicarum, concessiones, facultates, indulta, indulgentias et remissiones peccatorum in praeinsertis litteris contentas ad certas civitates, dioeceses, provincias et loca extra Italiam existentia ad certum tempus extendimus et ampliavimus, volumus et dictâ auctoritate decernimus, ut, tribus mensibus per praesentes prorogatis, ut praefertur, elapsis, omnes et quaecumque extensiones et ampliationes gratiarum per nos factae huiusmodi pariter eo ipso expirent, nulliusque sint[2] roboris vel momenti, nec cuiquam ulterius suffragentur.

Suspensio aliarum indulgentiarum.

§ 5. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Ut autem praesentes litterae facilius omnibus innotescant, volumus ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae eisdem ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXXI decembris MDCXXX[1] pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 31 decembris 1630, pontif. anno VIII.

1 Edit. Main. legit *duos* (R. T.).

2 Verbum *sint* nos addimus (R. T.).

1 Male edit. Main. legit MDCXXXI (R. T.).

CCCLXXXIV.

Mandatum sub poenâ excommunicationis quibuscumque, ut documenta quaecumque ad ducatum Urbini spectantia ad episcopum Senogalliensem deferant[2].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Devolutio ad Sedem et cameram apostolicam ducatus Urbini.

Considerantes ducatum Urbini[3], necnon civitates Eugubinam, Pisaurensem et Senogalliensem, ac Statum Montisferetrani, aliaque dominia, civitates, oppida, terras, castra, propugnacula, fortalitia et loca quaecumque, etiam speciali notâ et expressione digna, in et sub Statu dicti ducatus Urbini, aliorumque dominiorum huiusmodi ad praesens quomodolibet comprehensa, et dilecti filii nobilis viri Francisci Mariae ducis antecessoribus dudum a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris in feudum, sub pactis et conditionibus in investituris desuper factis contentis et expressis, data et concessa, seu aliàs per ipsum Franciscum Mariam ducem quomodolibet possessa, per obitum ipsius Francisci Mariae ducis sine liberis et descendentibus masculis legitimis et naturalibus, ob lineam finitam, unâ cum omnibus eorum territoriis, districtibus, iurisdictionibus, fortalitiis, sive propugnaculis, membris, iuribus, etiam prohibendi, ac pertinentiis universis (excepto Castro Podii Hibernorum et aliis bonis non feudalibus nec iurisdictionalibus relaxatis et reservatis Francisco Mariae duci praedicto, eiusque haeredibus et successoribus, in instrumento

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

3 Plures alias de hoc ducatu Bullas vide in tom. XIII, pag. 181, 268, 356, 563, 589 (R. T.).

concordiae celebrato sub die XXX aprilis MDCXXIV), aperta, ac ad nos et Romanam Ecclesiam, Sedemque et cameram apostolicam reversa et devoluta iri et pertinere;

Urbanus mandat documenta omnia ad illum spectantia tradi episcopo Senogalliensi.

§ 2. Ideirco nihil, quod ad muneris nostri partes pro nostrorum et Sedis praedictae iurium conservatione spectat[1], praetermittere volentes, universis et singulis archiepiscopis, episcopis et aliis locorum ordinariis, sub interdicti ingressus ecclesiae et suspensionis a divinis, et tam iis quam quibusvis aliis ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus et domicellis, necnon quibuscumque aliis personis, etiam ecclesiasticis, secularibus et regularibus, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae et dignitatis existentibus, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis maioris latae sententiae poenâ, per praesentes districte praecipiendo mandamus, quatenus scripturas quascumque, ducatum praedictum, illiusque membra annexa et pertinentias, aliaque iura et interesse Sedis praedictae, ratione dicti ducatus ac membrorum annexorum et pertinentiarum huiusmodi, quomodolibet concernentes, sive ad ea quomodocumque spectantes, si quas apud se quomodolibet habuerint vel retinuerint aut occultaverint, statim atque praesentium notitiam habuerint, revelent, ac respective restituant, atque in manibus venerabilis fratris Laurentii episcopi Senogalliensis, moderni dicti ducatus gubernatoris, tradant et consignent, seu restitui et tradi et consignari omnino curent et faciant realiter et cum effectu.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus quibusvis privilegiis, indultis et litteris apostolicis, eisdem archiepiscopis, episcopis ac locorum ordinariis, necnon ducibus, principibus, ceterisque supra expressis, et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV ianuarii MDCXXXI, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 4 ianuarii 1631, pontif. anno VIII.

CCCLXXXV.

Indictio sex decimarum super omnibus fructibus ecclesiasticis Italiae.

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Proemium.

Supremâ dispositione illius, cuius inscrutabili providentiâ ordinationem suscipiunt universa, in eminenti apostolicae dignitatis speculâ, meritis licet imparibus, constituti, et, inter multiplices sollicitudines, quas pro communi utilitate universae christianae reipublicae nostrae curae commissae dies noctesque suscipimus, tot ac tantos novos orthodoxae fidei hostium in inclytam Germaniam et illi proximas provincias percurrentium[1] conatus paternâ meditatione considerantes, non possumus

1 Edit. Main. legit *spectant* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *percurrentes* (R. T.).

calamitosum statum catholicorum illarum partium non miserari, et, ne catholici ipsi in maiores incidant aerumnas, non pertimescere.

Causae huius constitutionis.

§ 1. Quare[1] nos officii nostri partes esse duximus charissimo in Christo filio nostro Ferdinando Romanorum regi in imperatorem electo quacumque opportunâ ratione possumus opem ferre et communem catholicae ecclesiae causam adiuvare. Hinc est quod, post elargitos novissime ex ipsius Ecclesiae ritu eiusdem Ecclesiae thesauros, quia camerae nostrae apostolicae valde debilitatae vires ad ea comparanda praesidia, quae praesentes necessitates postulant, nequaquam sufficiunt, cogimur, exemplo Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, ad aliarum ecclesiarum peculium Christique Domini patrimonium, cuius causa nunc agitur, nos convertere, sperantes in Domino non iniquum quemquam urgentium harum necessitatum aestimatorem in tam sanctum, pium ac necessarium usum pro christianâ pietate libenter contributurum.

Exceptis paucis omnes ad solutionem obligat.

§ 2. Habitâ igitur super his omnibus cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus deliberatione maturâ, de eorum consilio et assensu indicimus et imponimus sex integras decimas omnium et quorumcumque fructuum, redditum, proventuum, iurium, obventionum, distributionum quotidianarum, et emolumentorum ordinariorum et extraordinariorum, omnium et quarumcumque ecclesiarum patriarchalium, metropolitanarum, cathedralium, collegiatarum et parochialium, necnon monasteriorum et conventuum, ac etiam mensarum patriarchalium, archiepiscopalium, episcopalium, abbatialium, capitularium et conventualium, prioratuum quoque, praeposituarum, praeceptoriarum, canonicatuum et praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium, ac sancti Benedicti, sancti Augustini, Cluniacensium, Cisterciensium, Praemostratensium, sancti Basilii, Sylvestrinorum, et, qui proprietates redditusque certos ex privilegio vel aliâs possident, Mendicantium, ac quorumcumque aliorum Ordinum utriusque sexus, necnon congregationum regularium et insuper hospitalium etiam, pauperum hospitalitatem non exercentium, seu bona et redditus ultra infirmorum necessitates et alia, pro quibus instituta sunt, pia officia exercentium[1] et possidentium, necnon B. Mariae Theutonicorum, S. Lazari de Altopassu, Templi Dominici et aliarum militiarum in Italiâ universâ consistentium, secundum verum annuum valorem fructuum, redditum, proventuum et aliorum praedictorum, nisi aliter cum Sede et Camerâ Apostolicâ fuerit concordatum (hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani militiâ, quae pro sui tutelâ contra turcas et alios infideles alienis indiget continuo auxiliis, necnon duodecim illis congregationibus, quae cum camerâ apostolicâ tempore felicis recordationis Pii Papae V praedecessoris nostri de subsidio ordinario concordarunt, et S. R. E. cardinalibus ob assiduos magnosque labores quos ipsi Ecclesiae universali impendunt, et gravissima quae tuendae dignitatis causâ sustinent onera, dumtaxat exceptis); ac etiam indicimus et imponimus sex similes decimas omnium et quarumcumque pensionum annuarum super fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus, emolumentis et distributionibus supradictis in favorem quorumcumque (non tamen cardinalium et duodecim congregationum huiusmodi) assignatarum et as-

1 Similem vide Pauli V Const. tom. XII, pagina 459 (R. T.).

1 Potius lege *habentium* (R. T.).

signandarum percipiendas, exigendas et levandas ab omnibus et quibuscumque episcopis, archiepiscopis et primatibus, patriarchis et aliis ecclesiarum praelatis, ac ceteris, cuiuscumque dignitatis, gradus, status et conditionis, officia praedicta quocumque iure et titulo obtinentibus vel obtenturis, necnon oeconomis et administratoribus perpetuis et temporalibus, usufructuariis, ac fructus, pensiones, res et alia huiusmodi iura ex quacumque causâ sibi apostolicâ auctoritate in toto vel in parte reservata habentibus et habituris, secularibus et regularibus ordinum, congregationum, militiarum et hospitalium (non tamen S. Ioannis) praedictorum, necnon ab ipsis ecclesiis, cappellanis[1], conventibus, ordinibus, congregationibus, collegiis, hospitalibus, militiis, mensis, massis et locis, quocumque privilegio et exemptione reali, personali et mixtâ, antiquâ et immemorabili, pacificâ et continuâ suffultis, quos omnes ad hoc obbligatos, pro unâ intra proximum diem festum sancti Michaëlis archangeli proximi mensis septembris, et pro aliâ intra eumdem festum anni proxime futuri, et pro tertiâ partibus aequalibus intra illum ipsum diem festum consequentis protinus anni, camerae praedictae, et illius depositario generali ad id constituendo, omnino volumus persolvisse.

Depositarii officium.

§ 3. Eiusdem vero depositarii munus erit sedulo curare, ut, quicquid pecuniarum ex decimis colligitur, id diligenter ac fideliter asservetur, de mandato nostro speciali in praedictos usus dumtaxat, nec aliàs, erogandum.

Poenas contra non integre solventes imponit.

§ 4. Quicumque vero decimas huiusmodi nullo modo vel non integre, scienter, aut non secundum verum annum valorem fructuum, redditum, proventuum, iurium, obventionum, distributionum et emolumentorum, vel concordiam cum Sede et camerâ praedictis, ut praefertur, ineundam, sive terminis constituendis non exhibuerint, seu in illorum exhibitione malitiam commiserint vel fraudem, ecclesiarum antistites suspendimus a divinis, capitula vero, conventus, collegia quaecumque ecclesiastico interdicto supponimus, ac singulares personas antistite inferiores excommunicationis sententiâ innodamus. Ceterum ad praedictas decimas consequendas praecipimus etiam omnibus conductoribus, censuariis et locatoribus proprietatum, fructuum, rerum et iurium praedictorum, etiam huiusmodi pensionibus oneratorum, ut utrasque decimas nomine dominorum ac pensionariorum, ad computum suae quisque locationis, omnibus vero possessoribus, usufructuariis et aliis pensiones solvere debentibus, ut ipsi etiam decimas pensionum huiusmodi nomine pensionariorum camerae et depositario persolvant.

Solvere iubet iuxta valorem, vel concordata.

§ 5. Decernentes decimas fructuum, redditum, proventuum, et aliorum iurium praedictorum, secundum verum valorem annuum, vel saltem iuxta taxam, de qua cum dilectis filiis nostris Hippolyto S. Angeli in Foropiscium diacono cardinali, sanctae Romanae Ecclesiae camerario, ac nostro et camerae praedictae thesaurario generali (quibus etiam ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum et aliorum praedictorum fructus hactenus non taxatos taxandi, et taxam in libris camerae apostolicae describendam describi faciendi, necnon taxas antiquas, quas opus fuerit, iuxta verum fructuum valorem augendi, licentiam, facultatem et potestatem et auctoritatem plenarie concedimus et impertimur), ut praefertur, concordaverint, alias vero pensionum decimas ad rationem decem pro centenario praestari debere, et secundum ea praedictos omnes in solidum cogendos esse; ipsarumque decimarum procuratores a quibus libuerit

1 Potius lege *cappellis* vel *cappellaniis* (R. T.).

integre exigendi optionem facultatemque habere; neque ullas immunitates et exemptiones (etiam ex causâ resignationis, cessionis iuris, concordiae, conventionis, aut quacumque aliâ gravi et onerosâ occasione quocumque modo concessas, et interim concedendas) integram solutionem huiusmodi minuere, vel impedire; neque possessores, usufructuarios, aut alios pensiones huiusmodi solvere debentes (etiamsi ipsi iuri et actioni petendae, vel detrahendae, vel retinendae portionis et ratae partis pensionarios contingentis iureiurando renunciaverint, atque ex formâ dictae camerae amplissimâ caverint) modo aliquo obligari, neque ad id pro dicto tempore costringi posse;

Quietantiae fidem faciunt.

§ 6. Omnes vero confessiones et quietantias receptionis decimarum a procuratoribus et ministris camerae praedictae, tam conductoribus, censuariis et locatoribus nomine suorum principalium, quam etiam ipsis, necnon possessoribus, usufructuariis, et aliis pensiones solvere debentibus, nomine pensionariorum faciendas perinde valere, atque in iudicio et extra illud ubique locorum fidem habere, ac si ipsismet[1] principalibus et pensionariis praesentibus et solventibus factae et[2] exhibitae fuissent; conductores autem, qui pretium locationis dominis legitime anticipaverint, locationem suam huiusmodi, quam ad hoc prorogamus, usque ad integram satisfactionem, ut prius, etiam adveniente successore, continuare debere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et nuncios, sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Collectorem facit, et dat ei privilegia.

§ 7. Ut autem omnia praedicta, sicut causa urgens postulat, diligenter et fideliter exequutioni demandentur, praedictum Hyppolitum cardinalem camerarium, cuius integritas atque experientia iam pridem nobis perspecta est, generalem omnium decimarum praedictarum collectorem in universâ Italiâ, cum omnibus et quibuscumque privilegiis, iurisdictionibus, ac iuribus, quae omnes alii antehac huiusmodi collectores habuerunt, auctoritate praedictâ, tenore presentium, constituimus et deputamus, eique plenam: liberam et absolutam potestatem et facultatem et auctoritatem tribuimus omnes ipsas decimas, camerae praedictae nomine, ubique procurandi; praedictos omnes, tam coniunctim quam divisim, ad illarum integram solutionem, ut praedictum est, faciendam, etiam per edictum locis publicis affigendum, monendi et requirendi; non parentes, fraudantes et ceteros contumaces in censuras et poenas incidisse, servatâ formâ Concilii Tridentini, declarandi; proprietates, res, fructus et alia bona ipsorum etiam manu regiâ apprehendendi, et usque ad condignam satisfactionem retinendi;

Contrafacientibus poenas ponit.

§ 8. Contradictores et perturbatores, molestatores et rebelles quoscumque, eisque consilium vel favorem, publice vel occulte, quovis quaesito colore praestantes, cuiuscumque dignitatis, gradus et ordinis fuerint, praedictis et aliis censuris et poenis ecclesiasticis, necnon pecuniariis, ceterisque iuris et facti remediis compellendi; illasque etiam iteratis vicibus aggravandi; dignitatibus, beneficiis et officiis omnibus privandi et amovendi, et ad futura inhabiles faciendi; interdictum ecclesiasticum apponendi, auxiliumque brachii secularis, quandocumque opus fuerit,

1 Male edit. Main. legit *ipsimet* (R. T.).
2 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

invocandi; ad sanitatem vero reversos, qui debite satisfecerint, ab omnibus censuris et poenis supradictis in formâ Ecclesiae consuetâ absolvendi; super irregularitate forsan incursâ dispensandi, et ad pristinum statum omnino restituendi;

Aliae facultates generalis collectoris.

§ 9. Praeterea collectores et subcollectores fide et facultatibus idoneos in omnibus civitatibus, terris et provinciis Italiae praedictae, quotquot viderit expedire, cum simili vel limitatâ (non tamen absolvendi) potestate, constituendi, eumque vel eos arbitrio suo revocandi, negligentes et morosos removendi, ac alium seu alios subrogandi, quotiescumque ei videbitur; in delinquentes et suspectos, per se, vel alium, seu alios, etiam simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figurâ iudicii, inquirendi, et meritis poenis puniendi; modos et formas in praedictis servandos praescribendi; dubia quaecumque in praemissis forte oritura declarandi; ac prorsus omnia quaecumque circa ea necessaria et opportuna faciendi, statuendi et exequendi, etiamsi talia forent, quae mandatum exigerent magis speciale, quam praesentibus est expressum.

Derogatio contrariorum.

§ 10. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dictis, ac aliis apostolicis constitutionibus, necnon ecclesiarum, monasteriorum, ordinum, congregationum, hospitalium, militiarum et locorum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis; quodque praelatis et personis praedictis, eorumque ecclesiis et locis, vel quibusvis aliis communiter aut divisim a praedictâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, necnon personis, earumque nominibus et cognominibus, ecclesiis, monasteriis, ordinibus et locis huiusmodi mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus in genere et in specie quomodocumque concessis, confirmatis et innovatis, etiam solutionem decimarum aliter quam secundum antiquam taxam et nisi in universali decimarum per orbem impositione fieri prohibentibus, necnon promissionibus, denominationibus, obligationibus, iuramentis et renunciationibus, vinculis et cautelis, in assignatione praedictarum pensionum factis, quibus per impositionem decimarum huiusmodi neminem teneri, neque eas, quoad praemissa, contra quemcumque locum habere similiter declaramus; aliisque indultis et litteris apostolicis, generalibus et specialibus, cuiuscumque tenoris existant, per quae praesentibus non expressa aut omnino non inserta effectus earum impediri valeant[1] quomodolibet vel differri, et de quibus, quorumque totis tenoribus, habenda sit in nostris litteris mentio specialis; quae omnia contra praemissa nolumus cuiquam in aliquo[2] suffragari; necnon aliis huiusmodi impositionibus et concessionibus ad tempus nondum elapsum, si quae sint, factis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Res sacras pro solutione accipere prohibet.

§ 11. Ceterum in percipiendis decimis praedictis constitutionem recolendae memoriae Clementis Papae V similiter praedecessoris nostri in concilio Viennensi editam (quod decimae ad monetam currentem communiter levari, nec calices, libri, ceteraque ecclesiarum ornamenta divino cultui dicata ex causâ pignoris capi, percipi, vel distrahi, aut aliâs quomodolibet occupari debeant) ubique volumus observari: quin etiam praecipimus, ne quisquam, etiam plura quanticumque valoris beneficia ecclesiastica, seu plures

1 Potius *valeat*, nempe *effectus* (R. T.).
2 Edit. Main. habet *in alio* (R. T.).

pensiones, aut fructus, seu talia mixtim obtinens, pro litterâ et sigillo quietantiae universalis, si illam habere voluerit, ultra unum carolenum, conficientem quatrenos trigintaseptem monetae romanae, solvere teneatur, nec ad aliud onus etiam praetextu cambii uspiam compellatur.

Exemplis stare iubet.

§ 12. Quia vero difficile nimis esset praesentes litteras quocumque illis opus erit perferre, volumus quoque ut illarum exemplis etiam impressis et notarii publici manu, ac Hyppoliti cardinalis et camerarii praedicti, aut alterius collectoris, seu praelati ecclesiastici, eiusve curiae, sigillo obsignatis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum adhibeatur, quae illis ipsis adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Poenae lacerantium.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam indictionum, impositionum, suspensionis, suppositionis, innodationis, decreti, concessionis, impartitionis, prorogationis, constitutionis, deputationis, tributionis, declarationis, praecepti et voluntatum nostrorum infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXXI, XIV kalendas februarii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 19 ianuarii 1631, pontif. anno VIII.

Papae subscriptio.

✠ EGO URBANUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

Cardinalium subscriptiones.

† Ego Dominicus, episcopus Ostiensis et Vellitrensis, cardinalis Gymnasius.

† Ego C., episcopus Portuensis, cardinalis Pius.

† Ego Scipio, episcopus Sabinensis, cardinalis Burghesius, maior poenitentiarius.

† Ego M., episcopus Tusculanus, cardinalis Lantes.

† Ego P. Paulus, episcopus Praenestinus, cardinalis Crescentius.

† Ego G., episcopus Albanensis, cardinalis Borgia.

†
†
†
†
†
†
†

† Ego R. tituli sanctae Praxedis presbyter cardinalis Ubaldinus.

†
†

† Ego B. tituli S. Crucis in Hierusalem presbyter cardinalis Sandoval.

†
†

† Ego Guido tituli S. Mariae de Populo cardinalis Bentivolus.

†
†

† Ego Fr. Desiderius tituli S. Caroli presbyter cardinalis de Cremona.

† Ego Augustinus tituli S. Bartholomaei in Insula presbyter cardinalis Spinula.

†
†
†
†
†

† Ego Fr. Antonius tituli S. Honuphrii presbyter cardinalis S. Honuphrii.

†

† Ego Aloysius tituli S. Pudentianae, presbyter cardinalis Caietanus.

† Ego Bernardinus tituli S. Stephani in Monte Pincio presbyter cardinalis Spada.

† Ego Laudivius tituli S. Petri in Vincula presbyter cardinalis S. Sixti nuncupatus.

† Ego Berlingerius tituli S. Augustini presbyter cardinalis Gypsius.
†
†
† Ego Iulius tituli S. Susannae presbyter cardinalis Sacchettus.
† Ego Ioannes Baptista tituli S. Eusebii presbyter cardinalis Pamphilius.
† Ego Ioannes Fr. tituli S. Alexii presbyter cardinalis a Balneo.
† Ego F. tituli S. Laurentii in Pane et Perna presbyter cardinalis Verospius.
† Ego Ægidius tituli S. Mariae in Via presbyter cardinalis Albornotius.
†
†
†
†
†
†
†
†
†
† Ego Gregorius tituli Ss. Quiricii et Iulittae presbyter cardinalis Narus.
†
† Ego Lucas Antonius tituli S. Salvatoris in Lauro presbyter cardinalis Virilis.
†
†
†
†
†
†
†
†
† Ego Hippolytus S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Aldobrandinus, S. R. E. camerarius.
† Ego Franciscus S. Agathae diaconus cardinalis Barberinus.
† Ego P. Maria Burghesius diaconus cardinalis S. Georgii.
†
† Ego Hieronymus Ss. Quatuor Coronatorum diaconus cardinalis Vidonus.
† Ego L. Ss. Viti et Modesti diaconus cardinalis Biscia.
† Ego Martius S. Mariae Novae diaconus cardinalis Ginettus, sanctissimi domini nostri Papae vicarius.
† Ego Alexander S. Mariae in Domnica diaconus cardinalis Caesarinus.
† Ego cardinalis Antonius Barberinus, signaturae iustitiae praefectus.
† Ego Hieronymus S. Agnetis in Agone diaconus cardinalis Columna.

CCCLXXXVI.

Ecclesiasticis Sardiniae permittitur nonnihil regi persolvere in futuro parlamento[1].

Dilectis filiis universo clero insulae Sardiniae,
Urbanus Papa VIII.
Dilecti filii nostri[2],
salutem et apostolicam benedictionem.

Episcopi regni Sardiniae permitti sibi petunt, nonnihil de more regi solvere in futuro parlamento.

§ 1. Cum, sicut nobis nuper exponi fecistis, parlamentum generale, cuius celebrationi nonnulli nomine status ecclesiastici istius insulae intervenire solent, in eâdem insulâ de mandato charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici propediem conveniendum sit, et in eodem parlamento necessariae quaedam expensae sustineri et subsidia ordinaria eidem regi praestari consueverint, in quibus supportandis ecclesiasticae quoque personae ab immemorabili tempore citra de huius Sanctae Sedis licentiâ contribuere solitae fuerint[3], et in parlamento convocando huiusmodi similiter in expensis et oneribus sustinendis et supportandis praedictis contribuere posse desideretis, si nostra et eiusdem Sanctae

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.
2 Edit. Main. legit *Dilecte fili noster* (R. T.).
3 Potius legerem *fuerunt* (R. T.).

Sedis licentia vobis suffragetur et facultas: nobis propterea dictus Philippus rex humiliter supplicari fecit, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Permittit Urbanus.

§ 2. Nos igitur, tam eiusdem Philippi regis quam vestrarum conscientiarum securitati, quantum cum Domino possumus, consulere, dictumque Philippum regem et vos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tam Philippo regi praedicto, ut ratam contributionis subsidiorum ordinariorum praedictorum in parlamento convocando huiusmodi praestandorum vos tangentem a vobis exigere seu exigi facere, quam vobis, ut eamdem ratam iuxta solitum et consuetum solvere libere et licite valeatis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, pro eodem parlamento convocando dumtaxat, concedimus et indulgemus.

Derogat obstantibus.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX ianuarii MDCXXXI, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 29 ianuarii 1631, pontif. anno VIII.

CCCLXXXVII.

Decretum, ut quotannis solvantur fabricae basilicae Principis apostolorum de Urbe decem mille ducati de camerâ ex cruciatâ Portugalliae[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Portugalliae et Algarbiorum regi catholico, Urbanus Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Refert prorogata a se imper cruciatae privilegia pro regnis Portugalliae et Algarbiorum.

§ 1. Hodie[1], per alias nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras, indulgentias et gratias illas spirituales et temporales, ad certum tempus pubblicandas et duraturas, clarae memoriae Philippo II et Philippo III Portugalliae et Algarbiorum regibus catholicis, avo et genitori tuis respective, ac omnibus et singulis christifidelibus in Portugalliae et Algarbiorum regnis ac eorumdem regnorum insulis in Indiis orientalibus et ultramarinis conquestis[2] terris et locis, eiusdem Portugalliae et Algarbiorum regis[3] dominio temporali subiectis, commorantibus et ad illa declinantibus, necnon regnorum praedictorum subditis in alieno dominio in dictis Indiis mercimonii causâ, non tamen animo in alieno dominio huiusmodi permanendi, degentibus, qui certa munera adimplevissent, a felicis recordationis Gregorio XIV, die VI aprilis, pontificatus sui anno primo, et deinde a Clemente VIII, die IX februarii MDXCII et XIX ianuarii MDXCVIII, et die XXX octobris MDCIII, necnon die XXIII aprilis MDCIV[4], et postea a Paulo V die XXII iunii MDCV ad triennium, et die XVI decembris MDCIX ad sexennium, et die XXIII decembris MDCXV ad aliud sexennium, et postmodum a Gregorio XV, Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, die XVI septembris MDCXXI[5], et novissime a nobis die X iunii MDCXXV[6] seu aliis ve-

1 Quamsimilimas litteras vide in tom. XI, pagina 557 et 640, et tom. XII, pag. 587 (R. T.).

2 In tom. XI, pag. 557 *b* est *conquisitis* (R.T.).

3 Male edit. Main. legit *regnis* (R. T.).

4 Omnes hucusque citatae litterae desunt (R.T).

5 Praedictae Pauli V et Greg. XV litterae partim innuuntur etiam, sed non referuntur, in tom. XI, pag. 557 et 610; et in tom. XII, pag. 587 (R.T.).

6 Histae desunt omnino (R. T.).

rioribus temporibus, per suas et nostras respective in eâdem formâ Brevis expeditas litteras, similiter ad sexennium a dictâ die x iunii MDCXXV inchoandum, respective[1] concessas, et seu, ut praefertur, extensas et prorogatas, quarum omnium tenores praesentibus pro expressis haberi voluimus, iustis et gravibus causis adducti ad aliud sexennium, a datâ primodictarum nostrarum litterarum inchoandum[2], extendimus et prorogavimus, necnon eidem maiestati tuae ac omnibus christifidelibus praedictis indulgentias et gratias spirituales et temporales praedictas, cum omnibus et quibuscumque indultis, facultatibus, concessionibus, declarationibus, extensionibus, conditionibus, clausulis et decretis, in Gregorii XIV ac Clementis et Pauli necnon Gregorii XV praedecessorum praedictorum (quae ultimodictis Pauli praedecessoris praedicti litteris non adversantur) et iisdem ultimodictis Pauli praedecessoris praedicti ac nostris litteris contentis, ad sexennium similiter concessimus et indulsimus, prout in primodictis nostris litteris huiusmodi plenius continetur.

Decem mille ducatos fabricae S. Petri persolvi iubet.

§ 2. Ut autem fabrica basilicae Principis apostolorum de Urbe, quae in eiusdem apostolorum Principis honorem iam multis annis ingentibus sumptibus extruitur, parte aliâ[3] eorumdem fidelium eleemosynarum adiuvetur, volumus, et dictâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus, ut ex eleemosynis, quae causâ et occasione dictarum indulgentiarum et gratiarum erogabuntur, decem mille[4] ducati auri de camerâ quotannis, a datâ praesentium incipiendo, eidem fabricae impartiri, ac pro eâ venerabili fratri Laurentio episcopo Hieracensi, spoliorum et iurium camerae apostolicae in dictis regnis moderno et pro tempore existenti collectori, solvi omnino debeant.

Mandatum hac de re collectori spoliorum.

§ 3. Mandantes propterea dilecto filio Antonio Mascarenhas, praedictarum gratiarum exequutori et commissario a nobis deputato, et pro tempore exequutori et commissario deputando, omnibusque, ad quos spectat et spectabit, ut praedictam pecuniarum summam collectori praedicto integre solvi faciant.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI februarii MDCXXXI, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 11 februarii 1631, pontif. anno VIII.

CCCLXXXVIII.

Deputatio praesulis Lugdunensis in exequutorem bullae supra relatae pag. 95 de erectione unius Congregationis fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum in regno Franciae.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Aliàs a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: etc.[1].

Deputatio de qua in rubricâ.

§ 1. Cum autem, sicut pro parte dictorum fratrum nobis denuo expositum fuit, praeinsertae litterae huiusmodi multis ac diversis in locis a se invicem distantibus exequutioni demandandae sint, praedictus vero noster et Apostolicae Sedis nuntius, ob continuas quibus detinetur occupationes, ad loca huiusmodi se transferre nequeat, exindeque fiat, ut earumdem litterarum exequutio non solum retardetur, verum etiam omnino impediatur: nobis propterea iidem fratres humiliter supplicari fecerunt, ut sibi desuper op-

1 Verba *similiter publicandas et duraturas* heic importune intrusa delemus (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *inchoandam* (R. T.).

3 Forsan legendum *aliquâ* (R. T.).

4 Ed. Main. legit *decem millia ducata* (R. T.).

1 Has litteras dedimus supra p. 95 h. t. (R. T.).

portune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, litteras praedictas debitae exequutioni, ut par est, demandari cupientes, ac fratres praedictos amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, attentis narratis, exequutionem praeinsertarum litterarum nostrarum, nuncio praedicto, ut praefertur, demandatam, dilecto filio nostro Ludovico Alphonso sanctae Romanae ecclesiae presbytero cardinali Lugdunensi nuncupato, ecclesiae Lugdunensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesuli, eiusque in archiepiscopatu praedicto pro tempore successoribus, cum facultatibus et auctoritatibus, ac aliàs modo et formâ in eisdem praeinsertis litteris contentis et expressis, dictâ auctoritate, tenore praesentium, committimus et demandamus. Non obstantibus praemissis, ac omnibus illis quae in eisdem litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII februarii MDCXXXI, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 28 februarii 1631, pontif. anno VIII.

CCCLXXXIX.

Commissio nuncio apostolico in Germaniâ nonnullos redditus ecclesiasticos Palatinatus foederi catholico assignandi[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecto filio nostro, et Apostolicae Sedis apud charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Romanorum regem in imperatorem electum nuncio,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Refert litteras aliàs emanatas, quibus dimidiam utriusque Palatinatus bonorum partem Ferdinando concesserat.

§ I. Aliàs a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

A tergo. Venerabili fratri Carolo episcopo Aversano moderno et pro tempore existenti apud charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Romanorum regem in imperatorem electum nostro et Sedis apostolicae nuncio: *intus vero*[1]: Urbanus Papa VIII. Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Apostolatus officium nobis meritis licet imparibus ex alto commissum postulat, ut, peculiarem omnium ecclesiarum et monasteriorum et locorum piorum curam gerentes, illorum restaurationi et manutentioni et felici eorumdem fructuum administrationi, quantum cum Domino possumus, opportune provideamus. Itaque, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis Palatinatus praepositorum consilio, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut, ad decennium proximum dumtaxat, per te ipsum, vel alias personas ecclesiasticas sive seculares sive regulares tibi benevisas, fructus ac redditus universos bonorum ecclesiasticorum antea[2] occupatorum in Palatinatu superiori et inferiori (sine tamen praeiudicio aliarum concessionum ab hac sanctâ Sede factarum, quamdiu duraverint) auctoritate nostrâ exigas, et dimidiam illorum partem eidem Ferdinando regi in imperatorem electo, vel alteri personae ab ipso nominandae, eâdem auctoritate assignes; aliam vero partem in ecclesiarum restauratio-

1 Hac verba *intus vero* nos addimus (R. T.).
2 Forsan supplendum *ab haereticis* (R. T.).

nem, divinique cultus augmentum, animarum curam, religionis catholicae conservationem ac propagationem, et aliàs, in illis partibus distribuendam, prout nos, personarum, rerum ac temporum qualitate pensatâ, salubriter in Domino expedire arbitrabimur, serves. Ceterum bona a locorum Ordinariis, aliisque ecclesiis et personis ecclesiasticis recuperata, atque ad praesens eorum mensis incorporata, sub praesenti commissione et mandato minime intelligantur comprehensa, sed eisdem Ordinariis, ecclesiis seu beneficiis salva et illibata permaneant. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quorumcumque ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum et locorum piorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et constitutionibus[1], privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII aprilis MDCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Deinde nuncio apostolico commissum fuit, ut duae tertiae partes ex fructibus monasteriorum Palatinatus superioris Ferdinando regi solverentur.

§ 2. Subinde vero per alias in eâdem formâ Brevis expeditas litteras sub datum die XXIV iulii MDCXXVIII eidem Carolo episcopo nuncio, de eorumdem cardinalium consilio, commisimus et mandavimus, ut, praedictis decem necnon duobus aliis immediate sequentibus annis durantibus, ex fructibus universis monasteriorum Palatinatus superioris dumtaxat, duas tertias partes eidem Ferdinando regi in imperatorem electo, eâdem auctoritate nostrâ, assignaret, reliquam vero tertiam partem in ecclesiarum restaurationem, divinique cultus augmentum, animarum curam, religionis catholicae conservationem et propagationem, ac aliàs, in dictis partibus distribuendam, prout nos, personarum, rerum et temporum qualitate pensatâ, salubriter in Domino expedire arbitrati fuissemus, servaret. Bona autem per locorum Ordinarios, aliasque ecclesias et personas ecclesiasticas recuperata, et tunc eorum mensis seu ecclesiis ac beneficiis incorporata, sub praesenti commissione et mandato nostro minime intelligerentur comprehensa, sed eisdem Ordinariis, ecclesiis et beneficiis salva et illibata necnon eaedem praeinsertae litterae in omnibus et per omnia firmae[1] et in suo robore respective permanerent, ita ut, praedictis duodecim annis (prioribus decem in eis tamen computatis) elapsis, omnes fructus liberi omnino remanerent, prout in posterioribus litteris huiusmodi, quarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habemus, plenius continetur.

Subeuntibus vero gravibus expensis Germaniae ordinibus,

§ 3. Cum autem, sicut accepimus, venerabiles fratres archiepiscopi et episcopi ac dilecti filii nobiles viri principes atque ordines Germaniae catholici confoederati pro militaribus provisionibus faciendis gravia expensarum onera, ad fidei orthodoxae contra illius hostes defensionem et propagationem, subierint:

Reliquas dictorum fructuum partes sibi prius reservatas subministrari iubet foederi catholico.

§ 4. Nos, exercitus foederis catholici huiusmodi, quia tam causa religionis et publica quam necessaria concurrit, manutentioni, mediante reddituum ex bonis ecclesiasticis ab haereticorum manibus ereptis assignatione, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut ex fructibus

1 Forsan legendum *consuetudinibus* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *firma* (R. T.).

universis bonorum ecclesiasticorum antea in Palatinatu superiori et inferiori occupatorum, aliam dimidiam illorum partem, necnon ex fructibus universis monasteriorum Palatinatus superioris dumtaxat reliquam tertiam partem, quas respective, modo et formâ praemissis, arbitrio nostro distribuendas servari mandavimus, ut praefertur, eidem foederi catholico pro manutentione exercitus ad triennium proximum, si tamdiu foedus duraverit et exercitus huiusmodi manutenebitur, et cum hoc, ut, ex ipsâ dimidiâ fructuum universorum bonorum ecclesiasticorum utriusque Palatinatus et[1] dictâ tertiâ parte fructuum monasteriorum Palatinatus superioris tantum, impensae pro oneribus ecclesiarum in utroque Palatinatu existentium et administratione curae animarum et sacramentorum sufficientes subministrentur, apostolicâ auctoritate praedictâ assignes.

A praedictâ solutione eximuntur bona a locorum Ordinariis recuperata.

§ 5. Ceterum bona a locorum Ordinariis, aliisque ecclesiis et personis ecclesiasticis recuperata, et eorum mensis seu ecclesiis et beneficiis incorporata, sub praesenti commissione minime intelligantur comprehensa, sed eisdem Ordinariis, ecclesiis et beneficiis salva et illibata, ac singulae litterae nostrae praedictae, in reliquis, in omnibus et per omnia firmae et in suo robore respective permaneant, ita tamen, ut, dicto triennio elapso, et interim si foedus praedictum non duraverit et praedictus exercitus non manutenebitur, dimidia et reliqua tertia partes respective fructuum huiusmodi omnino liberae remaneant.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I martii MDCXXXI, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 1 martii 1631, pontif. anno VIII.

1 Male edit. Main. legit *ex* (R. T.).

CCCXC.

Confirmatio nonnullorum statutorum congregationum Lombardiae et Tusciae monachorum Ordinis Cisterciensis, pro reformatione in eis statuendâ[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

In Sede Principis apostolorum, nullis licet nostris suffragantibus meritis, divinâ providentiâ constituti, inter multiplices pastoralis officii curas, ad ea, per quae regularis disciplinae observantia in quibuslibet Ordinibus et congregationibus conservetur, maioraque in dies suscipiat incrementa, sollicitudinis nostrae partes sedulo intendimus, et iis, quae propterea pie et provide statuta sunt, apostolicae confirmationis robur libenter adiicimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causae istius Constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, pro felici prosperoque dilectorum filiorum monachorum Cisterciensis Ordinis congregationum Lombardiae et Tusciae, insimul unitarum, statu, et reformatione in eis introducendâ, nonnullae constitutiones et statuta edita, et a dilecto filio nostro Roberto tituli S. Alexii presbytero cardinali Ubaldino nuncupato, eiusdem Ordinis apud nos et Apostolicam Sedem protectore, ac duobus aliis Romanae curiae praelatis pietate, doctrinâ et religionis zelo praestantibus, auditis etiam et consultis dilectis filiis praeside, procuratoribus et duobus ex antiquioribus abbatibus dictarum congregationum, de mandato nostro visa et examinata fuerint, tenoris subsequentis, videlicet:

Statuta recensentur.

Praelati omnes quorumcumque mona-

1 Cistercienses provinciae Tusciae et Lombardiae univit in unam Congregationem sancti Bernardi in Italia nuncupandam Alexander VI in Const. X, *Plantatus*, tom. V, pag. 372; Iulius II Const. XXXII, *Ex paternae*, ibid. pag. 196.

steriorum residentiam requirentium debeant omnino in eis personaliter residere, nec ullo praetextu possint ab eis abesse ultra tempus praescriptum a constitutione editâ a capitulo anni MDCXVI, videlicet ultra viginti dies continuos. Praelatus, qui ultra praedictum tempus, vel in totius anni cursu ultra quadraginta dies, continuis et discontinuis computatis, sine licentiâ regiminis ex legitimâ causâ in licentiâ exprimendâ et in actis redigendâ abfuerit a suo monasterio, graviter puniatur, etiam privatione vocis activae et passivae: quin etiam ipsi patres regiminis, si absque legitimâ causâ huiusmodi licentiam concesserint, gravi poenâ pro arbitrio definitorii afficiantur.

Universae pecuniae communes ad singulas provincias pertinentes habeantur repositae et custoditae in capsâ triclavi, quae retineatur clausa tribus clavibus, quarum una remanere debeat penes caput regiminis, altera penes visitatorem maiorem, tertia penes capserium, quo munere fungi debeat unus ex abbatibus titularibus, qui pro provinciâ Lombardiae teneatur residere in monasterio S. Ambrosii, isque eligi debeat per capitulum, et interim usque ad eius celebrationem providebit illustrissimus protector, dictusque capsarius retineat libros introitus et exitus, in quibus omnia distincte et ordinate adnotata appareant, nec aliquid omnino erogare aut solvere possit alicui personae absque mandato regiminis in scriptis, et, si sine praedicto mandato quidquam erogaverit aut solverit, privationem praelaturae incurrat. Supradicta autem computa et mandata omnia singulis trienniis, ante capitulum, diligenter revideri debeant, pro provinciâ Lombardiae per abbates S. Stephani de Cornu et Aquaefrigidae, et pro provinciâ Tusciae a duobus praelatis, qui non sint de regimine, deputandis per capitulum, qui accuratam et plenam relationem praedictorum omnium teneantur facere in capitulo.

Tempore per constitutiones ad eligendos discretos deputato, nullus abbatum accedat ad aliena monasteria, sed unusquisque in suo se monasterio contineat; qui secus fecerit, voce activâ in capitulo careat. Electi in discretos ad alia monasteria se minime transferant, sed in monasterio, in quo degunt, expectent discessum sui abbatis, cum quo rectâ accedant ad capitulum; si secus fecerint, voce in capitulo careant; interim vero se informent de statu monasterii, de quo interrogentur diligenter in capitulo: et casu quo non reperiantur diligenter informati, sint inhabiles in futurum ad hoc ut possint eligi in discretos.

In virtute sanctae obedientiae praecipimus, tam discretis, ne quid omnino ab aliquo accipiant, etiam sponte dari volente, quam omnibus et singulis religiosis, ne quid eis dare audeant: quod si delictum huiusmodi quis commiserit et fuerit sufficienter probatum, tunc, tam dans quam accipiens, privationem omnium dignitatum et officiorum incurrant, necnon inhabilitatem ad eadem vel alia in perpetuum.

Sicut ex praescripto constitutionum tenentur subditi singulis annis tradere praelatis inventaria rerum omnium quas habent penes se, et contrafacientes inter proprietarios censentur et poenis proprietariorum in utroque foro subiacent, ita imposterum abbates et praelati omnes tempore visitationis, ipse autem praeses et visitatores tempore capituli, sub iisdem poenis ipso facto incurrendis, teneantur conficere inventaria, in quibus cuiuscumque generis res omnino, pecuniae et bona, quae habent, quam diligentissime praescripta sint, eaque abbates et praelati supradicti praesidi et visitatoribus, praeses autem et visitatores definitoribus tradere

teneantur, reponenda et conservanda in capsâ triclavi supradictâ: visitatores autem et definitores in hac re, iuxta praescriptum sacri Concilii Tridentini, curare debebunt, ut uniuscuiusque religiosi suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in eâ sit, nihil etiam quod necessarium sit eis denegetur.

Visitatio provinciarum ut serio et diligenter habeatur, debeant omnino praeses et visitatores omnia et singula monasteria personaliter per seipsos visitare, et in unoquoque per tantum tempus permanere quantum necessarium erit ad visitationem plene et accurate perficiendam, ideoque visitationibus peragendis deputentur menses aprilis, maii et iunii, non obstante dispositione constitutionum in hac parte: visitatores autem utantur communi mensâ, et frugali victu sint contenti, idemque servetur in comitiis. Praecipitur vero in virtute sanctae obedientiae, ut, tam ipse praeses et visitatores, quam eorum conversi et famuli, nihil omnino percipiant a visitatis, etiam sponte dare volentibus: quod si praesidem[1], seu visitatores quicquam accepisse, aut a conversis et famulis, ipsis scientibus, acceptum fuisse probatum fuerit, inhabiles sint in perpetuum ad praesidentatus et visitatoriatus officia; et nihilominus conversi, qui acceperint, graviter puniantur, et famuli, absque spe reditus, a servitio statim eiiciantur.

Abbas, prior et revisores computorum teneantur singulis mensibus revidere computa tam cellerarii quam aliorum omnium ministrorum qui substantiam monasterii administrant; singuli autem eorum adnotent in particulari schedulâ omnia supradicta computa, dictamque schedulam penes se custodiant, et tempore capituli consignent discreto, ut deferat ad capitulum: quod si abbas facere neglexerit, de malâ administratione suspectus censeatur, ita ut adversus eum procedi possit.

Conversi deputari non possint ad administrationes extra monasteria, ad officium subcellerariatus, aut ad servitia particularia abbatum, nisi post quintum professionis annum completum: qui secus aliquem deputaverit, voce activâ in proximo capitulo careat.

Nemini monachorum, sed praesertim iuvenibus non sacerdotibus, ullo modo detur licentia permanendi, recreationis gratiâ, in loco in quo sit eis pernoctandum extra monasteria vel loca monasteriorum; praelatus, qui adversus hoc licentiam concesserit, ab officio per sex menses suspendatur.

Abbatibus emeritis, qui ex legitimâ causâ renunciaverint dignitati, liceat honoris gratiâ abbatis nomine vocari, quod maluerint monasterium pro habitatione tempore renunciationis et celebrationis capituli sibi, eligere, habere conversum ad servitia sibi deputatum, et quoad victum et vestitum censeri iure abbatum.

Nemini praelatorum liceat pecunias monasteriorum exigere, aut erogare, aut eas quovis modo contrectare, neque item in rebus monasteriorum dividendis aut necessariis comparandis per seipsos se immiscere, sed ea omnia per cellerarios, aut alios ministros, ad quos ex constitutionum praescripto attinet, fiant: qui tamen cellerarii et ministri teneantur in huiusmodi rebus peragendis suorum praelatorum praeceptis obedire, nec quicquam, nisi eodem praelato iubente et mandante, exequi possint; pecuniae autem a capserio ad id munus specialiter deputato custodiantur in capsâ triclavi, quae in singulis monasteriis habeatur in cubiculo praelati, earumque clavium unam retineat praelatus monasterii, aliam capserius, tertiam cellerarius; per quem cellerarium, seu alios ministros ad quos spectaret, ut supra, tam eleemosynae, quam munuscula, si

1 Male edit. Main. legit *praeses* (R. T.).

qua[1] dari licuerit, dentur, de praelatorum tamen mandato, aut licentiâ, ac servatâ formâ constitutionis Clementis VIII de largitione, munerum, semperque rei, quae datur, qualitas, quantitas, et, si fieri possit, etiam nomina eorum, quibus dantur, aut per quos transmittuntur, in libro dati et accepti fideliter scribantur: quod si praelati praedicta aut aliqua eorum per se ipsos, et non adhibitis ministris, facere ausi fuerint, tunc in eos, tamquam fraudis et parum sincerae administrationis suspectos, tam capitulum quam visitatores et regimen procedant.

Si quis praelatus aut religiosus privato nomine equos et iumenta, pecudes, frumenta, blada, legumina, aut alios quoscumque fructus ex terrâ provenientes, tenere, possidere, aut a monasteriis emere, vel in solutionem accipere ausus fuerit, is, praeter amissionem usus earum rerum omnium et singularum, si praelatus sit, poenam contra exercentes mercaturam cap. XXIII constitutionum taxatam incurrat; monachi, qui transgressores reperti fuerint, poenae inhabilitatis ad officia omnia et dignitates subiaceant; conversi denique per annum carceri emancipentur, et deinceps ab omni temporali administratione arceantur. Ad effectum vero probandi quempiam privato nomine aliqua praedictorum tenuisse aut possedisse, sufficiat probare, quod a die emptionis, adeptionis, aut captae possessionis, seu tentionis, in libris publicis monasterii scripta non fuerint.

In visitatorem minorem assumi non possit, qui trigesimum aetatis annum non expleverit, aliàs electio nulla sit ipso iure.

Ex patribus qui immediate in regimine resederunt non possint tempore capituli assumi in definitores nisi ad summum duo tantum pro singulis provinciis; quod si agatur directe vel indirecte de negotiis ad personam, vel regimen, seu administrationem alicuius ex definitoribus pertinentibus, tunc ipse, de cuius negotiis, ut supra, agitur, debeat omnino exire a definitorio.

In definitorio habeat omnino locum unus saltem ex discretis pro singulis provinciis. Patres regiminis eamdem habeant in regimine durationem et vacationem, quam habent praelati in gubernio monasteriorum, nisi forte assumendus sit aliquis ex dictis patribus in praesidem.

Liceat praesidi, post finitum officium, eligere sibi quod maluerit ex monasteriis suae provinciae gubernandum, exceptis, pro provinciâ Lombardiae, monasteriis Claraevallis Mediolani, S. Ambrosii maioris Mediolani, S. Martini Parmensis et sanctae Crucis in Hierusalem de Urbe, et, pro provinciâ Tusciae, monasteriis Septimi, Cistelli, Florentino et Trium Fontium de Urbe, ad quorum monasteriorum gubernationem, sicut et in procuratorem provinciae in Curiâ Romanâ, is, qui praesidentatus munere proxime defunctus est, nullo pacto eligi valeat. Nullus abbatum eligi possit ad loca regiminis, nisi saltem per triennium fuerit abbas.

Superiores omnes, praesertim monasteriorum, in quibus viget regularis observantia, enixe hortamur in Domino, ac etiam eis praecipimus et mandamus, ut in frequentando noctu diuque chorum, vitâ communi in refectorio agendâ, ceterisque observantiis omnibus, quae per regulam et constitutiones praescribuntur, exacte obeundis, subditis exemplo sint. Nullus possit eligi ad exercenda officia, qui, praeter alias conditiones et requisita, non habuerit decem annos completos professionis, aliàs electio sit nulla, et electores facultate eligendi deinceps careant. Officia prioratus, cellerariatus et magistri novitiorum non vacent singulis annis, sed sint triennalia, ut olim observabatur.

1 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

In abbatem deinceps nullus assumatur, qui non habeat sufficientem scientiam ad exercendam curam animarum, aliàs electio sit ipso facto nulla: supradictam autem scientiam ad hunc effectum eos tantum habere intelligi volumus, qui pro provinciâ Lombardiae ad exercendam curam animarum approbati fuerint ab Ordinario Mediolanensi; a Florentino vero pro provinciâ Tusciae, vel pro utrâque provinciâ ab Urbis vicario, sive ab alio Ordinario per eminentissimum cardinalem protectorem, pro tempore existentem, deputando.

Capitulum duret saltem per octo dies, et singulis diebus bis congregetur definitorium duraturum singulis vicibus saltem per tres horas. Constitutio, qua disponitur, ut praeses resideat in partibus Mediolani, intelligatur de monasteriis non distantibus ab urbe Mediolani ultra dietam, in quibus aliàs non sit prohibitum residere patribus regiminis. In proxime futuro capitulo, ad praescriptum decreti de celebratione missarum, taxetur numerus religiosorum in unoquoque monasterio retinendorum iuxta eiusdem monasterii redditus; et idem fiat de famulis et equis; quo taxato, non licebit abbatibus numerum etiam famulorum et equorum augere, sub poenis expressis in supradictis decretis.

Erigatur in monasterio deputando in proximo capitulo aliud collegium in provinciâ Lombardiae, in quo habeantur saltem decem collegiales et decem alii collegiales retineantur pro provinciâ Tusciae in uno vel pluribus collegiis: ad quem effectum debeat in futuro capitulo unum vel alterum monasterium deputari. Novitii non recipiantur imposterum nisi tempore celebrationis capituli in ipso capitulo, et, priusquam admittantur ad habitum, debeant omnino degere in habitu seculari per duos menses in monasterio sub regulari observantiâ. Circa receptionem vero et qualitates eorumdem serventur decreta Clementis VIII, et constituatur omnino professorium, in quo pariter serventur decreta eiusdem Clementis.

Pro sustentatione monachorum monasterii et collegii S. Crucis in Hierusalem de Urbe, et aliis nonnullis oneribus et expensis quae in Urbe consueverunt fieri pro provinciâ Lombardiae de quibus in schedulâ per praesidem et abbatem sanctae Crucis subscriptâ, assignentur redditus bonorum de Viono, quorum administratio ad abbatem pro tempore S. Crucis, vel ad eos qui eidem abbati benevisi fuerint, spectabit, quamdiu collegium in praedicto monasterio S. Crucis perseverabit: quod si collegium alio transferri, aut quovis modo in dicto monasterio cessare contigerit, tunc et eo casu redditus et administratio bonorum de Viono ad capsam, quam vocant triclavem, pertineant, prout hactenus pertinuerunt; contributiones autem, pro collegii sustentatione monasteriis in proximo praeterito capitulo impositae, ipsae capsae congregationis persolvantur, quamdiu redditus praedictorum bonorum de Viono collegii sustentationi deputari manserint. Per supradictos autem articulos, pro reformatione dictae congregationis formatos, non intelligitur derogatum in aliquo decretis S. Concilii Tridentini, ac felicis recordationis Clementis VIII, et SS. D. N. quoad regulares editis:

Confirmatio et approbatio statutorum.

§ 2. Nos, inviolabili constitutionum ac statutorum huiusmodi observationi, felicique earumdem congregationum directioni, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere, ac praesidem et monachos praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel

causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, et ex certâ scientia ac maturâ deliberatione nostris, constitutiones et statuta praeinserta huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus, confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti, ac solemnitatum omissarum, et quosvis alios, etiam quantumvis substantiales, defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici possent, supplemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes illa in praedictis congregationibus ab omnibus et singulis, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari et adimpleri omnino debere, irritumque nihilominus et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis et Congregationum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus, pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI martii MDCXXXI, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 21 martii 1631, pontif. anno VIII.

CCCXCI.

Prorogatio indulgentiae plenariae in formâ iubilaei, de qua supra Constitione CCCLXVI, *ad alios duos menses, scilicet aprilis et maii* MDCXXXI, *cum indulto, ut, qui dictam indulgentiam consequuti iam sunt, illam denuo consequi valeant, et decreto, ut, dictis duobus mensibus elapsis, indulgentiae huiusmodi per SS. D. N. concessae ad certum tempus eo ipso expirent.*

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Recenset extensiones aliàs factas.

Aliàs a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet; dilectis filiis clero et populo Romano (*Omittitur residuum huius Constitutionis, quia habes supra pag.* 148).

§ 1. Et subinde, multorum venerabilium fratrum archiepiscoporum et episcoporum, necnon dilectorum filiorum nobilium virorum, ducum, principum et aliorum magnatum in Italia et insulis illi adiacentibus existentium[1] supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas litteras nostras concessionis indulgentiarum, ac facultatis eligendi confessarium, cum omnibus et singulis in eis contentis indultis, clausulis et decretis, ad universos utriusque sexus christifideles, seculares et regulares, tunc temporis in Italiâ et insulis praedictis existentes, necnon ecclesias per Ordinarios locorum seu per alios de eorum mandato designandas, et confessarios ab iisdem Ordinarii approbatos, seu approbandos, spatio trium similiter mensium a die pubblicationis litterarum desuper expeditarum inchoandorum durante, apostolicâ auctoritate extendimus, praedictisque christifidelibus, necnon ecclesiis et confessariis, concessiones, facultates et indulta praedicta cum clausulis et decretis huius-

1 Male edit. Main. legit *existentibus* (R. T.).

modi communicavimus. Et postmodum tam praeinsertas quam alias subinde expeditas litteras praedictas, cum omnibus et singulis in eis contentis concessionibus, facultatibus, indultis, indulgentiis, clausulis et decretis, ad octobris, novembris et decembris, ac demum ianuarii et februarii proxime praeteritos ac praesentem martii menses extendimus pariter et prorogavimus, prout in aliis nostris, sub die XVII iulii, necnon sub die XXV septembris, ac sub die XXVI[1] decembris proxime praeteritorum, desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum omnium tenores etiam praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[2].

Nova extensio, de qua in rubrica.

§ 2. Cum autem per abundantiam divinae misericordiae alma Urbs nostra, ac multae aliae civitates et provinciae, non solum sanctae Romanae Ecclesiae, verum etiam aliarum ditionum et dominiorum temporalium in Italiâ et insulis praedictis existentium, a periculis et calamitatibus huiusmodi immunes hactenus conservatae, et aliae etiam liberatae fuerint: nos, ut christifideles praedicti caelestium miserationum fructus uberius consequi mereantur, peramplius providere volentes, tam praeinsertas quam alias subinde expeditas litteras praedictas, cum omnibus et singulis in eis contentis concessionibus, facultatibus, indultis, indulgentiis, clausulis et decretis, ad alios duos menses proximos, videlicet aprilis et maii (quibus durantibus si omnia et singula in praeinsertis litteris expressa dicti christifideles adimpleverint, illi omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones praedictas, cum omnibus facultatibus, gratiis et indultis huiusmodi, consequi valeant), auctoritate praedictâ, tenore praesentium, iterum extendimus et prorogamus.

Facultas denuo consequendi pro iis, qui aliàs fuerunt consequuti.

§ 3. Necnon iis, qui earumdem praeinsertarum litterarum, illarumve extensionum, ut supra factarum, vigore indulgentias et peccatorum remissiones praedictas consequuti iam sunt, si omnia et singula, in praeinsertis litteris huiusmodi contenta et expressa, duobus mensibus per[1] praesentes prorogatis durantibus denuo adimpleverint, ut easdem omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones cum omnibus facultatibus, gratiis et indultis praedictis iterum consequi valeant auctoritate et tenore praedictis concedimus.

Extinctio aliarum indulgentiarum elapso termino.

§ 4. Quia vero ad supplicationem nonnullorum episcoporum ac principum et rerumpublicarum concessiones, facultates, indulta, indulgentias et remissiones peccatorum in praeinsertis litteris contentas ad certas civitates, dioeceses, provincias et loca extra Italiam existentia ad certum tempus extendimus et ampliavimus: volumus, et dictâ auctoritate decernimus, ut, duobus mensibus per praesentes prorogatis, ut praefertur, elapsis, omnes et quaecumque extensiones et ampliationes gratiarum per nos factae huiusmodi pariter eo ipso expirent, nulliusque sint roboris vel momenti, nec cuiquam ulterius suffragentur.

Derogatio contrariorum et fides transumptorum.

§ 5. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem praesentes litterae facilius omnibus innotescant, volumus ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subsriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII martii MDCXXXI, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 22 martii 1631, pontif. anno VIII.

1 Supra ad pag. 191 legitur XXXI (R. T.).

2 Quas vide supra pag. 150, 176, 190 (R. T.).

1 Coniunct. *per* nos addimus (R. T.).

CCCXCII.

Declaratio facultatum transferendi et reservandi pensiones beneficiorum per S. R. E. cardinales obtentorum.

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Cum S. R. E. cardinales, qui, circa universalis ecclesiae regimen nobis et Romanis Pontificibus pro tempore existentibus assistentes, et in partem sollicitudinis vocati, graves et continuos labores ac non mediocres impensas in obeundo munere suo sustinere coguntur, speciali praerogativâ maxime ob eminentiam dignitatis a Sede Apostolicâ deceat honorari, plerumque vero contingat dubitari, an in facultatibus, indultis et privilegiis transferendi pensiones, quae a Sede Apostolicâ personis benemeritis quandoque concedi solent, intelligantur comprehensi cardinales, beneficia, pensionibus obnoxia, obtinentes:

Declaratio indultorum circa reservationes et translationes pensionum beneficiorum per S. R. E. cardinales obtentorum.

§ 1. Nos, omnem ambiguitatis nodum praecidere, et indemnitati eorundem cardinalium consulere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione decernimus et declaramus, omnia et singula indulta, privilegia et facultates transferendi, vel, mediante cassatione antiquarum, de novo reservandi quascumque pensiones super quibusvis beneficiis ecclesiasticis, etiam speciali notâ dignis, quibusvis personis, etiam S. R. E. cardinalibus, antea assignatas vel pro tempore assignandas, per nos et quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, etiam iteratis vicibus, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac irritantibus et aliis decretis, hactenus concessa et in futurum concedenda (non tamen exequutioni, mediante translatione seu cassatione et novâ reservatione huiusmodi pro totâ quantitate concessâ, demandatâ), pro eâ quantitate pro qua translatio seu nova reservatio huiusmodi, tempore datae praesentium, actu facta necdum fuerit, nullo modo se extendere debere ad pensiones reservatas seu pro tempore reservandas super beneficiis, quae tempore concessionis facultatum et indultorum ac privilegiorum praedictorum obtinebantur vel obtineri contigerit per cardinales, aut alios, qui, etsi tunc temporis tales non essent, postea ad cardinalatus dignitatem assumantur (dummodo tamen tempore[1] translationis seu cassationis et novae reservationis pensionum huiusmodi adhuc per eosdem obtinerentur), nisi in eisdem facultatibus, indultis et privilegiis specialis et expressa eorumdem cardinalium beneficia praedicta obtinentium vel individua de corpore ipsorum beneficiorum mentio facta fuerit, aut eorum, qui tempore concessionis facultatum, indultorum et privilegiorum praedictorum beneficia obtinerent, expressus ad hoc accesserit assensus.

Extensio dictae declarationis.

§ 2. Et insuper statuimus et ordinamus indulta, privilegia et facultates transferendi vel cassandi et de novo reservandi pensiones, quae aliàs vigore quorumcumque privilegiorum translatae vel de novo reservatae fuerint, etiamsi in dictis facultatibus, indultis et privilegiis inserta sit clausula *etiam aliàs translatas,* non afficere beneficia, quae praedicti cardinales tempore iterandae translationis seu cassationis et novae reservationis huiusmodi pensionum obtinebant, licet tempore concessionis eorumdem indultorum, privilegiorum et facultatum ab eis vel aliis cardinalatus honore minime fulgentibus obtinerentur, ad effectum ut pensiones huiusmodi de cetero ulterius transferri

1 Ista vox *tempore* deesse visa nobis fuit, vel *tempore* pro *tamen* legendum erat (R. T.).

seu de novo reservari queant, nisi illud in facultatibus, indultis et privilegiis huiusmodi de praedictis cardinalibus expresse disponatur, vel ipsi ad id praestiterint assensum, aut individua et specialis fiat mentio de corpore beneficii, super quo impositas pensiones transferendi facultates, indulta et privilegia fuerint concessa.

Decretum irritans.

§ 3. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, ac etiam camerae apostolicae clericos praesidentes, necnon causarum palatii apostolici et curiae eiusdem camerae generalem auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae camerarium, et alios cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri et interpretari debere, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, etiam decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus indultis, privilegiis et facultatibus, aliisque praemissis, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, statuti, ordinationis, decretorum et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXXI, kalendis aprilis, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die I[1] aprilis 1631, pontif. anno VIII.

Publicatio die 11 aprilis.

Anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXXXI, *indictione* XIV, *die vero* XI *mensis aprilis, pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Urbani divinâ providentiâ Papae VIII, anno eius* VIII, *retroscriptae litterae apostolicae affixae et publicatae fuerunt ad cancellariam apostolicam, in acie Campi Florae, ac aliis locis solitis et consuetis Urbis, per me Augustum de Boli, apostolicum cursorem.*

MATTHIAS SPADA, mag. curs.

CCCXCIII.

Contra astrologos iudiciarios, qui de statu Reipublicae Christianae vel Sedis Apostolicae seu vitâ Romani Pontificis, aut eius consanguineorum, iudicia facere, necnon contra eos, qui illos desuper consulere praesumpserint, cum innovatione similis constitutionis Sixti V[2].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Inscrutabilis iudiciorum Dei altitudo non patitur, ut humanus intellectus, tenebroso corporis carcere constrictus, super astra se extollens, arcana in sinu divino recondita, et ipsis beatissimis spiritibus ignorata, nefariâ curiositate, non solum explorare, sed etiam tamquam explorata, in Dei contemptum, reipublicae perturbationem, et principum periculum, arroganti et pernicioso exemplo venditare praesumat.

Causa huius constitutionis.

§ 1. Hinc est, ut, quamvis civilibus, canonicisque sanctionibus, ac novissime felicis recordationis Sixti Papae V praede-

1 Erronee edit. Main. ad marg. habet 11 (R.T.).

2 Hanc Sixti V constitutionem vide in Constit. XXVI, *Coeli et terrae*, tom. VIII, pag. 646.

cessoris nostri constitutione desuper editâ, astrologorum, mathematicorum, vaticinatorum, et aliorum qui eventura divinare seu praedicere audent, quosque uti homicidas et maleficos antiquitas aestimavit, illorum potissimum, qui de summâ reipublicae vel principis salute indicia ferre praesumerent, ars, professio, sive exercitium gravibus poenis inhibita esse noscantur[1]; attamen, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii, propriae pusillitatis obliti, ac lenitate forsan vel conniventiâ audentiores facti, vanamque fatidicorum aestimationem aucupantes, in deploraneam animarum suarum perditionem, graveque christifidelium scandalum, etiam de reipublicae et principum incolumitate, illis sollicitudinem, hominibus vero inquietis rerum novandarum occasionem eâ ratione inferre satagentes, prognostica et praedictiones verbo vel etiam scripto edere non erubescunt.

Innovatio Constitutionis Sixti V.

§ 2. Nos itaque, perniciosis huiusmodi ausibus, quantum nobis ex alto conceditur, obviam ire, ac, quos Dei respectus in officio non continet, poenarum gravitate et severioris disciplinae fraeno coërcere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, constitutionem per praefatum Sixtum praedecessorem desuper ut praefertur editam, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et innovamus.

Contraventiones et contravenientium laicorum poenae.

§ 3. Et insuper omnibus et quibuscumque laicis, cuiuscumque sexus, conditionis, status, gradus, qualitatis et dignitatis etiam marchionalis vel ducalis existentibus, qui de statu Reipublicae Christianae, vel Sedis Apostolicae, sive de vitâ aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis, eiusque usque ad tertium gradum inclusive consanguineorum, mathematicos, ariolos, aruspices, vaticinatores nuncupatos, vel alios astrologiam iudiciariam exercentes, seu aliàs quomodolibet profitentes, de cetero consulucrint, sive desuper eorum iudicia, prognostica, praedictiones, seu praecognitiones etiam sibi oblatas receperint, illisque quomodolibet usi fuerint, vel illas penes se scienter retinuerint, aut alicui ostenderint, necnon iisdem mathematicis, ariolis, aruspicibus, vaticinatoribus, sive aliis astrologiam iudiciariam seu quamlibet artem divinatoriam quomodolibet profitentes, qui iudicia, prognostica, seu praecognitiones et praedictiones super praemissis, etiamsi id non certo se affirmare protestentur, fecerint, sive a se vel ab aliis iam facta seu factas imposterum penes se similiter retinuerint, vel alicui dederint, seu ostenderint, aut de eis, quovis modo, etiam improbando, scripto vel verbis, tractaverint, nedum excommunicationis maioris latae sententiae, sed etiam, uti laesae maiestatis reis, ultimi supplicii, ac confiscationis omnium bonorum suorum, etiam Romanae Curiae officiorum, ac devolutionis quarumcumque civitatum, castrorum et locorum iurisdictionalium et feudalium;

Poenae clericorum quorumcumque quantumvis qualificatorum.

§ 4. Clericis quoque et presbyteris, aliisque personis ecclesiasticicis, tam secularibus, quam cuiusvis Ordinis, congregationis, societatis, seu instituti, vel militiarum quarumcumque, etiam hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, aliisque quomodolibet exemptis, ac nobis et Apostolicae Sedi immediate subiectis regularibus utriusque sexus, ultra praedictas, etiam privationis beneficiorum et dignitatum ac officiorum ecclesiasticorum, etiam monasteriorum, prioratuum et praeceptoriarum, ac aliorum quorumcumque, et inhabilitatis perpetuae ad illa imposterum obtinenda (ita quod personae ecclesiasticae praeviâ illarum degradatione curiae seculari tradantur puniendae); in episcopali vero, archiepiscopali, metropolitanâ, pri-

1 Aptius lege *noscatur* (B. T.).

matiali, patriarchali, aut quacumque aliâ, etiam superiori, ecclesiasticâ vel mundanâ, quantumvis sublimi, excellente et speciali notâ dignâ, etiam supremâ, constitutis dignitate, easdem excommunicationis, ac privationis etiam regiminis et administrationis ecclesiarum, et aliorum quorumcumque beneficiorum et dignitatum quantumvis amplissimarum et patriarchali maiorum, ac officiorum suorum, et inhabilitatis poenas ipso facto incurrendas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, infligimus et imponimus.

Iudicum deputatio, tam in Urbe, quam extra.

§ 5. Cognitionem autem causarum huiusmodi, quoad personas ecclesiasticas tam seculares quam regulares in Urbe nostrâ et illius districtu ad dilectos filios, nostrum in Urbe vicarium in spiritualibus generalem, necnon eiusdem Urbis gubernatorem, ac causarum curiae camerae apostolicae auditorem generalem, et eorum quemlibet in solidum, extra vero Urbem et districtum praedictum in provinciis nobis et Apostolicae Sedi subiectis ad S. R. E. cardinales in eisdem provinciis de latere legatos et prolegatos ac praesides in dignitate ecclesiasticâ constitutos pro tempore existentes, in aliis vero omnibus et singulis provinciis, regnis, civitatibus, oppidis, castris et locis, tam sub nostrâ et dictae Sedis quam cuiusvis alterius principis ditione comprehensis, privative quoad omnes, etiam superiores religiosorum, ipsisque superioribus penitus exclusis, ad Ordinarios locorum, ubilibet vero locorum etiam ad haereticae pravitatis inquisitores spectare volumus;

Demandatio cognitionis causarum huiusmodi.

§ 6. Mandantes dilectis filiis nostris et dictae Sedis de latere legatis et eorum vicelegatis et praesidibus praedictis nunc et pro tempore existentibus, necnon venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis, singulis videlicet in suis civitate et dioecesi, et, quoad loca intra fines alicuius dioecesis non tamen de dioecesi existentia, ipsarum dioecesum intra quarum fines eadem loca extiterint, quo vero ad ea quae extra fines alicuius dioecesis consistunt, vicinioribus eorumdem locorum Ordinariis, ac etiam inquisitoribus praedictis, quatenus ad instantiam cuiusvis fisci vel denuntiatoris, ac etiam ex eorum officio, causarum huiusmodi cognitiones suscipientes, praeviâ etiam avocatione a quibusvis aliis supra non expressis nec a nobis specialiter delegatis, in causis ipsis modo praemisso procedant omnibus iuris et facti remediis opportunis, invocato etiam auxilio brachii secularis;

Inhibitio et poenae contra turbantes, vel non obedientes iudicibus praedictis.

§ 7. Inhibentes insuper tam decanis et capitulis ecclesiarum cathedralium, metropolitanarum et patriarchalium, necnon quorumvis Ordinum et locorum regularium societatum et institutorum ac etiam hospitalis praedictorum superioribus, conventibus et fratribus, quantumvis exemptis, ne, sub privationis beneficiorum et officiorum quorumcumque per eos respective obtentorum, ac similiter inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda, vocisque activae et passivae, necnon excommunicationis latae sententiae eo ipso incurrendis poenis, Ordinarios locorum, necnon legatos, seu vicelegatos, aliosque praedictos in causis huiusmodi procedentes quoquomodo impedire, molestare, seu perturbare audeant, vel praesumant; ac etiam mandantes, ut, quoties ad id fuerint requisiti, religiosos ipsos, etiamsi alicuius loci regularis superiores actu fuerint, Ordinariis, legatis, seu vicelegatis, ac aliis praedictis, seu quibus iidem mandaverint, consignent cum scripturis et actis, si qua[1] facta fuisse reperiantur.

Decretum iritans.

§ 8. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios delegatos et commissarios, ac etiam camerae apostolicae clericos praesidentes, necnon causarum palatii apostolici et curiae eius-

1 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

dem camerae generales auditores, sanctae Romanae Ecclesiae camerarium, et alios cardinales, etiam de latere legatos, necnon vicecamerarium (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) ubique iudicari ac definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Contrariorum derogatio.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon nostrâ in numero septuagesimâ, et aliis cancellariae apostolicae regulis, ac provinciarum, regnorum, civitatum, terrarum, oppidorum, locorum ecclesiarum monasteriorum, militiarum, hospitalium, etiam S. Ioannis, praedictorum, aliorumque religiosorum et piorum locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem provinciis, regnis, civitatibus, terris, oppidis, locis, ecclesiis, monasteriis, hospitalibus et militiis praedictis et aliis piis locis, ac illorum universitatibus, capitulis, superioribus et personis, in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium tenores ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse harum serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicationem in Urbe omnes arctare vult.

§ 10. Volumus autem, quod praesentes litterae in valvis ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis apostolorum de Urbe, ac cancellariae apostolicae, necnon in acie Campi Florae publicentur et affigangantur, quae, postquam sic affixae et publicatae fuerint, quoscumque, tam in Statu nostro temporali, quam extra eum, ubique locorum perinde arctent et afficiant, ac si unicuique nominatim et personaliter intimatae fuissent;

Fides transumptorum.

§ 11. Quodque[1] earum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 2. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, confirmationis, innovationis, inflictionis, impositionis, inhibitionis, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXXI, kalendis aprilis, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 1 aprilis 1631, pontif. anno VIII.

In Dei nomine Amen. Anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXXXI, *die vero* X *mensis aprilis, indictione* XIV, *pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et N. D. Urbani divinâ providentiâ Papae VIII, anno eius* VIII, *supradictae litterae apostolicae praesentatae et affixae fuerunt, ac dimissis copiis, ad basilicas ecclesiarum S. Ioannis Lateranensis, et Principis apostolorum Urbis, et in cancellariâ apostolicâ, in acie Campi Florae, ac aliis locis solitis et consuetis Urbis, per nos Augustinum de Bolis*

1 Edit. Main. legit *Quod* (R. T.).

et Ioannem Radicam, Sanctissimi Domini Nostri Papae cursores.

MATTHIAS SPADA, magister.

CCCXCIV.

Super professionibus per regulares emissis, non facto in locis designatis novitiatu [1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Religiosos viros, qui, spretis huius seculi vanitatibus, divini numinis obsequiis sub suavi religionis iugo sese mancipaverunt, pastorali benignitate complectimur: utque in vocatione, qua vocavit eos Dominus, permaneant, iuxta creditum nobis apostolicae servitutis munus sedulo intendimus, ac desuper eiusdem muneris partes propensis studiis intendimus, prout ad Dei laudem catholicaeque Ecclesiae decus et exaltationem conspicimus in Domino salubriter expedire.

Multi regulares, ob non factum in domibus destinatis novitiatum, professionem invalide emiserant.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, quamplures Ordinum, congregationum, institutorum regularium professores, ad habitum regularem recepti, probationis annum in monasteriis seu domibus regularibus ad id designatis vel ab Apostolicâ Sede approbatis minime fecerint, proindeque, iuxta constitutionem felicis recordationis Clementis PP. VIII praedecessoris nostri desuper editam, professio, per eos subinde emissa, invalida existat:

Hic Pontifex mandat, ut hi servatis servandis ad professionem emittendam iterum admittantur et emissa omnibus suffragetur.

§ 2. Nos, religiosos praedictos ex huius Sanctae Sedis benignitate specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae esistunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, venerabilibus fratribus nostris [1], Scipioni episcopo Sabinensi cardinali Burghesio nuncupato, maiori poenitentiario, vel patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ceterisque Ordinariis locorum, in quibus eorumdem religiosorum monasteria, domus, seu conventus, aliave regularia loca consistunt, sive ipsorum religiosorum praefectis vel superioribus generalibus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus omnes et singulos religiosos praedictos, qui, ad habitum regularem aliàs canonice recepti, annum probationis in monasteriis seu domibus regularibus ad id designatis minime fecerunt, subindeque professionem nihilominus emiserunt, ad professionem denuo, servatis aliàs servandis, emittendam (quae sic emissa illis et eorum cuilibet, tam in foro interiori, quam exteriori, suffragari debeat) absque novo probationis anno, ex speciali huius sanctae Sedis benignitate, auctoritate nostrâ apostolicâ recipiant et admittant;

Et eos ad sacros ordines suscipiendos, ac altas dignitates et officia religionum restituit.

§ 3. Eosdemque, postquam professionem denuo, ut praefertur, emiserint, ad omnes gradus, honores, dignitates, praeeminentias, atque habilitates, quas, si ab initio valide professi essent, legitime obtinerent, eâdem auctoritate restituant, ac re-

1 A Sacra Tridentini Concilii congregatione editum fuit decretum quoad novitios receptos et professos contra formam decretorum editorum a Clemente VIII et innovatorum ab Urbano VIII, quod suo loco dabimus sub die v ianuarii anno MDCXXXVI. Constitutio vero Clementis VIII est CCLIII (*al.* 242) *Nullus omnino*, tom. x, pag. 662; et Const. LXXXVI (*al.* 77) Urbani VIII, *Sacra Congregatio*, tom. XIII, pag. 202. Qui etiam declaravit, quod regulares, qui ultra vota solita etiam votum emittunt de non petenda aut acceptanda extra religionem dignitate, per quamcumque eorum translationem, seu habitus privationem, aut dimissionem, a voto huiusmodi nullatenus liberantur in Constit., *Cum sicut*.

1 Edit. Main. habet *nostro* (R. T.).

stitutos eo ipso esse et censeri declarent, ita ut habeant eumdem locum, sessionem et votum, prout haberent, si priores professiones validae fuissent, et, nondum promoti, omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, servatis aliàs servandis, promoveri, et tam ipsi quam alii ad eosdem ordines iam rite promoti in susceptis ordinibus huiusmodi etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite valeant; necnon omnes actus sive contractus, quos contraxerunt et legitime contraxissent vel cum laicis vel cum aliis monasteriis seu alterius religionis viris (si nullum aliud paterentur vitium vel defectum nisi ex eo solum, quia initi aut contracti sunt invalide ab iis, qui contra dictam constitutionem in domibus non designatis, sive ab eâdem Sede non approbatis, professi sunt) auctoritate nostrâ praedictâ confirment et approbent, ac validos omnino declarent; super quibus omnibus et singulis plenam et amplam facultatem, dictâ auctoritate, tenore praesentium, tribuimus et impartimur.

Clausulas praeservativas apponit.

§ 4. Decernentes praesentes litteras et in eis contenta, atque illarum vigore in praemissis facienda et exequenda quaecumque, valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac omnibus et singulis, quos illa concernunt et concernent quomodolibet in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; eosque praemissorum occasione vel praetextu quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari nullatenus posse, nec debere.

Aliter iudicari prohibet.

§ 5, Sicque, et non aliter, ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, dictaeque Sedis nuntios, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac praefatâ Clementis praedecessoris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinum, congregationum et institutorum huiusmodi, et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, eorumque superioribus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus, aliisque decretis, in genere vel in specie, ac aliàs, in contrarium, etiam motu, scientiâ et potestate plenitudine similibus, et aliàs quomodolibet iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis specialis, specifica et expressa, ac individua, et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Superioribus iubet, ut super hoc servare faciant Constitutionem Clementis VIII.

§ 7. Ceterum, similibus imposterum consultum esse volentes, dilectis filiis Ordinum, congregationum et institutorum huiusmodi superioribus generalibus, quocumque nomine censeantur, ac procuratoribus etiam generalibus per praesentes districte praecipimus et mandamus, quatenus statim, visis praesentibus, loca, monasteria, vel conventus, in quibus novitii

probationis annum agant, et alia, quae dictus Clemens praedecessor super hac re observari iussit, observentur, designari, sive confirmari omnino curent et faciant.

Exemplis credi mandat.

§ 8. Ut autem praesentium notitia ad omnes facilius perveniat, volumus ut illarum exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II aprilis, MDCXXXI, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 2 aprilis 1631, pontif. anno VIII.

CCCXCV.

Revocatio licentiarum quarumcumque legendi et tenendi libros prohibitos [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Apostolatus officium, nobis, nullo licet meritorum suffragio, divinâ providentiâ commissum, postulat, ut ad ea vigilantiae nostrae partes propensius intendamus, per quae religio catholica, ubi divina gratia illaesa viget, conservetur et ubi restitutione indiget, reparetur.

Prohibitio habendi et legendi libros prohibitos cum licentiarum revocatione.

§ 1. Quapropter, cum librorum prohibitorum lectio magno sincerae fidei cultoribus detrimento esse noscatur, et, sicut accepimus, nimis excessiva sit huiusmodi libros legendi licentiarum copia: nos, ut huic malo mature occurratur et imposterum quam cautissime licentiae huiusmodi concedantur, quantum cum Domino possumus, providere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas licentias legendi et habendi libros quoscumque, ob haeresim vel falsi dogmatis suspicionem, seu per constitutiones apostolicas, etiam ratione astrologiae iudiciariae, vel aliàs quomodolibet prohibitos, quibuscumque personis laicis et ecclesiasticis, tam secularibus, quam regularibus cuiuscumque Ordinis, societatis et instituti existentibus, ac quacumque dignitate etiam ecclesiasticâ fulgentibus, cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, praeeminentiae, etiam speciali notâ et mentione dignis, ac per litteras apostolicas, ad tempus seu ad vitam, et aliter quomodocumque et ex quacumque causâ, tam in formâ Brevis, quam aliter quomodocumque, a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, seu a quibuscumque aliis a nobis vel ab eis facultatem et auctoritatem habentibus (non tamen a nobismetipsis per litteras apostolicas etiam in formâ Brevis seu chirographum manu nostrâ signatum) concessas, earum tenores praesentibus pro expressis et insertis habentes, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione revocamus, cassamus et annullamus: ac pro revocatis, cassis et annullatis haberi, nullique suffragari,

Contravenientibus poenas imponit.

§ 2. Quinimmo libros per licentias huiusmodi permissos legentes, aut habentes, poenas in sacris canonibus, constitutionibus apostolicis et iudicibus librorum prohibitorum contentas incurrere, volumus et declaramus.

Hanc legem Pontifex publicatam omnes ligare decernit.

§ 3. Decernentes, ut praesentes litterae, postquam valvis basilicarum S. Ioannis Lateranensis, ac Principis apostolorum de Urbe, ac cancellariae apostolicae, necnon in acie Campi Florae affixae fuerint, infra duos, citra montes, ultra vero montes, infra quatuor menses ex tunc proximos, omnes et singulos, ad quos spectat, arctent et afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimatae fuissent; quodque, dictis duobus et respective quatuor mensibus

1 Similem constitutionem habes in Greg. XV Constitut. XCV (*al.* 92), *Apostolatus*, tom. XII, pag. 779.

durantibus, ii, qui libros prohibitos huiusmodi habuerint, eos ad episcopum, seu inquisitorem, qui illos quantocitius comburere debeant, deferre, quique aliquos similes libros prohibitos habere sciverint, eos denuntiare teneantur; neque de cetero similes licentiae, nisi a congregatione sancti Officii, dum singulis hebdomadis coram nobis habetur, vel ab aliis per nos etiam in câdem congregatione specialiter deputandis concedantur;

Fides transumptorum.

§ 4. Ac quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II aprilis MDCXXXI, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 2 aprilis 1631, pontif. anno VIII.

CCCXCVI.

Facultas inquisitori Melitae praecipiendi turbas excitantibus capituli hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, ut Romae sistant[1].

Dilecto filio magistro Ludovico Seristorio, in utrâque signaturâ nostrâ referendario, haereticae pravitatis in insulâ Melevitanâ inquisitori generali,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili noster,

salutem et apostolicam benedictionem.

Facultas, de qua in rubrica.

§ 1. Cum capitulum generale fratrum hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani propediem, benedicente Domino, celebrandum sit; nos, cupientes capitulum huiusmodi, controversiis et tumultibus semotis, quiete et tranquille ad Dei laudem, dictique hospitalis utilitatem celebrari, tibi, qui aliàs a nobis super sexdecim compromissariis electis capituli huiusmodi nostro et Apostolicae Sedis nomine praesidens deputatus existis, quod quibusvis dicti hospitalis fratribus, etiam magnae crucis, quos occasione capituli celebrandi huiusmodi repereris inobedientes, recusantes, tumultus excitantes, seu aliquo modo culpabiles, etiam habitâ notitiâ extraiudiciali, et prout expediens iudicaveris, auctoritate nostrâ apostolicâ, in virtute sanctae obedientiae, ut ex insulâ Melevitanâ statim recedant, et Romae spatio dierum tibi beneviso se se constituant, sub poenâ pecuniariâ, privationis antianitatis, inhabilitatis ad commendas et dignitates, et aliis arbitrio tuo[1], praecipere et mandare libere et licite possis et valeas, apostolicâ auctoritate praedictâ, tenore praesentium facultatem concedimus et impartimur.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique hospitalis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II aprilis MDCXXXI, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 2 aprilis 1631, pontif. anno VIII.

CCCXCVII.

Committitur nuncio apud imperatorem, ut ex redditibus omnium bonorum ec-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Subintellige *poenis* (R. T.).

clesiasticorum per universam Germaniam e manibus haereticorum ereptorum, dimidiam partem foederi catholico in Germania addicat[1].

Venerabili fratri Ciriaco archiepiscopo Patracensi, apud charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Romanorum regem in imperatorem electum nostro et Apostolicae Sedis nuncio,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Militantis Ecclesiae regimini[2], disponente Domino, praesidentes, in gravi mole curarum, quibus pro pastoralis officii debito continue premimur, ea nunc est praecipua, quam inclytae Germaniae presens status nobis merito conficit; quamobrem apostolicae sollicitudinis partes ad ea iugiter intendimus, per quae catholicorum vires ad resistendum nefariis hostium fidei catholicae conatibus augentur, prout rerum et temporum qualitatibus debito pensatis conspicimus in Domino salubriter expedire.

Cum gravia onera pro fidei defensione archiepiscopi, episcopi, etc. subierint;

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, venerabiles fratres archiepiscopi et episcopi, ac dilecti filii nobiles viri principes atque ordines Germaniae catholici confoederati pro militaribus provisionibus comparandis gravia expensarum onera ad fidei orthodoxae contra illius hostes defensionem et propagationem subierint:

Nuncio committitur, prout in rubrica.

§ 2. Nos, exercitus foederis catholici huiusmodi, quia tam causa religionis et publica quam necessaria concurrit, manutentioni[3], mediante redditum ex bonis ecclesiasticis infrascriptis assignatione, quantum cum Domino possumus consulere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis Palatinatus praepositorum consilio, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut ex redditibus, fructibus et proventibus omnium et singulorum bonorum ecclesiasticorum, quae in hanc usque diem fuerunt e manibus haereticorum erepta, per universam Germaniam existentium, dimidiam partem dumtaxat foederi catholico praedicto pro manutentione dicti exercitus ad triennium proximum tantum, si tamdiu foedus duraverit et exercitus manutenebitur, auctoritate nostrâ applices, ita ut dissoluto foedere seu exercitu huiusmodi, etiam durante triennio, gratia applicationis huiusmodi illico expirasse censeatur, reliquam vero dimidiam partem eâdem auctoritate retineas ad dispositionem nostram in ecclesiarum restaurationem, divini cultus augmentum, animarum curam, religionis catholicae conservationem et propagationem convertendam, aut aliàs in dictis partibus distribuendam, prout nos, personarum, rerum, ac temporum qualitate pensatâ, salubriter in Domino expedire arbitrabimur.

Bona recuperata, regique et aliis iam concessa, a praesenti constitutione excipiuntur.

§ 3. Ceterum, nedum omnes et singuli fructus, redditus et proventus bonorum, ut praefertur, recuperatorum per nos eidem Ferdinando regi in imperatorem electo, aliisque personis, seu locis piis hactenus ad tempus concessi, sed etiam bona ipsa, etiam per nos, tam locorum Ordinariis, quam aliis personis ecclesiasticis, eorumque mensis, ac aliis ecclesiis, collegiis, universitatibus studiorum, aliisque locis piis concessa, atque ad praesens in perpetuum vel ad tempus quomodolibet applicata, sub praesenti concessione ac indulto minime intelligantur comprehensa, sed eisdem[1] Ferdinando regi in imperatorem electo, ceterisque etiam Ordinariis, ecclesiis, beneficiis, collegiis, universitatibus et aliis quibus applicata fuerint

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Similem constit. habes sup. pag. 201 (R.T.).

3 Male edit. Main. habet *manutentione mediante* (R. T.).

1 Aptius legeretur *eidem* (R. T.).

ut praefertur, ad praescriptum litterarum apostolicarum salva et illibata permaneant.

Obstantium derogatio

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis generalibus editis, ac quarumcumque ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum et locorum piorum, ac Ordinum, quorum respective fuerint, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad[1] verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX aprilis MDCXXXI, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 9 aprilis 1631, pontif. anno VIII.

CCCXCVIII.

Quod laici professi Ordinis Cappuccinorum praecedant clericos novitios nondum professos in omnibus locis, tam publicis quam privatis[2].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Nuper, pro parte dilectorum filiorum Hieronymi Narniensis vicarii generalis ac Francisci Genuensis procuratoris generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, expositum fuit, quod a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, negotiis regularium praepositis, emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Petitio.

Pater frater Hieronymus Narniensis vicarius generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Cappuccinorum, ac pater frater Franciscus Genuensis eiusdem Ordinis procurator generalis supplicant sacrae congregationi pro opportunâ declaratione infrascripti dubii, nuper ab aliquibus excitati, videlicet:

Dubii.

An laici professi eiusdem religionis possint ac debeant, inter sedendum, eundum, atque in omnibus locis, et in publicis ac privatis actionibus, semper et ubique praecedere clericis nondum professis:

Decretum.

Sacra congregatio cardinalium negotiis regularium praeposita censuit, laicos professos utique posse ac debere novitiis, etiam clericis, nondum professis, in omnibus locis et actionibus, tam publicis quam privatis, ut supra, in dictâ religione praecedere.

Petitio confirmationis.

§ 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, exponentes praedicti plurimum cupiant decretum praeinsertum, pro illius validitate et subsistentiâ firmioribus, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri:

Confirmatio decreti prout in rubrica.

§ 2. Nos, illos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus illorum nomine super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approba-

1 Edit. Main. legit *in* (R. T.).

2 De tota istorum fratrum Religione vide in Constitut. XXIV Clem. VII, *Religionis*, tom. VI, pag. 113. Innovatio Constitutionum prohibentium habitum Cappuccinorum deferri ab aliis Regularibus facta fuit a Gregorio XV Constit. XLVI (*al.* 45), *Ex iniuncto*, tom. XII, pag. 647.

mus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae. § 3. Decernentes illud necnon praesentes literas valida, firma et efficacia existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet. § 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII maii MDCXXXI, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 7 maii 1631, pontif. anno VIII.

CCCXCIX.

Concessio ecclesiae S. Bonaventurae de Urbe Lucanis in eâdem Urbe commorantibus [1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium In supereminenti Sedis Apostolicae speculâ, meritis licet imparibus, divinâ disponente providentiâ constituti, pia christifidelium vota, quae ad divini cultus augmentum et ipsorum fidelium salutem spectant, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, prout ipsorum christifidelium animarum saluti conspicimus salubriter in Domino expedire.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Translatio fratrum Cappuccinorum ex ecclesia sancti Bonaventurae, ad ecclesiam Immaculatae Conceptionis beatae Mariae Virginis.

§ 1. Cum itaque nuper dilecti filii guardianus et fratres domus S. Bonaventurae de Urbe Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum e praedictis domo et ecclesiâ ad domum et ecclesiam Immaculatae Conceptionis beatae Mariae Virginis de eâdem Urbe per dilectum filium nostrum Antonium tituli S. Honuphrii presbyterum cardinalem, nostrum secundum carnem fratrem germanum, pro eisdem guardiano et fratribus fundatam et constructam de nostrâ et huius sanctae Sedis licentiâ se transtulerint:

Urbanus praedictam ecclesiam sancti Bonaventurae nationi Lucanae concedit.

§ 2. Nos, ne, ob discessum fratrum praedictorum ab eâdem ecclesiâ, ea debitis propterea fraudetur obsequiis, sed in divinis laudabiliter deserviatur, quantum cum Domino possumus providere, simulque nationi Lucanae in eâdem Urbe commoranti, et plurium Romanae curiae praelatorum, aliorumque [1] virorum doctrinâ, pietate, rerum gerendarum usu, aliisque egregiis virtutum ornamentis praestantium meritis insigni, specialem gratiam facere volentes, ipsiusque nationis singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, in domo et ecclesiâ S. Bonaventurae praedictis omnem statum, essentiam et dependentiam regulares, om-

1 Edit. Main. legit *aliorum* (R. T.).

niaque et singula privilegia, gratias et indulta illis, uti regularibus, concessa, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, supprimimus et extinguimus, ecclesiamque praedictam ad secularitatem reducimus, eamque (quam de cetero perpetuis futuris temporibus S. Crucis de Luca et S. Bonaventurae nuncupari debere decernimus et declaramus), cum choro, sacristiâ, et parte situs ac fabricae dictae domus ab eisdem fratribus relictae per nos seu de mandato nostro per dilectos filios Faustum Polium palatii nostri praefectum et Michaëlem Bergomensem dicti Ordinis professorem declarandâ et specificandâ, praedictae nationi Lucanae (ita tamen, ut in eâ octo missas singulis diebus celebrari facere, dictaeque ecclesiae de paramentis et ornamentis ecclesiasticis, aliâque omnimodâ sacrâ et profanâ suppellectile ad divinum cultum ipsiusque ecclesiae decorem necessariâ providere debeat et teneatur) apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et assignamus;

Eamque sanctae Crucis de Luca nuncupari mandat.

§ 3. Dantes eidem nationi facultatem apud ecclesiam S. Crucis et S. Bonaventurae praedictam unum hospitale pauperum infirmorum eiusdem nationis erigendi seu aperiendi, illudque regendi et gubernandi;

Facultas apud eamdem ecclesiam hospitale erigendi.

§ 4. Ac pro ecclesiae et hospitalis huiusmodi negociis se congregandi, et quaecumque statuta, capitula, ordinationes et decreta pro salubri ecclesiae et hospitalis praedictorum regimine et directione necessaria et opportuna, licita tamen et honesta, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis ac constitutionibus apostolicis non contraria, per dilectum filium nostrum in almâ Urbe praedictâ vicarium in spiritualibus generalem examinanda et approbanda, faciendi et edendi, illaque pro tempore, prout eis videbitur, praeviâ simili examinatione et approbatione, mutandi, alterandi, corrigendi et in melius reformandi;

Constitutionesque opportunas faciendi.

§ 5. Ac insuper omnia et singula legata, relicta, res et bona, quomodolibet qualificata, mobilia et immobilia, per quoscumque christifideles ecclesiae et hospitali praedictis per viam testamenti, donationis aut aliàs quomodolibet pro tempore elargita, recipiendi, et per eorum deputatos administrandi, ac in ecclesiae et hospitalis praedictorum usus (ita tamen, ut de receptis et administratis per eos eidem vicario iuxta decreta Concilii Tridentini rationem reddere teneantur) convertendi, et insuper in ecclesiâ praedictâ sacrosanctum Eucharistiae sacramentum et oleum infirmorum debitis cum honore et reverentiâ asservandi;

Legata quoque recipiendi.

§ 6. Necnon infirmis in dicto hospitali pro tempore existentibus sacrosancta Poenitentiae et Eucharistiae praedictae, extremaeque unctionis sacramenta per ecclesiae seu hospitalis praedicti cappellanum, qui a dicto vicario ad id approbatus fuerit, administrari curandi; ac praeterea in eâdem ecclesiâ S. Crucis et S. Bonaventurae, tam in dicto hospitali decedentium, quam quorumcumque aliorum christifidelium ibi sepeliri cupientium, corpora sepeliendi seu sepeliri faciendi, sine tamen quorumcumque iurium parochialium praeiudicio.

Aliaeque facultates.

§ 7. Decernentes ecclesiam S. Crucis et S. Bonaventurae huiusmodi liberam, ipsamque et hospitale praedictum dicto vicario, tam in visitationibus quam aliis quibuscumque, plene subiecta esse et fore, praesentes vero litteras, etiam ex eo quod quicumque in praemissa interesse habentes seu habere praetendentes ad id vocati et auditi non fuerint, aut praemissis non consenserint, aut quavis aliâ de causâ quantumvis legitimâ et iuridicâ, de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae vel quocumque alio defectu notari, impugnari, redargui, infringi, aut in ius

Clausulas necessarias apponit.

vel controversiam revocari nullatenus posse, sed eas semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, ac dictae nationi plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat obstantibus.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XXII maii MDCXXXI, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 22 maii 1631, pontif. anno VIII.

CD.

Prorogatio indulgentiae plenariae in formâ iubilaei, de qua supra in Constitut. CCCLXVI, *ad alios tres menses etiam, ut pro felici statu religionis catholicae in Germaniâ oretur* [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Constitutio refertur.

Aliàs a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: *Dilectis filiis clero et populo Romano (Omittitur tenor, quia habes supra pag. 148).*

1 Similes prorogationes vide supra pag. 175, 190, 208 (R. T.).

Recenset extensiones aliàs factas.

§ 1. Et subinde multorum venerabilium fratrum archiepiscoporum et episcoporum, necnon dilectorum filiorum nobilium virorum, ducum, principum et aliorum magnatum in Italiâ et insulis illi adiacentibus existentium, supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas litteras nostras concessionis indulgentiarum ac facultatis eligendi confessarium, cum omnibus et singulis in eis contentis indultis, clausulis et decretis, ad universos utriusque sexus christifideles, seculares et regulares, tunc temporis in Italiâ et insulis praedictis existentes, necnon ecclesias per Ordinarios locorum seu per alios de eorum mandato designandas, et confessarios ab iisdem Ordinariis approbatos seu approbandos, spatio trium similiter mensium, a die publicationis litterarum desuper expeditarum inchoandorum, durante, apostolicâ auctoritate extendimus, praedictisque christifidelibus, necnon ecclesiis et confessariis concessiones, facultates et indulta praedicta cum clausulis et decretis huiusmodi communicavimus; et postmodum tam praeinsertas quam alias subinde expeditas litteras praedictas, cum omnibus et singulis in eis contentis concessionibus, facultatibus, indultis, indulgentiis, clausulis et decretis, pluries et novissime ad praesentem mensem maii extendimus pariter et prorogavimus, prout in diversis nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores etiam praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur [1].

Nova extensio cum facultate denuo consequendi, adimplendo ut in rubrica.

§ 2. Cum autem per abundantiam divinae misericordiae alma Urbs nostra, ac multae aliae civitates et provinciae, non solum sanctae Romanae Ecclesiae, verum etiam aliarum ditionum et dominiorum temporalium in Italiâ et insulis praedictis

1 Quas vide ll. cc. in notâ ad rubricam (R.T.).

existentium, a periculis et calamitatibus huiusmodi immunes hactenus conservatae et aliae etiam liberatae fuerint; nos, ut christifideles praedicti caelestium miserationum fructus uberius consequi mereantur, peramplius providere volentes, tam praeinsertas quam alias subinde expeditas litteras praedictas, cum omnibus et singulis in eis contentis concessionibus, facultatibus, indultis, indulgentiis, clausulis et decretis, ad tres menses proximos, videlicet, iunii, iulii et augusti, quibus durantibus, si omnia et singula in praeinsertis litteris expressa dicti christifideles adimpleverint, ac etiam pro felici statu religionis catholicae in Germaniâ devote, ut praefertur, oraverint, illi omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones praedictas, cum omnibus facultatibus, gratiis et indultis huiusmodi, consequi valeant, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, iterum extendimus et prorogamus; necnon iis, qui, earumdem praeinsertarum litterarum, illarumve extensionum, ut supra factarum, vigore; indulgentias et peccatorum remissiones praedictas consequuti iam sunt, si omnia et singula in praeinsertis litteris huiusmodi contenta et expressa tribus mensibus per praesentes prorogatis durantibus denuo adimpleverint, ac etiam pro felici statu religionis catholicae in Germaniâ devote, ut praefertur, oraverint, ut easdem omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones, cum omnibus facultatibus, gratiis et indultis praedictis, iterum consequi valeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus.

Derogatio contrariorum et fides transumptorum.

§ 3. Non obstantibus omnibus illis quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem praesentes litterae facilius omnibus innotescant, volumus ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX maii MDCXXXI, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 29 maii 1631, pontif. anno IX.

CDI.

Commissio archiepiscopo Bracharensi, et episcopis suffraganeis, ut inhibeant iudicibus secularibus, ne causas civiles monialium monasteriorum Ordinis sancti Benedicti, in suis dioecesibus existentium, ullo modo cognoscere audeant.

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Bracharensi, et episcopis eius suffraganeis, Urbanus Papa VIII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Causae civiles monialium sancti Benedicti a iudicibus secularibus agnoscebantur.

§ 1. Cum, sicut nobis nuper exponi fecistis, in vestris dioecesibus existant nonnulla monasteria monialium Ordinis sancti Benedicti vestris iurisdictionibus tam in spiritualibus quam temporalibus subiecta privative quoad omnes iuxta formam sacri Concilii Tridentini et sacrorum canonum, et nihilominus nonnullae personae seculares conveniant moniales monasteriorum praedictorum in causis civilibus, in quibus ipsae sunt reae, coram iudicibus secularibus, sub falso praetextu quod dictae moniales in his casibus non habeant superiores in regno Portugalliae, in maximum praeiudicium et confusionem iurisdictionis ecclesiasticae:

Commissio archiepiscopo Bracharensi et episcopis suffraganeis, de qua in rubricâ.

§ 2. Nos, in praemissis quantum cum Domino possumus opportune providere volentes, supplicationibus vestro nomine nobis super hoc humiliter porrectis in-

clinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, regularium negotiis praepositorum, consilio, vobis[1] per praesentes iniungimus, ut, sub censuris et poenis contra perturbantes libertatem ecclesiasticam promulgatis, districte inhibeatis iudicibus secularibus praedictis, ne causas monialium monasteriorum huiusmodi, si eae, ut proponitur, coram ipsis conveniantur, ullo modo audeant cognoscere, vel in aliquo procedere vel se ingerere, sed easdem causas ad suos iudices ecclesiasticos competentes statim remittant; ac, si non paruerint, contra eosdem ad declarationem censurarum ac poenarum, quas ob praemissa incurrerint, omnino procedatis, vel aliàs provideatis, quemadmodum vobis pro vestrâ prudentiâ et zelo magis expedire visum fuerit: in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II iunii MDCXXXI, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 2 iunii 1631, pontif. anno IX.

CDII.

Confirmatio decreti sacrae Congregationis Concilii, quo declaratur metropolitano non licere visitare dioeceses episcoporum suffraganeorum nisi ad praescriptum dicti Concilii, cap. III, sess. XXIV *De reformatione*[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Decretum emanatum a sacra Congregatione Concilii.

§ I. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater modernus episcopus Laonensis, quod nuper a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sacri Concilii Tridentini interpretibus emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

1 Erronee edit. Main. legit *nobis* (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Eminentissimi et reverendissimi signori. Il Vescovo Laonense nel regno d'Ibernia espone all'EE. VV. che, sebbene dal sacro Concilio Tridentino fu provisto, che i metropolitani non possono visitar le cattedrali di loro comprovinciali, *nisi causâ cognitâ et probatâ a concilio provinciali,* come appare nella sessione XXIV, cap. III, nondimeno l'arcivescovo Casselense senza occasione pretende non solo visitar la diocesi dell'oratore contro la forma e disposizione suddetta, ma pretende di più far questo ogni triennio, e e che allora cessi la giurisdizione dell'Ordinario, e pigliarsi egli le entrate e frutti di quel tempo, al che si sono opposti gli altri suffraganei, fuorchè un Malachias Queleo, che allora come vescovo apostolico governava la diocesi dell'oratore, aderendo al gusto dell'arcivescovo, sì per pregiudicare a esso oratore, avendo avuto disgusto della elezione di esso, sì perchè potesse egli con questo esempio havere l'istessa pretenzione con i suffraganei della metropolitana Thuamenese dalla[1] quale aveva avviso esser egli eletto arcivescovo, siccome di già, arrivato al possesso, ha cominciato a volerla metter in esecuzione; e, perchè dal comportar questa novità non solo succede pregiudizio all'oratore, ma esempio d'abuso alli altri metropolitani, ch'entreranno in simili pretenzioni, onde succederà rumore e inquietudine tra quei vescovi con scandalo di cattolici e fedeli, oltre al dispregio delle ordinazioni del sacro Concilio, supplica pertanto le EE. VV. si degnino dar ordine *sub poenis et censuris,* che si osservi inviolabilmente quanto il Concilio dispone, senza innovar altro in contrario, o conforme parerà più espediente all'EE. VV.; che, ecc.

Die 10 maii MDCXXXI, sacra Congregatio eminenentissimorum patrum Concilii Tridentini interpretum respondit: metro-

1 Potius legendum *della* (R. T.).

politano non esse permissum visitare dioecesim episcopi suffraganei, nisi ad praescriptum cap. III[1], sess. XXIV *De reformatione*, vers. *Metropolitanus*[2], etc.

M. UBALDINUS,
FRANCISCUS PAULUTIUS, secretarius.

Loco ✝ Sigilli.

Huiusmodi decretum episcopus Laonensis petit confirmari.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus episcopus plurimum cupiat, praeinsertum decretum huiusmodi, quo firmius subsistat exactiusque observetur, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri:

Confirmat Urbanus.

§ 3. Nos, eumdem episcopum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum decretum huiusmodi apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Mandatum de parendo.

§ 4. Decretumque huiusmodi ac praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, atque ab omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari ac definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

1 Erronee, ut puto, ed. Main. legit 32 (R. T.).
2 Potius lege *A metropolitanis* (R. T.).

Episcopis Hildarensi et Fernensi, ut hoc decretum observari faciant, mandat.

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus Hildarensi et Fernensi episcopis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit et quoties pro parte episcopi Laonensis praedicti fuerint requisiti, solemniter publicantes, illique in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ eadem praemissa inviolabiliter observari.

Contrafacientibus poenas addit.

§ 6. Contradictores quoslibet et rebelles, et praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Obstantibus derogat.

§ 7. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, praedictae Cassellensis et aliarum ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII iunii MDCXXXI, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 7 iunii 1631, pontif. anno VIII.

CDIII.

Facultas cardinali Barberino immutandi modum et statum officiorum, magistratumque civitatis Urbini, eiusque districtus.

Dilecto filio nostro Antonio S. Mariae in Aquiro diacono cardinali Barberino nuncupato, nostro secundum carnem ex fratre germano nepoti, in toto Statu nostro Ecclesiastico, ac in universâ Italiâ, et etiam extra eam ad quoscumque principes, nostro et Apostolicae Sedis de latere legato, necnon in Statu nostro praedicto pro nobis et sanctae Romanae Ecclesiae in spiritualibus et temporalibus vicario generali,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Quoniam in regimine Urbinatensis, Eugubinensis, Pisaurensis et reliquarum civitatum et oppidorum, aliorumque locorum quorumcumque per obitum bonae memoriae Francisci Mariae Urbini ducis, ad Sedem Apostolicam devolutorum, et universae ditioni temporali Sedis praedictae nostro decreto incorporatorum, per nos singulari tuae fidei atque prudentiae hodie commisso, propter diversitatem gubernii ducalis, sub quo civitates, oppida et loca huiusmodi hactenus recta fuerunt, et ecclesiastici, sub quo deinceps erunt[1], multa contingere possunt, quae in facultatibus legationis civitatum, oppidorum et locorum eorumdem non sunt expressa, ac speciali notâ digna essent:

Praeter alias facultates cardinali Barberino concessas, aliam, de qua in rubrica concedit.

§ 1. Nos, ne propterea civitates, oppida et loca huiusmodi aliquod patiantur detrimentum, sed ut tu omnia, quae ad prosperum ac felix regimen illorum pertinent, dirigere, statuere, et de novo etiam, in casibus in quibus oportebit et tu expedire iudicaveris, ordinare possis, opportune providere volentes, ultra quascumque alias facultates supradictas (quarum tenores praesentibus pro expressis haberi, quasque semper salvas et illaesas esse volumus), circumspectioni tuae (cuius singulari prudentiae[1], fidei et diligentiae, gravissimis in negotiis toties probatae, plane confidere, ac omnia tuto committere et credere possumus), ut[2] modum et statum officiorum, magistratuum, tam optimatum quam populi, et gubernii temporalis, ac etiam custodiae, militiarumque et praesidiorum civitatum, oppidorum et locorum praedictorum, prout tibi videbitur immutare et renovare, ac ad formam et methodum regiminis et gubernii, aliarumque provinciarum, terrarum et locorum Status nostri Ecclesiastici redigere, seu aliâs, iuxta tuam prudentiam et arbitrii tui voluntatem, tam praemissa, quam etiam redditus et proventus camerae nostrae apostolicae, eorumque exactiones, disponere et ordinare, ac quaecumque statuta, ordinationes et constitutiones circa praemissa et alia quaecumque, prout tu magis expedire iudicaveris, condere, publicare et observare facere, necnon omnia et singula ad Statum, gubernium, regimen ac administrationem civitatum, oppidorum et locorum praedictorum, atque custodiam arcium et fortalitiorum, necnon populorum pacem et quietem, et annonae abundantiam spectantia ac tam gratiam quam iustitiam concernentia (etiamsi talia forent, quae sub generali verborum significatione non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, ac speciali notâ digna essent) facere, gerere, ordinare, statuere, mandare, exequi et facere perinde in omnibus et per omnia possis, valeas et debeas, ac nos ipsi facere, gerere, ordinare, statuere, mandare, exequi et facere possemus, plenissimam, amplissimam et absolutam facultatem, potestatem et auctoritatem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impartimur. Et nihilomi-

1 Male edit. Main. legit *erit* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *prudentia* (R. T.).

2 Vocem *ut* nos addimus (R. T.).

nus si aliqua per te fieri, statui et ordinari contigerit, quae tibi sub generali huiusmodi facultate minime comprehendi videbuntur, ea nos, prout tu ad nos retuleris, nominatim omnia confirmabimus et approbabimus.

Cardinalem aliquos nobiles laicos creare posse comites et equites declarat.

§ 2. Praeterea (ut in huius tui regiminis initio erga illos, qui se in nos et apostolicam Sedem devotos et fideles exhibuerunt, nostram et huius Sedis munificentiam magis ostendere, teque gratum et benevolum, ut decet, reddere possis) facultatem creandi aliquos laicos nobiles, usque ad numerum quindecim, in palatii et aulae Lateranensis comites et auratae militiae equites per alias nostras litteras tibi concessam, usque ad quemcumque numerum tibi benevisum, auctoritate et tenore praedictis, extendimus et ampliamus.

Obstantia tollit.

§ 3. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI iunii MDCXXXI, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 11 iunii 1631, pontif. anno VIII.

CDIV.

Confirmatio nonnullorum decretorum per sacram congregationem episcoporum et regularium super diversis controversiis inter metropolitanos et suffraganeos editorum[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Decreta sacrae Congregationis episcoporum et regularium.

§ 1. Nuper pro parte venerabilis fratris episcopi Urgellensis nobis expositum fuit, quod a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, negociis episcoporum praepositis, emanarunt super diversis controversiis inter metropolitanos et suffraganeos decreta infrascripta, videlicet:

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Metropolitani, archiepiscopi, primates aut patriarchae in suffraganeos eorumve subditos non iudicent, nisi in casibus a iure expressis:

Iidem[1], nec alii superiores, etiam nuncii vel legati de latere specificam facultatem maiorem non habentes, causas in curiis Ordinariorum vel aliorum inferiorum iudicum pendentes ad se non advocent, nisi per viam legitimae appellationis ad ipsorum tribunalia deferantur, tumque appellationes ab inferiorum iurisdictionibus quoad alias causas eximere non possint:

Appellationes numquam recipiantur, nisi per publica documenta, quae realiter exhibeantur, prius constiterit appellationem a sententiâ definitivâ, vel habente vim definitivae, aut a gravamine quod per definitivam sententiam reparari non possit, in casibus a iure non prohibitis per legitimam personam et intra debita tempora fuisse interpositam ac prosequutam;

Nec, dum causae coram inferioribus iudicibus pendent, ante definitivam sententiam, vel vim definitivae habentem, de gravamine illato superiores cognoscere valeant, licet citra praeiudicium cursus causarum se id facere contestentur; nec ad hunc effectum liceat eis inhibere aut simpliciter mandare, ut ipsis copia processus transmittatur, etiam expensis appellantis:

Inhibitiones post appellationem sicut praemittitur receptam non concedantur, nisi cum inscriptione tenoris sententiae aut decreti definitivi aut vim definitivi habentis, vel damnum per definitivam irreparabile continentis; aliàs inhibitiones et processus et inde sequuta quaecumque sint ipso iure nulla, eisque impune non parere liceat.

Si appellans asserat sententiae aut appellationis exemplum, culpâ iudicis a quo, vel actuarii, habere non posse, non ideo

1 Male edit. Main. legit *Idem* (R. T.).

recipienda est appellatio aut aliqua inhibitio concedenda, sed eis tantum, ad quos pertinet iniungi poterit, ut solutâ condignâ mercede actorum, exemplum authenticum appellanti intra brevem aliquem competentem terminum tradatur; caveat tamen iudex a quo, ne, si vere appellatum fuerit, in casu appellabili interim aliquid in praeiudicium appellantis attentet; et, si per actum[1] publicum aut per testium depositiones constiterit acta denegari appellanti, tunc mandato tradendi acta possit iudex appellationis adiicere *ne interim aliquid novi contra appellantem attentetur:*

Ab exequutione decretorum sacri Concilii Tridentini aut visitationis apostolicae appellationes a metropolitanis non recipiantur, nec si episcopi virtute eiusdem sacri Concilii procedunt uti Sedis Apostolicae delegati in causis quae sub eorum iurisdictione ordinariâ non comprehenduntur, salvâ tamen in hoc casu legatorum et nunciorum apostolicorum auctoritate;

In causis vero visitationis Ordinariorum aut correctionis morum, quoad effectum devolutivum tantum, admittantur, nisi de gravamine per definitivam irreparabile agatur, vel cum visitator, citatâ parte et adhibitâ causae cognitione, iudicialiter procedit, tunc enim appellationi locus erit, etiam quoad effectum suspensivum:

Cum a gravamine, quod per definitivam reparari nequit, ut indebitae carcerationis vel torturae, aut excommunicationis etiam comminatae appellatur, nonnisi visis actis, ex quibus evidenter appareat de gravamine, appellatio admittatur, aut inhibitio vel provisio aliqua concedatur:

Causâ appellationis pendente, appellans in eodem, quo reperitur, carcere permanebit, quoad iudex, ad quem appellatum est, visis actis et causâ cognitâ, aliter decreverit; et tunc, si a iudicis ad quem decreto vim difinitivae habente fuerit appellatum, nihil mandare, aut pro sui decreti exequutione attentare poterit, donec per iudicem superiorem aliud fuerit ordinatum:

Acta originalia processuum primae instantiae ad iudicem appellationis notarius mittere non cogatur, nisi probabilis aliqua falsitatis causa et suspicio incidat, quae iudicialiter obiiciatur, et tunc, terminatâ causâ, remittenda sunt ad Ordinarium, ut suo archivio conserventur:

Censura ecclesiastica in appellantem prolata relaxari aut nulla declarari per iudicem appellationis non possit, nisi auditis partibus et causâ cognitâ, tuncque, si constiterit eam iustam esse, ad iudicem, qui excommunicavit, appellans remittendus est, ut ab ipso iuxta sacros canones beneficium absolutionis, si humiliter petierit debitamque emendationem praestiterit[1], obtineat; si vero iniustam esse clare appareat, superior absolutionem impendat; si dubitetur, honestius est ut ad excommunicatorem intra brevem aliquem competentem terminum eidem praefigendum absolvendus remittatur, licet etiam superior hoc casu[2] idipsum per se praestare iure possit; absolutio ad cautelam, nonnisi parte citatâ et visis actis, cum dubitatur de nullitate excommunicationis ab homine prolatae vel a iure, si occurrat dubium facti vel probabile dubium iuris, concedenda erit, tuncque ad tempus breve cum reincidentiâ et praestitâ per excommunicatum cautione de stando iuri et parendo mandatis Ecclesiae tantum; et, si iuxta formam a iure praescriptam apparebit, aliquem[3] ob manifestam offensam excommunicatum fuisse, debitam etiam satisfactionem praestare, et, si ob contumaciam manifestam, expensas pariter satisfa-

1 Edit. Main. legit *actus* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *prostiterit* (R. T.).

2 Praep. *in* delemus (R. T.).

3 Edit. Main. legit *quem* (R. T.).

cere, et cavere de iudicio, ac[1] sisti coram excommunicatore quis tenebitur, priusquam ad cautelam absolvatur. A sententiâ etiam definitivâ, contra verum contumacem prolatâ, appellatio non recipiatur, nec inhibitio aut alia quaevis provisio, quamdiu appellans in huiusmodi verâ contumaciâ perstiterit[2], concedatur.

Sacra congregatio cardinalium, negociis episcoporum et regularium praeposita, censuit petitas litteras in formâ Brevis, si Sanctissimus Dominus noster annuat, esse expediendas. Romae, die IX maii MDCXXXI.

FRANC. ANTONIUS Card. HONUPHRIUS,
P. FAGNANUS, *secretarius.*

Episcopus Urgellensis haec decreta petit confirmari.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus episcopus decreta praeinserta, ut exactius observentur, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desideret:

Pontifex confirmat.

§ 3. Nos, illum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, decreta praeinserta apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes illa necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV iunii MDCXXXI, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 14 iunii 1631, pontif. anno VIII.

1 Coniunct. *ac* nos addimus (R. T.).

2 Male, ut puto, edit. Main. legit *praestiterit* (R. T.).

CDV.

Confirmat decretum Congregationis Palatinatus in causâ vertente inter archiepiscopos S. R. I. electores ac eorum suffraganeos et abbates Congregationis Bursfeldensis Ordinis sancti Benedicti super validitate unionis aliarum congregationum ac monasteriorum eiusdem Ordinis ab eisdem abbatibus factae emanatum[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Congregatio Palatinatus unionem aliarum Congregationum et monasteriorum ab abbatibus factam Irritam esse declaravit.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt venerabiles fratres Maguntinensis, Coloniensis et Treverensis archiepiscopi, S. R. I. principes electores, quod, in causâ vertente inter eos eorumque suffraganeos ex unâ et dilectos filios abbates Congregationis Bursfeldensis Ordinis sancti Benedicti ex alterâ partibus super validitate unionis aliarum congregationum et monasteriorum eiusdem Ordinis nuper ab eisdem abbatibus factae in congregatione generali Ratisbonae non ita pridem celebratâ, venerabiles fratres nostri sanctae Roma-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

nae Ecclesiae cardinales negotiis Palatinatus praepositi, auditis partium procuratoribus et advocatis, reque mature discussâ, unionem huiusmodi nullam atque irritam esse censuerunt[1], prout in decreto desuper confecto plenius dicitur contineri.

Archiepiscopi decretum hoc confirmari cupiunt,

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti archiepiscopi plurimum cupiant decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri; nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Quibus Urbanus annuit.

§ 3. Nos igitur, illos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, decretum praeinsertum apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Ferdinando regi, ut eisdem abbatibus, ne aliquid novi statuant, inhibeat, mandat.

§ 4. Necnon dilecto filio nostro et Sedis Apostolicae apud charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Romanorum regem in imperatorem electum nuntio per praesentes committimus et mandamus, ut eisdem abbatibus inhibeat ne de cetero in hac materiâ aliquid novi statuere vel attentare praesumant, salvo tamen iure redigendi monasteria in congregationes particulares ad praescriptum sacrorum canonum et decreti sacri Concilii Tridentini.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV iulii MDCXXXI, pontificatus nostri, anno VIII.

Dat. die 4 iulii 1631, pontif. anno VIII.

1 Male edit. Main. legit *censuit* (R. T.).

DCVI.

Facultas legato Ferrariensi super obsidibus pro confirmatione pacis Italiae nomine sanctae Sedis accipiendis[1].

Dilecto filio nostro Ioanni Baptistae tituli S. Silvestri in Capite presbytero cardinali Pallotto nuncupato, in civitate et ducatu nostris Ferrariensibus nostro et Apostolicae Sedis de latere legato,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium a petitionibus sumptum.

Cum, sicut accepimus, pro perfectione pacis Italiae nonnullae inter deputatos seu plenipotentiarios charissimorum in Christo filiorum nostrorum Ferdinandi Romanorum regis in imperatorem electi et Ludovici Franciae regis christianissimi in oppido Cheraschi pactiones sub die XIX iunii proxime praeteriti initae fuerint, et in illarum exequutionem iidem deputati ad nos et hanc sanctam Sedem obsides hinc inde deducendos dederint, firmatisque subinde inter nostrum et huius sanctae Sedis nuntium ac deputatos seu plenipotentiarios praedictos sub câdem die conditionibus inter eos convenerit, ut obsides praedicti primum ad Civitatemveterem[2], seu alium nobis benevisum locum, et inde ad almam Urbem nostram transferantur, sed postea iidem deputati seu plenipotentiarii a nobis enixe petierint ut dilectos filios colonnellos Octavium Piccolomineum, baronem Ioannem Baptistam Ecclesiam et vicecomitem Wissebensem, eiusdem Ferdinandi regis in imperatorem

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Vulgo *Civitavecchia* (R. T.).

electi cubicularios, necnon marchionem de Tavanes marescialium campi, marchionem de Nerestanensem colonnellum unius regimenti, et baronem de Aiguebona, etiam colonnellum unius regimenti et gubernatorem de Brianzone pro eodem Ludovico rege obsides datos, excipere custodiendos et suis loco et tempore restituendos seu tradendos, iuxta tenorem praedictarum conditionum seu pactionum a dicto nuntio nostro et deputatis seu plenipotentiariis praedictis subscriptarum, de speciali huius sanctae Sedis benignitate dignaremur:

Legato Ferrariensi, ut obsides, postquam quarantenam confecerint, recipiat;

§ 1. Idcirco nos, qui, pro perficiendâ pace huiusmodi, et publicâ componendâ quiete, et religionis catholicae bono, partes nostras nullatenus desiderari passi sumus, circumspectioni tuae per praesentes iniungimus, ut, iuxta formam dictarum conditionum seu pactionum ab eodem nostro nuntio et deputatis seu plenipotentiariis praedictis subscriptarum, obsides huiusmodi recipias (non prius tamen, quam commorati fuerint aliquo in loco tibi beneviso, quamdiu iudicentur sic omnem amovisse a se morbi contagiosi suspicionem, atque ita completâ, ut vulgo dicitur, quarantenâ, qua durante obsides praedictos in nostram fidem recipere et in custodiâ habere non intendimus, neque ullo modo ad rationem de eorum discessione vel fugâ reddendum obnoxii esse volumus, etiamsi ad eorum bonum statum valetudinis probandum ut vulgo dicitur quarantenam agant et excubiae militum iussu tuo adhibeantur, quandoquidem illae eo dumtaxat fine agentur, ut obsides et alii praedicti in dictâ valetudinis probatione seu quarantenâ tuto permaneant), expletis autem praemissis, et praedictis obsidibus ad locum ipsi civitati Ferrariensi ita vicinum, tibique benevisum, deductis, ut eodem die, celebrato tamen prius receptionis eorumdem obsidum instrumento, in arcem, seu, ut dicitur, cittadellam eiusdem civitatis Ferrariensis transferri et custodiri possint, tu illos nostro et eiusdem sanctae Sedis nomine in custodiam traditos excipias, ac desuper instrumentum receptionis huiusmodi confici et celebrari cures, cum insertione dictarum conditionum a nuntio nostro subscriptarum, ac praesentium litterarum, et iuxta illorum et illarum tenores, et non aliàs nec alio modo, nihil penitus immutato, nisi illâ conditione de accessu dictorum obsidum ad Civitatemveterem et almam Urbem nostram, quarum loco, ut ipsos uberioris gratiae favore prosequamur, arcem vulgo dictam cittadellam Ferrariensem et alia loca praedicta subrogamus.

Eosque in arcem Ferrariensem transferat.

Arcisque castellano in custodiam tradat.

§ 2. Volumus autem, ut tu obsides praedictos praedictae arcis Ferrariensis castellano, vel illi cui eiusdem arcis custodia incumberit, recepto prius ab eo de illis custodiendis per instrumentum publicum promissione et iuramento, sub tutâ et securâ custodiâ servandos tradas, super quibus omnibus et singulis, ac etiam ad illa unum seu plures cum simili vel limitatâ facultate et potestate substituendi et subdelegandi[1], plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impartimur.

Obstantia tolluntur.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x iulii MDCXXXI, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 10 iulii 1631, pontif. anno VIII.

CDVII.

Communicatio et extensio indulgentiae ecclesiae S. Mariae Angelorum Assissiensis tempore pestis[2].

1 Edit. Main. habet *subdelegendi* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Proœmium. Paternae ac praecipuae charitatis affectus, quo gregem dominicum curae nostrae divinitus creditum prosequimur, ingiter nos impellit, ut communi illius saluti, quantum nobis ex alto conceditur, pastorali sollicitudine invigilemus.

Causae huius constitutionis. § 1. Cum itaque (sicut non sine gravi animi nostri moerore accepimus) contagium in nonnullis civitatibus et locis Italiae grassari asseratur: nos, pro iniuncto nobis desuper apostolicae servitutis officio, pro avertendo, quantum divinae placuerit misericordiae, contagionis huiusmodi periculo, nihil, quod ad muneris nostri partes spectat, praetermittere, ac eiusdem gregis spirituali consolationi animarumque saluti paternâ charitate consulere volentes,

Extensio indulgentiae, de qua in rubricâ § 2. De omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, indulgentiam Portiunculae nuncupatam, christifidelibus ecclesiam B. Mariae Angelorum Assisiensem[1] secundâ die mensis augusti visitantibus concessam, omnibus et singulis domorum fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci, tam Conventualium quam de Observantia et Cappuccinorum nuncupatorum ac etiam tertii Ordinis eiusdem sancti Francisci, ubilibet in Italiâ existentibus, et, ubi domus eorumdem fratrum non sunt, matricibus seu principalibus ecclesiis locorum in Italiâ similiter existentium, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, hac vice dumtaxat communicamus, et ad easdem extendimus: ita ut christifideles, ecclesias dictorum fratrum, et, ubi illae non sunt, matrices seu principales praedictas eâdem die devote et vere poenitentes et confessi ac sacrâ communione refecti visitantes, eamdemmet indulgentiam consequantur, sicut consequerentur, si dictâ die ecclesiam praefatam S. Mariae Angelorum visitarent, aliaque propterea adimplenda adimplerent.

Derogatio contrariorum. § 3. Non obstante regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides. § 4. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv iulii MDCXXXI, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 15 iulii 2631, pontif. anno VIII.

1 Edit. Main. legit *Assisiensis* (R. T.).

CDVIII.

Commissio episcopo Portugallensi, ut inhibeat iudicibus secularibus, ne causas civiles monialium monasteriorum Ordinis S. Benedicti in suâ dioecesi existentium ullo modo cognoscere audeant[1].

Venerabili fratri episcopo Portugallensi,
Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Cum iudices seculares causas monialium monasteriorum episcopo Portugallensi subiectorum cognoverint, § 1. Cum, sicut nobis nuper exponi fecisti, nonnullae personae seculares unius Ordinis S. Benedicti in civitate Portugallensi, et aliàs, de Vairam nuncupatâ, in dioecesi Portugallensi existentium monialium monasteriorum iurisdictioni tuae in spiritualibus et temporalibus subiectorum moniales in causis, in quibus ipsae reae existunt, coram iudicibus secularibus (sub falso praetextu quod in istis casibus in isto regno Portugalliae superiores non habeant) conveniant seu convenire praeten-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

dant, in grave iurisdictionis et libertatis ecclesiasticae praeiudicium:

Pontifex episcopo, ne hoc permittat, mandat.

§ 2. Nos, in praemissis, quantum nobis ex alto conceditur, providere volentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, fraternitati tuae per praesentes iniungimus, ut sub censuris et poenis contra turbantes libertatem ecclesiasticam promulgatis, districte inhibeas iudicibus secularibus praedictis, ne causas monialium monasteriorum huiusmodi, si eae, ut praefertur, coram ipsis conveniantur, ullo modo audeant agnoscere, vel in aliquo procedere, vel se ingerere, sed easdem causas ad suos iudices ecclesiasticos competentes statim remittant; ac, si non paruerint, contra eosdem ad declarationem censurarum et poenarum, quas ob praemissa incurrerint, omnino procedas, vel aliàs provideas, quemadmodum tibi pro tuâ prudentiâ et zelo magis expedire visum fuerit.

Obstantium derogatio.

§ 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI iulii MDCXXXI, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 16 iulii 1631, pontif. anno VIII.

CDIX.

Confirmatio decreti Congregationis Concilii, quo declaratur Clementinam Dudum de sepulturis *non esse observandam, nisi cum ipsemet episcopus praedicat; parochus autem inter missarum solemnia etiam eâdem horâ, qua episcopusmet in cathedrali praedicat, posse in suâ parochiâ ad plebem suam sermonem habere*[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Refert supplicationes factas sacrae Congregationis Concilii.

Nuper, pro parte dilectorum filiorum rectoris, seu vicarii, portionariorum, capituli, necnon confraternitatis parochialis ecclesiae S. Petri civitatis Terulensis, nobis expositum fuit, quod aliàs a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sacri Concilii Tridentini interpretibus emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Eminentissimi et reverendissimi domini. Rector, seu vicarius, portionarii, capitulum, necnon confraternitas parochialis ecclesiae S. Petri civitatis Terulensis regni Aragonum, porrecto supplici libello, obtinuerunt a sacrâ rituum congregatione litteras directas domino episcopo Terulensi, ut diebus dominicis et festivitatibus de praecepto permitteret praedicari verbum Dei in eâdem parochiâ, etiam quod iisdem diebus esset in cathedrali praedicandum, attento quod id redundaret in gloriam Dei et utilitatem animarum dictae parochiae, ut patet ex litteris sub datum XXVIII augusti MDCXXVIII.

Et, cum una ex principalioribus festivitatibus in dictâ parochiâ solitis celebrari esset festivitas sancti Blasii, cuius magna est populi devotio et fidelium concursus, ac[1] illâ die et pro illâ esset destinatus praedicator pater guardianus sancti Francisci dictae civitatis, episcopus, aegreferens futuram praedicationem illâ die, cum non posset directe contravenire mandatis sacrae congregationis, et verbi[2] Dei praedicationem sine dedecore impedire per indirectum intentatum assequi praetendens, revocavit licentiam praedicandi dicto guardiano, prout ille respondit dum denuo invitaretur ad praedicandum.

Habitâ notitiâ de praemissis, pro parte oratorum fuit habitus recursus ad episco-

1 Coniunct. *ac* nos addimus (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *verbum* (R. T.).

pum humiliter supplicando, ut se conformaret cum litteris sacrae congregationis, illius mandatis parendo, qui respondit, se litteras sacrae congregationis narrati tenoris recepisse, sed statim respondisse certiorando de possessione in qua existebat cathedralis, ne praedicaretur in parochiâ quando in cathedrali etiam praedicandum erat, significando etiam resultare inconvenientia ex eo quod in dictâ parochiali eo tempore praedicaretur et oratores obtinuissent intentum, et quod habuerat responsum a suo agente in Romanâ curiâ qualiter sacrae congregationi praesentatae fuissent suae litterae responsoriae, et quod ulterius praeceptum sacrae congregationis non habuerat, et quod erat paratus parere cuicumque novo mandato, sed quod interim non poterat dare licentiam praedicandi, quia erat in praeiudicium tertii, ut patet ex instrumento authentico responsionis sub die primâ februarii praeteriti.

Cum igitur dominus episcopus, abutens urbanitate praedictae sacrae congregationis (quae modestiae[1] ergo non praecipit, sed, asserens inclinare[2], fecit intendere domino episcopo, ut se conformaret cum intentione eiusdem sacrae congregationis), et nolens intelligere quod sacrae congregationis preces sunt praecepta, litteris praedictis parere recusavit;

Supplicant oratores praedicti humiliter DD. VV. eminentissimis, quatenus dignentur declarare, licere vicario et portionariis dictae ecclesiae S. Petri in suis festivitatibus singularibus, videlicet sancti Stephani protomartyris, sancti Petri, sancti Blasii ac sancti Lucae, necnon singulis primis diebus dominicis singulorum mensium, in quibus renovatur sacrosanctum eucharistiae sacramentum cum processione et magnâ solemnitate, facere praedicare in eâdem ecclesiâ, etiam tempore in quo in cathedrali praedicatur, urgente gloriâ Dei ac Sanctorum, et utilitate animarum, et totius civitatis et populi consolatione. Quod, etc. Quas Deus, etc.

Decretum.

Die XXI iunii MDCXXXI, Sacra Congregatio eminentissimorum patrum Concilii Tridentini interpretum respondit, dispositionem Clementinae *Dudum de sepulturis* non esse observandam, nisi cum ipsemet episcopus praedicat; parochos autem inter missarum solemnia, etiam eâdem horâ, quae episcopusmet praedicat, posse ad plebem suam sermonem habere.

Exponentes decretum hoc petunt confirmari.

§ 1. Cum autem, sicut expositio praedicta subiungebat, dicti exponentes plurimum cupiant decretum praeinsertum apostolicae nostrae confirmationis robore communiri:

Quod Urbanus efficit.

§ 3. Nos, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae pro praesentium litterarum firmitate.

§ 4. Decernentes illud necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos,

1 Male edit. Main. legit *modestia* (R. T.).

2 Forsan legendum *asserens se inclinare in unam partem* (R. T.).

etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum deputatio.

§ 5. Quocirca dilectis filiis causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, ac decano ecclesiae Albarasinensis, et priori secularis et collegiatae ecclesiae oppidi de Mora, Terulensis dioecesis, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte exponentium praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ decretum praedictum ab omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari; non permittentes illos desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles, et praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Obstantium derogatio.

§ 6. Non obstantibus, etc. ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII iulii MDCXXXI, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 18 iulii 1631, pontif. anno VIII.

CDX.

Prorogatio indulgentiae plenariae in formâ Iubilaei, de qua supra constitione CCCLVI, *ad alios tres menses, scilicet septembris, octobris et novembris, cum indulto, ut, qui dictam indulgentiam consequuti iam sunt, illam denuo consequi valeant, ac decreto, ut, eisdem tribus mensibus elapsis, quaecumque extensiones et ampliationes indulgentiae huiusmodi, ad certum tempus factae, etiam eo ipso expirent.*

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Recenset extensiones aliàs factas.

Aliàs a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: *Dilectis filiis clero et populo Romano,* etc. *(Omittitur tenor, quia habes supra loco citato in rubrica, pag. 148).*

§ 1. Et subinde multorum venerabilium fratrum archiepiscoporum et episcoporum, necnon dilectorum filiorum, nobilium virorum, ducum, principum et aliorum magnatum in Italiâ et insulis illi adiacentibus existentium, supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas litteras nostras concessionis indulgentiarum ac facultatis eligendi confessarium, cum omnibus et singulis in eis contentis indultis, clausulis et decretis, ad universos utriusque sexus christifideles seculares et regulares tunc temporis in Italiâ et insulis praedictis existentes, necnon ecclesias per Ordinarios locorum seu per alios de eorum mandato designandas, et confessarios ab iisdem Ordinariis approbatos seu approbandos, spatio trium similiter mensium a die publicationis litterarum desuper expeditarum inchoandorum durante, apostolicâ auctoritate extendimus, praedictisque christifidelibus necnon ecclesiis et confessariis concessiones, facultates et indulta praedicta cum clausulis et decretis huiusmodi communicavimus; et postmodum, tam praeinsertas, quam alias subinde expeditas litteras praedictas, cum omnibus et singulis in eis contentis concessionibus, facultatibus, indultis, indulgentiis, clausulis et decretis,

pluries, et novissime ad iunii et iulii proxime praeteritos et praesentem augusti menses extendimus pariter et prorogavimus, prout in diversis nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum omnium tenores etiam praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[1].

Nova concessio, cum facultate denuo consequendi, adimplendo ut in rubricâ.

§ 2. Cum autem per abundantiam divinae misericordiae alma Urbs nostra, ac multae aliae civitates et provinciae, non solum sanctae Romanae Ecclesiae, verum etiam aliarum ditionum et dominiorum temporalium in Italia et insulis praedictis existentium, a periculis et calamitatibus huiusmodi immunes hactenus conservatae et aliae etiam liberatae fuerint: nos, ut christifideles praedicti caelestium miserationum fructus uberius consequi mereantur peramplius providere volentes, tam praeinsertas quam alias subinde expeditas litteras praedictas, cum omnibus et singulis in eis contentis concessionibus, facultatibus, indultis, indulgentiis, clausulis et decretis, ad tres menses proximos, videlicet septembris, octobris et novembris (quibus durantibus, si omnia et singula in praeinsertis litteris expressa dicti christifideles adimpleverint, ac etiam pro felici statu religionis catholicae in Germania devote, ut praefertur, oraverint, illi omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones praedictas, cum omnibus facultatibus, gratiis et indultis huiusmodi, consequi valeant), auctoritate praedictâ, tenore praesentium, iterum extendimus et prorogamus. Necnon iis, qui, earumdem praeinsertarum litterarum illarumve extensionum, ut supra factarum, vigore, indulgentias et peccatorum remissiones praedictas consequuti iam sunt, si omnia et singula in praeinsertis litteris huiusmodi contenta et expressa tribus mensibus per praesentes prorogatis durantibus denuo adimpleverint, ac etiam pro felici statu religionis catholicae in Germania devote, ut praefertur, oraverint, ut easdem omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones, cum omnibus facultatibus, gratiis et indultis praedictis, iterum consequi valeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus. Quia vero, ad supplicationem nonnullorum episcoporum ac principum et rerumpublicarum, concessiones, facultates, indulta, indulgentias et remissiones peccatorum in praeinsertis litteris contentas ad certas civitates, diocceses, provincias et loca extra Italiam existentia ad certum tempus extendimus et ampliavimus, volumus, et dictâ auctoritate decernimus, ut, tribus mensibus per praesentes prorogatis, ut praefertur, elapsis, omnes et quaecumque extensiones et ampliationes gratiarum per nos factae huiusmodi pariter eo ipso expirent, nulliusque sint roboris vel momenti, nec cuiquam ulterius suffragentur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem praesentes litterae facilius omnibus innotescant, volumus, ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae eisdem ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII augusti MDCXXXI, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 27 augusti 1631, pontif. anno IX.

CDXI.

Quod fratres Cappuccini conventus terrae Modogni, Barensis dioecesis, non pos-

1 Quas vide supra pag. 150, 176, 208, 233 (R. T.).

sint prohiberi in publicis processionibus incedere sub propriâ cruce[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Petitio.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii guardianus et fratres domus Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum nuncupatorum terrae Modogni Barensis dioecesis, quod nuper a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sacris ritibus praepositis emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Decretum sacrae rituum Congregationis.

§ 1. Fratres Cappuccini terrae Modogni, Barensis dioecesis, conquesti sunt de clero seculari illius loci, prohibente eos in publicis processionibus incedere sub propriâ cruce, supplicantes sibi provideri. Et sacra rituum congregatio respondit, regulares in publicis processionibus non posse prohiberi, quin incedant sub propriâ cruce, et ita in casu proposito servari mandavit. Die II augusti MDCXXXI, non obstante contrariâ consuetudine.

Confirmatio decreti, de qua in rubricâ.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, guardianus et fratres praedicti plurimum cupiant decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et inviolabiliter observetur, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri: nos, guardianum et fratres praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum decretum huiusmodi apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Contrariis derogat.

§ 3. Decretumque huiusmodi ac praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, ac guardiano et fratribus praedictis plenissime suffragari, ac ab omnibus, ad quos spectat ei in futurum spectabit, inviolabiliter observari debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra habeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX augusti MDCXXXI, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 30 augusti 1631, pontif. anno IX.

1 De huiusmodi fratribus lege quae notavi ad Const. XXIV Clementis VII, *Religionis*, tom. VI, pag. 113. Et eisdem, ut crucem propriam in publicis processionibus ubique locorum deferre possint, indulsit Paulus V in Const. CCXCIX (*al.* 279), *Pastoralis*, tom. XII, pag. 411.

CDXII.

Indultum pro fratribus reformatis Discalceatis Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum Hispaniae quaerendi, petendi et recipiendi eleemosynas, oblationes et legata, ac alia quaecumque subsidia pro redemptione captivorum relicta.

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Ex incumbenti nobis desuper apostolicae servitutis officio religiosos viros, divinis obsequiis ac charitatis et misericordiae operibus, praesertim vero fidelium captivorum redemptioni, vacantes, pastorali benignitate complectimur, utque in eorumdem operum exercitio magis confoveantur, ac vota sua Domino reddere valeant, favoribus et gratiis prosequimur opportunis, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causae huius Constitutionis. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Gabriel de Assumptione minister generalis et procurator etiam generalis fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum congregationis Hispaniarum, quod aliàs, felicis recordationis Nicolao Papae IV praedecessori nostro pro parte tunc existentium procuratoris fratrum domus S. Mariae de Mercede Captivorum nuncupatae Barchinonensis Ordinis S. Augustini exposito, quod ipsi omnia sua, quae habebant, sollicito studio pro captivorum redemptione reponebant, proindeque cupiebant exhiberi eis, quae pro redemptionis captivorum huiusmodi a christifidelibus relinquebantur, idem Nicolaus praedecessor tunc existenti episcopo Caesaraugustano per suas desuper expeditas litteras, sub certis modo et formâ tunc expressis, dedit in mandatis, quatenus pecunias, terras, possessiones et alia bona, quae generaliter a christifidelibus relinquuntur pro redemptione huiusmodi faciendâ (illis dumtaxat exceptis, quae certis et expressis personis in captivitate detentis relicta vel dimissa esse censerentur) priori et fratribus praedictis exhiberi faceret, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, proprium ac praecipuum fratrum Discalceatorum praedictorum institutum sit christifideles in teterrimâ infidelium servitute detentos redimere, et, quo redemptio huiusmodi copiosius et frequentius fiat, iuxta eorum regulae dispositionem caveatur, ut in[1] omnibus ipsius congregationis conventibus tertia pars omnium bonorum et eleemosynarum ad hunc effectum separetur, facultates vero propriae ad huiusmodi pium Deoque maxime acceptum opus peragendum nequaquam sufficiant, ac christifidelium eleemosynae ad id valde opportunae existant: nobis propterea Gabriel et procurator praedicti humiliter supplicari fecerunt, ut desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Facultas, de qua in rubricâ. § Nos igitur, fratres Discalceatos praedictos in huiusmodi piis et sanctis operibus confovere ac specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, fratribus Discalceatis praedictis, nunc et pro tempore existentibus, quod omnia et singula eleemosynas, oblationes atque legata, tam ex testamento,

1 Praep. *in* nos addimus (R. T.).

quam aliâs quomodolibet, pro redemptione captivorum legata et relicta, necnon alia quaecumque subsidia, in omnibus civitatibus, villis et castellis in regnorum Hispaniae, et praecipue Aragoniae, Navarrae, Valentiae et Catalaunniae, quaerere, petere et recipere, libere et licite possint et valeant (dummodo tamen in quaerendis et recipiendis eleemosynis praedictis nihil a fratribus Discalceatis praedictis contra dispositionem sacri Concilii Tridentini super prohibitâ eleemosynarum quaestuatione committatur), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus et impertimur. Decernentes, illos super praemissis a quoquam, quavis auctoritate fungente[1], quovis praetextu, causâ, vel occasione, quoquomodo impediri, molestari, vel perturbari nullatenus posse, nec debere;

Clausulae praeservativae.

§ 3. Praesentesque litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, eisdemque fratribus Discalceatis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, illosque earum commodo et effectu pacifice frui et gaudere;

Clausula *sublatâ*.

§ 4. Sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum deputatio.

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis in dictis regnis constitutis, ac dilectis filiis illorum officialibus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte fratrum Discalceatorum praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illique et illis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos praemissorum commodo et effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes illos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstante piae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, ac praedictâ Nicolai praedecessoris et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon domus S. Mariae Captivorum huiusmodi et illius Ordinis praedicti, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus aliisque decretis, in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ac specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu ali-

1 Male edit. Main. legit *fungentes* (R. T.).

cuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae eisdem ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v septembris MDCXXXI, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 5 septembris 1631, pontif. anno IX.

CDXIII.

Quod fratres Cappuccini (exceptâ provinciâ Romanâ) non audeant accedere Romam, absque licentiâ cardinalis protectoris, aut superiorum generalium [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Prooemium. In speculâ militantis Ecclesiae, nulli licet nostris suffragantibus meritis, divinâ providentiâ constituti, ad ea potissimum vigilantiae nostrae studium intendimus, per quae religiosi viri, qui, spretis huius seculi vanitatibus, divini nominis obsequiis sese manciparunt, in viâ Domini prospere dirigantur et gubernentur.

Praecipit, prout in rubricâ. § 1. Hinc est quod nos, felici dilectorum filiorum fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum statui et gubernio, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, omnibus et singulis eiusdem Ordinis provinciis (exceptâ Romanâ) illarumque superioribus quocumque nomine nuncupatis, ne deinceps aliquem vel aliquos dicti Ordinis religiosos, tam propriae eorum, quam quarumvis aliarum provinciarum huiusmodi, quovis praetextu, occasione vel causâ, etiam quantumvis legitimâ, et a quocumque capitulo provinciali, vel quovis alio superiore approbatâ, ad almam Urbem nostram, nisi obtentâ prius in scriptis a pro tempore existentibus eiusdem Ordinis cardinale protectore, seu ministro, aut vicario, seu procuratore generalibus ad id auctoritatem habentibus licentiâ, mittere quoquomodo audeant, seu praesumant, sub excommunicationis maioris latae sententiae, tam quoad ipsas provincias, earumque superiores mittentes, quam quoad religiosos absque huiusmodi licentiâ accedentes, ac etiam, quoad ipsos religiosos, privationis vocis activae et passivae per triennium, et mancipationis carceribus per annum, per contrafacientes incurrendis poenis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

Decretum irritans. § 2. Non obstantibus quibusvis decretis per felicis recordationis Clementem VIII factis, et per Paulum V et Gregorium XV Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam per nos, approbatis et confirmatis, nec [1] aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem provinciis, illarumque superioribus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis

1 Fratres isti ad laxiorem Ordinem transire non valent, prout in Const. CCXCVIII (*al.* 273), *Iniuncti nobis*, supra pag. 1; ac provinciam Romanam eorumdem subiecit generali ministro Urbanus VIII in sua Const., *Iniuncti nobis*, ut infra.

1 Potius lege *necnon* (B. T.).

habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 3. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu ministri seu vicarii aut procuratoris generalis praedicti subscriptis, et sigillo dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII septembris MDCXXXI, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 13 septembris 1631, pontif. anno IX.

CDXIV.

Moderatio constitutionis editae a Clemente VIII circa distractionem castrorum et bonorum, etiam fideicommissariorum, pro satisfactione creditorum baronum et domicellorum Status Ecclesiastici, quod non habeat locum quoad debita contracta post sex menses a die archiviationis instrumentorum ac vinculationis bonorum[1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Romanum decet Pontificem ea, quae a suis praedecessoribus, licet rationabiliter, statuta et ordinata esse reperiuntur[2], cum iustae suadent causae, moderari et immutare, prout ipse, rerum et personarum ac temporum qualitatibus debite consideratis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Recenset provisionem Clementis VIII contra barones et domicellos aere alieno gravatos.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster (ut principum, ducum, marchionum, comitum et baronum ac domicellorum sanctae Romanae Ecclesiae subditorum, tam in Urbe eiusque districtu, quam in universo Statu Ecclesiastico existentium, creditoribus, pro facili et expeditâ pecuniarum eis debitarum consequutione, aliquâ opportunâ ratione consuleret), per quamdam suam constitutionem motu eius proprio sub datum videlicet VII kalendas iulii pontificatus sui anno V editam[1], omnibus et quibuscumque investituris, concessionibus, donationibus, fideicommissis, primogenituris, et alienandi prohibitionibus, necnon pactis de succedendo, tam in contractibus quam in ultimis voluntatibus purificatis et purificandis, super civitatibus, terris, castris, casalibus, palatiis et aliis bonis immobilibus per quoscumque ascendentes, seu collaterales, ac penitus extraneos, et forsan ipsos Romanos Pontifices praedecessores suos, etiam motu simili et consistorialiter emanatis, et sub quibuscumque clausulis, vinculis et cautelis quomodolibet factis et confirmatis, quorum omnium et singulorum tenores pro expressis haberi voluit (ad effectum ut civitates, terrae, castra, casalia, palatia et alia bona huiusmodi, praeviis eorum, pro satisfaciendis ex illorum pretio creditoribus praedictis, sub certis modo et formâ tunc expressis, subhastatione et deliberatione, semper et perpetuo penes illorum emptores et eorum successores libera et exempta remanerent[2]), ac etiam regulae de non tollendo iure quaesito plenissime et latissime apostolicâ auctoritate derogavit[3]; et successive, mentem suam amplius declarando, congregationi desuper institutae, necnon cuilibet ex personis ipsius congregationis certo etiam tunc

1 Constitutio indicata Clementis VIII est Constit. CXXXIII (*al.* 127), *Iustitiae ratio*, tom. X, pag. 270.

2 Edit. Main. legit *reperiantur* (R. T.).

1 Quam vide cit. in notâ ad rubricam (R. T.).

2 Vide § 12 cit. Clementis VIII constitutionis (R. T.).

3 Vide § 10 eiusdem constitutionis (R. T.).

expresso modo deputato[1], ultra facultates iam concessas, ut in omnibus et singulis causis super praemissis active et passive, ac aliàs quovis modo, inter quascumque ex supradictis, vel, eorumdem praemissorum occasione, etiam alias personas motis et movendis, etiam praevià a pro tempore existente causarum curiae camerae apostolicae generali auditore et aliis quibuscumque iudicibus avocatione, procedere, decreta facere, sententias ferre, mandata relaxare, eaque exequutioni demandare, aliaque circa praemissa necessaria et opportuna facere, summarie, manu regià, solà facti veritate inspectà, absque processu ac telà iudiciarià necnon terminorum etiam substantialium observatione, singulis diebus (praeterquam in honorem Dei feriatis), ac feriis indictis et indicendis non obstantibus, ac, omni et quacumque appellatione remotà, procedere[2] libere et licite posset, facultatem concessit, prout in uno seu pluribus eiusdem praedecessoris chirographis, motu, scientià et potestatis plenitudine similibus emanatis, necnon constitutione praedictà plenius continetur.

Moderatur Constitutionis Clementis VIII quod in debitis contractis post sex menses a die archiviationis instrumentorum ac vinculationis bonorum baronum et domicellorum non habeat locum ad favorem creditorum etiam privilegiatorum

§ 2. Nos, maturà deliberatione praehabità, provide pensantes, quam iustum et rationabile ac legibus consentaneum sit, ut supremae testatorum voluntates, contractus, investiturae, aliaeque dispositiones quaecumque, quantum fieri potest, effectum sortiantur, et ut simplicitati, seu facilitati, qua dicti creditores bonam fidem principum et aliorum debitorum praedictorum sequuti sunt, exemplo praedicti Clementis praedecessoris, salubri aliquo temperamento consulendum[3], ita rationem potissimum ad hoc opportunam incundam esse censuimus, ut inter eos, qui fideicommissa, prohibitiones, pacta, primogenituras, aliaque praemissa, ac onera et vincula prorsus ignorantes, et alios, qui illa scientes, sed forlasse nescire simulantes, nihilominus cum eisdem principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus et domicellis, eorumque successoribus supradictis remedio constitutionis praedictae freti contrahunt[1], distinctio fiat; quandoquidem illi commiseratione digni, isti vero, tamquam ultimas hominum voluntates eludere artificiose satagentes, dictae constitutionis beneficio, quo facilius ad pecunias, merces et alia bona credendum inducuntur, indigni omnino censendi sunt. Proinde principes, duces, marchiones, comites, barones et domicellos supradictos, qui debita quo modocumque contrahunt, ad fideicommissorum, prohibitionum, pactorum, primogeniturarum, aliorumque onerum et vinculorum huiusmodi instrumentorum desuper forsan editorum, ac penes se forsan secrete, et ad effectum[2] personas de illis ignaras in sua nomina alliciendi, retentorum, manifestationem inducere volentes, ac constitutionis et chirographorum praedictorum totos et integros tenores, etiam veriores, perinde ac si illi de verbo ad verbum nihil penitus omisso insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, motu pari, non ad alicuius nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex certà scientià meràque deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, constitutionem praedictam, cum inde sequutis ut praefertur chirographis, de cetero in debitis[3], quae ab eisdem principibus, ducibus, marchio-

1 Forsan leg. *deputatis* vel *deputatae* (R. T.).

2 Verbum *procedere* delendum puto (R. T.).

3 Syntaxis mendosa, ut quisque persentit; forsan legendum *consulatur* (R. T.).

1 Pessime edit. Main. et Cherub. legunt *contra hunc* pro *contrahunt*, et vix correctionem adhibendam coniecturâ assequi potui (R. T.).

2 Improbe iterum eadem editio Main. fert *affectum* (R. T.).

3 Perperam ibid. legitur *chirographis de cetero indebitis* (R. T.).

nibus, comitibus, baronibus et domicellis, eorumque successoribus huiusmodi, post sex menses (a die, quo fideicommissorum, prohibitionum, pactorum, contractuum, investiturarum, primogeniturarum, aliorumque onerum, vinculorum et dispositionum tam hactenus institutorum quam imposterum perpetuis futuris temporibus instituendorum instrumenta seu documenta in archivio nostro Urbano exhibita, necnon bona, in eis obstricta vel vinculata, indicata et in eodem archivio descripta fuerint, computandos) quovis modo et ex quacumque causâ seu occasione imposterum contrahentur (etiamsi creditores praedicti pupilli, viduae, societates, collegia, confraternitates et alia loca pia quovis nomine nuncupata et quantumvis exempta, ac etiam dictae sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, aut aliàs quantumvis privilegiati et speciali notâ digni existant, et quacumque etiam regali, imperiali seu aliâ praefulgeant dignitate) locum non habere debere, eâdem apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus et declaramus; ac constitutionem praedictam, cum inde secutis chirographis, in hac parte dumtaxat (ita ut, pro debitis post sex menses a die factae archiviationis fideicommissorum, prohibitionum, investiturarum, contractuum, primogeniturarum et aliorum praemissorum, ad civitatum, terrarum, castrorum, casalium et aliorum bonorum, fideicommissis, prohibitionibus, pactis, primogenituris, aliisque oneribus et vinculis huiusmodi, ut praefertur, vel aliàs quomodolibet obnoxiorum, seu tamquam talia ab eisdem principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus et domicellis, eorumque successoribus huiusmodi possessorum et obtentorum, subhastationem huiusmodi ac venditionem et pretii consignationem nullo modo deveniri possit) etiam perpetuo moderamus, corrigimus et limitamus.

Ampliat Constitutionem Clementis ad alios casus hic expressos.

§ 3. Et nihilominus, quod, si novum debitum, etiam elapsis dictis sex mensibus archiviationem, indicationem et descriptionem huiusmodi subsequentibus, ad effectum antiquum debitum extinguendi, reportatâ per novum creditorem iurium cessione, creari contigerit, constitutio praedicta, cum inde sequutis chirographis, quoad novum debitum huiusmodi, prout etiam, ne publica fides eludatur, quoad loca montium, tam hactenus erecta, quam pro tempore erigenda, etiamsi illorum erectiones (quas imposterum, nisi sufficienti assignatione, et, pensatâ qualitate et quantitate bonorum, quatenus opus sit, cautione tam pro fructibus quam pro sorte principali datis[1], et concurrentibus urgentissimis causis, ac de consensu ad successiones, fideicommissa et primogenituras vocatorum, et in eisdem ac aliis praemissis quomodocumque interesse habentium consensu, ac illa pro tempore consequi et obtinere debentium evidente utilitate, concedere nullo modo intendimus, et aliàs a nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus, quos in eamdem sententiam ituros arbitramur, per subreptionem et obreptionem emanatas et extortas, nullas et nullius roboris ac momenti fore, esse et censeri, nullique suffragari posse et debere, ac si concessae non essent, etiam decernimus) in dicto archivio non annotatae neque praesentatae fuerint, in omnibus et per omnia locum habere et servari debere[2]; necnon quod pro omnibus et singulis quomodocumque creatis et undecumque provenientibus debitis, eorumque satisfactione, super omnibus bonis cuiuscumque generis non vinculatis, sed

1 Legitur pluraliter *datis* quia refertur ad duo substantiva, *assignatione* et *cautione* (R. T.).

2 Syntaxis requirit ut legatur *locum habeat et servari debeat* nempe *constitutio praedicta*, nam in principio § praecessit *quod* et in fine sequitur *decernimus* (R. T.).

liberis[1], ac etiam super bonorum vinculatorum, etiam in archivio descriptorum, ad eos qui contraxerunt debita spectantium, fructibus, eorum vitâ durante, iuxta iuris communis dispositionem, sed et pariter super ipsis bonis vinculatis, et, ut praefertur, descriptis (si quidem debita fuerint de Sedis Apostolicae licentiâ cum derogatione vinculorum huiusmodi contracta) in vim dictae constitutionis et iuxta illius formam procedi possit et debeat; eamdemque constitutionem et chirographa[2] pupillos et alias omnes personas quantumvis privilegiatas praedictas, non solum active sed etiam passive, in praedictis constitutione et chirographis comprehensas fuisse et comprehendi debere, eisdem auctoritate et tenore similiter declaramus et decernimus.

Contra hanc formam iudicari prohibet.

§ 4. Sicque et non aliàs in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae camerarium, aliosque cardinales, etiam de latere legatos et prolegatos, dictaeque Sedis nuncios, et causarum curiae camerae praefatae generalem auditorem, ac thesaurarium et praesidentes clericos (sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane[3] quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, etiam decernimus.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstante piae memoriae Pii Papae IV etiam praedecessoris nostri de rebus interesse dictae camerae quomodolibet concernentibus in eâdem camerâ registrandis et insinuandis, ac praedictâ Clementis (cui, quoad partem, ut praefertur, moderatam, correctam et limitatam, necnon chirographis praedictis, illis aliàs semper et perpetuo in suo robore permansuris, specialiter et expresse, motu, scientiâ et potestatis plenitudine huiusmodi, harum serie derogamus), aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis quae dictus Clemens praedecessor in dictâ eius constitutione voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Providet ne vocati ad successionem bonorum vinculatorum damnum aliquod patiantur.

§ 6. Ut autem in bonis vinculatis succedere debentium et aliorum quorumcumque indemnitati facilius consulatur, volumus et statuimus, unicuique, etiam interesse non habenti, cuilibet videlicet de populo, licere fideicommissa ac cuiuscumque tenoris vincula, aliaque praemissa, in archivio praedicto exhibere, et bona vinculata indicare ac describi facere, et talem exhibitionem, indicationem et descriptionem pro debitis factis per sex menses exinde subsequentes, etiam ab iis qui exhibitionem, indicationem et descriptionem facere non curaverint, ad effectum praemissorum sufficere; ita ut semel factae exhibitio, indicatio et descriptio semper et in futurum perpetuis futuris temporibus contra quoscumque interesse habentes suffragentur;

Iniungit onus conservatori archivii pro commoditate habentium interesse.

§ 7. Necnon dilectum filium modernum et pro tempore existentem dicti archivii conservatorem ad librum particularem (in cuius unâ nomina et cognomina fideicommittentium[1] et aliàs disponentium, in alterâ vero partibus loca nominatim et bona fideicommissis et aliis vinculis supposita fideliter sub litteris alphabeti ad-

1 Videtur legendum *non tantum non vinculatis seu liberis* (R. T.).

2 Videretur legendum: *comprehendere pupillos, et alias omnes personas..... in praedictâ constitutione et chirographis comprehensas fuisse*, etc. (R. T.).

3 Voces *irritum et inane* nos addimus (R. T.).

1 Perturbate ed. Main. habet *in cuius una nomina et cognomina fidei, committentium*, etc. (R. T.).

notata reperiantur) palam et publice habendum, ac tam illum quam omnia et singula instrumenta, testamenta et alia praemissa concernentia, in dicto archivio nunc et pro tempore insinuata[1], seu ad custodiendum tradita, indicata et descripta, omnibus et singulis de illis notitiam habere eaque legere volentibus exhibendum[2], et illorum copiam petentibus concedendum, competenti mercede respective receptâ, omni morâ et dilatione postpositis, teneri.

Mandat publicari in Urbe et publicationi hujusmodi vim tribuit personalis omnibus intimationis.

§ 8. Utque praesentes et in eis contenta ad omnium notitiam deducantur, et ne aliquis de eis ignorantiam praetendere possit, mandamus, quod eaedem praesentes per aliquem seu aliquos ex cursoribus nostris ad ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum de Urbe et cancellariae apostolicae valvas ac in acie Campi Florae affigantur et publicentur, et, cum inde amovebuntur, earum exempla in eisdem locis affixa dimittantur; quae, sic publicatae et affixae, omnes et singulos quos concernunt perinde afficiant et arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificatae fuissent;

Transumptis fidem dari praecipit.

§ 9. Utque illarum transumptis, etiam impressis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctionemque poenalem superaddit.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam decretorum, declarationis, derogationis, voluntatis, statuti et mandati nostrorum infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

1 Male edit. Main. legit *insituata* (R. T.).
2 Inscite ed. Main. legit *exhibentibus* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXXI, idibus septembris, anno IX.

Dat. die 13 septembris 1631, pontif. an. IX.

Publicatio in Urbe.

Anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXXXI, *indictione* XIV, *die vero* XXII *septembris, pontificatus autem Sanctissimi in Christo patris et domini nostri Urbani divinâ providentiâ Papae VIII anno* IX, *retroscriptae litterae apostolicae affixae et publicatae fuerunt ad valvas basilicarum S. Ioannis Lateranensis, Principis Apostolorum de Urbe, cancellariae apostolicae, et in acie Campi Florae, dimissis ibidem per aliquod temporis spatium earumdem litterarum originalibus appensis, deinde amotis, illorumque postea exemplaribus ibidem relictis affixis, per me Ioseph Masseum Romanum sanctissimi Domini nostri Papae cursorem.*

AUGUSTINUS DE BOLIS
pro mag. cursorum.

CCXV.

Mandatum cardinali legato Ferrariensi de restituendis obsidibus a Ferdinando imperatore datis, iuxta capitulationem Cherasci[1].

Dilecto filio nostro Ioanni Baptistae tituli S. Sylvestri in Capite presbytero cardinali Pallotto nuncupato, in civitate et ducatu nostris Ferrariensibus nostro et Apostolicae Sedis de latere legato,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Facti series.

§ 1. Cum, sicut ex litteris dilecti filii nobilis viri Caroli Mantuae ducis ad nos sub die XX praesentis mensis septembris Goiti datis accepimus[2], civitas Mantuana, pro

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Verbum *accepimus* deesse censui (R. T.).

complemento exequutionis eorum de quibus in capitulatione Cherasci convenit, a ministris charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Romanorum regis in imperatorem electi ministris dicti Caroli ducis sub eâdem die XXII[1] mensis septembris restituta seu consignata fuerit, dictusque Carolus dux etiam contrasigna, de quibus pariter convenerat, miserit, et illa eis, quae ipse ad nos antea miserat, concordare repererimus, propterea que omnia et singula, de quibus in dicto loco Cherasci sub die XIX iunii ultimo convenerat, quoad praemissa ex parte dicti Ferdinandi regis in imperatorem electi adimpleta sint, pro quibus secure ad[2] exequutionem demandandis dilecti filii colonelli Octavius Piccolomineus, baro Ioannes Baptista Ecclesia, et vicecomes Wissebensis, eiusdem Ferdinandi regis in imperatorem electi cubicularis[3], obsides nobis dati fuerunt, suis loco et tempore restituendi, tibi vero per nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, iniunxerimus, ut obsides huiusmodi recipere nonnisi sub certis modo et formâ tunc expressis restituendos[4]:

Mandatum, de quo in rubricâ.

§ 2. Nos, praemissis attentis, et in vim capitulorum, de quibus, ut praefertur, convenit, obsides praedictos libertati restituendos esse censentes, circumspectioni tuae per praesentes iniungimus, ut statim, acceptis praesentibus, obsides praedictos plenâ libertate dones, illisque et eorum cuilibet, quo sibi placuerit eundi facultatem concedas.

Cum facultatibus opportunis.

§ 3. Volumus autem, ut super praedictorum obsidum liberatione, cum praesentium ac omnium et singulorum aliorum, quae pro praemissis rite et recte peragendis necessaria et opportuna fuerint, insertione, publicum instrumentum confici et celebrari cures.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV septembris MDCXXXI, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 24 septembris 1631, pontif. anno IX.

1 Ex praemissis legendum foret XX (R. T.).

2 Praeposit. *ad* nos addimus (R. T.).

3 Ex loc. parall. pag. 232 legend. foret *cubicularii* (R. T.).

4 Vide supra pag. 231 (R. T.).

CDXVI.

Idem mandatum de restituendis obsidibus datis a rege Galliarum[1].

Dilecto filio nostro Ioanni Baptistae tituli S. Sylvestri in Capite presbytero cardinali Pallotto nuncupato, in civitate et ducatu nostris Ferrariensibus nostro et Apostolicae Sedis de latere legato,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Adimpletis per Galliarum regem conventionibus Cherasci initis,

§ 1. Cum, sicut ex litteris dilecti filii nobilis viri Victoris[2] Sabaudiae ducis ad nos sub die XX praesentis mensis septembris Moncalerii datis accepimus, oppida, sive loca, de quibus in capitulatione Cherasci convenit, a ministris charissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis christianissimi dicto Victorio duci, sive eius ministris, restituta fuerint, dictusque Victorius dux etiam contrasigna, de quibus pariter convenerat, miserit, et illa eis, quae ad nos antea miserat, concordare repererimus, propterea que omnia et singula, de quibus in dicto loco Cherasci sub die XIX iunii ultimo convenerat, quoad praemissa ex parte dicti Ludovici regis adimpleta sint, pro quibus secure exequutione[3] demandandis, dilecti filii marchio de Tavans marescallus campi, marchio de Nerestan, colonnellus unius re-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Legendum *Victorii* (R. T.).

3 Potius *exequutioni* vel *ad exequutionem* (R. T.).

gimenti, et baro de Aiguebona, etiam colonnellus unius regimenti, et gubernator de Brianzone, pro eodem Ludovico rege obsides nobis dati fuerunt, suis loco et tempore restituendi; tibi vero per nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras, quarum tenores praesentibus pro expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, iniunxerimus, ut obsides huiusmodi reciperes nonnisi sub certis modo et formâ tunc expressis restituendos [1]:

Pontifex cardinali Pallotto ut obsides ei restituat mandat.

§ 2. Nos, qui per alias nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras tibi iniunximus, ut obsides, pro charissimo in Christo filio nostro Ferdinando Romanorum rege in imperatorem electo similiter datos, plenâ libertate donares, postquam adimpleta fuerant quae ex parte dicti Ferdinandi regis in imperatorem electi adimplenda erant, praemissis attentis, et in vim capitulorum, de quibus, ut praefertur, convenit, primodictos obsides pro dicto Ludovico rege datos libertati etiam restituendos censentes, circumspectioni tuae per praesentes iniungimus, ut statim, acceptis praesentibus, etiam obsides praedictos, pro dicto Ludovico rege ut praefertur datos, plenâ libertate dones illisque et eorum cuilibet quo sibi [2] placuerit eundi facultatem concedas.

Cum opportunis cautbelis.

§ 3. Volumus autem, ut super praedictorum obsidum liberatione, cum praesentium ac omnium et singulorum aliorum, quae pro praemissis rite et recte peragendis necessaria et opportuna fuerint, insertione, publicum instrumentum confici et celebrari cures.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII septembris MDCXXXI, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 27 septembris 1631, pontif. anno IX.

1 Vide supra pag. 231 (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *tibi* (R. T.).

CDXVII.

Quod constitutiones apostolicae in concernentibus fidem catholicam et sanctae inquisitionis officium hactenus editae, et imposterum etiam super quacumque aliâ re edendae, omnes regulares quomodolibet privilegiatos comprehendant, nisi illi specialiter excipiantur [1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Multi religiosi praetendebant non derogari eorum privilegiis per constitutiones generales.

Cum, sicut accepimus, sancti Benedicti, Cisterciensis, Praemonstratensis, S. Antonii de S. Antonio Viennensis, Societatis Iesu, ac aliorum forsan Ordinum, congregationum, societatum et institutorum regularium professores, vigore seu praetextu privilegiorum et indultorum sibi dictisque Ordinibus, congregationibus, societatibus et institutis ab hac sanctâ Sede Apostolicâ, tam per viam merae concessionis, quam communicationis, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, etiam consistorialiter concessorum, in constitutionibus generalibus a nobis et dictâ Sede hactenus editis et de cetero edendis se minime comprehendi praetendant, nisi de eis specialis, specifica, individua et expressa mentio fiat:

1 Inquisitorum haereticae pravitatis facultas est amplissima, et quod in causis fidei possint procedere contra quoscumque, etiam exemptos, ac eligere etiam regulares, qui aliàs in seculo notarii fuerunt, in notarios pro praedictis causis, concessit Alexander IV Const. LVI, *Ne commissae*, tom. III, pag. 672. Necnon religiosorum quomodolibet privilegiatorum de haeresi culpabilium (dummodo ab eorum superioribus non sint praeventi) causas cognoscere ac punire posse voluit Pius IV Const. LX, *Pastoris*, tom. VII, pag. 176. Et postremo Paulus V revocavit facultates superioribus quorumcumque Ordinum concessas cognoscendi causas suorum subditorum ad officium sanctae Inquisitionis quomodolibet pertinentes, in Const. LI (*al.* 48), *Romanus Pontifex*, tom. XI, pag. 346.

Pontifex declarat huiusmodi Constitutiones hactenus editas afficere quoscumque regulares, praecipue in concernentibus fidem catholicam et sanctae inquisitionis officium.

§ 1. Nos, qui inter gravissimas multiplicesque apostolatus nostri curas in eam praecipuo ac peculiari studio iugiter incumbimus, ut, extirpatis haereticarum pravitatum erroribus, catholica fides ubique gentium conservetur et propagetur, super hac re[1] opportunae dispositionis ministerio providere volentes, ac ambiguitates et dubia de medio tollere cupientes, ut tot, tantaeque constitutiones generales a nobis et hac Sanctâ Sede, et praesertim ad favorem fidei catholicae, illiusque propagationem, et officii sanctae inquisitionis contra haereticam pravitatem editae et de cetero edendae, sublatis quibuslibet exceptionibus, subterfugiis et impedimentis, ad maiorem Dei gloriam sanctaeque Matris Ecclesiae exaltationem, debitum, ut par est, sortiantur effectum, necnon quorumcumque privilegiorum, gratiarum et indultorum, dictis Ordinibus, congregationibus, societatibus et institutis, cum quibusvis clausulis et decretis, etiam quantumlibet extraordinariis, et cautelis, quomodolibet et ex quacumque causâ concessorum, etiamsi in corpore iuris clausa sint, tenores praesentibus, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in eis traditâ observatâ, inserti forent, eisdem praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, quod quaevis generales constitutiones, dispositiones et ordinationes apostolicae per nos et quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros in concernentibus fidem catholicam, illiusque propagationem, et sanctae inquisitionis officium praefatum, praesertim quoad ea, quae in congregationibus sancti officii et de Propaganda Fide coram nobis tractari solent, hactenus editae, omnes et singulos tam S. Benedicti, Cisterciensis, Praemontratensis, S. Antonii de S. Antonio Viennensis, et Societatis Iesu praefatorum, quam quorumcumque aliorum Ordinum, congregationum, societatum et institutorum professores omnino comprehendant[1], perinde ac si praefati et alii quantumlibet privilegiati in eis nominatim expressi fuissent.

Ac etiam edendis Constitutionibus subiacere decerunt.

§ 2. Edendae vero imposterum per nos et Romanos Pontifices successores nostros, tam in favorem praefatae fidei catholicae, illiusque propagationis, et sancti officii inquisitionis praefatae, quam super quacumque aliâ re, negotio, seu materiâ, constitutiones, dispositiones et ordinationes huiusmodi similiter omnino comprehendant praefatos eorumdem Ordinum, congregationum, societatum et institutorum professores, nisi in edendis constitutionibus huiusmodi specialiter et expresse excipiantur, etiamsi ipsi privilegiati forent magis speciali notâ et expressione digni, eisque privilegia, gratiae et indulta a Sede Apostolicâ praefatâ, etiam sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam motu proprio, ac ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, et consistorialiter, etiam contemplatione vel ad instantiam imperatoris, regum et aliorum principum, tam per viam merae concessionis, quam communicationis, et aliâs quomodolibet concessa respective sint, quorum seu quarum vigore vel praetextu sint excepti, seu se minime comprehendi praetendant in constitutionibus generalibus, vel aliis non facientibus plenam et expressam eorum mentionem.

Hanc declarationem clausulis praeservativis munit.

§ 3. Praesentes vero litteras, omniaque et singula in eis contenta, etiam ex eo, quod Ordinum, congregationum, societatum et institutorum huiusmodi professores, vel alii quicumque in praemissis interesse

1 Verba *super hac re* nos addimus (B. T.).

1 Edit. Main. legit *comprehendat* (B. T.).

habentes, seu quomodolibet habere praetendentes, ad hoc vocati et auditi, minusque causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, adductae, verificatae, seu aliàs iustificatae non fuerint, ullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quovis etiam quantumvis substantiali defectu, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, aut[1] aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari nullatenus posse, neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, semperque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere;

Contraria tollit.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, dictaeque Sedis nuntios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Huius transumptis credi iubet et publicatam in Urbe omnes ligare statuit.

§ 5. Non obstantibus regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictorum, tam sancti Benedicti, Cisterciensis, Praemonstratensis, sancti Antonii de sancto Antonio Viennensis, et Societatis Iesu praefatorum, quam quorumcumque aliorum Ordinum, congregationum, societatum et institutorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, et privilegiis, necnon praefatis et quibusvis aliis privilegiis, indultis et litteris apostolicis, etiam *mare magnum* et aliàs quomodolibet nuncupatis, eisdem Ordinibus, congregationibus, societatibus et institutis, eorumque superioribus, bonis, rebus, monasteriis, locis, regularibus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem addit.

§ 6. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae; quodque eaedem praesentes litterae, seu illarum exempla ad valvas basilicarum S. Ioannis Lateranensis ac Principis Apostolorum de Urbe et in acie Campi Florae

1 Supple *adversus eas* (R. T.).

affixa, omnes ita arctent et afficiant, ac si unicuique personaliter intimata fuissent.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v novembris MDCXXXI, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 5 novembris 1631, pontif. anno IX.

Die et anno supradicto affixae et publicatae fuerunt supradictae litterae ad valvas curiae et camerae apostolicae, ac in acie Campi Florae, aliisque locis solitis et consuetis, ut moris est, per me Andream Scalmanum, SS. D. N. Papae cursorem.

CDXVIII.

Facultas christianissimo regi Franciae, perpetuo administratori militiae Ordinis Sancti Spiritus, statuta pro illius prospero regimine necessaria et utilia edendi, corrigendique et immutandi[1].

Charissimo in Christo filio nostro Ludovico, Francorum regi christianissimo, Urbanus Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Maiestatis tuae votis, quae ex catholicae religionis zelo prodire conspicimus, libenter annuimus.

Facultates regi Franciae concedit, prout in rubrica. § 1. Hinc est quod nos, supplicationibus eiusdem maiestatis tuae (quae militaris Ordinis Sancti Spiritus perpetuus administrator existit) nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi et pro tempore existenti dicti Ordinis administratori, seu magno magistro, ut quaecumque statuta praedicti Ordinis, prout rerum et temporum qualitas et ratio exegerit, ac tibi et administratori seu magno magistro pro tempore existenti expediens videbitur, corrigere, seu in meliorem formam reducere, reformare, alterare, mutare[1] et interpretari, ac alia dicti Ordinis, illiusque militum, rerum et bonorum prosperum statum, regimen et gubernium, felicemque directionem et administrationem concernentia, ac aliàs Ordini et militibus praedictis necessaria et utilia, licita tamen et honesta, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis non contraria, de novo ac ex integro condere, edere et facere libere et licite possis et valeas, ac possit et valeat, plenam et liberam facultatem et licentiam ac auctoritatem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et elargimur.

Derogat obstantibus. § 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII novembris MDCXXXI, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 8 novembris 1631, pontif. anno IX.

CDXIX.

Quod rex christianissimus administrator Ordinis Militaris Sancti Spiritus, etiam exteros ad dictam Militiam admittere possit, et tam ipse quam alii eiusdem Militiae milites sacramentum Eucharistiae infra octavam ante generalem Congregationem et ad habitum admissionem sumere debeant[2].

Charissimo in Christo filio nostro Ludovico, Francorum regi christianissimo, Urbanus Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem

Expositio nomine Francorum regis. § 1. Maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, quod statutis militaris

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Edit. Main. legit *mutare* (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Ordinis Sancti Spiritus, cuius maiestas tua perpetuus administrator esse dignoscitur, inter alia cautum est, ne exteri, qui habilitati et regni Franciae incolae non sunt, in milites dictae militiae recipiantur, die vero generalis congregationis dicti Ordinis, quando etiam aliquis ad habitus, per eiusdem militiae milites gestari soliti, susceptionem admittatur, ut tam maiestas tua, quam officiales dicti Ordinis et milites, et quisquis ad habitum admittitur, sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumere teneatur.

Petitio Ipsius regis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, maiestas tua, quae sicut et praedicti officiales ac milites statuta huiusmodi observare voto et iuramento se astrinxerunt, ad Spiritus Sancti gloriam et catholicae fidei exaltationem dictum Ordinem etiam extra regnum Franciae longius diffundi et in exteros fidei praedictae zelo conspicuos, ac aliàs iuxta eiusdem Ordinis statuta qualificatos, extendi posse plurimum desideret; cumque etiam dicto die generalis congregationis, et admissionis ad habitus susceptionem, aliis negotiis et officiis, magnâ cum mentis agitatione, potius quam orationi et spirituali contemplationi vacari soleat, sanctissimum Eucharistiae sacramentum aliquot diebus ante longe maiori cum reverentiâ et spirituali fructu sumi posse[1]: idcirco eadem maiestas tua nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis de benignitate apostolicâ providere dignaremur.

Relaxatio voti et iuramenti, quo officiales et milites se adstrinxerunt.

§ 3. Nos igitur, qui illa quae ad Spiritus Sancti gloriam et catholicae fidei exaltationem cedunt, ac fidelium devotionem augent, eiusdem Sancti Spiritus gratiâ suffragante, promovere desideramus, Ordinis praedicti propagationi et militum eiusdem animarum saluti, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, votum et iuramentum praedicta, illis in ceteris omnibus in iis contentis firmis remanentibus, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, [1] relaxamus;

Quod milites exteri nullum iuramentum emittant iuri suorum principum contrarium.

§ 4. Utque maiestas tua et praedicti officiales ac milites, exteros etiam non habilitatos, nec regni Franciae incolas, catholicos tamen et gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentes, dicto statuto non obstante, in milites dictae militiae admittere, illique admitti (dummodo tamen in eorum admissione, aut aliàs quandocumque, qui non maiestatis tuae sed aliorum principum aut dominorum subditi et vassalli existent, votum aliquod aut iuramentum non emittant aut praestent, quod potestati aut superioritati vel iurisdictioni aut alio cuicumque iuri principum seu dominorum, quorum subditi aut vassalli erunt, quomodolibet adversetur) libere et licite possint;

Ut infra octavam praecedentem suam admissionem sanctissimo Eucharistiae sacramento se reficiant.

§ 5. Necnon, ut maiestas tua, officiales et milites praedicti, et quisquis ad dictae militiae habitus susceptionem admittatur, non ipso die congregationis generalis et quo habitum suscipit, sed infra octavam praecedentem, sanctissimum Eucharistiae sacramentum suscipere valeant et teneantur (ita tamen, ut ante diem congregationis et admissionis ad habitum huiusmodi, tam officiales et milites, quam ad habitum admittendi, se praedictum sacramentum infra dictum tempus suscepisse legitime ostendant), eâdem auctoritate concedimus et indulgemus, et votum ac iuramentum praedicta ad hunc effectum commutamus et pariter relaxamus, ac statuimus et ordinamus.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac dictae militiae statutis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Edit. Main. legit *posset*, at aliter exigit syntaxis, nempe *posse censeat* (R. T.).

1 Deesse videntur verba *quoad praemissa*, aut alia similia limitativa (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII novembris MDCXXXI, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 8 novembris 1631, pontif. anno IX.

CDXX.

Quod in ecclesiâ S. Iacobi nationis Hispanorum de Urbe celebrari possit festum Conceptionis beatae Mariae Virginis Immaculatae, etiamsi in dominicâ secundâ Adventus venerit, sub ritu duplici primae classis [1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Sanctae et immaculatae Virginis genitricis Dei Mariae omni laude dignissimae cultum et venerationem augere desiderantes, pia christifidelium in id tendentia vota ad exauditionis gratiam libenter admittimus, favoribusque et gratiis prosequimur opportunis.

Causa huius Constitutionis. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii administratores ecclesiae et hospitalis S. Iacobi nationis Hispanorum de Urbe, quod ipsi, pro eo praecipuo, quem universa natio huiusmodi erga festum Conceptionis beatae Mariae Virginis gerit, devotionis affectu, festum huiusmodi quotannis in praedictâ ecclesiâ solemniter celebrare consueverunt.

Concedit prout in rubrica. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, administratores praedicti cupiant festum huiusmodi, quod quandoque in secundam dominicam Adventus incidit, sub ritu duplici primae classis celebrare posse, proindeque sibi per nos de opportunâ ad hoc licentiâ provideri: nos, piis dictorum administratorum votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eisdem administratoribus nunc et pro tempore existentibus, quod de cetero in dictâ ecclesiâ festum Conceptionis beatae Mariae Virginis huiusmodi, etiam ipsâ secundâ dominicâ Adventus, cum in illam inciderit, sub ritu duplicis [1] primae classis, iuxta rubricas missalis et breviarii romani, celebrare libere et licite valeant (cum hoc tamen, quod in missis tam privatis quam solemnibus et in utriusque vesperis fiat commemoratio de ferià currenti, et, cum in dominicam inciderit, de ipsâ dominicâ, cuius etiam evangelium legatur in fine), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, licentiam concedimus et impertimur.

Contrariis derogat. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae ecclesiae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI novembris MDCXXXI, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 26 novembris 1631, pontif. anno IX.

1 Conceptionis Beatae Mariae Virginis disputationem prohibuere Pius V Const. CLXXVII (*al.* 158), *Super speculam*, tom. VII, pag. 872, Paulus V, Const. CCLXXXI (*al.* 262), *Regis pacifici*, tom. XII, pag. 356, et Gregorius XV, Const. LIX (*al.* 68), *Sanctissimus*, ibid. pag. 688.

1 Edit. Main. antea legit *duplici*, nunc *duplicis* (R. T.).

CDXXI.

Iubilaeum universale ad divinam opem implorandam in praesentibus Ecclesiae necessitatibus [1].

Urbanus Papa VIII.

Universis christifidelibus, praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Supplici christifidelium voce clamavimus ad Dominum, et clamore [2] perseveramus, non modicam in Italiae calamitatibus divinae clementiae consolationem percipientes; nostris [3] tamen Ecclesiae Catholicae periculis imminentibus in Germaniâ, praesertim bellici tumultus impetu et perniciosâ hostium orthodoxae fidei maius in dies robur invasione sumente, praecipuis eumdem Dominum, qui dives est in misericordiâ, precibus adire decrevimus, ut complacitior sit adhuc, et religionem catholicam a malis penitus eximere dignetur. Imprimis igitur per accuratam peccatorum expiationem contrito corde poenitentiam agentes, eleemosynis et ieiuniis vires orationis augeamus, et iram placare conemur eius, qui benigne nos arguit et spem salutis praebet, dicens: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Quocirca, ut, quantum cum Domino possumus, fideles ad haec alacrius peragenda invitemus, pro nostro pastoralis officii munere, ex solemni ipsius Ecclesiae ritu, eiusdem Ecclesiae thesauros, quorum, licet nullis nostris meritis, a Domino dispensatores constituti sumus, proferre et largissime erogare deliberavimus.

Christifideles ad infrascripta peragenda adhortatur. § 1. Itaque, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, omnes et singulos utriusque sexus christifideles, tam in almâ Urbe nostrâ, quam alibi ubique locorum constitutos, apostolicâ auctoritate paterne requirimus, monemus, et in Domino hortamur ad infrascripta devote peragendum et adimplendum, ac ad totius consolationis Deum orandum, ut per viscera misericordiae suae fidem catholicam protegere, ac [1] ab hostium conatibus et insidiis defendere, haeresim extirpare, principibus christianis pacem et veram concordiam donare, ac praecipue praesentibus Ecclesiae necessitatibus subvenire dignetur.

Iis, qui praescripta hic opera Romae peregerint, indulgentias infrascriptas concedit. § 2. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus per abundantiam gratiae suae contulit, universis et singulis christifidelibus in almâ Urbe praedictâ degentibus, qui solemnibus processionibus, quae ab ecclesiâ B. Mariae de Animâ nuncupatâ ad basilicam Principis apostolorum die mercurii, et ab eâdem ecclesiâ ad ecclesiam Lateranensem die veneris, necnon ab eâdem ecclesiâ S. Mariae de Animâ ad basilicam S. Mariae Maioris de Urbe die sabbati praesentis hebdomadae per universum clerum eiusdem Urbis respective fient, interfuerint, aut qui eâdem praesenti vel immediate sequenti hebdomadâ easdem basilicas et ecclesias saltem semel visitaverint, ibique devote, ut supra, Deum oraverint, necnon ferià quartâ et sextâ ac sabbato eiusdem praesentis vel sequentis hebdomadae ieiunaverint, et peccata sua confessi fuerint, atque in primo die dominico vel secundo seu altero alio dictarum hebdomadarum die sanctissimae [2] Eucharistiae sacramentum reverenter sumpserint, et eleemosynas ad libitum, prout charitas singulis suggesserit, fecerint;

Quae extra urbem Romam peragenda sint, designat. § 3. Ceteris vero omnibus et singulis fidelibus extra Urbem existentibus in quibusvis civitatibus, terris et locis, qui

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Forsan legendum *clamare* (R. T.).
3 Videretur legendum *novis* pro *nostris* (R.T.).

1 Coniunctionem *ac* nos addimus (R. T.).
2 Aliàs legitur *sanctissimum* (R. T.).

processioni ab Ordinariis locorum vel eorum vicariis seu officialibus, vel de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam animarum exercent, primâ vel secundâ hebdomadâ, postquam ad eorum notitiam hae nostrae litterae devenerint, indicendae et agendae interfuerint, vel ecclesias per eosdem signandas[1] saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, Deum oraverint, ac feriâ quartâ, sextâ et sabbato alterius[2] ex duabus hebdomadis praedictis ieiunaverint, pariterque peccata sua confessi ac sacrâ communione refecti fuerint, et eleemosynas similiter pro arbitrio suo fecerint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et elargimur. Navigantes vero, aut iter agentes, ut, cum primum ad sua sese domicilia receperint, supradictis peractis, et, loco interventus in processione, visitatâ ecclesiâ cathedrali vel maiori aut parochiali loci eiusdem domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant,

Eadem pietatis opera legitime impeditis a confessario commutari posse finit.

§ 4. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis quam religiosis, secularibus vel regularibus, etiam in carcere aut in captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut confessarius, quem, ut infra, elegerint, eis praedicta omnia et singula, vel eorum aliqua, in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

1 Aliàs legitur *designandas* (R. T.).

2 Legendum potius *alterutrius* (R. T.).

Cuicumque confessarium sibi eligendi facultatem facit.

§ 5. Cupientes autem omnes christifideles participes fieri huius pretiosissimi thesauri, universis et singulis utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus et regularibus, cuiuscumque Ordinis, congregationis et instituti, licentiam concedimus et facultatem damus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium, tam secularem, quam cuiusvis Ordinis regularem, ex approbatis a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis seu nobis et Sedi Apostolicae (etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis) et aliàs per quascumque nostras aut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones (quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis) quomodocumque reservatis, in foro conscientiae, et hac vice tantum (non tamen a crimine haeresis), absolvere et liberare valeant, et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis, et eorum cuilibet, in supradictis omnibus casibus, poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis.

Qui a casibus reservatis absolvat.

Praesentes ubique locorum publicari mandat.

§ 6. Quapropter, tenore praesentium, in virtute sanctae obedientiae, districte praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum, eorum vicariis et officialibus, vel, iis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta, aut exempla, etiam impressa, acceperint, illa statim,

absque ullâ morâ, retardatione vel impedimento, per suas ecclesias et diocceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, ac cleris et populis sibi subiectis solemnes processiones et supplicationes indicant et celebrent, ecclesiasque visitandas designent.

Nonnulla a confessariorum facultatibus excipit.

§ 7. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate, publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate seu inhabilitate, quoquo modo contractâ, dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae; neque etiam easdem praesentes iis, qui a nobis et Apostolicâ Sede, vel ab aliquo praelato, seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliâs in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus celebrationis huiusmodi iubilaei satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Contraria tollit.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi, in certis tunc expressis casibus, ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles iubilaei indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et congregationum, sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus et congregationibus atque institutis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac formam eorum traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter, nominatim et expresse ad effectum praesentium derogamus; celerisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 9. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem praesentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, ubique locorum et gentium, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV decembris MDCXXXI, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 15 decembris 1631, pontif. anno IX.

CDXXII.

Erectio collegii in Urbe pro decem monachis Ordinis S. Basilii[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter gravissimas multiplicesque curas, quibus in militantis Ecclesiae regimine, iuxta creditum nobis desuper apostolicae servitutis officium, iugiter premimur, ad ea libenter intendimus, per quae Ordo S. Basilii, cuius, dum in minoribus constituti eramus, protectoris munere apud sanctam Sedem Apostolicam eam[2] functi sumus, uberiores in eâdem Ecclesiâ quotidie fructus proferre valeat.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Vox *eam* importune hîc interiecta delenda, vel legendum *iam* (R. T.).

Erectio collegii pro monachis sancti Basilii, in quo decem esse debeant collegiales.

§ 1. Quapropter, existimantes per unius collegii dicti Ordinis in almâ Urbe nostrâ erectionem eidem Ordini non parum utilitatis ac commoditatis et decoris allatum iri, ideirco, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, in almâ Urbe praedictâ, ac loco congruo et decenti per ipsius Ordinis superiores eligendo et acquirendo, unum monachorum dicti Ordinis collegium pro decem collegialibus dicti Ordinis professoribus, ultra superiorem, confessarium et repetitorem, in quo etiam eiusdem Ordinis procurator cum provisionibus ab eodem Ordine ei assignatis residere tenebitur (ex quibus quidem collegialibus, quatuor perpetuo ex provinciâ Siciliae, et tres ex aliis nationibus arbitrio superiorum dicti Ordinis esse debeant), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Taxam pro huios collegii dote imponit.

§ 2. Mandantes propterea, ut pro ipsius collegii, seu illius partis dote, una taxa, seu contributio, super eiusdem Ordinis monasteriis citramontanis, modo et formâ infrascriptis, imponatur, videlicet, ut provincia praedicta Siciliae expensas pro sex collegialibus ad rationem septuaginta scutorum monetae romanae pro quolibet ex dictis collegialibus hîc Romae ab onere seu gravamine liberorum, immunium et exemptorum persolvendorum, provincia vero Calabriae expensas pro aliis tribus collegialibus ad eamdem rationem septuaginta scutorum similium pro quolibet; pro sustentatione autem aliarum personarum dicti collegii, ac ipsius expensarum supportatione, duo eiusdem Ordinis, Neapolitanum scilicet et Cryptae Ferratae, provinciae Romanae monasteria, ad rationem septuaginta scutorum pro quolibet monasterio contribuant, quae quidem contributiones hîc in Urbe liberae, immunes et exemptae, et anticipatae, in duobus terminis, videlicet Domini nostri Iesu Christi ac S. Ioannis Baptistae Nativitatum festivitatibus, praeviâ illarum transmissione, persolvantur;

Spolia monachorum, redditusque monasterii S. Pantaleonis eidem addicit.

§ 3. Insuper spolia monachorum dicti Ordinis in omnibus illius monasteriis in Italia et insulis ei adiacentibus pro tempore decedentium, quandoquidem ea per decreta diversorum capitulorum generalium eiusdem Ordinis monasterio S. Pantaleonis de Urbe applicata sunt, necnon redditus, qui ex affictibus domorum ad dictum monasterium S. Pantaleonis huiusmodi spectantium, aut ex investimento pretii earumdem domorum, si vendantur, faciendo percipiantur, eidem collegio, pro eius dote (ita quod liceat superioribus et collegialibus dicti collegii ea omnia percipere, exigere et levare, ac in dicti collegii usus et utilitatem convertere, eaque per suos officiales administrare), etiam perpetuo, auctoritate et tenore praedictis, applicamus et appropriamus.

Exequutio provinciali et definitoribus demandata.

§ 4. Mandantes propterea dilectis filiis provinciali ac definitoribus praedictarum Siciliae et Calabriae provinciarum, ut dictas contributiones per monasteria suarum provinciarum proportionabiliter repartiantur, ac tam ipsis monasteriis, quam duobus abbatibus monasteriorum praedictorum Neapolitani et Cryptae Ferratae, ut ratam se tangentem suis temporibus ad Urbem, ut praefertur, transmittant.

Clausulae.

§ 5. Ac decernentes praesentes litteras, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes ad id vocati et auditi non fuerint, aut ex quacumque aliâ causâ quantumvis legitimâ et iuridicâ, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, aut in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, nullatenus posse, sed eas semper validas firmas et efficaces existere et fore, ac dicto collegio plenissime suffragari; sicque per quos-

cumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat obstantibus.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Urbis, Ordinis, provinciarum et monasteriorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Praediciae Constitutiones commendatariis non praeiudicant.

§ 7. Per praesentes autem contributionibus, commendatariis monasteriorum dicti Ordinis debitis, nullo modo praeiudicare intendimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII decembris MDCXXXI, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 17 decembris 1631, pontif. anno IX.

CDXXIII.

Extensio constitutionis Gregorii XV (revocatoriae omnium concessionum vivae vocis oraculo factarum praeter S. R. E. cardinalibus factas et eorum manu firmatas) ad omnes etiam factas cardinalibus et eorum manu signatas[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Gregorius XV edidit Constitutionem de hac materia indicatam in notâ ad rubricam.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Gregorius Papa XV praedecessor noster, ut subnascentibus iugiter variis difficultatibus et abusibus ex privilegiis a Sede Apostolicâ vivae vocis oraculo saepenumero concessis obviam iret, constitutionem edidit tenoris subsequentis, videlicet:

Gregorius Papa XV, ad perpetuam rei memoriam. *Romanus Pontifex in speculâ militantis Ecclesiae,* etc. (*Omittitur residuum, quia est citat. in notâ ad rubr.*).

Quam hic Pontifex extendit, ut in rubricâ.

§ 2. Cum autem experientiâ rerum magistrâ compertum sit, concessiones et gratias vivae vocis oraculo, etiam a S. R. E. cardinalibus obtentas et ipsorum manu firmatas, saepe ab his, in quorum favorem emanarunt, minus canonicâ interpretatione extendi, et perperam in disciplinae ecclesiasticae detrimentum exequutioni demandari: idcirco, quantum cum Domino possumus, his et aliis malis occurrere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, et de consilio nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, quibus negotium huiusmodi mature discutiendum commisimus, omnia et singula privilegia, facultates, licentias et gratias quascumque per Summos Pontifices praedecessores nostros, ac per nos, vivae vocis oraculo (et[2] S. R. E. praedictae cardinalium quorumcumque manu firmata), quibuscumque generalibus, provincialibus, ceterisque superioribus et personis, cuiusvis Ordinis, congregationis, instituti et

1 Hanc revocationem factam a Gregorio XV habes inter ipsius Constitutiones sub num. LXV, (*al.* 63), *Romanus Pontifex,* tom. XII, pag. 706.

2 Nempe *etsi* vel *etiam* (R. T.).

societatis, sive secularibus sive regularibus, vel etiam ipsis Ordinibus, congregationibus, institutis et societatibus, etiam Societati Iesu, aut eius clericis seu presbyteris, aliisque, personis praedictis, quacumque de causâ, etiam de necessitate exprimendâ, occasione, praetextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, seu ad instantiam imperatoris, regum et principum quorumcumque, aut aliàs quomodolibet concessa, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus et annullamus, ac de cetero revocata, cassa, sublata, abrogata et annullata, viribusque et effectu vacua esse et fore, nullique prorsus deinceps suffragari posse nec debere declaramus.

Publicari a superioribus Ordinum iubet.

§ 3. Praeterea, ut praesentes litterae omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, quanto citius innotescant, omnibus et singulis generalibus et aliis quocumque nomine nuncupatis superioribus quorumcumque Ordinum, congregationum, societatum, etiam Societatis Iesu, et institutorum, sub excommunicationis ac privationis officiorum et dignitatum necnon vocis activae et passivae poenis ipso facto incurrendis, praecipimus et mandamus, ut, infra tres menses proximos a die publicationis praesentium computandos, omnes et singulos provinciales eorumdem suorum Ordinum, congregationum, societatum, etiam Societatis Iesu, et institutorum, de eisdem praesentibus litteris certiores faciant, earumdemque praesentium exemplaria illis transmittant, qui quidem provinciales sub eisdem poenis teneantur singulis superioribus monasteriorum, conventuum, collegiorum, domorum et locorum regularium praecipere, ut easdem praesentes subditis suis, ut moris est, publicent.

Clausulas praeservativas addit.

§ 4. Decernentes praesentes litteras, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, vel habere praetendentes, ad hoc vocati et auditi non fuerint, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae seu alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, redargui, in ius vel controversiam vocari, aut ad viam et terminos iuris reduci, sive adversus illas quodcumque iuris, gratiae vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere;

Aliter iudicandi facultatem tollit.

§ 5. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria removet.

§ 6. Non obstantibus praeinsertis litteris huiusmodi, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, etiam regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem cardinalibus, ac Ordinibus, congregationibus, institutis et societatibus, eorumque superioribus, quocumque nomine nuncupatis, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum

omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 7. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae; quodque eaedem praesentes litterae, sive illarum exempla ad valvas basilicarum praedictarum et in acie Campi Florae huiusmodi similiter affixa, omnes, quos concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique personaliter intimata fuissent.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX decembris MDCXXXI, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 20 decembris 1631, pontif. anno IX.

Publicatio in Urbe.

Die et anno supradicto affixa et publicata fuit ad valvas basilicarum S. Ioannis Lateranensis, et Principis Apostolorum, ac in acie Campi Florae, aliisque locis solitis et consuetis, ut moris est, per me Andream Scalmanum, SS. D. N. Papae cursorem.

CDXXIV.

Declaratio super nominatione iudicum pro cognitione causarum inter archiepiscopum Elborensem et Ordines militares Portugalliae vertentium [1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Portugalliae et Algarbiorum regi catholico, Urbanus Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset litteras aliàs emanatas.

§ 1. Aliàs a nobis emanarunt litterae maiestati tuae directae tenoris subsequentis, videlicet a tergo: *Charissimo*, etc., sub dat. XXVI maii MDCXXVI. — *(Tenor autem ipsarum litterarum omittitur, quia iam sunt suo ordine* [1]*).*

Dubium: an, impedito aliquo ex tribus ab archiepiscopo acceptis iudicibus, rex alium eius loco possit nominare.

§ 2. Cum autem, sicut maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, eadem maiestas tua vigore litterarum praeinsertarum sex commissarios huiusmodi nominaverit, ex quibus dictus archiepiscopus tres recusavit, reliqui vero tres cognitioni [2] causarum et differentiarum huiusmodi vacent, a nonnullis autem dubitetur, an, deficiente vel impedito aliquo ex tribus iudicibus seu commissariis huiusmodi, maiestas tua alium, loco iudicis seu commissarii huiusmodi deficientis vel impediti, nominare possit, et propterea tam maiestas tua quam archiepiscopus praedictus dubium huiusmodi opportunae declarationis nostrae ministerio de medio removeri desiderent:

Nominatio iudicum ab ipso rege facienda.

§ 3. Nos, omnem dubitandi materiam tollere, ac ne causarum huiusmodi expeditio propterea differatur providere volentes, supplicationibus tam maiestatis tuae quam dicti archiepiscopi nominibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, quod maiestas tua, in locum cuiuslibet ex dictis iudicibus seu commissariis pro tempore deficientis seu impediti, duos alios iuxta formam praeinsertarum litterarum qualificatos, quorum unum dictus archiepiscopus suspectum allegare possit, alter vero cognitioni dictarum causarum iuxta formam dictarum litterarum incumbat, ita quod amplius recusari nequeat, sed dictas causas cum aliis iudicibus seu commissariis cognoscat, et iuxta praeinsertarum litterarum formam et tenorem terminet, etiamsi cesset impedimentum iudicis, in cuius locum nominatus fuerit, quodque similiter, deficientibus seu impeditis duo-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Nempe eas vide in tom. XIII, pag. 459, sed ibi sunt sub datum *XXVIII maii* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *cognitionis* (R. T.).

bus ex dictis iudicibus, maiestas tua alios quatuor, ut praefertur, qualificatos, quorum duos dictus archiepiscopus recusare possit, et, deficientibus seu impeditis tribus iudicibus seu commissaris praedictis, maiestas tua sex, ut praefertur, qualificatos, quorum tres dictus archiepiscopus recusare possit, alii vero tres easdem causas iuxta praeinsertarum litterarum formam et tenorem cognoscant et terminent, nominare libere et licite possit et valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus et impertimur.

Alia decreta. § 4. Decernentes, quod, deficiente seu impedito uno ex dictis tribus iudicibus, et donec in eius locum alium non subrogabitur, alii duo processus causarum huiusmodi in formâ iuris fabricare possint, quodque in ferendis dumtaxat sententiis definitivis omnes tres iudices seu commissarii huiusmodi necessario intervenire debeant, id vero, quod ex pluritate votorum iudicatum fuerit, pro terminato et stabilito habeatur; ac declarantes mentis nostrae esse, ut tres dumtaxat iudices seu commissarii huiusmodi causas praedictas cognoscant ac terminent, etiamsi in praeinsertis litteris tibi sex nominandi, dicto autem archiepiscopo tres ex illis recusandi; facultatem concesserimus;

Clausulae. § 5. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 6. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX decembris MDCXXXI, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 20 decembris 1631, pontif. anno IX.

CDXXV.

Declaratio nullitatis notariorum creatorum a gubernatoribus civitatum, aliorumque locorum praetoribus, praetextu bannimenti Henrici cardinalis Caietani sanctae Romanae Ecclesiae camerarii, ac revalidatio instrumentorum et scripturarum per eos olim factarum; necnon facultas facta praefecto archiviorum cognoscendi causas super nullitatibus huiusmodi creationum et actatalium notariorum revalidandi [1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. In supremâ pastoralis officii speculâ [2], meritis licet imparibus, a Domino constituti, ad ea, quae populorum nostrae et Sedis Apostolicae temporali ditioni subditorum utilitatem, pacem et securitatem respiciunt, vigilantiae nostrae aciem, prout officii nostri ratio postulat, sedulo dirigimus, et perturbationibus, quae non solum ex malitiâ, verum etiam ignorantiâ personarum, et praecipue publicis addictarum negotiis, exoriri noscuntur, occurrentes [3], quantum nobis ex alto conceditur, eiusdem officii nostri partes impertimur.

Gubernatores civitatum et praetores locorum multos crearunt in notarios praetextu facultatis examinandi eos, qui notarii esse vellent.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, aliàs, post erectionem et institutionem archiviorum per felicis recordationis Sixtum Papam V praedecessorem nostrum in quibusvis Status Ecclesiastici, nobis, tunc illi, et Sedi Apostolicae mediate et immediate subiecti, provinciis, civitatibus, oppidis, castris, villis et aliis locis designatis factam, bonae memoriae Henricus, dum viveret, tituli S. Pudentianae presbyter cardinalis Caietanus nuncupatus, sanctae

1 Quoad notarios in futurum extra Urbem creandos et formam examinis cui subiacere debeant, vide Const. seq.

2 Istam, quae in ed. M. postponitur sequenti, nos praemittimus, quia in seq. citatur (R. T.).

3 Aptius legerem *occurrendo* (R. T.).

Romanae Ecclesiae camerarius, de eiusdem Sixti praedecessoris expresso mandato, bonum archiviorum eorumdem regimen et notariorum personas concernens edictum publicari fecerit; et inter alia, ad obviandum litibus et aliis periculis quae in dies ob imperitiam notariorum suscitabantur, quod nullus notarius, per quamcumque personam, etiam praetextu cuiusvis facultatis, etiam ex Urbe nostrâ concessae, extra Romanam curiam creatus, officium notariatus exercere posset, nisi praevio rigoroso examine per gubernatorem aut superiorem loci cum interventu advocati et archivistae approbatus fuisset, statuerit et ordinaverit; gubernatores vero civitatum, quinimo et praetores locorum minus insignium, edicti huiusmodi vim hac in parte ex malitiâ vel ignorantiâ, licet supinâ, minus bene percipientes, ex praemissis facultatem eosdem notarios creandi sibi attributam fuisse praesumpserint, ac proinde ingentem notariorum, etiam imperitorum et ineptorum, numerum temere et de facto creaverint, in nostrae et apostolicae auctoritatis praeiudicium, et gravamen contrahentium, et aliorum, qui similium notariorum operâ pro tempore usi decepti remanserunt, iacturam:

Ita creatos Pontifex annullat et eorum creationes invalidas declarat.

§ 2. Quare nos, temeritati[1] huiusmodi occurrere, litibusque, discordiis, praeiudiciis et scandalis, quae exinde provenire solent, obviare, ac tam pro praeterito quam perpetuis futuris temporibus opportunâ ratione providere cupientes, motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ nostrâ scientiâ, meraque deliberatione, ac de apostolicae potestatis plenitudine, habitâ etiam a nonnullis probis et peritis viris per nos super hoc deputatis sententiâ, creationes notariorum, per gubernatores et praetores praedictos ut praefertur factas, nullas et invalidas, ac nulliter et attentate factas; ipsosque notarios, tali pacto creatos, praetextu eorum creationis huiusmodi nullo modo notarios esse, nec reputari debere, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

Actos tamen et scripturas, per ipsos factas, validas esse et suum debere sortiri effectum decernit, dummodo non sit in iudicium deductum de nullitate creationis, et instrumentorum documenta in archiviis reponi mandat.

§ 3. Et nihilominus, ad consulendum indemnitati illorum omnium, qui bonam fidem sequuti eorum operâ sunt usi, omnia et singula testamenta, tam in scriptis quam nuncupativa, codicillos, necnon cuiusvis generis contractus et instrumenta, aliaque acta per similes notarios, tam de praesenti in vitâ degentes, quam vitâ functos, pro omnibus et singulis, cuiusvis ordinis, status, gradus et conditionis, ac quibuscumque ecclesiis et locis piis, seu inter illos et illa rogata stipulata et facta, etiam specialem expressionem requirentibus, personis, eisdem auctoritate et tenore perpetuo revalidamus; omnesque et singulos nullitatis, ex tali creatione dumtaxat provenientes, defectus (dummodo tamen nullitas creationis huiusmodi acceptata et in iudicium deducta nondum fuerit) sanamus; ipsisque testamentis, codicillis, contractibus et actis (dummodo aliud non obsistat) plenam et indubiam fidem in iudicio et extra illud, ac si per notarios legitime creatos rogata, stipulata et facta fuissent, adhiberi; neque in iudicio aut extra illud de nullitate ex praemissâ causâ ullo umquam tempore aut pacto argui, dici vel opponi posse, volumus et mandamus; necnon sanationem et revalidationem praedictas, in quolibet dicti Status Ecclesiastici loco, a die, quo in ipso loco praesentes nostrae litterae modo ac formâ ibidem servari solitis et consuetis publicatae fuerint, effectum sortiri; et de publicatione huiusmodi publicum documentum (in libris archivii cuiuslibet loci, in quo facta fuerit, unâ cum eisdem praesentibus inserendum) fieri debere, statuimus et ordinamus.

1 Edit. Main. legit *temeritatis* (R. T.).

Notarios vero ex alio capite nulliter creatos sanandi facultatem concedit archiviorum praefecto, facto verbo cum Romanis Pontificibus.

§ 4. Praeterea, cum, sicut etiam accepimus, reipsâ compertum sit complures alios notarios ex potestatis vel solemnitatum defectu, aut aliis capitibus, quae de facili recenseri non possunt, nulliter et de facto creatos existere, dilecto filio, moderno, et pro tempore existenti, archiviorum praefecto, omnia et singula instrumenta et alia praemissa per notarios ex quovis alio quam priori capite nulliter creatos rogata et facta (facto tamen prius nobiscum seu cum pro tempore existentibus Romanis Pontificibus successoribus nostris in singulis casibus occurrentibus verbo, et dummodo nullitas praefata, ut praefertur, non sit[1] parte acceptata, nec in iudicium deducta) sanandi et revalidandi, absque eo, quod unquam in futurum de nullitate huiusmodi dici aut redargui possit, amplam et omnimodam licentiam, auctoritatem et facultatem concedimus et impertimur.

Inhibet de cetero fieri huiusmodi creationes.

§ 5. Inhibentes insuper, sub indignationis nostrae aliisque gravissimis arbitrio nostro imponendis et declarandis poenis, omnibus et singulis gubernatoribus, praetoribus et aliis officialibus, quovis nomine nuncupatis, provinciarum, civitatum, terrarum ac locorum dicti nostri Status mediate et immediate subiecti, ne in futurum ullo unquam tempore, praetextu edicti per praefatum Henricum cardinalem et camerarium ut praefertur editi et publicati, aliquem in notarium creare; notariis vero, ut praefertur, creatis, et quos pro tempore ex alio capite nulliter creatos esse per praefectum huiusmodi declarari contigerit, ne officium notariatus, praetextu eorum creationis tali pacto factae, exercere audeant vel praesumant.

Notariis sic creatis de novo admitti se facere posse permittit.

§ 6. Necnon volentes quod notarii sic creati in eorum exercitio perseverare intendentes, de novo se ab habente creandi potestatem, et servatâ formâ per alias nostras litteras hodie praescribendâ, creari et admitti faciant.

Clausulas praeservativas addit.

§ 7. Ac decernentes easdem praesentes, ac omnia et singula in eis contenta (etiam ex eo quod notarii et alii quicumque in praemissis seu eorum aliquo interesse habentes, vel habere quomodolibet praetendentes, eis nullatenus consenserint, et ad hoc vocati aut auditi non fuerint, minusque causae, propter quas praesentes emanarint, deductae, verificatae, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenus, iustificatae fuerint) nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae et alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali (sive ex eo quod in praemissis seu eorum aliquo solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda servata[1] et adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite, a iure, vel facto, aut statuto, seu consuetudine resultante, vel praescriptionis, etiam quadraginta annorum, et ultra, aut enormis, enormissimae, ac totalis laesionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore iuris clauso, seu occasione, vel causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ huiusmodi, et aliis superius expressis, seu relatis, nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset) impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam ac terminos iuris aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato vel concesso quempiam uti seu se iuvare in iudicio vel extra illud posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel

1 Videretur deesse praep. *a* (R. T.).

1 Vocem *servata* nos addimus (R. T.).

dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi; sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari;

Contra iudicari prohibet.

§ 8. Sicque et non aliàs in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et nuntios, ac alios, quavis auctoritate et potestate fungentes, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputat.

§ 9. Quocirca venerabilibus fratribus nostris et dictae Sedis de latere legatis et prolegatis, necnon dilectis filiis praesidentibus, gubernatoribus, praetoribus, aliisque officialibus, quovis nomine nuncupatis, provinciarum, civitatum et locorum praedictorum per apostolica scripta mandamus, quatenus, statim atque praesentes nostrae litterae illis seu alicui eorum praesentatae fuerint, illas solemniter publicent et publicari faciant, ac in eis contenta quaecumque, per se, vel alium, seu alios, debitae exequutioni demandent et demandari procurent; contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes, per sententias, censuras ac poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, omni et quacumque appellatione, recursu et reclamatione remotis, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria removet.

§ 10. Non obstante piae memoriae Bonifacii VIII de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo quis ultra tres dietas extra suam civitatem vel dioecesim ad iudicium earumdem vigore praesentium non trahatur, et Pii IV, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, de gratiis, interesse dictae camerae quomodolibet concernentibus, infra certum tempus in eâdem camerâ insinuandis et registrandis, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon nostrâ de non tollendo iure quaesito, aliisque cancellariae apostolicae regulis, necnon provinciarum, civitatum, terrarum, oppidorum, castrorum et aliorum dicti Status, tam mediate quam immediate, ut praefertur, subiectorum locorum, statutis, privilegiis, indultis, concessionibus, exemptionibus, immunitatibus, licentiis, facultatibus, deputationibus, confirmationibus, extensionibus, prorogationibus et litteris apostolicis, legatis, prolegatis, gubernatoribus, praetoribus et aliis officialibus praefatis, ac quibusvis aliis, etiam communitatibus, universitatibus, monasteriis, hospitalibus, etiam sancti Ioannis Hierosolymitani, et aliis piis et non piis locis, etiam speciali notâ et mentione dignis, etiam motu, scientiâ et potestate paribus, et etiam consistorialiter, et de eorumdem cardinalium consilio et consensu, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam necessario exprimendis, etiam in vim contractus iurati, et camerali obligatione vallati, et quovis alio robore et cautelâ firmati, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, editis, factis, et pluries, ac iteratis vicibus, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis (etiamsi in eis caveatur expresse,

quod nullo unquam tempore sub similium vel dissimilium facultatum, licentiarum, concessionum, privilegiorum et aliarum gratiarum praefatarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis quibuscumque contrariis dispositionibus pro tempore edendis comprehendantur, sed semper ab illis excepta, et, quoties illa[1] emanarent, toties in pristinum et validissimum statum, etiam sub posteriori datâ per eos, quibus concessa sunt, eligendâ, restituta, reposita et plenarie reintegrata, et de novo concessa sint et esse censeantur, necnon pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret), tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, harum serie specialiter et expresse ac latissime derogamus et derogatum esse etiam volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Huius Constitutionis exemplis credi iubet.

§ 11. Volumus autem et apostolicâ auctoritate praefatâ decernimus, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctionemque poenalem superaddit.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum declarationis, revalidationis, sanationis, statuti, ordinationis, concessionis, impartitionis, inhibitionis, decretorum, mandatorum, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli postoloruma eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXXI, XII kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 21 decembris 1631, pontif. anno IX.

Die XI *mensis martii* MDCXXXII. *Illustrissimus et reverendissimus dominus Franciscus Usimbardus C. A. clericus et archiviorum Status Ecclesiastici praefectus, ad instantiam R. P. D. Felicis Contelorii, camerae praefatae generalis commissarii, ad maiorem cautelam, et ut dictae litterae apostolicae semper, cum opus fuerit, in eâdem camerâ appareant, et aliàs omni meliori modo,* etc., *mandavit illas in eiusdem camerae libris registrari, prout registratae fuerunt, et collationatae concordant.*

PETRUS ANTONIUS SEVERUS.

CDXXVI.

Notarii extra Urbem creandi, antequam officium notariatus exercere incipiant, examini se subiicere debent, sub poenâ nullitatis et falsi.

Urbanus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Ratio pastoralis officii sollicite vigilare nos admonet, ut ad publica munia, praecipue vero nostrorum et sanctae Romanae Ecclesiae subditorum interesse concernentia, exercenda, viri praeficiantur idonei, qui, fide, doctrinâ et experientiâ commendabiles, sustinendo oneri sibi credito pares existant. Prooemium.

§ 1. Hinc est quod nos, qui hodie[1] (accepto, quod post erectionem et constitutionem archiviorum per felicis recordationis Sixtum Papam V praedecessorem Gubernatores civitatum, occasione prohibitionis iam per cardinalem camerarium factae ne notarii

1 Potius legerem *illae* (R. T.).

1 Vide Const. praeced. quam ideo praemisimus, quia in ista citatur (R. T.).

officium exercerent nisi praevio examine per ipsos gubernatores creaverant nonnullos notarios.

nostrum in quibusvis Status Ecclesiastici, nobis, tunc illi, et Sedi Apostolicae mediate et immediate subiecti, provinciis, civitatibus, oppidis, castris, villis et aliis locis designatis factam, gubernatores civitatum, ac praetores locorum minus insignium (sumptâ occasione, quod bonae memoriae Henricus olim tituli S. Pudentianae presbyter cardinalis Caietanus nuncupatus, tunc sanctae Romanae Ecclesiae camerarius, statuerat et ordinaverat, quod nullus notarius, per quamvis personam, praetextu cuiusvis facultatis etiam ex Urbe nostrâ concessae, extra Romanam curiam creatus, officium notariatus, nisi praevio rigoroso examine per gubernatorem aut superiorem loci cum interventu advocati et archivistae approbatus fuisset, exercere posset) facultatem creandi notarios sibi arrogare ausi fuerant et de facto creaverant);

Quos sic creatos Pontifex annullavit, et ut de novo se creari facere possint ipsis concedit, certâ praescribendâ formâ.

§ 2. Creationes notariorum, per gubernatores et praetores sic factas, invalidas et attentatas, et notarios, tali pacto creatos, non notarios per alias nostras litteras declaravimus, prohibentes assertis notariis, ut praefertur creatis, ne officium notariatus praetensi exercere auderent vel praesumerent; sed de novo se ab habente creandi potestate, et servatâ formâ per nos praescribendâ, creari facerent;

Eam formam hic praescribit.

§ 3. Volentes formam huiusmodi praescribere, et omnibus interesse habentibus consulere, motu proprio, non ad alicuius super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ nostrâ scientiâ, merâque deliberatione, ac de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium statuimus et ordinamus, quod perpetuis futuris temporibus, in omnibus et singulis provinciis, civitatibus, oppidis, castris, villis et locis Status praedicti tam mediate quam immediate subiecti, nullus omnino, tam ex praedictis, ut praefertur, iam creatis, quam ex eis, quos in futurum quavis auctoritate creari contigerit, extra districtum Urbis ad exercitium officii notariatus huiusmodi admitti possit, nec debeat, nisi coram pro tempore existente legato, aut praesidente, vel gubernatore provinciae, in qua degit, vel, ipsis impeditis, coram prolegato vel locumtenente generali respective, cum interventu duorum iurium doctorum et totidem notariorum (inter quos sit loci archivista), ubi vero tribunal Rotae institutum fuerit, duorum eiusdem auditorum, docuerit prius de creatione in notarium legitime factâ; eâque legitimâ et validâ compertâ, rigorose examinatus et interrogatus fuerit super iis, quae ad exercitium officii notariatus spectant; et, quatenus ad id repertus fuerit idoneus (super quo examinatorum omnium conscientiam oneramus), a legato, praeside, vel gubernatore ad exercitium praefatum, praestito tamen prius per eum iuramento de observandis apostolicis constitutionibus et bannimentis super archiviis emanatis, admissus, et super admissione per archivistam litterae patentes, legati, praesidentis, vel gubernatoris manu subscriptae, eidem consignatae fuerint. Quo vero ad civitates legatorum vel gubernatorum provinciae, praefatorum iurisdictioni non suppositas, et illarum loca ac territoria, examen et alia praemissa coram singulis civitatum huiusmodi gubernatoribus, cum earumdem personarum superius expressarum interventu, adimpleantur. In eventum vero quod occasione legationum civitas legato subiiceretur, durante tali subiectione in loco residentiae legati, et quoad terras et alia loca, in quibus specialis gubernator constitutus[1] reperitur, coram praeside provinciae; quo vero ad civitates, terras et loca in districtu dictae Urbis existentia, coram pro tempore existente archiviorum praefecto, cum interventu quatuor iurium doctorum et quatuor camerae apostolicae notario-

1 Heic videtur deesse partic. *non* (R. T.).

rum, supradicta peragi posse volumus, et insuper notarium, ut praefertur approbandum et admittendum, praemissorum occasione in aliquâ expensâ, praeterquam decem iuliorum monetae romanae pro litteris patentibus per archivistam exigendorum, gravari non posse;

Contrafacientibus poenas infligit.

§ 4. Et si quis ex superius comprehensis notariis contra praesentium tenorem, non obtentâ admissione ut praefertur, officium notariatus exercere ausus fuerit, poenam falsi incurrere, et actus per ipsum factos, perinde ac si nunquam notarius creatus extitisset, nullos et invalidos ac nullius roboris et momenti in iudicio et extra fore et esse, decernimus et declaramus.

Haec ad notarios extra Urbem residentes extendit.

§ 5. Quae quidem omnia quoad notarios extra Urbem residentes, et quavis auctoritate, etiam ex Urbe proveniente, ac per protonotarios et scriptores Romanae Curiae, necnon communitatum et[1] archiviorum collegia, et alios quoscumque, etiam apostolicâ, vel imperiali, aut aliâ quacumque suffultos auctoritate, creatos, etiamsi in instrumento creationis particulares iudices deputati reperirentur, locum habere et observari volumus pariter et mandamus.

Clausulis praeservativis hanc Constitutionem munit.

§ 6. Praesentes quoque et omnia ac singula in eis contenta (etiam ex eo quod scriptores Romanae Curiae et aliorum archiviorum praefatorum, ac notarii et alii quicumque, in praemissis seu eorum aliquo interesse habentes, vel habere quomodolibet praetendentes, praemissis nullatenus consenserint, et ad hoc vocati aut auditi non fuerint, minusque causae, propter quas eaedem praesentes emanarint, deductae, verificatae, seu aliâs sufficienter, aut etiam nullatenus, iustificatae fuerint) nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali (sive ex eo quod in praemissis seu eorum aliquo solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite, a iure vel facto aut statuto seu consuetudine resultante, vel praescriptionis, etiam quadraginta annorum et ultra, aut enormis, enormissimae, ac totalis[1] laesionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore iuris clauso, seu occasione, vel causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ huiusmodi et aliis superius expressis seu relatis, nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset) impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam ac terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato vel concesso quempiam uti seu se iuvare in iudicio vel extra illud posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari;

Sicque et non aliâs iudicari praecipit.

§ 7. Sicque, et non aliâs, in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, nuntios, ac alios quavis auctoritate et potestate

1 Coniunct. *et* addo commate ad *collegia* producto (R. T.).

1 Edit. Main. legit *totali* (R. T.).

fungentes, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, [1] pariter decernimus.

Exequutores deputat.

§ 8. Quocirca venerabilibus fratribus nostris et dictae Sedis de latere legatis et prolegatis, necnon dilectis filiis praesidentibus, gubernatoribus, aliisque officialibus, quovis nomine nuncupatis, provinciarum, civitatum et locorum praedictorum per apostolica scripta mandamus, quatenus, statim atque praesentes nostrae litterae illis seu alicui eorum praesentatae fuerint, illas solemniter publicent et publicari faciant, ac in eis contenta quaecumque, per se, vel alium, seu alios, debitae exequutioni demandent et demandari procurent, contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, omni et quacumque appellatione, recursu et reclamatione remotis, compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria abrogat.

§ 9. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii VIII de unâ et in concilio generali editâ [2] de duabus dietis, dummodo quis ultra tres dietas extra suam civitatem vel dioecesim ad iudicium earumdem vigore praesentium non trahatur, et Pii IV, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, de gratiis interesse dictae camerae quomodolibet concernentibus infra certum tempus in eâdem camerâ insinuandis et registrandis, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon nostrâ de non tollendo iure quaesito aliisque cancellariae apostolicae regulis, necnon provinciarum, civitatum, terrarum, oppidorum, castrorum et aliorum dicti Status tam mediate quam immediate ut praefertur subiectorum locorum statutis, privilegiis, indultis, concessionibus, exemptionibus, immunitatibus, licentiis, facultatibus, deputationibus, confirmationibus, extensionibus, prorogationibus, et litteris apostolicis, legatis, prolegatis, gubernatoribus, praetoribus et aliis officialibus praefatis, ac quibusvis aliis, etiam communitatibus, universitatibus, monasteriis, hospitalibus, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, et aliis piis et non piis locis, etiam speciali notâ et mentione dignis, etiam motu, scientiâ et potestate paribus, et etiam consistorialiter, et de eorumdem cardinalium consilio et consensu, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam necessario exprimendis, etiam in vim contractus iurati et camerali obligatione vallati et quovis alio robore et cautelâ firmati, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, editis, factis, et pluries, ac iteratis vicibus, confirmatis, approbatis et innovatis, quibus omnibus et singulis (etiamsi in eis caveatur expresse, quod nullo umquam tempore sub similium vel dissimilium facultatum, licentiarum, concessionum, privilegiorum et aliarum gratiarum praedictarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore faciendis comprehendantur, sed semper ab illis exceptae, et, quoties illae emanarent, toties in pristinum et validissimum statum, etiam sub posteriori datâ per eos quibus concessa [1] sunt eligendâ, restituta, reposita et plenarie reintegrata, ac denuo concessa sint et esse censeantur, necnon, pro sufficienti derogatione, de illis co-

1 Verba *irritum et inane* delemus (R. T.).

2 Vocem *editâ* nos addimus (R. T.).

1 Edit. Main. legit *concessae* (R. T.).

rumque totis tenoribus specialis specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret), tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, harum serie specialiter et expresse ac latissime derogamus et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Hanc Constitutionem publicari et publicatam omnes afficere decernit.

§ 10. Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, ultra earumdem publicationem in quolibet dicti Status loco faciendam, et in cuiuslibet loci archivio registrandam, volumus, et apostolicâ auctoritate decernimus, easdem praesentes ad valvas basilicae Principis Apostolorum, et cancellariae apostolicae, ac in acie Campi Florae per aliquem ex cursoribus nostris publicari, et illarum exempla ibidem affixa relinqui; quae sic publicatae et affixae omnes et singulos quos concernunt in Urbe commorantes perinde afficiant et arctent, ac si illorum unicuique personaliter notificatae et intimatae fuissent;

Eiusdem transumptis vult fidem haberi.

§ 11. Quodque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides in iudicio et extra habeatur, quae ipsis originalibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctionem poenalem addit.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, mandatorum, derogationis, voluntatum et decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXXI, XII kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 21 decembris 1631, pontif. anno IX.

Publicatio in Urbe.

Anno a nativitate D. N. Iesu Christi MDCXXXII, *indictione* XV, *die vero* VII *mensis februarii, pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Domini Urbani divinâ providentiâ Papae VIII, anno eius* IX, *supradictae litterae apostolicae affixae et publicatae fuerunt ad valvas basilicae Principis apostolorum de Urbe, cancellariae apostolicae, ac in acie Campi Florae, dimissis in eisdem locis supradictarum litterarum apostolicarum exemplis affixis per me Antonium Bardum Romanum, Sanctissimi Domini nostri Papae cursorem.*

AUGUSTINUS DE BOLIS pro mag. curs.

Registratio in camera apostolica.

Die XI *mensis martii* MDCXXXII *illustrissimus et reverendissimus dominus Franciscus Usimbardus C. A. clericus, et archiviorum Status Ecclesiastici praefectus, ad instantiam R. P. D. Felicis Conteloris camerae praefatae generalis commissarii, ad maiorem cautelam, et ut dictae litterae apostolicae semper, cum opus fuerit, in eâdem camerâ appareant, et aliàs omni meliori modo, etc., mandavit illas in eiusdem camerae libris registrari, prout registratae fuerunt et collationatae concordant.*

PETRUS ANTONIUS SEVERUS.

CDXXVII.

Ampliatio constitutionis Pauli V, super simplicibus votis quae professi Societatis Iesu emittunt post professionem solemnem circa paupertatem et acceptationem dignitatum extra religionem editae, qua illorum votorum dispensationem sibi et pro tempore Romano Pontifici reservavit, ad eorum-

dem commutationem et relaxationem: insuper declaratio, quod in dicto voto de dignitatibus extra Societatem comprehenduntur etiam dignitates seculares et officia secularia, quae iurisdictionem habent extra Societatem.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Vota, quae Deo fiunt, omnino reddi debent, et praesertim si in manibus superiorum emittantur per religiosos, qui tanto plus ceteris tenentur opere, quanto plus promiserunt professione. Unde Romanus Pontifex, inter maximas apostolicae servitutis curas, in eam peculiari studio iugiter incumbit, ut religiosi ipsi reddant Domino vota sua in sanctitate et iustitiâ coram ipso.

Indicatio Constitutionis Pauli V.

§ 1. Quapropter a felicis recordationis Paulo V praedecessore nostro circa vota clericorum et presbyterorum Societatis Iesu emanarunt litterae tenoris sequentis:

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex incumbenti nobis pastoralis officii debito ad ea sedulo intendimus, per quae religiosorum Ordines, in militanti Ecclesiâ ad divini nominis laudem et gloriam animarumque salutem pie recteque instituti, sub salubribus eorum regulis et constitutionibus perseverent, ac maioribus in dies in Dei obsequio et sanctitate vitae proficiant incrementis.

Supplicatio generalis Societatis.

§ 1. Sane dilectus filius Mutius Vitellescus, Societatis Iesu praepositus generalis, nobis nuper exponi fecit, quod clerici regulares eiusdem Societatis, qui ad solemnem professionem in dictâ Societate admittuntur, post emissam professionem huiusmodi, ut[1] inter alia infrascripta simplicia vota emittere consueverunt, verbis sequentibus, videlicet:

1 Particula *ut* praeter rem videtur (R. T.).

Formula, quae adhibetur in emissione votorum.

§ 2. *Ego N., professus Societatis Iesu, promitto Deo omnipotenti, coram eius Virgine Matre et totâ Curiâ caelesti, et coram R. P. praeposito generali* (vel *coram N. locum praepositi generalis tenente*) *numquam me acturum quacumque ratione, vel consensurum, ut quae ordinata sunt circa paupertatem in constitutionibus Societatis immutentur, nisi quando ex causâ iustâ rerum exigentium videretur paupertas restringenda magis: promitto praeterea, numquam me curaturum, praetensurumve extra Societatem praelationem aliquam vel dignitatem, nec consensurum in mei electionem, quantum in me fuerit, nisi coactum obedientiâ eius, qui mihi praecipere potest sub poenâ peccati.*

Commendatio emissionis votorum.

§ 3. Cum vero vota huiusmodi laudabilibus praedictae Societatis institutis convenientia sint, nos ad eximios et uberes fructus, quos eiusdem Societatis clerici in agro dominico in dies faciunt, considerationis nostrae dirigentes intuitum, ne Societas praedicta processu temporis aliquod in spiritualibus detrimentum faciat, quantum cum Domino possumus, providere volentes, supplicationibus eiusdem Mutii praepositi nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Dispensatio spectat ad Pontificem.

§ 4. Quod de cetero perpetuo[1] futuris temporibus cum clericis eiusdem Societatis super votis praedictis nisi per nos aut Romanum Pontificem pro tempore existentem dispensari nullatenus possit, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus et ordinamus, ac facultatem super votis praedictis dispensandi nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti reservamus.

Annulliat dispensationes aliter factas.

§ 5. Decernentes, quascumque votorum praedictorum dispensationes contra praesentium tenorem quandocumque facien-

1 Videtur legendum *perpetuis* (R. T.).

das, nullas, irritas et inanes, nulliusque roboris vel momenti;

Praecipit observantiam Constitutionis.

§ 6. Praesentes vero litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere;

Ac ita et non aliter declarari statuit.

§ 7. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et nunciós, quavis auctoritate fungentes, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Removet obstantia.

§ 8. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI ianuarii MDCXVIII, pontificatus nostri anno XIII.

Urbanus explicat causam novae suae Constitutionis.

§ 9. Et licet praeinsertae litterae hactenus inviolabiliter observatae fuerint, nihilominus, quia (sicut dilectus filius Mutius Vitellescus, eiusdem Societatis praepositus generalis, nobis nuper exponi fecit) a nonnullis dubitetur[1], praepositum generalem dictae Societatis pro tempore existentem, vel quemlibet eius superiorem etiam legatum Sedis Apostolicae, etiam de latere, seu nuncium facultates praedicti legati habentem, vel quemcumque alium superiorem, potuisse et posse, saltem in foro conscientiae, cum praedictis clericis et presbyteris Societatis praedictae super praeinsertis votis, et praecipue super dicto voto non procurandi nec acceptandi extra ipsam Societatem praelaturam vel dignitatem, dispensare, seu praedicta vota relaxare et commutare:

Admonet religiosos Societatis de illorum statu, ac emissione votorum.

§ 10. Nos, volentes quaecumque dubia de medio tollere, ac attendentes servitio Dei et praedictae Societatis quieti valde expedire, ne ipsius societatis religiosi, qui praedicta vota emiserunt, immemores eorum professionis, qua contemptis honoribus, abiectis divitiis, spretisque delitiis, arbitrium proprium alterius ditioni subiugarunt, retro aspiciant ad aratrum manum mittentes, ut solium praelaturae seu dignitatis extra eorum religionem conscendere moliantur,

Confirmat Paulinam Constitutionem et ex certa scientia innovat.

§ 11. Supplicationibus eiusdem Mutii praepositi nobis humiliter porrectis inclinati, praeinsertas litteras Pauli praedecessoris nostri, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, et, quatenus foret opus, etiam ex nostrâ certâ scientiâ innovamus.

Nemo, qui habet generalem facultatem dispensandi, commutandi, relaxandi vota, potest suam facultatem exercere quoad vota Societatis Iesu: sed dicta omnia sunt reservata Summo Pontifici.

§ 12. Praeterea super votis praedictis, et praecipue super illo de non procurandâ nec acceptandâ extra Societatem praedictam dignitate vel praelaturâ, neminem etiam de latere legatum, nuncium, et quemcumque alium, etiam speciali notâ dignum, potuisse vel posse, etiam vigore quarumcumque facultatum generalium super votis dispensandi, commutandi et relaxandi, a nobis et Romanis Pontificibus, etiam ad supplicationem seu contemplationem imperatoris, regum, aliorumque sublimium principum, etiam motu proprio, certâque scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, ac aliâs quomodolibet, etiam vigore cuiuslibet iubilaei, vel cruciatae, seu missionum, et aliâs quovis modo et quacumque causâ, quantumlibet piâ, favorabili, publicâ et privilegiatâ, concessarum et concedendarum, potuisse nec posse, tam in foro conscientiae quam in foro exteriori, vel aliâs quomodolibet, cum praedictis clericis et presbyteris Societatis praedictae super praedictis votis, et praesertim super praefato voto de praelaturâ et dignitate ecclesiasticâ extra ipsam Societatem non acceptandâ nec assequendâ, dispensare, nec praedicta vota commutare vel relaxare, sed huiusmodi dispensationem et commutationem vel re-

1 Legend. *dubitatur*, aut antea *cum* pro *quia* (R. T.).

laxationem dumtaxat nobis et Romanis Pontificibus pro tempore existentibus reservatam fuisse et esse declaramus.

In voto de non acceptando dignitates extra Societatem, comprehenduntur dignitates et officia secularia, quae iurisdictionem habent.

§ 13. Insuper, cum a sacris canonibus prohibitum sit omnibus personis ecclesiasticis, et praesertim regularibus, ne officia secularia acceptent et exerceant, negotiisque secularibus se immisceant, tenore praesentium nedum praelationes seu dignitates ecclesiasticas extra ipsam Societatem existentes, sed multo magis seculares quascumque [1], ac quaecumque officia, quorum officiales iurisdictionem ecclesiasticam vel laicalem de iure, usu vel consuetudine habent, seu quomodolibet extra ipsam Societatem exercent, sub praedicto voto et prohibitione huiusmodi comprehensa fuisse et esse ac comprehendi debere similiter declaramus et decernimus;

Clausulas praeservativas apponit.

§ 14. Praesentes quoque litteras de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, in ius vel controversiam vocari, seu ad viam et terminos iuris reduci, aut adversus eas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut concedi, sive etiam motu proprio seu aliàs concesso quempiam uti seu se iuvare in iudicio et extra illud nullatenus posse, sed illas semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac in dictâ Societate ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter servari;

Aliter iudicandi facultatem tollit.

§ 15. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et nuncios, quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate auctoritateque, interpretari, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 16. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus foret, etiam regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, necnon omnibus illis, quae in eisdem praeinsertis litteris concessa sunt non obstare; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV ianuarii MDCXXXII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 25 ianuarii 1632, pontif. anno IX.

CDXXVIII.

Decima per regem catholicum ab universo clero et personis ecclesiasticis exigenda ad summam sexcentorum millium ducatorum monetae ascendentes [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Causae imponendae decimae.

§ 1. Cum nos nuper (considerantes funestos haereticorum in Germania motus et intestina bella, quibus provincia illa misere vexaretur, quantoque hostis humani generis impulsu charissimi in Christo

1 Edit. Main. legit *quoscumque* (n. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

filii nostri Ferdinandi Romanorum regis in imperatorem electi ditiones temporales ab eisdem haereticis oppugnarentur), ut aliquam eidem Ferdinando regi in imperatorem electo et religioni catholicae inibi periclitanti opem ferremus, nonnullas decimas super beneficiorum ecclesiasticorum fructibus in universâ Italia certis modo et formâ imposuerimus; et, sicuti charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus nobis nuper exponi fecit, ipse, pro avito defendendae et propagandae eiusdem religionis zelo, eidem Ferdinando in hoc calamitoso rerum statu nullatenus deesse velit, sed communem reipublicae christianae causam quacumque opportunâ ratione poterit sustinere et adiuvare cupiat; quoniam vero, pro eiusdem fidei catholicae etiam in multis aliis provinciis defensione et propagatione, adeo gravia expensarum onera hactenus subire coactus fuit et ad praesens cogitur, ut non solum ordinarios et extraordinarios regnorum suorum redditus, verum etiam omnia illorum aeraria fere exhauserit, et propterea nobis humiliter supplicari fecerit, ut super ecclesiarum in dominiis ipsius Philippi regis existentium peculio, Christique Domini, cuius causa agitur, patrimonio, aliquod subsidium in ipsius Philippi regis catholici subventionem eidem Ferdinando regi in imperatorem electo erogandum imponere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Unam decimam de millium ducatorum super omnibus redditibus ecclesiasticis imponit.

§ 2. Nos, pro eâ, quam de ipsius Ferdinandi regis in imperatorem electi, eiusque ditionum temporalium ab haereticis oppugnatarum tuitione, praecipuam habemus sollicitudinem[1], laudabile et Deo maxime gratum dicti Philippi regis desiderium, quantum nobis ex alto conceditur, adiuvare volentes, etiam ipsius Ferdinandi regis in Imperatorem electi contemplatione et intuitu, ac supplicationibus dicti Philippi regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de attributae nobis a Domino apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, indicimus et imponimus unam semel et in praesenti anno persolvendam decimam, quae in totum ad summam sexcentorum millium ducatorum monetae Hispaniae ascendat, iuxta ratam a venerabili fratre Caesare patriarcha Antiocheno, nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio, taxandam, omnium fructuum, redditum, proventuum, iurium, obventionum, emolumentorum ac distributionum quotidianarum omnium ecclesiarum archiepiscopalium, episcopalium, collegiatarum, parochialium, nec non monasteriorum et conventuum, ac etiam mensarum abbatialium, capitularium, tam cathedralium et metropolitanarum, quam quarumcumque collegiatarum ecclesiarum, necnon conventualium, prioratuum quoque, praepositurarum, praeceptoriarum, canonicatuum et praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, etiam fabricae, et officiorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium, ac S. Benedicti, S. Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis, ac quorumcumque aliorum Ordinum utriusque sexus, etiam Mendicantium annuos redditus habentium, tam virorum quam mulierum, necnon congregationum regularium, institutorum et societatum, etiam Societatis Iesu, et praeterea hospitalium, necnon beatae Mariae Theutonicorum, sancti Iacobi de Spatha, Alcantara, Calatrava, de Avis et Montesia, necnon sancti Lazari et aliarum quarumcumque militiarum (exceptis tantum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, ac fratribus militibus hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, qui, pro sui tutelâ contra Turcas et alios infideles, alienis auxiliis

1 Aptius *praecipuam habemus, sollicitudine* (R. T.).

quotidie indigent, et, quoad curata, iis, quorum centum, quo vero ad simplicia, iis, quorum annui redditus summam vigintiquatuor ducatorum auri de camerâ non excedunt) in Hispaniarum regnis ac insulis Sardiniae, Maioricae et Minoricae existentium, ac similiter omnium pensionum super praemissis assignatarum et assignandarum, percipiendam et exigendam a quibuscumque archiepiscopis, episcopis, primatibus, praepositis, decanis, capitulis, canonicis, rectoribus, beneficiatis, abbatibus, prioribus, commendatariis, abbatissis, priorissis, fratribus, militibus, et aliis quocumque nomine nuncupatis, secularibus et regularibus, ceterisque cuiuscumque dignitatis, status et conditionis existentibus, praefata quocumque iure, modo, occasione et titulo obtinentibus, seu detinentibus, et obtenturis, necnon oeconomis et administratoribus perpetuis seu temporalibus usufructuariis, ac fructus, pensiones, res et alia quaecumque huiusmodi iura et bona ex quacumque causâ, quavis auctoritate, in toto vel in parte sibi reservata aut concessa habentibus vel habituris, secularibus et regularibus Ordinum, congregationum, militiarum et hospitalium praefatorum, necnon ab ipsis ecclesiis, capitulis, conventibus, Ordinibus, congregationibus, collegiis, hospitalibus, militiis, mensis, massis et locis, quocumque privilegio et exemptione reali, personali et mixtâ, antiquâ et immemorabili, pacificâ et continuatâ suffultis, quos omnes (exceptis supradictis) collectoribus, ut infra deputandis, volumus decimam praedictam, iuxta taxam praedictam, infra annum proximum persolvisse.

Clausulae. § 3. Decernentes nullas omnino exemptiones et immunitates exactionem huiusmodi impedire posse; sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio praedictae decimae collectorum.

§ 4. Ut autem supradicta diligenter et fideliter exequutioni demandentur, venerabilem fratrem Caesarem patriarcham Antiochenum, nostrum et Sedis Apostolicae in dictis regnis nuncium, cuius integritas et prudentia nobis iampridem cognita est, et alias ecclesiasticas personas, si ita ei videbitur, ab eo nominandas, decimae praedictae collectores, cum omnibus iurisdictionibus quae aliis huiusmodi collectoribus de iure vel consuetudine quomodolibet competunt, auctoritate et tenore praedictis constituimus et deputamus,

Necessarias facultates Caesari patriarchae concedit.

§ 5. Mandantes, ut, quidquid inde, per se, vel personas ecclesiasticas praedictas, sive subcollectores suos, exegerit, id omne, redditâ prius sibi per personas deputandas huiusmodi praemissorum omnium ratione[1], thesaurario ipsius Philippi regis in supradictos et non alios usus convertendum consignari faciat; ac eidem Caesari patriarchae plenam, liberam et amplam ac absolutam potestatem taxam et repartimentum huiusmodi, pro praedictâ summâ sexcentorum milliun ducatorum monetae Hispaniae dumtaxat conficiendâ, omni et quacumque appellatione, recursu, nullitatis dictione, ac in integrum restitutione penitus remotis, faciendi et praescribendi, praefatos omnes ad decimam huiusmodi pro ratâ quemlibet iuxta praefatam taxam tangente persolvendam, etiam per edictum locis publicis affigendum, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis, monendi et requirendi, non parentes contumaces et fraudaces[2] in censuras et poenas praefatas incidisse declarandi, proprieta-

1 Perperam edit. Main. legit *natione* (R. T.).
2 Videretur legendum *fraudantes* (R. T.).

tes, fructus et bona ipsorum apprehendendi et usque ad satisfactionem retinendi, contradictores, perturbatores, molestatores et rebelles, ac quoscumque eis auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte quovis quaesito colore praestantes, cuiuscumque dignitatis, gradus et ordinis fuerint, praefatis, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis, necnon pecuniariis, ceterisque iuris et facti remediis opportunis compellendi, illasque etiam iteratis vicibus aggravandi, eos vero, qui debite satisfecerint, ab omnibus censuris et poenis supradictis in formâ Ecclesiae consuetâ absolvendi, praeterea quascumque personas ecclesiasticas in collectores et subcollectores fide et facultatibus idoneas in omnibus civitatibus, dioecesibus et provinciis regnorum et dominiorum praedictorum, quotquot expedierit, constituendi, eumque vel eos arbitrio suo revocandi, negligentes et morosos removendi, ac alium seu alios subrogandi, quotiescumque ei[1] videbitur, in delinquentes et contumaces, per se, vel alium, seu alios, etiam simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figurâ iudicii, inquirendi, ac meritis poenis puniendi, modos et formas in praefatis servandos praescribendi, dubia quaecumque in praemissis forte oritura declarandi concedimus[2].

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, Ordinum, congregationum, hospitalium et locorum praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, quodque personis praefatis, eorumque ecclesiis et locis, vel quibusvis aliis, communiter a praedictâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto, necnon personis, eorumque nominibus, cognominibus, ecclesiis, monasteriis, Ordinibus et locis huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, in genere vel in specie, etiam sanctae Romanae Ecclesiae camerario, et aliis camerae apostolicae ministris, etiam ex causâ onerosâ, et aliàs quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, et solutiones decimarum aliter quam secundum antiquam taxam et nisi in universali decimarum per orbem impositione fieri prohibentibus, necnon promissionibus, donationibus, obligationibus, iuramentis, renunciationibus, vinculis et cautelis in assignatione praefatarum pensionum factis, quibus per impositionem decimae huiusmodi minime teneri, neque eas, quoad praemissa, contra quemcumque locum habere declaramus, aliisque indultis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, cuiuscumque tenoris[1] existant, per quae praesentibus non expressa aut totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri et de quibus eorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, quae omnia contra praedicta nolumus cuique suffragari, ceterisque contrariis quibuscumque.

Constitutionem Clementis V observari mandat.

§ 7. In percipiendâ vero decimâ praefatâ piae memoriae Clementis Papae V etiam praedecessoris nostri in concilio Viennensi editam constitutionem, ac praesertim, quod nec calices, nec libri, ceteraque ecclesiarum ornamenta, divino cultui dicata, aliave suppellex ecclesiastica ex causâ pignoris capi, recipi vel distrahi, aut aliàs quomodolibet occupari debeant, ubique praecipimus observari; quinimo

1 Male edit. Main. legit *eis* (R. T.).

2 Verbum *concedimus* nos addimus (R. T.).

1 Edit. Main. legit *tenoribus* (R. T.).

volumus ut, illius occasione, ecclesiae, monasteria, aliaque pia et sacra loca quaecumque debitis non fraudentur obsequiis, ac divinus in iis cultus, et solitus Altissimo famulantium et ministrorum numerus nullatenus minuatur, nec eis quoquomodo iniuncta onera, aut pia quae exerceri solent opera et officia, ullomodo minuantur seu negligantur, sed eorum congrue supportentur onera consueta; quodque propter praefatam decimae impositionem quibuscumque iuribus nostris et collegii sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, ac camerae nostrae apostolicae praedictae, quae ratione ecclesiarum ac monasteriorum et aliorum beneficiorum vacantium et vacaturorum solvi debuerint, in aliquo minime praeiudicetur;

Exemplis fidem addit.

§ 8. Praesentium vero litterarum exempla, etiam impressa, manu notarii publici subscripta, aut alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo obsignata, eamdem in iudicio et extra illud ubique locorum fidem facere, quam ipsae originales facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v februarii MDCXXXII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 5 februarii 1632, pontif. anno IX.

CDXXIX.

Commissio Hispaniarum nuncio, ut modum sibi a clero Hispaniarum proponendum circa praefatae decimae exactionem acceptet[1].

Venerabili fratri Caesari patriarchae Antiocheno, nostro et Sedis Apostolicae in Hispaniarum regnis nuncio,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Decimam prius impositam refert.

§ 1. Cum nos nuper in subventionem charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici[1] indixerimus et imposuerimus unam semel et in praesenti anno persolvendam decimam, quae in totum ad summam sexcentorum millium ducatorum monetae Hispaniarum ascenderet, iuxta ratam a te taxandam, omnium fructuum, redditnum, proventuum, emolumentorum ac distributionum quotidianarum, necnon pensionum annuarum, cleri secularis et quorumvis Ordinum, institutorum[2] et societatum, etiam Societatis Iesu, et militiarum quarumcumque (non tamen hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani) regularis in Hispaniarum regnis ac insulis Sardiniae, Maioricae et Minoricae, et aliàs sub certis modo et formâ tunc expressis, teque decimae huiusmodi collectorem cum facultatibus opportunis constituerimus et deputaverimus, et tibi amplam potestatem taxam et repartimentum huiusmodi pro dictâ summâ sexcentorum millium ducatorum conficiendâ praescribendi[3] concesserimus, prout in nostris in simili formâ Brevis desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur;

Commissio Hispaniarum nuncio, ut in rubrica.

§ 2. Et quia forte contigere posset, ut clerus praedictus, sive ab eo ad hunc effectum specialiter deputandi, faciliorem eâ, quae in litteris praedictis praescribitur, et sibi ecclesiisque et beneficiis minus damnosam rationem reperiat, summam sexcentorum millium ducatorum huiusmodi infra dictum annum conficiendi: eumdem clerum, quem in visceribus gerimus charitatis, praecipuo apostolicae benignitatis affectu prosequi, et illius dispendiis occurrere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut si adhi-

1 Ex regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. legit *catholico* (R. T.).
2 Ed. Main. legit *Ordinum statutorum* (R. T.).
3 Vocem *praescribendi* nos addimus (R. T.).

bitâ diligenti consideratione compereris modum praedictam summam coacervandi, per dictum clerum proponendum, aeque expeditum et securum fore, loco taxae, per te, ut praefertur, faciendae, illum acceptes et approbes, ac mediantibus opportunis cautelis et facultatibus exequutioni debitae, per te, vel alium, seu alios, reservatâ in reliquis aliarum nostrarum praedictarum litterarum formâ, demandari sollicite procures.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII februarii MDCXXXII pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 12 februarii 1632, pontif. anno IX.

CDXXX.

Commissio nuncio Hispaniarum dandi facultatem regi catholico exigendi certam summam ducatorum sexcentorum millium monetae Hispaniarum et etiam amplius in subventionem ipsius regis pro hac vice tantum[1].

Venerabili fratri Caesari patriarchae Antiocheno, nostro et Sedis Apostolicae nuncio in regnis Hispaniarum commoranti, Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum nuper unam tantum decimam DC millium ducatorum pro rege catholico imposuisset,

§ 1. Nuper nos in subventionem charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici indiximus[2] et imposuimus unam semel et in praesenti anno persolvendam decimam, quae in totum ad summam sexcentorum millium ducatorum monetae Hispaniarum ascenderet[3], iuxta ratam a te taxandam, omnium fructuum, redditumm, proventuum[4], emolumentorum, ac distributionum quotidianarum, necnon pensionum annuarum, cleri secularis et quorumvis Ordinum, institutorum et societatum, etiam Societatis Iesu, et militiarum quarumcumque (non tamen hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani) regularis in Hispaniarum regnis et insulis Sardiniae, Maioricae et Minoricae, et aliàs sub certis modo et formâ tunc expressis, teque decimae huiusmodi collectorem cum facultatibus opportunis constituimus et deputavimus, et tibi amplam potestatem taxam et repartimentum huiusmodi pro dictâ summâ sexcentorum millium ducatorum conficiendâ praescribendi[1] concessimus, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Hispaniarum nuncio committit, sicuti in rubrica.

§ 2. Nunc autem, subventioni ipsius Philippi regis, quantum cum Domino possumus, peramplius consulere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi eidem clero quod pro hac vice tantum et infra tempus unius anni in praedictis litteris praescriptum ultra sexcentorum millium ducatorum monetae Hispaniarum huiusmodi aliam[2] maiorem pecuniarum summam, quam sponte ad praedictum effectum contribuere voluerit, eidem Philippo regi in usus in praedictis litteris expressos dumtaxat convertendam contribuere libere et licite possint et valeant auctoritate nostrâ concedendi et indulgendi plenam, liberam et amplam facultatem tenore praesentium impartimur.

Derogat obstantibus.

§ 3. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII februarii MDCXXXII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 28 februarii 1632, pontif. anno IX.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Edit. Main. legit *indicimus* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *ascendere* (R. T.).
4 Edit. Main. legit *proventum* (R. T.).

1 Vocem *praescribendi* nos addimus (R. T.).
2 Edit. Main. legit *alias* (R. T.).

CDXXXI.

Facultas Ordinario Genuensi inquirendi contra conspiratores in rempublicam[1].

Venerabili fratri Dominico patriarchae Hierosolymitano, archiepiscopo Ianuensi, Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii nobiles viri dux et gubernatores Reipublicae Ianuensis, quod novissime nonnulli tam seculares quam Ordinum sive congregationum et institutorum regularium professores contra quietem et libertatem ipsius Reipublicae conspirarunt, seu aliàs malo animo machinati sunt; et, licet huiusmodi conspirationis seu machinationis notitiam habeant nonnulli ecclesiastici seculares, ab illius tamen detectione[2] seu revelatione abstinent, metu incurrendae irregularitatis: quare dux et gubernatores praedicti nobis humiliter supplicari fecerunt, ut de opportunâ super praemissis licentiâ et facultate providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio facultatum, de quibus in rubrica.

§ 2. Nos igitur, iusto ducis et gubernatorum praedictorum desiderio, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi contra omnes et singulas personas ecclesiasticas, tam seculares, etiam in dignitate ecclesiasticâ constitutas, quam cuiusvis congregationis, ordinis et instituti regulares, etiam quocumque exemptionis et immunitatis sive alio quovis privilegio suffultas, nobisque et Apostolicae Sedi immediate subiectas, etiam forenses, et in civitate Ianuensi eiusque dominio occasione transitus seu aliàs quomodolibet repertas, super praemissis omnibus et singulis inquirendi et procedendi, atque inquisitiones et processus fabricandi, quascumque personas huiusmodi praedictae conspirationis seu machinationis conscias, sive illius in toto vel in parte certiores, examinandi, ipsasque ad praemissa revelandum sive detegendum, et perhibendum veritati testimonium, sub censuris et poenis, aliisque opportunis iuris remediis cogendi et compellendi, ita tamen ut personae ipsae nullam propterea irregularitatis notam incurrant, aliaque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna (etiamsi talia sint, vel fuerint, quae magis specialem, specificam et expressam requirent[1] mentionem) faciendi, gerendi et exequendi, praeterea tibi, tuisque officialibus et ministris, occasione praemissorum in negotiis et causis criminalibus vos[2] immiscendi, ac in eis consilium, mandata et iussiones tam verbo quam per litteras dandi, et debitae exequutioni demandandi, seu demandari faciendi (etiam si sanguinis effusio, membrorum mutilatio, seu etiam mors inde sequatur) libere et licite absque alicuius irregularitatis aut censurae ecclesiasticae incursu, dummodo tamen a sententiâ in causâ sanguinis per vos ferendâ omnino abstineatis, plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impartimur.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Bonifacii Papae VIII

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Edit. Main. legit *defectione* (R. T.).

1 Potius lege *requirerent* vel *requirant* (R. T.).

2 Pronomen *vos* nos addimus (R. T.).

praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus, dummodo ultra tres dietas aliquis ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus[1] apostolicis, ac congregationum, ordinum et institutorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v martii MDCXXXII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 5 martii 1632, pontif. anno IX.

CDXXXII.

Mandat nuntiis apostolicis apud imperatorem et regem Poloniae, ut deputent unam seu plures personas in dignitate ecclesiasticâ constitutas, quae ecclesias cathedralem et collegiatam S. Crucis Vratislaviensis semel tantum visitent et reforment[2].

Dilectis filiis, nostris et Apostolicae Sedis apud charissimos in Christo filios nostros Ferdinandum Romanorum regem in imperatorem electum ac Sigismundum Poloniae et Sveciae regem illustrem nunciis,

Urbanus Papa VIII.

Dilecti filii nostri, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Cupientes, ut in maiori Vratislaviensi ac seculari et collegiatâ ecclesiis S. Crucis Vratislaviensi ecclesiastica, regularisque disciplina, ubi collapsa est, restituatur et ubi conservata est constantius perseveret:

§ 1. Motu igitur proprio et ex certâ scientiâ nostris, vobis et vestrum cuilibet per praesentes committimus et mandamus, quatenus vos et vestrum quilibet in solidum[1] unam seu plures personas in dignitate ecclesiasticâ constitutas, quae ecclesias praedictas, illarumque capitula et personas, etiam exemptas, ac nobis et Apostolicae Sedi subiectas, semel tantum, auctoritate nostrâ visitent, ac tam in capite quam in membris reforment, ac in illorum statum, vitam, mores, regulas, regimen, statuta, consuetudines, ritus et disciplinam tam coniunctim quam divisim diligenter inquirant, necnon (evangelicae et apostolicae doctrinae, sacrorumque canonum et generalium conciliorum, et praesertim Tridentini decretis, ac sanctorum patrum traditionibus inhaerendo) quaecumque[2] mutatione, correctione, emendatione, renovatione, revocatione, ac etiam ex integro editione indigere cognoverint, reforment, mutent, corrigant, ac etiam de novo condant, condita, sacris canonibus et Concilii Tridentini praedicti decretis ac constitutionibus apostolicis non contraria, confirment, abusus quoscumque tollant, bonas et laudabiles institutiones, ac in primis divinum cultum ecclesiasticamque disciplinam et observantiam, ubicumque exciderint, modis congruis restituant et reintegrent, ipsasque personas ad debitum et honestum vitae modum revocent, ac quidquid inde statuerint et ordinaverint observari faciant, ac inobedientes per censuras ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia cogant et compellant, aliaque omnia et singula, quae pro ecclesiasticae disciplinae huiusmodi restitutione necessaria, seu quomodolibet

Commissio, de qua in rubrica.

1 Edit. Main. legit *ordinibus* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Vocem *quatenus* repetitam delemus (R. T.).
2 Edit. Main. habet *quacumque* (R. T.).

opportuna fore cognoverint, faciant, dicant, gerant et exequantur, super quibus omnibus et singulis plenam illis facultatem impartimur, auctoritate nostrâ apostolicâ constituatis et deputetis.

Visitationes factae sub sigillo clausae Romam transmittendae.

§ 2. Volentes, ut visitatores huiusmodi, si qua[1] graviora in huiusmodi visitatione repererint, illa, necnon informationes omnes desuper sub sigillo eorum clausas[2] ad nos quamprimum diligenter transmittant, ut quid in illis statuendum sit, maturâ consultatione adhibitâ, decernamus.

Mandatum capitulis et canonicis, ut huiusmodi visitatoribus prompte pareant.

§ 3. Mandantes propterea dilectis filiis ecclesiarum praedictarum capitulis, canonicis et personis, ceterisque, ad quos spectat, ut eidem visitatoribus in praemissis prompte pareant et obediant, eorumque salubria monita et mandata suscipiant humiliter, et efficaciter adimplere procurent; alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tulerint, seu statuerint in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictarum ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis, capitulis, canonicis et personis, et quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *clausae* (R. T.).

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die v martii MDCXXXII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 5 martii 1632, pontif. anno IX.

CDXXXIII.

Protestatio ac pontificia declaratio contra attentata per Gasparem cardinalem Borgiam et complices in consistorio sive extra illud[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium ab ipsâ materiâ sumptum.

Omnes et singuli Ecclesiae catholicae praelati, praesertimque cardinalatus dignitate fulgentes, sese fideles, obedientes, obsequiosos et reverentes Summo Pontifici exhibere et esse iuxta canonicas sanctiones, decreta pontificia et consuetudinem tenentur, ipsique sanctae Romanae Ecclesiae cardinales in iuramento fidelitatis, quod praestare consueverunt, se idem adimpleturos, ac honorem et statum Romanorum Pontificum omni studio et totis viribus propugnaturos, eorumque auctoritatem conservare, augere et promovere omnibus sensibus conaturos, nullumque consilium, consensum aut auxilium adversus pontificiam maiestatem daturos; ubi vero contra illa aliquid praeiudicii, quod impedire nequeant, machinando intentetur, statim atque tractari noverint, eis significaturos, promittunt et iurant.

Gaspar cardinalis Borgia nonnulla temere Pontifici in consistorio obiecerat.

§ 1. His tamen spretis, Gaspar episcopus Albanensis cardinalis Borgia nuncupatus, communicato etiam eius pravo consilio nonnullis aliis eius S. R. E. cardinalibus, ausus fuit, sub clypeo quod oratoris apud nos et Apostolicam Sedem charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, negotia eiusdem Philippi regis apud nos et Sedem eamdem gerit, in consistorio nostro secreto, die hodiernâ peracto, nullâ a nobis obtentâ

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

immo nec petitâ licentiâ, sed temere in conspectu nostro, audientibus omnibus cardinalibus inibi existentibus, nos nedum requirere de subsidio charissimo in Christo filio nostro Ferdinando Romanorum regi in imperatorem electo praestando, ac si illud antea pro viribus eiusdem Sedis Apostolicae non erogavissemus, sed etiam nosmetipsos de cunctatione in iis quae ad catholicam fidem tuendam et propagandam pertinent redarguere, ac etiam, ad augendam in nos contumeliam et offensam, ea, quae in Germania in eiusdem catholicae fidei detrimentum accidere poterunt, nobis imputanda esse protestari.

Cumque ei silentium Pontifex imposuisset,

§ 2. Cumque nos, pro nostro pastorali officio, eidem Gaspari episcopo et cardinali de his (quae ad praedicti consistorii locum, iuxta morem eorumdem Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum retroactis temporibus et hactenus inconcusse observari consuetum, minime spectant, nisi per nos propositum, vel ut proponeretur ordinatum esset) silentium imposuissemus, ipse Gaspar episcopus et cardinalis non acquievit, sed accessum alterius cardinalis ad se ipsum expectavit, et nihilominus illico copiam praedictae requisitionis, imputationis et protestationis nobis tradidit, contra nostram pontificiam maiestatem et honorem ac famam machinando, poenasque a sacris canonibus, consuetudine, decretis et constitutionibus apostolicis praedictis inflictas damnabiliter incurrendo.

Cardinalis Borgia non acquievit.

Sed protestationem emisit.

Suam tolerantiam ei non prodesse, aut complicibus declarat Urbanus

§ 3. Ad reprimendum vero praemissa, et alia tam ante quam post et tam in consistorio quam extra ubique locorum adversum nos forsan perpetrata, licet iuris remediis procedi posset, [1] tamen, si fieret ad praesens, forsan malevoli [2] in odium praedicti Philippi regis factum interpretarentur, ideo animadversionem huiusmodi ad opportunius tempus, seu beneplacitum nostrum, transmittere voluimus; sed, ne ex taciturnitate et dilatione possint tam ipse Gaspar episcopus et cardinalis quam alii complices, etiam praedictae sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, praetextu cuiuscumque nostrae conniventiae et tolerantiae se unquam tueri, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium attestamur, declaramus et decernimus praedictum Gasparem episcopum et cardinalem, aliosque complices et cardinales praedictos, ratione praemissorum et aliorum quorumcumque ab eis tam ante quam post consistorium praedictum, etiam extra illud ubilibet, ut praefertur, gestorum, etiam illorum, quae adhuc ad notitiam nostram non venerunt, remanere in eorum priori statu, in quo erant, quando illa gesserunt.

Obstantibus derogat.

§ 4. Non obstantibus quacumque conniventiâ et tolerantiâ nostris, quae tam ex quocumque temporis cursu, quam ex quibuscumque actibus et functionibus nostris, ac etiam cardinalitiis, tam publicis quam privatis, etiam in cappellis, et aliàs quomodolibet, hactenus et pro tempore, etiam postquam ipse Gaspar episcopus et cardinalis negotia praedicti Philippi regis gerere desineret [1], factis, resultare et deduci possunt [2], perinde ac si statim et incontinenti post praedictum consistorium processum foret, conniventiaque et tolerantia nostra nullatenus intervenisset, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae.

§ 5. Decernentes etiam irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis au-

1 Heic praemitterem *quia*, legend. *quia tamen* (R. T.).

2 Perperam ed. Main. legit *malevisi*, sed legendum esse *malevoli* patet ex pag. 283 *b* (R. T.).

1 Sic indubie legendum pro verbo *detineret* quod habet edit. Main. etiam infra in loco parall. pag. 290 *b* legitur *desineret* (R. T.).

2 Forsan legendum *possent* (R. T.).

ctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, sublatâ quibuslibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII martii MDCXXXII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 8 martii 1632, pontif. anno IX.

CDXXXIV.

Prohibitio super concessione licentiae pro fratribus beatae Mariae de Mercede Redemptionis captivorum transeundi ad statum clericalem [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Causa huius constitutionis.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii vicarius et procurator generales Ordinis fratrum beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum, quod, cum aliàs nonnonnulli ipsius Ordinis laici sive conversi, vel cum falsâ narrativâ, seu aliàs, a dilecto filio nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio licentias obtinuissent, quarum vigore se ad sacros ordines promoveri fecerant et faciebant, indeque gravia in dicto Ordine inconvenientia non sine Dei offensâ orirentur, venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales negotiis episcoporum et regularium praepositi, quibus pro opportuno super praemissis remedio supplicatum fuerat, eidem nuncio et magistro generali dicti Ordinis iniunxerunt, ut ille a similium licentiarum concessione abstineret, hic vero praefatos conversos puniret.

Fratrum postulatio.

§ 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, magistri generalis officium huiusmodi brevi temporis spatio duret, et Ordo praefatus in multas adeo, sibique maxime distantes orbis partes diffusus existat, ut ob maxima terrarum intervalla sui generalatus tempore mandata sua in eisdem partibus exequutioni demandari facere nequeat: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Prohibitio, de qua in rubrica.

§ 2. Nos igitur, dictum procuratorem generalem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis, sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, dilecto filio moderno et pro tempore existenti magistro generali, ceterisque superioribus Ordinis huiusmodi, ad quos spectat, apostolicâ autoritate, tenore praesentium, inhibemus, ne de cetero, inconsultâ congregatione eorumdem cardinalium et sine expressâ illius approbatione, praefatis fratribus laicis seu conversis licentiam transeundi a statu laicali ad clericalem, seu de se promoveri faciendo ad minores ac sacros ordines, ullo modo concedant; alioquin magistri generales ac superiores praefati contrafacientes excommunicationis, necnon vocis activae et passivae ac officiorum quae obtinent privationis, ac perpetuae inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda, poenas eo ipso incurrant: laici vero seu conversi, qui cum licentiis huiusmodi, vel aliter absque speciali ipsius congregationis approbatione, ad statum clericalem praedictum transierint, vel minores ac sacros ordines susceperint, a susceptis ordinibus sint in perpetuum sus-

1 Isti fratres non possunt transire ad Calceatos absque licentiâ Sedis Apostolicae, ut in Const. CCLXXV (*al.* 253), *Iniuncti nobis*, ut tom. XIII, pag. 623.

pensi, atque laici seu conversi ut prius remanere intelligantur, ac laicorum seu conversorum habitum deferre omnino cogantur, aliisque poenis mulctentur arbitrio superiorum, absque spe dispensationis in praemissis obtinendae.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, et sic per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x martii MDCXXXII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 10 martii 1632, pontif. anno IX.

CDXXXV.

Declarat cardinalem Borgiam et alios complices etiam cardinales occasione per eos gestorum remanere in priori statu in quo erant quando haec gesserunt [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Recenset ea, quae gesta sunt a cardinali Borgia,

§ 1. Cum nuper Gaspar episcopus Albanensis cardinalis Borgia nuncupatus, ob nonnulla per eum, non petitâ nec habitâ a nobis licentiâ, in consistorio nostro secreto in contemptum pontificiae maiestatis nostrae ausu temerario gesta, poenas a sacris canonibus ac decretis et constitutionibus apostolicis inflictas damnabiliter incurrisset, nos, ne, si in eumdem Gasparem episcopum et cardinalem ac complices animadverteremus, id forsan malevoli in odium charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici factum interpretarentur, animadversionem huiusmodi ad opportunius tempus seu beneplacitum nostrum transferre voluimus, prout plenius continetur in litteris desuper expeditis tenoris subsequentis, videlicet: *Urbanus Papa VIII*, etc. *(Omittitur tenor litterarum, quia illum habes sub die* VIII *martii praesentis anni, supra pag. 280).*

Et praecedentem suam constitutionem.

Ac deinde in Congregatione S. Officii declaravit per suam tolerantiam dictum cardinalem et complices a canonicis poenis non fuisse liberatos.

§ 2. Nos, qui eumdem Philippum regem (ob eius singularem et a maioribus suis, Romanorum imperatoribus, Hispaniarum regibus, haereditario iure acceptum orthodoxae fidei conservandae et propagandae zelum, eximiamque in nos et hanc Sanctam Sedem devotionem, aliaque catholici cognomine optimo iure insigniti regis praeclara merita) praecipuo paternae charitatis affectu complectimur, congregatis de more coram nobis hodie venerabilibus fratribus nostris S. R. E.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

cardinalibus contra haereticam pravitatem in universâ republicâ christianâ generalibus inquisitoribus ab eâdem Sede specialiter deputatis, antequam ad tractanda ipsius congregationis negotia devenerimus, mentem[1] et intentionem nostram[2] super praemissis explicavimus, nempe fuisse et esse, quod Gaspar episcopus et cardinalis, aliique complices etiam S. R. E. cardinales, non obstante quacumque conniventiâ seu tolerantiâ nostrâ, remanent obnoxii quibuscumque praeiudiciis et poenis per eos et eorum quemlibet ob praemissa quomodolibet incursis aut quae incurrissent, idque praesentibus eiusdem congregationis cardinalibus, inter quos idem Gaspar episcopus et cardinalis aderat, attestati sumus, declaravimus et decrevimus.

Eosque declarat remanere in eo statu, in quo ante consistorium erant.

§ 3. Idcirco, ut perpetuis futuris temporibus de mente et intentione nostris huiusmodi securius constet providere volentes, motu, scientiâ et deliberatione ac potestatis plenitudine similibus, tenore praesentium, denuo attestamur, declaramus et decernimus, praedictum Gasparem episcopum et cardinalem, aliosque complices etiam cardinales, ratione per eos in praedicto consistorio et tam ante quam post et extra illud ubilibet gestorum huiusmodi, remanere in priori eorum statu in quo erant quando illa gesserunt.

Obstantia tollit.

§ 4. Non obstantibus omnibus illis, quae in praeiusertis litteris huiusmodi voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentesque eos afficere, perinde ac si publicatae forent.

§ 5. Volumus autem, quod tam praeinsertae, quam praesentes litterae, cum omnibus et singulis in eis contentis, suum plenarium sortiantur et sortiri debeant effectum, praesertim circa translationem et transmissionem ad opportunius tempus seu beneplacitum nostrum animadversionis in ipsum Gasparem episcopum et cardinalem, aliosque complices etiam cardinales, illosque omnes et singulos arctent et afficiant in omnibus et per omnia, perinde ac si publicatae, dictoque Gaspari episcopo et cardinali, et aliis complicibus etiam cardinalibus, et illorum cuilibet, personaliter intimatae fuissent.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI martii MDCXXXII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 11 martii 1632, pontif. anno IX.

1 Edit. Main. legit *mentes* (R. T.).

2 Heic potius edit. Main. volebat forsan, nec male, legere *nostras* (R. T.).

CDXXXVI.

Quod festum transitus S. Benedicti in singulis locis, in quibus existunt ecclesiae Ordinis ipsius Congregationis Hispaniarum, ad instar aliorum de praecepto Ecclesiae celebrandorum recolatur[1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Sancta mater Ecclesia, quae salutaribus nos semper instruit documentis, annuas orthodoxae fidei filiis venerandas proponit sanctorum celebritates, qui in terris non solum exempla ad salutem reliquerunt, sed in caelo beati christifidelium patrocinium suscipere, eorumque orationes et vota suis precibus adiuvare non cessant. Quam omnibus opem apud misericordem Deum credentes beatum Benedictum monachorum principem et patriarcham assiduo impendere, dignum quidem pastoralis officii nostris humeris ex alto commissi debitum reputamus, ut felicis eius transitus dies, qua ipsius anima beatificâ fruitione digna ad aeternas illas di- Prooemium.

1 Monachos Cassinenses Congregationis sancti Benedicti ideo sic vocari iussit Iulius II quia monasterium Cassinense est caput aliorum monasteriorum, ut in eius Const. II, tom. V, pag. 400.

vinae claritatis sedes humanis exuta spoliis translata fuit, iucundissimâ recordatione undique celebretur.

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectae in Christo filiae nobilis mulieris modernae comitissae de Monterrey regni Neapolitani proreginae, et nobilis viri moderni marchionis Castri Rodrighi apud nos et Sedem Apostolicam pro charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum rege catholico oratoris, necnon Mauri de Villaroel Ordinis eiusdem S. Benedicti abbatis generalis, ac Augustini de Castro, olim comitis de Lemos, Ordinem ipsum expresse professi, dilectorum filiorum petitio continebat, quod, cum[1] eiusdem gloriosi monachorum patriarchae S. Benedicti inter mortales degentis vita iam inde ab eius pueritiâ adeo virtutum trophaeis admiranda fuerit, ut, B. Gregorio Magno, dum in humanis sanctam vitam ageret, Romano Pontifice praedecessore nostro teste, divinâ interius luce splendens sublatus in mentis lumine superior mundo et expansus in Deo, mentis laxatu sinu, beatifico lumine imbecillitatem intellectus elevante, Deum ipsum, et in ipso Deo, adhuc mortalis, omne quod infra Deum est videre meruerit, ac[2] demum, post vitam sanctissime exactam, purissimamque pompâ mirabili per viam palliis stratam et innumeris coruscam lampadibus summo rerum Auctori coniungendus in caelum migrans efflaverit animam; propterea que comitissa et marchio, ac Maurus et Augustinus praefati, pro eximio eorum in tanti viri sanctitatem devotionis affectu, plurimum cupiant felicis eius animae transitus diem, ad maiorem praepotentis Dei gloriam ac fidelium devotionis incrementum, solemnius celebrari; quare pro parte dictorum comitissae et marchionis ac Mauri et Augustini nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus piis eorum votis hac in parte favorabiliter annuere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Mandat observari, prout in rubrica.

§ 2. Nos igitur, qui fidelium quorumlibet devotionem erga beatos illos sempiternae beatitudinis cives non solum promoveri sed etiam consecrari sinceris exoptamus affectibus, eosdem comitissam et marchionem, ac Maurum necnon Augustinum[1], et eorum quemlibet, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus, ex voto venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus et caeremoniis praepositorum, inclinati, ut deinceps perpetuis futuris temporibus eiusdem sancti Benedicti transitus dies praefatus, duodecimo kalendas aprilis videlicet, quolibet anno in omnibus et singulis civitatibus, oppidis, terris et locis, in quibus ad praesens existunt ecclesiae Ordinis ipsius sancti Benedicti Congregationis[2] Hispaniarum, ad instar aliarum de praecepto Ecclesiae celebrandarum festivitatum recolatur et celebretur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium praecipimus.

Exequutores deputat.

§ 3. Mandantes propterea omnibus et singulis patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ceterisque ecclesiarum praelatis, sub quorum iurisdictione spirituali civitates, oppida, terrae et loca huiusmodi extiterint, ut praesentes nostras in eisdem

1 Syntaxis rectitudinem in sequentibus ne expectes; viderentur particulae *quod cum* redundare (R. T.).

2 Ad syntaxim, qualis antea legitur, oporteret delere coniunct. *ac* (R. T.).

1 Oporteret ex more solito addere *praedictos* (R. T.).

2 Male ed. Main. legit *Congregationum* (R.T.).

civitatibus, oppidis, terris et locis suae iurisdictioni huiusmodi subiectis solemniter publicari, ac ab omnibus et singulis personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, faciant inviolabiliter observari.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, etiam in provincialibus et synodalibus etiam universalibus conciliis editis et edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, praecepti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXXII, XII kalendas aprilis, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 21 martii 1632, pontif. anno IX.

CDXXXVII.

Pia et pastoralis adhortatio ad patriarchas, archiepiscopos et episcopos, clerum, religiosos viros, ac omnes Ecclesiae catholicae christifideles, ut ab omnipotenti Deo fusis precibus concordium inter catholicos principes obtineant[1].

Urbanus Papa VIII,
Venerabiles fratres et dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Docet, calamitatibus impendentibus, e caelo implorandum esse praesidium.

§ 1. Unanimi catholicae Ecclesiae consensu sine intermissione fusa ad Deum oratio, praesertim cum ipsum Ecclesiae caput in terris a Domino constitutum praesidium e caelo suppliciter implorat, quam sit efficax remedium calamitatibus impendentibus, docet sacra pagina.

Ad hoc annis elapsis excitavit pro sedandis tunc exortis motibus.

§ 2. Hinc nos, praeteritis annis, venerabiles fratres, vos universos apostolicis litteris excitavimus ad congregandos coetus fidelium, et placandam iram divinae ultionis, dum legationibus uteremur ad sedandos tunc exortos motus, qui christianum orbem summopere turbare posse videbantur, catholicosque principes inter se committere.

Et nunc pro periculis rei catholicae avertendis idem satagit.

§ 3. Nunc autem praesentia rei catholicae pericula hortantur nos ad eamdem opem pari ratione quaerendam in eisdem principibus animorum coniunctionem inserere satagentes. Itaque ad Patrem misericordiarum Deum cum fiduciâ confugimus, stamus ad ostium et pulsamus, ut, qui se a famulis suis orari gaudet, optato nos tandem dono publicae quietis consoletur.

Et solemnes iubilaei supplicationes indicere decernit.

§ 4. Quamobrem expedire existimavimus solemnes iubilaei supplicationes indicere, ut nobiscum Ecclesia universa coniungat officia pietatis, quibus super humanam malitiam praestabilis divina bonitas, quod ex animo et omni tempore petimus, multiplicatis intercessoribus largiatur. Plane si audita vota nostra fuissent et preces, sumere possemus stolam iucunditatis et gratulari pacem principibus catholicis. Perseverantes tamen, quantum in nobis est, omnia praestamus, quae ad obtinendam tranquillitatem et incolumitatem religionis catholicae conferre censemus.

1 Non absimilem pro tunc exortis motibus sedandis, edidit hic idem Pontifex anno MDCXXV quam habes Const. CXXVIII (*al.* 116), *Tonitrua*, tom. XIII, pag. 305.

Nuntiosque mittit ad caesaream maiestatem, ac reges pro bono publico et animorum coniunctione consequendâ.

§ 5. Hanc autem, cui reliqua omnia postponimus, non solum ordinariorum, sed etiam extraordinariorum nuntiorum, quos ad caesaream maiestatem et utrumque regem mittimus, geminatis officiis, omnique conatu consequi studemus, et confidimus fore, ut instructi nostris monitis, quibus eos non sine prudentium cardinalium consilio munivimus, ingruentia confertim discrimina possint avertere, et bono publico fideique catholicae effectus parere salutares. Utinam haec nostra pastoralis muneris sollicitudo, divinâ favente clementiâ, afferat, ut aliàs similis nostra opera, successus optati fructum.

Hortatur omnes, ut qua pollent apud principes gratia, studeant eorum animos verae charitatis vinculo coniungere.

§ 6. Veruntamen, ne quid intentatum relinquatur, hortamur omnes ex dominico grege, prout pollet quique gratiâ apud aliquem ex catholicis principibus, ad accurate incumbendum, ut turbines excitati compescantur, et fiat expetita tranquillitas, quam sperare possumus, sublatis e medio iis, quae sunt in causâ, ne eorumdem principum animi vinculo verae charitatis coniuncti in concordiam coalescant. Ex mutuis autem, quae hinc inde iactantur, expostulationibus, quae tam salubre opus impediunt, satis patent, nec deerunt rationes, quibus ea pii prudentesque viri moliantur. Quis enim non videt, nisi discordia disiungeret principes catholicos, neque haeresim, neque infernum posse umquam perterrefacere Ecclesiam? Quamobrem, cum aliquando humani labores in irritum cadant, venerabiles fratres et dilecti filii, iactate in Dominum cogitationes vestras, roboramini, et omne studium intendite, ut imminentia mala propulsetis armis orationis et fidei. Apostolo enim docente, Gedeon, David, Samuel et Prophetae per fidem vicerunt regna, adepti sunt repromissiones, extinxerunt impetum ignis, castra verterunt exterorum, obturaverunt ora leonum. Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate.

Ipse quoque toto corde Dominum precabitur, ut ad nihilum deducat tribulantes nos.

§ 7. Itaque nos etiam, qui inter hasce tempestates sedemus ad regimen naviculae Petri, cum eo ex toto corde et supplici voce clamamus, *Salva nos Domine*, dum fidelis congregatio populi effundit coram te corda sua, *Deus adiutor noster in aeternum, in te faciemus virtutem*, et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos. Salutare fraternitatibus vestris et universo gregi catholico solatium a Domino praestolamur, vobisque apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 1 aprilis MDCXXXII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 1 aprilis 1632, pontif. anno XI.

CDXXXVIII.

Quod ecclesiastici tam seculares quam regulares civitatis et Status Mantuani teneantur solvere quamdam pecuniae partem pro restaurandis moeniis dictae civitatis[1].

Venerabili fratri episcopo Mantuano,
Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Damna quae ex bello civitas Mantuana perpassa est recenset, necessitatemque eius moenia reparandi.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius nobilis vir Carolus Gonzaga Mantuae dux, quod, ob ingentes ruinas calamitatesque, quas ipsa civitas Mantuana in praeteritis bellorum motibus perpassa est, sustentamentum aquarum ad clusam terrae Governoli in ripâ fluminis Mincii sitae, quod ruinam minatur, necnon molendina, et eversa dictae civitatis moenia, adeo restauratione indigent, ut si ipsius sustentamenti omnem aquam circumcirca eamdem civitatem sustinentis ruina sequeretur, non modo civitas ipsa intra paludes remaneret et inhabitabilis redderetur, sed etiam fluminis Padi navigatio omnino impediretur, neque civitas praedicta, Status-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

que Mantuanus huiusmodi adversus hostium conatus, atque invasiones sartus tectusque conservari posset.

Dux quaedam ad ea reparanda vectigalia imponit.

§ 2. Quoniam vero maximâ pecuniarum summâ ad praemissa peragenda opus est, nec ad onera huiusmodi supportanda laicorum facultates suppetunt, dictus Carolus dux personas ecclesiasticas tam seculares quam regulares quascumque civitatis et Status Mantuani ad solutionem duarum gabellarum, nempe super macinâ frumenti unius librae pro quolibet sacco valorem novem baioccorum monetae Romanae constituentis, ac unius[1] baiocchi cum dimidio monetae praedictae pro qualibet librâ olei, per eumdem Carolum ducem in civitate et Statu praedictis impositarum, nostrâ et huius Sanctae Sedis auctoritate cogi et compelli desiderat.

Quae Pontifex etiam ab ecclesiasticis solvi iubet.

§ 3. Nos, considerantes praedicta expensarum onera, non modo ad laicorum, verum etiam ad communem personarum ecclesiasticarum utilitatem referri, ipsumque Carolum ducem, ob eius singularia atque eximia in nos et Apostolicam Sedem fidei et devotionis merita, aliquo subventionis auxilio, asperrimis hisce temporibus, sublevare, ac specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut, vocatis coram te personarum ecclesiasticarum tam secularium quam regularium praedictarum superioribus, seu eorum deputatis, si sustentamenti, ac molendinorum, moeniumque reparationes huiusmodi pro publicâ et communi utilitate faciendas in earumdem etiam personarum ecclesiasticarum commoditatem cessuras, ac expensarum onera ideo subeunda adeo gravia fore cognoveris, ut sine magno laicorum incommodo et damno fieri non possint, tunc et eo casu, et pro restaurationibus seu reparationibus praedictis dumtaxat faciendis, personas ecclesiasticas praedictas ad contribuendum in gabellis macinae frumenti et olei huiusmodi auctoritate nostrâ cogas et compellas: dummodo tamen rata personarum ecclesiasticarum praedictarum sextam partem ratae quam laici contribuent non excedat, ratamque personarum ecclesiasticarum praedictarum per deputatos a te exigi facias, absque eo quod laici in exequutione huiusmodi se ullo modo intromittant, ratamque per easdem personas ecclesiasticas pro tempore solutam operariis dicti Caroli ducis in praedictos restaurationis huiusmodi et non alios usus convertendam consignari facias.

Ita tamen, ut in iis exigendis laici se non immisceant.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, ac quarumcumque ecclesiarum, monasteriorum, domorum et locorum regularium, et Ordinum quorum fuerint, civitatis et Status praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter

1 Male edit. Main. legit *unus* (R. T.).

et expresse harum serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV iunii MDCXXXII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 15 iunii 1632, pontif. anno IX.

CDXXXIX.

Declarat, suae voluntatis esse per quamcumque admissionem cardinalis Borgiae ad audientiam pro negociis regis catholici gerendis, et quoscumque alios actus licentiam praemissa peragendi eidem cardinali nullatenus concedere, nec eum uti regis oratorem quovis modo agnoscere, ut poenas propterea incursas ullo modo illi condonare[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Causas referl quibus ducitur, ut cardinalem Borgiam ceu regis catholici oratorem admittat.

§ 1. Licet[2] episcopus Albanensis cardinalis Borgia nuncupatus, postquam dilectus filius nobilis vir comes de Monterey charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici apud nos et Apostolicam Sedem orator existens a Romanâ curiâ ad regnum Neapolitanum gubernandum recessit, ex tacitâ permissione nostrâ, negocia eiusdem Philippi regis per interim, ut vulgo dicitur, apud nos gesserit; tamen, cum postea ipse Gaspar episcopus et cardinalis a nobis de ecclesiâ metropolitanâ Hispalensi ad praesentationem eiusdem Philippi regis provisus fuerit, et dilectus pariter filius nobilis vir marchio Castri Roderici per ipsum Philippum regem orator ad nos deputatus ad almam Urbem nostram personaliter accesserit, in eâque resideat, hodie non debemus expresse nec tacite consentire, quod idem Gaspar episcopus et cardinalis, residentiâ in suâ ecclesiâ metropolitanâ, curâque tot animarum sibi commissarum derelictâ, munere oratoris dicti Philippi regis apud nos quoquo modo fungatur. Verum, quia, ut a nonnullis dicitur, ipse Gaspar episcopus et cardinalis, nescitur quo spiritu ductus, nullo a nobis consensu habito, nec licentiâ expressâ vel tacitâ obtentâ, munus oratoris dicti Philippi regis acceptare et in eo se ingerere audet, ac negocia regis tractare intendit, contra canonicas sanctiones, notoriumque stylum inveteratum, in animae suae periculum, suaeque ecclesiae, eiusque dioecesanorum detrimentum, ideo praemissis remedium adhibere intendebamus. Sed quia a discordiarum amatoribus in odium praedicti Philippi regis factum dici posset, illud in opportunius tempus ad nostrum beneplacitum differre et transmittere deliberavimus.

Declaratio, de qua in rubricâ.

§ 2. Ne autem ex nostrâ huiusmodi deliberatione, ac taciturnitate, conniventiâ ac tolerantiâ praeteritâ forsan, praesenti[1] et futura possit unquam praetendi, nos eidem Gaspari episcopo et cardinali licentiam seu facultatem praedictam concessisse, vel illi consensum nostrum desuper tacite vel expresse praestitisse, hoc mane quatuor ex cardinalibus congregationis sancti officii, qui primo accessissent, vocari iussimus; cumque dilecti filii nostri Laudivius S. Sixti, Berlingerius S. Augustini et Fabritius S. Laurentii in Pane et Perna titulorum presbyteri Verospius[2] et Martius S. Mariae Novae diaconus cardinalis Ginettus respective nuncupati cum[3] ceteris cardinalibus ad congregationem sancti officii huiusmodi coram nobis in palatio nostro Quirinali tenendam accesserint, nos eosdem Laudivium, Berlingerium, Fabritium et Martium cardinales in interiori cubiculo nostro assumpsimus, eisque voluntatem et intentionem nostram

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Vide sup. pag. 280, et 283 (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *praesens* (R. T.).

2 Vocem *nuncupat.* heic delemus (R. T.).

3 Infra pag. 292 *a* legitur *prae* (R. T.).

huiusmodi amplius declaravimus, et attestati sumus, prout, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, etiam de eorumdem Laudivii, Berlingerii, Fabritii et Martii cardinalium consilio, tenore praesentium attestamur, decernimus et declaramus, mentis, intentionis et voluntatis incommutabilis nostrae fuisse et esse ac futurum[1] fore, per quamcumque nostram praeteritam, praesentem et futuram taciturnitatem, conniventiam et tolerantiam, et per quemcumque[2] ipsius Gasparis episcopi et cardinalis ad audientiam nostram pro negotiis praedicti Philippi regis exponendis et expediendis et aliàs quomodolibet ubicumque et quandocumque gerendis et tractandis accessum, ac etiam per quamcumque nostram illius admissionem, minusque ex quibuslibet gratiis, aliisque concessionibus et dispositionibus per nos etiam in favorem praedicti Philippi regis, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, ac aliàs quomodolibet, et ex quibuscumque aliis actibus et functionibus nostris, et aliorum quorumcumque, tam publicis quam privatis, ac aliàs quomodocumque et quandocumque factis et faciendis, nos, post accessum praedicti marchionis Castri Roderici, nequaquam intellexisse, nec intelligere, minusque voluisse, nec imposterum velle, eidem Gaspari episcopo et cardinali licentiam praedictam vel facultatem concedere, seu desuper consensum nostrum praestare tacite neque expresse, nec eumdem Gasparem episcopum et cardinalem in oratorem eiusdem Philippi regis ordinarium vel extraordinarium, aut de interim, vel aliàs nuncupatum, nec etiam eiusdem regis negocia gerentem vel tractantem recipere nec admittere, nec aliquo modo eumdem Gasparem episcopum et cardinalem pro tali oratore vel negocia regis praedicti gerente recognoscere, nec poenas, ab eodem Gaspare episcopo et cardinale incursas et incurrendas, illi remittere, nec condonare. Decernentes etiam irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, sublatâ quibuslibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate.

1 Male edit. Main. legit *futuram* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *quoscumque* (R. T.).

§ 3. Non obstantibus quacumque conniventiâ, dilatione, taciturnitate et tolerantiâ nostris huiusmodi, quae tam ex quocumque temporis cursu, quam ex supra expressis et quibuscumque aliis actibus et functionibus nostris, et aliàs quomodolibet, hactenus et pro tempore, etiam postquam ipse Gaspar episcopus et cardinalis negotia praedicti Philippi regis gerere desinerit, factis, resultare et deduci possunt[1], perinde ac si statim et incontinenti post incursas ob praemissa ab eodem Gaspare episcopo et cardinali poenas contra eum processum foret, dilatioque, taciturnitas, conniventia et tolerantia nostrae huiusmodi nullatenus intervenissent, ceterisque contrariis quibuscumque. Obstantiu derogatio.

§ 4. Volumus autem, quod praesentes litterae, cum omnibus et singulis in eis contentis, suum plenarium sortiantur et sortiri debeant effectum, praesertim circa translationem et transmissionem ad opportunius tempus seu beneplacitum nostrum animadversionis in ipsum Gasparem episcopum et cardinalem, illumque arctent et afficiant in omnibus et per omnia, perinde ac si publicatae, dictoque Gaspari episcopo et cardinali personaliter intimatae fuissent. Clausulae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII iunii MDCXXXII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 17 iunii 1632, pontif. anno IX.

1 Aptius legeretur *possent* (R. T.).

CDXL.

Declarat et testatur ob impositionem pallii et receptionem iuramenti cardinalis Borgiae, ac quoscumque alios actus et concessiones factos et factas, faciendos et faciendas, se a priori voluntate suâ nullatenus recedere velle, cum expressâ prohibitione cardinali Borgiae et aliis, ne contrarium ullo tempore allegare possint[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Praecedentes refert Constitutiones.

§ 1. Aliàs, cum Gaspar episcopus Albanensis cardinalis Borgia nuncupatus, ob nonnulla per eum, non petitâ nec habitâ a nobis licentiâ, in consistorio nostro secreto in contemptum pontificiae maiestatis nostrae ausu temerario gesta, poenas a sacris canonibus ac decretis et constitutionibus apostolicis inflictas damnabiliter incurrisset, ad excludendam et reiiciendam omnino quamcumque remissionem sive condonationem et indulgentiam, quae ex quibuscumque actibus, tam publicis quam privatis, et ex quacumque taciturnitate, quantumlibet diuturnâ, conniventiâque et tolerantiâ nostris praetendi posset ad favorem eiusdem Gasparis episcopi et cardinalis eiusque complicum etiam S. R. E. cardinalium, necnon etiam pro maiori et abundantiori mentis et voluntatis nostrae circa praemissa et alia, subinde in congregatione venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum subsequutâ expressione et continuatione binae a nobis in hac formâ Brevis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: Urbanus, etc. *(Omittitur insertio secundi Brevis, in quo est insertum primum, quia illud habes supra pag. 283).*

Declaratio, de qua in rubricâ.

§ 2. Cumque postmodum ipse Gaspar episcopus et cardinalis, antea per nos de ecclesiâ metropolitanâ Hispalensi ad praesentationem dicti Philippi regis provisus, pallium, aliàs concessum, manibus nostris, iuxta morem cum cardinalibus observatum, sibi per nos imponi maximâ cum instantiâ supplicaverit; nos, tam ob causas in praeinsertis litteris expressas, et praedictum morem adimplendum, quam ut eidem ecclesiae Hispalensi insigni et de Sede Apostolicâ benemeritae faveremus, ad impositionem praedicti pallii devenire censuimus, non tamen animo, mente nec intentione, per praedictam pallii impositionem ac iuramenti fidelitatis ob hoc per eumdem Gasparem episcopum et cardinalem nobis praestandi receptionem, in aliquo a praedictis litteris nostris recedendi, nec illis etiam minime praeiudicandi, nec etiam quoscumque excessus et delicta tam in praeinsertis litteris expressa et comprehensa, quam alia etiam postmodum quomodolibet ab eodem Gaspare episcopo et cardinale eiusque complicibus quibuscumque etiam S. R. E. cardinalibus, praesertim in tradendo aliis etiam cardinalibus copiam praedictae temerariae requisitionis, imputationis et protestationis, ac aliàs illam publicando, attentata, patrata et commissa, ac in futurum quandocumque, quomodocumque et ubicumque committenda, patranda et attentanda, illorumque et cuiuslibet eorum poenas[1] a legibus, sacris canonibus et ordinationibus, decretis etiam consistorialibus, et constitutionibus apostolicis, usibus et consuetudinibus Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, et aliàs quomodolibet inflictas, et per ipsum Gasparem episcopum et cardinalem, eiusque complices praedictos, et alios quoscumque, quomodolibet, etiam ex actibus qui ad nostram notitiam non devenerunt nec deinceps devenient, incursas, remittendi, nec in aliquo condonandi seu relaxandi; et pro-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Improbe ed. Main. h. *earum personas* (R. T.).

pterea, ut deliberatio et continuatio nostrae mentis et voluntatis huiusmodi eo magis semper clarior et firmior appareat, nos, motu, scientiâ et plenitudine paribus, hoc mane pro traditione seu impositione pallii et receptione praedicti iuramenti fidelitatis per nos deputato, antequam ad praedicti pallii impositionem ac praedicti iuramenti receptionem deveniremus, quatuor ex cardinalibus congregationis sancti officii, qui primo accessissent, vocari iussimus; cumque dilecti filii nostri Laudivius S. Sixti, Berlingerius S. Augustini Gyptius, et Fabritius titulorum presbyteri Verospius, necnon Martius S. Mariae Novae diaconus cardinalis Ginettus respective nuncupati prae ceteris cardinalibus ad praedictam congregationem sancti officii hodie coram nobis in palatio nostro Quirinali tenendam accesserint, nos eosdem Laudivium, Berlingerium, Fabritium et Martium cardinales in interiori cubiculo nostro assumpsimus, ubi horâ undecimâ, in nostrâ, et Laudivii, Berlingerii, Fabritii et Martii cardinalium praedictorum praesentiâ, per secretarium nostrum domesticum infrascriptum praeinsertas litteras originales de verbo ad verbum legi fecimus, voluntatemque et intentionem nostram eisdem Laudivio, Berlingerio, Fabritio et Martio cardinalibus eo amplius declaravimus et attestati sumus, prout tenore praesentium, etiam de Laudivii, Berlingerii, Fabritii et Martii cardinalium praedictorum consilio, declaramus, attestamur et decernimus, nostrae mentis, voluntatis et intentionis incommutabilis semper fuisse et esse ac futurum[1] deinceps fore, iustis de causis animum nostrum moventibus, et praecipue pro nostrâ ac Romani Pontificis Domini nostri Iesu Christi in terris vicarii dignitate et honore tuendis et conservandis, per praedictam pallii impositionem ac iuramenti fidelitatis receptionem illico sequenti horâ duodecimâ a nobis faciendam, ac per quorumcumque inde sequutorum exequtionem et effectum, et per quoscumque actus nostros, tam publice quam privatim, et per quascumque functiones, tam papales et pontificias, quam cardinalitias, et alias quascumque concessiones et dispositiones nostras, etiam gratiam vel iustitiam, aut quodcumque aliud speciali notâ et expressione dignum continentes et seu concernentes, verbo vel in scriptis aut facto, vel aliàs quomodolibet hactenus eidem Gaspari episcopo et cardinali et complicibus, aliisque praedictis, et seu ad illorum et cuiuslibet eorum favorem seu commodum, semel et pluries factos, concessos, permissos et toleratos, factasque, concessas, permissas et toleratas, ac in posterum quandocumque, quomodocumque et ubicumque etiam pluribus et reiteratis vicibus per nos et de ordine nostro faciendos, concedendos, permittendos et tolerandos, faciendasque, concedendas, permittendas et tolerandas, nullatenus recedere a praedictâ priori voluntate, deliberatione, mente et intentione nostris, earumdem praeinsertarum ac praesentium litterarum tenore declaratis, nec ab eis nos in aliquo separare, sed potius in eis hucusque et in futurum continuare et perseverare voluisse et velle; quinimo, amplius mentem firmam nostram declarare volentes, earumdem tenore praesentium decernimus et prohibemus, nullo unquam tempore per eosdem Gasparem episcopum et cardinalem, aliosque praedictos, et quemlibet alium, posse allegari, praetendi et deduci, fuisse per nos unquam eis aliquid remissum, condonatum vel relaxatum, nec a priori voluntate nostrâ recessum.

§ 3. Decernentes etiam irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, conti- Clausulae.

1 Male edit. Main. legit *futuram* (R. T.).

gerit attentari, sublatâ quibuslibet quavis iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus singulis praemissis, ac omnibus illis, quae in praeinsertis litteris nostris huiusmodi voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus similiter, quod tam praeinsertae, quam praesentes litterae, cum omnibus et singulis in eis contentis, suum plenarium sortiantur et sortiri debeant effectum, praesertim circa translationem et transmissionem ad opportunius tempus seu beneplacitum nostrum animadversionis in ipsum Gasparem episcopum et cardinalem, aliosque complices etiam cardinales, illosque omnes et singulos arctent et afficiant in omnibus et per omnia, perinde ac si publicatae, dictoque Gaspari episcopo et cardinali et aliis complicibus etiam cardinalibus et illorum cuilibet personaliter intimatae fuissent.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XVII iunii MDCXXXII, pontificatus nostri anni IX.

Dat. die 17 iunii 1632, pontif. anno IX.

CDXLI.

Declaratio circa decimam sexcentorum millium ducatorum monetae Hispanicae per obtinentes simplicia beneficia ecclesiastica, quorum fructus summam vigintiquatuor ducatorum auri de camerâ excedant, regi catholico solvendam[1].

Venerabili fratri Caesari, patriarchae Antiocheno, nostro et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncio,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Decimam pro rege catholico a se ecclesiasticis impositam refert.

§ 1. Aliàs nos[2] in subventionem charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici indiximus et imposuimus unam semel et in praesenti anno persolvendam decimam, quae in totum ad summam sexcentorum millium ducatorum monetae Hispaniarum ascenderet iuxta ratam a te taxandam omnium fructuum, redditnum, proventuum, emolumentorum, ac distributionum quotidianarum omnium ecclesiarum archiepiscopalium, episcopalium, collegiatarum, parochialium, necnon monasteriorum, ac conventuum, ac etiam mensarum abbatialium, capitularium, tam cathedralium et metropolitanarum, quam quarumcumque collegiatarum ecclesiarum, necnon conventualium, prioratuum quoque, ac ceterorum beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium, ac quorumvis Ordinum utriusque sexus etiam Mendicantium annuos redditus habentium, tam virorum quam mulierum, necnon congregationum, institutorum et societatum regularium, etiam Societatis Iesu, et praeterea hospitalium et militiarum quarumcumque (exceptis tamen S. R. E. cardinalibus, ac fratribus militibus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, et, quoad curata, iis, quorum annui redditus summam vigintiquatuor ducatorum auri de camerâ non excederent) in Hispaniarum regnis, ac insulis Sardiniae, Maioricae et Minoricae existentium, ac similiter omnium pensionum super praemissis assignatarum ac assignandarum, et aliàs sub certis modo et formâ tunc expressis, teque decimae huiusmodi collectorem cum facultatibus opportunis constituimus et deputavimus, et tibi amplam potestatem taxam et repartimentum huiusmodi pro dictâ summâ sexcentorum millium ducatorum conficiendi[1] concessimus, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Vide sup. pag. 272 huius tomi (R. T.).

1 Lege *conficiendâ praescribendi*, ut pagina 274 *b* (R. T.).

Ad solutionem eos quoque teneri vult, qui beneficia obtinent simplicia viginticuatuor ducatorum auri redditum non excedentia.

§ 2. Nunc autem, ut summa sexcentorum millium ducatorum huiusmodi infra dictum annum facilius conficiatur providere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, quod contributionem et solutionem decimae huiusmodi, etiam omnes et singuli simplicia beneficia ecclesiastica obtinentes, quorum annui redditus summam viginticuatuor ducatorum auri de camerâ non excedunt, teneantur et obligati sint, tenore praesentium, decernimus et declaramus; tibique ad omnimodam litterarum nostrarum super praemissis emanatarum, cum omnibus et singulis facultatibus et indultis ibi expressis, exequutionem, iuxta tenorem decreti et declarationis in publicis[1] litteris expressorum, et servatâ aliàs in omnibus et per omnia priorum nostrarum litterarum formâ, procedendi, auctoritate apostolicâ, earumdem tenore praesentium, plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem concedimus et impartimur.

§ 3. Non obstantibus litteris nostris praedictis, quoad ea quae praesentibus adversantur, ac omnibus illis, quae in eisdem litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV iulii anno MDCXXXII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 24 iulii 1632, pontif. anno IX.

CDXLII.

Confirmatio sententiae latae super caputio rotundo ac largiori mozzettâ a fratribus sancti Francisci strictioris observantiae recollectis regni Franciae deferendis, et mandatum observandi dictam sententiam cum impositione poenarum[1].

1 Forsan *praesentibus* pro *publicis* legendum (R. T.).

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Aliàs ab isto Pontifice emanavit Constitutio super hac materia.

§ 1. Aliàs a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam. In supremo apostolatus solio, etc. *(Omittitur residuum huius Constitutionis, quia est supra loc. cit. in notâ ad rubricam).*

Non acquiescentibus illi Constitutioni fratribus recollectis Galliae, Pontifex deputavit cardinalem Bentivolum, qui sententiam definitivam tulit hic insertam.

§ 2. Subinde vero, cum fratres recollecti praefati insertis litteris huiusmodi non acquiescerent, sed ad nos recursum habuissent, nos causam et causas huiusmodi inter fratres Cappuccinos ex unâ ac fratres recollectos praefatos ex alterâ partibus, de et super delatione seu reformatione caputii et mozzettae per eos deferendorum, ac declaratione in hac parte et exequutione respective praeinsertarum litterarum nostrarum, rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi latius deductis, dilecto filio nostro Guidoni tituli S. Mariae de Populo presbytero cardinali Bentivolo nuncupato per alias nostras in simili formâ Brevis expeditas commisimus, coram quo ad nonnullos actus (citra tamen illius conclusionem) devento, tandem suam in huiusmodi causâ tulit et promulgavit definitivam sententiam tenoris subsequentis, videlicet:

Christi nomine invocato. Pro tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, per hanc nostram definitivam sententiam, quam de iurisperitorum consilio pariter et assensu in his scriptis ferimus in causâ et causis quae coram

1 Istemet Pontif. hoc idem sanciverat antea, ut in eius Constit. XXII, *In supremo*, tom. XIII, pag. 97. Sed quia in regno Franciae dicta Constitutio non servabatur, ideo sententiae super hoc pronuntiatae de eius mandato (quam hîc habes de verbo ad verbum) obedire praecipit.

nobis, vigore litterarum apostolicarum in formâ Brevis expeditarum, in secundâ seu aliâ veriori vertuntur instantiâ inter reverendos fratres cappuccinos nuncupatos Ordinis Minorum sancti Francisci ex unâ et reverendos fratres eiusdem Ordinis sancti Francisci strictioris observantiae recollectos Galliae nuncupatos (de et super delatione seu reformatione caputii et mozzettae per eos deferendorum, et declaratione in hac parte et exequutione respective litterarum apostolicarum sanctissimi domini nostri Papae sub datum Romae apud S. Petrum sub diebus x ianuarii, et ultimâ iulii anni MDCXXIV in simili formâ Brevis desuper expeditarum[1] ac perillustri et reverendissimo domino Bernardino archiepiscopo Damiatensi Sedis Apostolicae nuncio in regno Galliae commoranti, et illustrissimo et reverendissimo domino Francisco tituli S. Callisti presbytero cardinali de la Rochefoucault, et reverendissimo domino episcopo Silvanectenensi respective directarum, rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi latius deductis et illorum occasione) partibus ex alterâ[2], visis prius litteris antedictis, ac omnibus iuribus et scripturis in iudicio productis, actisque actitatis[3], et partibus hinc inde prius in iure et in facto pluries auditis, visisque aliis omnibus videndis, et consideratis considerandis, factoque etiam verbo cum eodem sanctissimo domino Papa, causamque et causas praefatas unâ cum toto negotio principali nobis commissas amplectentes et decidentes, ac ultimo dictas litteras sanctissimi domini nostri Papae et etiam sententiam per illustrissimum et reverendissimum dominum Franciscum cardinalem et reverendissimum dominum episcopum antedictos iudices et exequutores aliàs ab eodem sanctissimo domino nostro Papa in huiusmodi causâ deputatos promulgatam declarantes, dicimus, pronuntiamus, decernimus et definitive sententiamus et declaramus, praedictos fratres recollectos teneri et obligatos essé ad deponendum caputium quod deferunt acuminatum, et tam eos, qui religionem hactenus ingressi sunt, quam alios, qui eamdem religionem in futurum ingredientur, similiter teneri et obligatos ad deferendum caputium rotundum formae et qualitatis huiusmodi, videlicet, caputium rotundum cum mozzettà largiori illi unità et adnexâ, quod in maiori latitudine suae rotunditatis a parte anteriori ad posteriorem intra synciput et occiput non sit largius duarum quindecimarum portionum minoris et extremae suae latitudinis, quae erit ab anteriori ad posteriorem partem intra guttur et collum eiusdem caputii; delatione cuiuscumque alterius generis seu formae caputii illis imposterum penitus interdictâ, firmisque et in robore suo perpetuo remanentibus ceteris omnibus et singulis contentis in ultimodictis litteris apostolicis sanctissimi domini nostri, quae et quas in omnibus et per omnia, etiam sub poenis et censuris in eis expressis, inviolabiliter observari mandamus; ac ambas partes, iustis de causis animum moventibus, ab expensis absolvimus; et eisdem partibus perpetuum silentium desuper imponimus; ac de deponendo et auferendo et respective deferendo caputium praefatum, ut supra, et alia quaecumque mandata desuper necessaria et opportuna decernimus et relaxamus. Et ita dicimus, pronunciamus, declaramus, decernimus, sententiamus, interdicimus, mandamus, absolvimus et relaxamus, non solum praefato, sed et omni alio meliori modo, etc. Ac ad maiorem demonstrationem, abundantioremque cautelam, et partium ac aliorum notitiam, tres modulos caputii praefati ut supra

1 Secundae litterae huiusmodi desunt (R. T.).
2 Aptius legeretur *ex alterâ partibus* (R. T.).
3 Forsan *lectis* aut *examinatis* legend. (R.T.).

deferendi cum mozzettâ in pergameno designatos confici mandavimus, nostroque sigillo et subscriptione firmavimus et communivimus: quorum unum notario unâ cum hac nostrâ sententiâ in actis conservandum, reliquos duos, unum scilicet cuique parti, sive cuiusque ipsarum partium procuratori, coram notario et testibus consignavimus: salvâ tamen facultate dictum caputium augendi et minuendi pro maioritate et minoritate corporis et staturae ipsorum fratrum illud deferre debentium, dummodo forma et proportio supradicta nullatenus immutetur, nec alteretur, etc. Quae quidem sententia sic apparet subscripta, videlicet:

Ego Guido cardinalis Bentivolus, iudex commissarius apostolicus.

Quam approbat et observari omnino mandat, et contrafacientibus poenas imponit.

§ 3. Cum autem, sicut accepimus, sententia huiusmodi debitae exequutioni demandata numquam fuerit, nec fratres recollecti praedicti illi parere voluerint, nos, pro nostri pastoralis officii debito, in praemissis, quantum cum Domino possumus, opportune providere, ac sententiam praeinsertam huiusmodi debitae exequutioni (ut par est) demandari volentes, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, omnibus et singulis fratribus Recollectis praedictis sub excommunicationis latae sententiae poenâ, ac privationis vocis activae et passivae, ac etiam carcerationis, illorum vero superioribus sub privationis officiorum per eos obtentorum, inhabilitatisque ad illa et alia imposterum obtinenda, poenis, districte praecipiendo mandamus, quatenus fratres videlicet praefati caputium acuminatum, quod nunc deferunt, omnino deponant, omniaque et singula, quae in litteris nostris et sententiâ praeinsertis huiusmodi ordinantur, prompte exequantur et adimpleant, superiores vero praefati praemissa omnia observari curent et faciant realiter et cum effectu. Decernentes nihilominus irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria removet.

§ 4. Non obstantibus omnibus illis, quae in praeinsertis litteris praedictis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die ultimâ iulii MDCXXXII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 31 iulii 1632, pontif. anno IX.

CDXLIII.

Decimam sexcentorum millium ducatorum, quam regi catholico concessit, per ipsum clerum exigi mandat[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem ad ea libenter intendere, per quae gratiae ab eo pro tempore emanatae non solum suum, ut par est, sortiantur effectum, verum etiam ut id fiat cum minori dispendio, quantum fieri possit, provideatur.

Recenset decimam quam regi concessit a clero persolvendam.

§ 1. Aliâs siquidem nos[2] in subventionem charissimi in Christo filii nostri Philippi II Hispaniarum regis catholici indiximus et imposuimus unam semel et in praesenti anno persolvendam decimam, quae in totum ad summam sexcentorum millium ducatorum monetae Hispanicae ascenderet, iuxta ratam a venerabili fratre Caesare patriarcha Antiocheno nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio taxandam, omnium fructuum, reddituum, proventuum, obventionum, iurium, emolumentorum, ac distributionum quotidianarum, omnium ecclesiarum archiepiscopalium, episcopalium, collegiatarum, parochialium, necnon monasteriorum et conventuum, ac etiam mensarum abba-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Vide sup. pag. 272 (n. T.).

tialium, capitularium, tam cathedralium et metropolitanarum, quam quarumcumque collegiatarum ecclesiarum, necnon conventualium, prioratuum quoque, praeposituarum, praeceptoriarum, canonicatuum et praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, etiam fabricae, et officiorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium, ac sancti Benedicti, sancti Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis, ac quorumcumque aliorum Ordinum utriusque sexus etiam Mendicantium annuos redditus habentium, tam virorum quam mulierum, necnon congregationum regularium, institutorum et societatum, etiam Societatis Iesu, et praeterea hospitalium, necnon beatae Mariae Theutonicorum, sancti Iacobi de Spatha, Alcantara, Calatrava, de Avis et Montesia, necnon sancti Lazari et aliarum quarumcumque militiarum (exceptis tamen sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, ac fratribus militibus hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, qui pro sui tutelâ contra Turcas et alios infideles alienis auxiliis quotidie indigent) in Hispaniarum regnis, ac insulis Sardiniae, Maioricae et Minoricae existentium, ac similiter omnium pensionum super praemissis assignatarum et assignandarum, percipiendam et exigendam a quibuscumque archiepiscopis, episcopis, primatibus, praepositis, decanis, capitulis, canonicis, rectoribus, beneficiatis, abbatibus, prioribus, commendatariis, abbatissis, priorissis, fratribus, militibus, et aliis, quocumque nomine nuncupatis, secularibus et regularibus, ceterisque, cuiuscumque dignitatis, status et conditionis existentibus, praedicta, quocumque iure, modo, occasione et titulo, obtinentibus seu detinentibus et obtenturis, necnon oeconomis et administratoribus perpetuis seu temporalibus usufructuariis, ac fructus, pensiones et alia quaecumque huiusmodi iura et bona, ex quacumque causâ, quavis auctoritate, in toto vel in parte, sibi reservata aut concessa habentibus et habituris, secularibus et regularibus Ordinum, congregationum, militiarum et hospitalium praedictorum, necnon ab ipsis ecclesiis, capitulis, conventibus, ordinibus, congregationibus, collegiis, hospitalibus, militiis, mensis, massis et locis, quocumque privilegio et exemptione reali, personali, vel mixtâ, antiquâ et immemorabili, pacificâ et continuatâ suffultis, quos omnes (exceptis supradictis) collectoribus deputandis voluimus decimam praedictam iuxta dictam taxam infra annum ex tunc proximum persolvisse, et aliàs, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Statuit eam per ipsum clerum esse exigendam.

§ 2. Cum autem credamus, quod exactio huiusmodi decimae pro Philippo rege difficilis existat et quod facilius ab ipsis solvere debentibus exigi possit, idque magis convenire iudicantes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, ut in qualibet provinciâ sive episcopatu onus colligendi et exigendi aut colligi et exigi faciendi ratam decimae huiusmodi quemlibet ex praedictis tangentem idem clerus, sive eadem capitula et collegia ipsius provinciae, seu episcopatus suscipiant, et ipsae decimae[1] per personas ad id idoneas et sufficientes ab ipsis clero seu capitulis et collegiis deputandas, prout in subsidiorum exactionibus retroactis annis factum fuit, exigi debeant, quodque personae ab ipsis clero seu capitulis et collegiis deputandae onus colligendi ratam decimae huiusmodi omnino suscipere, et clerus universus ratam praedictam, prout ad eorum singulos spectat, in eorum manibus

1 Male ed. Main. legit *ipsas decimas* (R. T.).

persolvere omnino teneantur (qui postmodum, quocumque impedimento, etiam quantumvis gravi, penitus excluso, eamdem ratam aut pecunias quascumque eo nomine exactas et collectas commissariis a praedicto rege deputatis seu deputandis realiter et cum effectu tradant et consignent, omni morâ et dilatione ac etiam impedimento et difficultate cessantibus et postpositis, ac etiam aliàs, prout in retroactis subsidiis exequutum fuit), et tam clero quam deputatis praedictis, et eorum singulis, ut praedicta, modo praemisso, respective, prout ad eorum singulos spectat, omnino exequantur, sub privatione[1] quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium et quorumvis Ordinum regularium, quomodolibet qualificatorum et nuncupatorum, per eos, qui quomodolibet contrafecerint et parere distulerint seu recusaverint, quomodolibet obtentorum, atque inhabilitatis ad illa et alia imposterum obtinenda[2], per praesentes iniungimus et mandamus.

Poenas solutionem negantibus imponit.

§ 3. Decernentes beneficia ipsa, in eventum contraventionis huiusmodi sic vacantia, ab omnibus libere impetrari, illaque tam per nos et Sedem Apostolicam, quam locorum Ordinarios personis idoneis conferri libere posse.

Modum has litteras publicandi praescribit.

§ 4. Ceterum, quia difficile foret, tam praesentes, quam alias super praemissis confectas litteras, singulis solvere debentibus personaliter intimare, volumus et similiter apostolicâ auctoritate decernimus ad effectum praemissum, quod[3], intimatis praedictis aliis nostris et praesentibus litteris metropolitanis et cathedralibus dictarum Hispaniarum ecclesiis tempore divinorum officiorum per edictum, singulos clericos dictarum Hispaniarum afficiat[4], ac si singulis ipsis clericis personaliter intimatae fuissent; ac, pro faciliore intimatione huiusmodi, praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae seu intimatae.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac omnibus, quae in praedictis aliis litteris voluimus non obstare.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV augusti MDCXXXII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 24 augusti 1632, pontif. anno IX.

1 Lege *privationis* (R. T.).
2 Adde *poenis* (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *quoque* (R. T.).
4 Aptius lege *afficiant* (R. T.).

CDLXIV.

Confirmatio decreti editi a sacrâ rituum Congregatione ad favorem abbatum congregationis Camaldulensium monachorum Ordinis S. Benedicti super usu baldachini, ac facultate celebrandi solemniter in pontificalibus[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

A sacrâ rituum Congregatione emanavit decretum ad favorem abbatum Camaldulensium.

§ 1. Nuper pro parte dilecti filii Desiderii Arigonii seu Bardellonii de Mantua procuratoris generalis Congregationis Camaldulensis nobis expositum fuit, quod aliàs a venerabilibus fratribus nostris san-Romanae Ecclesiae cardinalibus sacris ritibus praepositis emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Columna referente, ad instantiam P. D. Desiderii Arigonii seu Bardellonii de Mantua, procuratoris generalis Congregationis Camaldulensis, nomine abbatum eiusdem Congregationis, ut, attentâ

1 De Congregatione Camaldulensium lege in in Const. XXVIII Alexandri Papae II, *Nulli fidelium*, tom. II, pag. 48.

antiquâ consuetudine solemniter cum baldachino et assistentibus in eorum ecclesiis celebrandi, recederetur, quoad eos, a decretis aliàs hac de re editis in causis Firmanâ XXVIII ianuarii MDCVI, et Neapolitanâ XVIII martii MDCXVII; sacra rituum Congregatio censuit licere abbatibus Congregationis Camaldulensis, quando solemniter celebrant, quod in tribus tantum quolibet anno festivitatibus eis facere permittitur, uti baldachino, sine auro tamen et pompâ, cum assistentiâ unius presbyteri et duorum diaconorum, ultra diaconum et subdiaconum pro cantandis evangelio et epistolâ, ac sex aliorum ad summum monachorum sacris vestibus indutorum, quorum duo assistant cum pluvialibus, duo cum planetis, et duo cum tunicellis coloris tempori convenientis, et dummodo iidem abbates nullo modo teneant sedem abbatialem fixam et permanentem, ut sedes episcopalis retineri consuevit, sed eorum sedes retineatur in ecclesiâ his tantummodo tribus diebus per annos singulos, quibus abbates solemniter celebraturi erunt, et dicti sex monachi, ut supra parati, non in sedibus choralibus, sed super scabellis sedeant, in loco congruo, iuxta ecclesiae convenientem situm, ad hunc effectum tunc appositis, panno laneo coopertis, dictis sacrae Congregationis decretis in causis Firmanâ et Neapolitanâ editis aliàs in suo robore permansuris. Die XXI augusti MDCXXXII.

Supplicant Pontifici ut illud confirmet.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus exponens decretum huiusmodi apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desideret:

Quod approbat et confirmat.

§ 3. Nos, illum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulas praeservativas addit.

§ 4. Decernentes illud necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari;

Et ita iudicari statuit.

§ 5. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Ac contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV septembris MDCXXXII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 15 septembris 1632, pontif. anno X.

CDXLV.

Declarat bona monachorum Ordinis sancti Benedicti Congregationis Hispaniarum, seu Anglicanae, in Anglicanâ missione laborantium, post illorum o-

bitum spectare ad monasteria cismarina dicti Ordinis Congregationis Anglicanae, in quibus professi sunt, aut quibus se aggregarunt[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Declaratio, de qua in rubricâ.

§ 1. Cupientes dilectis filiis monachis Ordinis S. Benedicti monasteriorum cismarinorum Congregationis Angliae de aliquo subventionis auxilio providere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium adversus haereticam pravitatem inquisitorum generalium consilio, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus et declaramus, bona monachorum dicti Ordinis congregationis Hispanicae, seu Anglicanae, in Anglicanâ missione laborantium, post mortem eorumdem monachorum, esse et haberi monasteriorum cismarinorum Congregationis Angliae huiusmodi eiusdem Ordinis, in quibus iidem monachi, aut professionem emiserunt, vel quibus se aggregarunt;

Eadem lege comprehendantur bona monachorum extra claustra morientium.

§ 2. Et quod nemini liceat, sub praetextu quod praedicti monachi moriantur extra claustra, vel sub quovis alio titulo et quolibet[2] colore, eadem bona retinere, aut restitutionem eorumdem dictis monasteriis denegare, sub poenis et censuris ecclesiasticis;

Clausulae.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus quibuscumque decretis, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et praesertim felicis recordationis Gregorii Papae XIII praedecessoris nostri super spoliis monachorum extra claustra morientium editâ, necnon quibusvis dictarum congregationum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII septembris MDCXXXII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 17 septembris 1632, pontif. anno X.

CDXLVI.

Commissio archiepiscopo Arelatensi, ac Boloniensi, et S. Flori ac Macloviensi episcopis, ut coniunctim procedant con-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Edit. Main. legit *quasit* (R. T.).

tra quascumque personas ecclesiasticas contra personam et Statum regis christianissimi quidquam molientes[1].

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Arelatensi, et Boloniensi ac S. Flori necnon Macloviensi episcopis,

Urbanus Papa VIII.

Venerabiles fratres,

salutem et apostolicam benedictionem.

Regis Galliarum preces.

§ 1. Exposuit nobis charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum et Navarrae rex christianissimus, quod[2] diversae personae ecclesiasticae, etiam in abbatiali et episcopali et aliâ dignitate constitutae, diversimode contra ipsius Ludovici regis personam et Statum machinati fuerint, et machinantibus auxilium, consilium, favorem tam verbo quam re ipsâ dederint, crimina gravissima et enormissima incurrendo. Quare, intendens dictus Loduvicus contra machinatores, auxiliatores, consultores et fautores, et aliàs in praemissis quomodolibet delinquentes ad condignas poenas procedi facere, nobis humiliter supplicavit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Commissio, de qua in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, eumdem Ludovicum regem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestrae, venerabiles fratres archiepiscope et episcopi, per praesentes committimus et mandamus, quatenus vos coniunctim procedentes, vocatis ad id qui fuerint evocandi, de praemissis diligenter inquiratis, et contra omnes ac singulas personas ecclesiasticas, etiamsi abbatiali, episcopali, seu archiepiscopali praefulgeant dignitate, viâ iuris procedatis, et culpabiles repertos per sententiam definitivam seu sententias definitivas, quatenus privationi sit locus, omnibus et singulis ecclesiasticis beneficiis et dignitatibus tam secularibus quam regularibus quovis modo nuncupatis, etiamsi monasteria, prioratus, conventuales ecclesiae, cathedrales et metropolitanae, aut etiam maiores fuerint, auctoritate nostrâ, prout iuris fuerit, privetis et privatos declaretis, ac aliàs, iuxta iuris ordinem, tam contra eorum omnium et singulorum bona, quam contra personas animadvertatis; nos enim vobis etiam per edictum publicum citandi et inhibendi, aliaque circa praemissa necessaria et opportuna faciendi, exercendi et exequendi, plenam et liberam, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus facultatem.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, necnon apostolicis, ac in universalibus et generalibus, necnon provincialibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, conventualium[1] et Ordinum, ac hospitalium, etiam sancti Ioannis Hierosolymitani, et aliorum piorum locorum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ecclesiis, monasteriis, hospitalibus et aliis locis piis quibuscumque, eorumque praesulibus, abbatibus, prioribus, et aliis superioribus et personis, etiam magno magistro, conventui et fratribus militibus dicti hospitalis sancti Ioannis, in contrarium quomodolibet per Sedem Apostolicam, aut aliàs quomodolibet concessis, ac etiam iteratis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Edit. Main. legit *quodque*; absque ullâ ratione, nisi aliquid desit (R. T.).

1 Potius lege *conventuum* (R. T.).

vicibus approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Archiepiscopo facultas conceditur uno impedito episcopo alium substituendi.

§ 4. Volumus autem, et apostolicâ auctoritate decernimus, quod tu, frater archiepiscope, in eventum absentiae unius seu plurium ex praedictis venerabilibus fratribus nostris episcopis, quibus praesentes directae reperiuntur, aut illis legitime impeditis, seu procedere renuentibus, seu differentibus, alium vel alios episcopum seu episcopos illarum partium, absentium vel impeditorum aut procedere recusantium seu differentium loco, eligere possis, cum quibus coniunctim, ut praefertur, circa praemissa omnia et singula, etiam usque ad definitivas sententias inclusive procedere possis.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die VIII octobris MDCXXXII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 8 octobris 1632, pontif. anno X.

CDXLVII.

Erectio officii advocati pauperum in Urbe cum concessione facultatum [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex commissi nobis per abundantiam divinae gratiae pastoralis officii munere ad ea, per quae pauperum et egenarum personarum causae agantur et defendantur, paternâ qua tenemur charitate liben-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

ter intendimus, ac desuper officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Aliàs conservatores officium dohanerii dohanae pecudum instituerunt.

§ 1. Aliàs siquidem, sicut accepimus, de anno MDXXXVIII tunc existentes camerae almae Urbis nostrae conservatores officium dohanerii dohanae pecudum, certo tunc expresso modo vacans, quondam Agapito de Magistris, tunc in humanis agenti, ad eius vitam dumtaxat concesserunt; et subinde etiam de anno MDLXII tunc similiter existentes dictae camerae conservatores officium praedictum eidem Agapito in perpetuum pro se ac omnibus et singulis haeredibus suis etiam extraneis similiter concesserunt; idemque Agapitus secundodictam concessionem huiusmodi per felicis recordationis Pium Papam IV praedecessorem nostrum confirmari obtinuit, prout in ipsius Pii praedecessoris [1] ac patentibus dictorum conservatorum litteris desuper expeditis plenius continetur.

Illud supprimit Urbanus.

§ 2. Cum autem nos, pauperum personarum dictae Urbis statui compatientes, eisdem de aliquo advocato, per quem earum causae agi et defendi valeant, providere intendamus; idcirco, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, officium praedictum (quod, ut etiam accepimus, dilectus filius Octavius Pierleonus Romanus, quondam Hersiliae de Magistris natus, ad praesens in vim praedictae concessionis perpetuae et facultatem illud alienandi obtinet), omnemque illius statum, essentiam et dependentiam, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, de expresso ipsius Octavii consensu, perpetuo supprimimus et extinguimus.

Et officium advocati pauperum instituit.

§ 3. Praeterea unum officium advocati pauperum nuncupandum eiusdem Urbis, quod pro tempore obtinens civis nobilis Romanus esse, et a dilecto filio nobili

1 Quas non puto esse in *Bullario* (R. T.).

viro Thaddeo Barberino principe Praenestino, nostro secundum carnem ex fratre germano nepote, moderno et pro tempore existente Urbis praefecto, nominari, ac pauperum et miserabilium personarum ad se recurrentium causas agere, tueri et defendere debeat, ac in habitu seculari seu clericali, prout ei libuerit, incedere possit, ac aliàs cum omnibus et singulis facultatibus, auctoritatibus, privilegiis, praerogativis, honoribusque et oneribus similibus advocatis quomodolibet competentibus, ac aliàs solitis et consuetis, eisdem auctoritate et tenore, erigimus et instituimus.

Eique suppressi officii redditus applicat.

§ 4. Illique sic erecto et instituto, pro eius dote, illudque pro tempore obtinentis congruà sustentatione, omnia et singula dicti officii sic per nos suppressi fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque, in quibusvis rebus consistentia, et undecumque provenientia, perpetuo concedimus et assignamus, ac applicamus et appropriamus.

Illud jus Octavio Pierleoni confert.

§ 5. Insuper officium huiusmodi, sic per praesentes erectum, tamquam a primaevâ illius erectione vacans, cum omnibus et singulis fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis quibuscumque per nos ut supra concessis et assignatis, eidem Octavio, de cuius fide, prudentiâ, doctrinâ, pietate et integritate plurimum in Domino confidimus, eisdem auctoritate et tenore, quoad vixerit, concedimus et assignamus.

Clausulas necessarias ac praeservativas addit.

§ 6. Mandantes propterea omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, ut praedicto Octavio, eiusdemque in officio advocati pauperum huiusmodi successoribus, de omnibus et singulis fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis praedictis suis congruis temporibus respondeant[1], ac responderi[1] curent et faciant; ac decernentes praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod in praemissis interesse habentes, vel habere praetendentes, ad id vocati et auditi non fuerint, nec praemissis consenserint, aut aliàs quovis praetextu, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, in ius vel controversiam vocari, aut ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus illa quodcumque iuris, gratiae vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed semper valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis, quos concernunt et concernent quomodolibet in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis alios, quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantia tollit.

§ 7. Non obstantibus felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse camerae apostolicae concernentibus in eâdem camerâ infra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, ac dictae Urbis et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis Urbi et conservatoribus

1 Edit. Main. habet *responden.* (R. T.).

praedictis, et quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, aut aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in arce Gandulphi, sub annulo Piscatoris, die XV octobris MDCXXXII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 15 octobris 1632, pontif. anno X.

CDXLVIII.

Prohibitio ne fratres Carmelitae Calceati de Observantia in Belgio et Siciliae provinciis gestent habitum per fratres eiusdem Congregationis Discalceatorum gestari solitum, nec se fratres Carmelitas reformatos sanctae Theresiae vocitent, aut subscribant[1].

1 Carmelitarum regulam a sancto Alberto Hierosolymitanae ecclesiae patriarcha traditam approbavit Honor. III, ut in eius Constit. LXXVIII, *Ut vivendi*, tom. III, pag. 415. Discalceatorum vero tam virorum quam monialium Congregationem approbavit Gregor. XIII, Constit. CXXI, *Pia consideratione*, tom. VII, pag. 350. Canonizationem autem sanctae Theresiae habes in Gregorii XV, Constit. LIII, (*al.* 52), *Omnipotens*, tom. XII, pag. 673. Vide etiam in Constit. *Inter ceteras* huius Pontificis, ut infra.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Romanus Pontifex in Sede Principis apostolorum a Domino constitutus, ex incumbenti sibi munere, ad ea potissimum mentis suae aciem assidue intendit, per quae christifideles divinis obsequiis sub suavi religionis iugo et strictioris observantiae regulis mancipati prospere dirigi valeant; et, si aliquae unquam subrepunt corruptelae, pastorali vigilantiâ elimentur, ut regulares ipsae personae in pacis amoenitate vota sua Domino reddant, et felicioribus in dies proficiant incrementis. Exordium.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius procurator generalis fratrum Ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum congregationis sancti Eliae nobis nuper exponi fecit, nonnulli religiosi Carmelitae Calceati de Observantiâ nuncupati, in Belgio existentes, habitum per fratres eiusdem Congregationis Discalceatorum gestari solitum, et per eos susceptum, vel eidem similem, cum gravi fratrum Discalceatorum Congregationis huiusmodi damno a primaevâ sui formâ mutaverint et variaverint, malumque huiusmodi in aliis etiam et praesertim Siciliae provinciis serpere coeperit; quin etiam fratres Carmelitae Calceati huiusmodi se Carmelitas reformatos sanctae Theresiae vocitent et subscribant, in grave ipsorum fratrum Discalceatorum detrimentum et scandalum plurimorum: Carmelitae Calceati in Belgio et Sicilia habitum mutarunt et se Carmelitas reformatos sanctae Theresiae vocari faciunt.

§ 2. Nos, pro muneris nostri debito, huic malo de opportuno remedio, per quod fratrum Calceatorum praefatorum temeritas compescatur, quantum cum Domino possumus, providere, ac fratrum Discalceatorum Congregationis huiusmodi, quam in visceribus gerimus charitatis, prospero felicique statui et directioni consulere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, motu Pontifex id prohibet sub poenis hic expressis.

proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnibus et singulis fratribus Carmelitis Calceatis de Observantiâ nuncupatis praedictis, sub excommunicationis maioris latae sententiae, ac privationis vocis activae et passivae, et, quoad illorum superiores, etiam suspensionis ab officiis per eos obtentis, ipso facto incurrendis poenis, districte praecipiendo mandamus, ut habitum regularem uniformem, et per eos antea susceptum, iuxta Congregationis eorumdem Carmelitarum Calceatorum de Observantiâ huiusmodi communi[1] statuta, deferant, nec illum ullo unquam tempore mutare vel variare audeant vel praesumant, absque speciali huius Sanctae Sedis licentiâ.

Gestantibus talem habitum, terminum assignat ad illum deponendum.

§ 3. Iis vero, qui eumdem habitum ut supra mutarunt, vel quoquo modo variarunt, sub eisdem censuris et poenis ut praefertur incurrendis, similiter mandamus, ut, intra duorum mensium spatium post publicationem praesentium, eumdem habitum, prout antea deferebant, et quem communis usus[2], iuxta universalia statuta congregationis fratrum Carmelitarum Calceatorum de Observantiâ huiusmodi, reassumere omnino debeant et teneantur, neque se Carmelitas reformatos sanctae Theresiae vel beatae Theresiae nominent vel subscribant.

Exequutores deputat.

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ceterisque locorum Ordinariis, in praedictis et aliis provinciis et locis, ubi opus fuerit, constitutis, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, fratres Calceatos de Observantiâ huiusmodi ad praesentes litteras omniaque et singula in illis ut supra contenta et ordinata plene observanda et adimplenda, sub poenis praedictis, cogant et compellant, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Clausulas praeservativas ponit.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras, etiam ex eo quod interesse in praemissis habentes ad id vocati, citati et auditi non fuerint, vel aliàs, quovis praetextu vel causâ, de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quopiam defectu notari, impugnari, retractari, aut in ius vel controversiam vocari nullatenus unquam posse; sed illas semper validas, firmas et efficaces existere et fore, atque ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari;

Clausulam *sublati* addit.

§ 6. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, ac Sedis Apostolicae nuntios, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria aufert.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis praedicti, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, fratribus Carmelitis Calceatis praefatis, illorumque superioribus et personis, ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis,

1 Videtur legendum *communia* (R. T.).

2 Deest verbum *praescribit*, aut simile (R.T.).

in genere vel in specie, etiam motu et scientiâ similibus, ac aliàs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemplis credi imperat.

§ 8. Volumus autem, quod praesentibus litteris, ac omnibus in eis contentis, nullatenus derogetur aut derogatum sit, vel esse censeatur, nisi de eis specialis et specifica, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio fiat; quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, aut sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 1[1] decembris MDCXXXII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 1 decembris 1632, pontif. an. X.

CDXLIX.

Dismembratio ab ecclesiâ Sarsinatensi fodinarum sulphuris et iuris sulphur huiusmodi in nonnullis locis effodiendi, ac applicatio Sedi et Camerae Apostolicae[2].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Causae faciendae dismembrationis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, ecclesia Sarsinatensis per obitum illius ultimi episcopi, extra Romanam curiam defuncti, pastoris solatio destituta sit, et episcopi Sarsinatenses, qui pro tempore fuerunt, inter alia bona ad mensam episcopalem ecclesiae Sarsinatensis spectantia, diversas fodinas seu foveas sulphuris ac ius sulphur in nonnullis dioecesis Sarsinatensis locis effodiendi hactenus possederint, et mensa episcopalis praedicta possideat ad praesens, fodinis vero, seu foveis, ac iure sulphur huiusmodi effodiendi camera nostra apostolica pro suis necessitatibus maxime indigeat; eisdem vero[1] foveis seu fodinis sulphureis ac iure sulphur huiusmodi effodiendi a dictâ mensâ episcopali dismembratis et separatis, episcopus Sarsinatensis ex eiusdem mensae episcopalis fructibus, redditibus et proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis tantum percipiat, quantum ad congruam eius sustentationem et pontificalis dignitatis exigentiam iuxta Concilii Tridentini decreta sufficiat:

Dismembratio, de qua in rubrica.

§ 2. Nos, praemissis et aliis iustis de causis animum nostrum moventibus, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, foveas sive fodinas sulphuris ac ius sulphur huiusmodi effodiendi, ad mensam episcopalem praedictam, ut praefertur, spectantia[2], praesentium tenore[3], perpetuo separamus et dismembramus, illaque sic separata et dismembrata Sedi et camerae apostolicae (ita quod liceat eius thesaurario seu commissario generali, vel alio seu aliis ad id a nobis mandatum habentibus, corporalem, realem et actualem possessionem fodinarum seu fovearum earumque iurium et pertinentiarum huiusmodi, praedicti episcopi Sarsinatensis seu alterius cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ, propriâ auctoritate apprehendere et retinere, et absque eo quod propterea mensa episco-

1 Erronee edit. Main. in textu habet *11*, sed ad marg. legit *1* cum Cherub. et ita legendum ex ordine Bullarum (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Hanc vocem *vero* nos addimus (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *spectantem* (R. T.).

3 Hanc vocem *tenore* nos addimus (R. T.).

palis praedicta, seu futuri ecclesiae Sarsinatensis praesules vel administratores, quicquam a Sede et camerâ praedictis pro recompensâ seu aliâ quavis solutione praetendere possint aut debeant), earumdem tenore praesentium, perpetuo applicamus et appropriamus.

Clausulae. § 3. Decernentes separationem et dismembrationem, applicationem et appropriationem praedictas (etiam ex eo quod causae, propter quas factae sunt, adductae seu verificatae vel aliàs iustificatae non fuerint, aut quod dicta ecclesia Sarsinatensis, ad praesens pastoris solatio destituta sit, ut praefertur, et episcopus Sarsinatensis, seu quicumque alii ius et interesse in praemissis vel eorum aliquo habentes seu praetendentes, illis non consenserint, et ad ea vocati, neque solemnitates et alia servanda et adimplenda servata et adimpleta fuerint, seu etiam enormis et enormissimae laesionis, ac ex quovis alio capite, a iure, vel facto, seu statuto, aut consuetudine, vel aliàs quomodolibet resultante, seu praetextu, causâ et occasione, etiam quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum exprimenda foret) de subreptionis, seu obreptionis, vel nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel interesse habentium consensus, seu alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, rescindi, infringi, in ius vel controversiam vocari, aut adversus illas[1] etiam restitutionis in integrum, seu quodvis aliud iuris, gratiae vel facti remedium impetrari, aut etiam motu proprio concedi, aut sic impetrato vel concesso quemquam uti non posse[2], sed adversus quascumque impugnationes et impedimenta validas et efficaces esse et fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri in omnibus et per omnia perinde ac si vocatis vocandis[1] et servatis servandis emanassent[2], ac per futuros ecclesiae Sarsinatensis praesules seu administratores pro tempore existentes, ceterosque omnes et singulos ius et interesse habentes seu habere praetendentes, inviolabiliter et inconcusse observari et adimpleri debere, neque ipsos ius vel actionem aut beneficium restitutionis in integrum, iudicis officium, seu quaecumque alia iuris remedia, ordinaria et extraordinaria, tam in petitorio quam in possessorio, etiam summariissimo, praetendere posse, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, camerae apostolicae clericos, ac S. R. E. cardinales camerarios, etiam de latere legatos[3] et nuncios (sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari ac definiri debere, ac irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus praemissis, ac regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, necnon quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac[4] dictae ecclesiae Sarsinatensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, necnon legibus etiam municipalibus privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, aliisque decretis, tam in genere quam in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro

1 Edit. Main. legit *illa* (R. T.).
2 Has voces *non posse* nos addimus (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *vocandi* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *emanasset* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *legato* (R. T.).
4 Particulam *ac* nos addimus (R. T.).

illorum sufficienti derogatione aliàs de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur praesentibus, pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis et specificatis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse ac latissime et plenissime derogamus, et derogatum esse volumus et declaramus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v decembris MDCXXXII, pontificatus nostri anno x.

Dat. die 5 decembris 1632, pontif. anno x.

CDL.

Erectio reformationis provinciae Austriae fratrum Minorum S. Francisci de Observantia.

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. In apostolicae dignitatis speculâ, meritis licet imparibus, a Domino constituti, circa statum religiosorum quorumcumque, praesertim sub strictioris observantiae regulis Altissimo famulantium, prospere dirigendum mentis nostrae aciem assidue intendimus, atque his, quae pro felici statu et directione facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuo subsistant et inviolabiliter observentur, apostolicae firmitatis robur adiicimus, prout pia catholicorum principum vota exposcunt, nosque conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causae huius Constitutionis. § 1. Cum itaque, sicut charissimus in Christo filius noster Ferdinandus Romanorum rex in imperatorem electus nobis nuper exponi fecit, aliàs in domibus regularibus dilectorum filiorum fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum provinciae Austriae, operâ dilecti filii Antonii a Galbiato, tunc dicti Ordinis in illis partibus commissarii generalis, reformatio introducta fuerit, dictique fratres uberes in vineâ Domini fructus afferant, et propterea, quo uberiores sub huiusmodi reformatione in pacis amoenitate fructus Domino reddere valeant, per nos desuper, ut infra, opportune provideri summopere desideret:

Confirmatio reformationis. § 2. Nos, piis dicti Ferdinandi regis in imperatorem electi votis huiusmodi, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, reformationem in domibus regularibus dictae provinciae Ordinis huiusmodi, ut praefertur, introductam, cum iisdem privilegiis, gratiis et indultis, modo et formâ quibus similem reformationis introductionem in provinciis Bavariae et Tirolii aliàs apostolicâ auctoritate confirmavimus, confirmamus[1], illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans. § 3. Decernentes praemissa ac praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari; et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus

1 Verbum *confirmamus* nos addimus (R. T.).

super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI decembris MDCXXXII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 21 decembris 1632, pontif. anno X.

CDLI.

Declaratio privilegiorum Congregationis clericorum Regularium Papiensium de Somasca, quoad oratoria privata[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Tenor litterarum Pauli V refertur.

Aliàs felicis recordationis Paulus Papa V praedecessor noster, inter alia privilegia Congregationi Clericorum Regularium de Somasca, aliàs S. Maioli, nuncupatorum Papiensium concessit, ut singuli presbyteri professi dictae Congregationis omnibus et quibuscumque personis degentibus et commorantibus in orphanotrophiis, seminariis, academiis et convictorum collegiis, sub curâ, regimine et administratione dictae Congregationis existentibus, extremae unctionis, necnon, etiam tempore paschatis Resurrectionis Dominicae festivitatis, sanctissimae Eucharistiae sacramenta, absque aliquo censurarum et poenarum incursu, ministrare possent, prout in dicti Pauli praedecessoris litteris desuper confectis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[1].

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Cum autem, sicut dilectus filius Franciscus Tontulus, procurator generalis dictae Congregationis, nobis nuper exponi fecit, a nonnullis locorum Ordinariis revocetur in dubium, an per supradictam concessionem presbyteris praedictis implicite etiam concessa sit licentia privata oratoria in orphanotrophiis, seminariis, academiis et convictorum collegiis huiusmodi, praesertim dictae Congregationis non propriis, habendi, in eisque sacrosanctum missae sacrificium etiam extra tempus Paschatis celebrandi; nobis propterea dictus procurator generalis humiliter supplicari fecit, ut dubium huiusmodi opportunae nostrae declarationis ministerio e medio tollere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Declarat posse habere oratoria et in eis celebrare.

§ 2. Hinc est quod nos, dictum procuratorem generalem, totamque ipsam Congregationem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eius singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem Congregationi, quod ipsa in orphanotrophiis, seminariis, academiis et convictorum collegiis huiusmodi, etiam non propriis dictae Congregationis, sub eius tamen curâ, regimine et administratione existentibus,

1 Clericorum regularium de Somasca Congregationis erectio et privilegia habentur in Constitut. CXIX (*al.* 105) Pii V, tom. VII, pag. 729, qui eos sic appellari iussit, ibid. § 8, pag. 731.

1 Quas non puto legi in *Bullario* (R. T.).

oratoria privata habere, ipsiusque Congregationis presbyteri professi in eis sacrosanctum missae sacrificium in personarum in dictis orphanotrophiis, seminariis, academiis et convictorum collegiis degentium et commorantium praesentiâ, tam intra quam extra tempus Paschatis Resurrectionis Dominicae festivitatis huiusmodi, celebrare libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus, ac, quatenus opus sit, eis de novo concedimus et indulgemus. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII decembris MDCXXXII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 22 decembris 1632, pontif. anno X.

CDLII.

Facultas cardinali Francisco Barberino, modum et statum officiorum, magistratuum, tam optimatum quam populi, et gubernii temporalis, in civitatibus et locis Status Urbini ad Sedem Apostolicam devolutis, ac etiam custodiae, militiarumque, ad formam et methodum regiminis et gubernii aliorum locorum Status Ecclesiastici redigendi, et comites palatinos, atque auratae militiae equites, usque ad quemcumque numerum, creandi[1].

Dilecto filio nostro[2] **S. Laurentii in Damaso diacono cardinali Barberino nuncupato, S.R.E. vicecancellario, nostro secundum carnem ex fratre germano nepoti, in Urbinatensi, Eugubinâ, Pisaurensi, ac reliquis civitatibus et oppidis, nostro incorporationis decreto comprehensis et ad dictam Sedem devolutis, nostro et Sedis Apostolicae de latere legato,**

Urbanus Papa VIII.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Ex rubr. supple nomen *Francisco* (R. T.).

Dilecte fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Quoniam[1] in regimine Urbinatensis, Eugubinae, Pisaurensis et reliquarum civitatum et oppidorum, aliorumque locorum quorumcumque per obitum bonae memoriae Francisci Mariae Urbini ducis ad Sedem Apostolicam devolutorum et universae ditioni temporali Sedis praedictae nostro decreto incorporatorum, per nos[2] singulari tuae fidei atque prudentiae hodie commisso, propter diversitatem gubernii ducalis, sub quo civitates, oppida et loca huiusmodi hactenus recta fuerunt, et ecclesiastici sub quo deinceps erunt[3], multa contingere possunt, quae in facultatibus legationis civitatum, oppidorum et locorum eorumdem non sunt expressa, ac speciali notâ digna essent:

Causae concedendae facultatis.

§ 2. Nos, ne propterea civitates, oppida et loca huiusmodi aliquod patiantur detrimentum, sed ut tu omnia, quae ad prosperum ac felix regimen illorum pertinent, dirigere, statuere et de novo etiam, in casibus in quibus oportebit et tu expedire iudicaveris, ordinare possis, opportune providere volentes, ultra quascumque alias facultates supradictas (quarum tenorem praesentibus pro expressis haberi, et quas semper salvas et illaesas esse volumus) circumspectioni tuae (cuius singulari prudentiae[4], fidei et diligentiae gravissimis in negotiis toties[5] probatae plane confidere, ac omnia tuto committere et credere possumus) ut[6] modum et statum officiorum, magistratuum, tam optimatum quam populi, et gubernii temporalis, ac etiam custodiae, militiarumque, et praesi-

Facultas, de qua in rubrica.

1 Quam simillimam constit. habes supra pagina 227, directam Antonio Barberino (R. T.).

2 Edit. Main. legit *non* pro *nos* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *erit* (R. T.).

4 Edit. Main. legit *prudentia* (R. T.).

5 Perperam ed. Main. *tenes* pro *toties* legit (R.T).

6 Particulam *ut*, quam senties necessariam ex sequentibus, nos addimus (R. T.).

diorum civitatum, oppidorum et locorum praedictorum, prout tibi videbitur, immutare et renovare, et ad formam et methodum regiminis et gubernii, aliorumque provinciarum, terrarum et locorum Status nostri Ecclesiastici redigere, seu aliàs, iuxta tuam prudentiam et arbitrii tui voluntatem, tam praemissa, quam etiam redditus et proventus camerae nostrae apostolicae, eorumque exactiones, disponere et ordinare, ac quaecumque statuta, ordinationes et constitutiones circa praemissa et alia quaecumque, prout tu magis expedire iudicaveris, condere, publicare et observare[1] facere, necnon omnia et singula ad statum, gubernium, regimen et administrationem civitatum, oppidorum et locorum praedictorum, atque custodiam arcium et fortalitiorum, necnon populorum pacem et quietem, et annonae abundantiam spectantia, ac tam gratiam quam iustitiam concernentia (etiam si talia forent, quae sub generali verborum significatione non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, ac speciali notâ digna essent) facere, gerere, ordinare, statuere, mandare, exequi et facere perinde in omnibus et per omnia possis, valeas et debeas, ac nos ipsi facere, gerere, ordinare, statuere, mandare, exequi et facere possemus, plenissimam, amplissimam et absolutam facultatem, potestatem et auctoritatem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impartimur.

Quidquid cardinalis Barberinus statuerit, se confirmaturum Pontifex promittit.

§ 3. Et nihilominus, si aliqua per te fieri, statui et ordinari contigerit, quae tibi sub generali huiusmodi facultate minime comprehendi iudicabuntur, ea nos, prout tu ad nos retuleris, nominatim omnia confirmabimus et approbabimus.

Indultum creandi comites palatinos et equites auratae militiae.

§ 4. Praeterea (ut in huius tui regiminis initio erga illos, qui se in nos et Apostolicam Sedem devotos et fideles exhibuerunt, nostram et eiusdem Sedis munificentiam magis ostendere, teque gratum et benevolum, ut decet, reddere possis) facultatem creandi aliquos laicos nobiles, usque ad numerum quindecim, in palatii et aulae Lateranensis comites et auratae militiae equites per alias nostras litteras tibi concessam, usque ad quemcumque numerum tibi benevisum, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et ampliamus. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI ianuarii MDCXXXIII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 21 ianuarii 1633, pontif. anno X.

CDLIII.

Fratres Minores strictioris Observantiae S. Francisci introducuntur in monasteriis S. Clarae et S. Mariae Magdalenae Neapolis[1].

Dilecto filio nostro Francisco S. Laurentii in Damaso diacono cardinali Barberino nuncupato, S. R. E. vicecancellario, nostro secundum carnem ex fratre germano nepoti, fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ apud nos et Apostolicam Sedem protectori,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva huius Constitutionis.

§ 1. Ex dignis et rationalibus causis animum nostrum moventibus, circumspectioni tuae, totius Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ protectori, per praesentes iniungimus, ut, semotis a monasterio et ecclesiâ monasteriorum monialium S. Clarae et S. Mariae Magdalenae civitatis Neapolitanae fratribus Ordi-

1 Aptius legeretur *observari* (R. T.).

1 Istorum Fratrum materiam habes signatam ad huius Pontificis Constit. XL, *Romanus Pontifex*, tom. XIII, pag. 121.

nis Minorum de Observantia S. Francisci, si qui nunc sunt, eorum loco et vice, pro huiusmodi ecclesiarum servitio ac monialium curâ speciali, nonnullos religiosos professores dicti Ordinis ex Reformatis nuncupatis provinciarum Romanae, Siciliae ultra pharum, et Mediolanensis, provectae aetatis, exemplaris vitae, bonae famae atque doctrinae, quotquot necessarii erunt, Neapolim proficisci, et ibi permanere iubeas[1], eisque seu aliquibus ex ipsis, singulo saltem triennio mutandis, postquam ab Ordinario pro tempore examinati et approbati fuerint, et non aliter, auctoritate nostrâ mandes, ut regimen spirituale et curam animarum earumdem monialium S. Clarae et S. Mariae Magdalenae suscipiant, et deinceps, sicuti speramus, laudabiliter exerceant, eisdemque monialibus, ut ipsis fratribus pareant et obediant, districte praecipias, sub censuris et poenis arbitrio tuo infligendis, quod a te diligenter fieri cupimus, ita ut diligentiam et pietatem tuam in hoc merito collaudare possimus.

Deputat fratres reformatos pro servitio monialium.

§ 2. Volumus tamen, ut venerabili fratri archiepiscopo Neapolitano, nunc et pro tempore existenti, salvum et reservatum sit omne ius, tam ex iuris communis dispositione, quam ex sacri Concilii Tridentini decretis, super huiusmodi monialium monasteriis regularium curae commissis, praesertim in his quae ad clausurae custodiam pertinent, competens, ita ut facultas concedendi licentias quibuscumque personis cuiusvis status, conditionis et Ordinis etiam regularibus (praeterquam supradictis religiosis praedictarum monialium speciali curae, ut supra, deputatis) tam ingrediendi monasterii clausuram, etiam ex causâ urgenti et necessariâ, quam accedendi ad loca colloquutionum, ad eumdem Ordinarium spectet, quibus sane licentiis, antequam exequutioni demandentur, superioris regularis praedictorum fratrum Reformatorum eiusdem monasterii consensus accedat; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Archiepiscopus habet iurisdictionem ordinariam.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII februarii MDCXXXIII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 13 februarii 1633, pontif. anno X.

1 Pessime edit. Main. legit *iubens* (R. T.).

CDLIV.

Confirmatio litterarum Clementis VIII super spoliis cleri civitatis Avenionensis et comitatus Venayssini[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Speculatores domus Israel, quae est Ecclesia Dei viventis, imperscrutabili[1] eius providentiae consilio constituti, inter ceteras apostolicae servitutis curas, in eam peculiari studio incumbimus, ut quae in personarum ecclesiasticarum favorem ab hac Sanctâ Sede concessa sunt, sublatis quibuslibet obstaculis, suum debitum, ut par est, sortiantur effectum.

Prooemium.

§ 1. Aliàs siquidem a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Refert litteras emanatas a Clemente VIII.

Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Regimini universalis Ecclesiae[2], meritis licet imparibus, disponente Domino praesidentes, inter fideles quoslibet, praesertim ecclesiarum Dei ministros, aliasque personas ecclesiasticas, ad invicem pro tempore dissidentes pacem conciliare, concordiamque vigere et augeri sinceris desi-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Edit. Main. legit *in perscrutabili* (R. T.).

2 Sequentes litterae iam leguntur in tom. X, pag. 74 seq.; heic vero a pluribus mendis expurgantur (R. T.).

derantes affectibus, illa, quae propterea processisse dicuntur, ne in recidivae contentionis scrupulum elabantur, sed firma perpetuo et illibata consistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolico munimine roboramus, ipsosque Dei ministros ab indebitis molestiis, dum id aequitas suadere videtur, sublevamus. Sane nobis nuper pro parte[1] dilectorum filiorum cleri singulariumque personarum ecclesiasticarum in nostris civitate Avenionensi et comitatu Venayssino degentium expositum fuit, quod aliàs [cum lis et causa et controversia, primo inter bonae memoriae Franciscum de Clarmonte S. R. E. cardinalem tunc in civitate et comitatu praedictis Apostolicae Sedis legatum de latere, et deinde, eo vitâ functo, inter similis memoriae Alexandrum cardinalem de Farnesio nuncupatum, praedicti cardinalis Francisci in eâdem legatione successorem, ex unâ, et praedictos clerum et personas ecclesiasticas partibus ex alterâ, super exactione spoliorum personarum ecclesiasticarum secularium et regularium huiusmodi tempore illarum[2] obitus remanentium (quae legati ad se ratione legationis suae[3] pertinere et spectare, clerus vero et personae ecclesiasticae praedicti se de illis tam inter vivos quam ultimâ voluntate libere disponere, neque ipsum pro tempore existentem legatum in illis se quomodolibet intromittere posse vel debere, seque in huiusmodi practicâ et longissime continuatâ possessione, seu quasi, esse asserebant), rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi latius deductis, et illarum occasione, in Romanâ curiâ coram certo causarum palatii apostolici auditore seu locumtenente orta fuisset, ac diversi processus super his pro ipsius negotii et causae instructione[1] per certos commissarios ad id specialiter per Sedem Apostolicam deputatos in eisdem partibus facti et ad eamdem curiam transmissi, et in eiusmodi causâ ad nonnullos actus, citra tamen illius conclusionem, deventum fuisset] tandem Alexander cardinalis legatus ac clerus praedicti, ulteriores litium anfractus, labores et dispendia vitare volentes, ad certam concordiam et transactionem, sub tamen eiusdem Sedis beneplacito, devenerunt, per quam inter alia dictus Alexander cardinalis liti et causae praedictae, tam in dictâ curiâ quam forsan extra eam et aliàs quomodolibet pendentibus, in quocumque statu instantiae reperirentur, necnon iuri et facultati exigendi dicta spolia, tam vigore privilegiorum sibi in vim suae legationis concessorum, quam assertae ac[2] diuturnae possessionis, seu quasi, necnon quarumcumque litterarum apostolicarum, a quibuscumque Romanis Pontificibus, et[3] a felicis recordationis Paulo Papa III et Iulio etiam III praedecessoribus nostris, in eiusdem Alexandri cardinalis et legati favorem et adversus ipsos clerum et personas ecclesiasticas spolia praedicta non solventes seu occultantes emanatarum, et aliàs quomodocumque competentibus et in futurum competituris (ita quod nullo unquam tempore sibi aut suis in dictâ legatione successoribus ius in huiusmodi spoliis ac eorum collectione ac recuperatione competeret, nec clerus et personae praedictae, seu eorum haeredes et successores, ullâ ratione ad illorum exhibitionem et praestationem cogi et compelli possent) in favorem eorumdem cleri et personarum ecclesiasticarum cessit; clerus vero et ecclesiasticae personae praedictae summam mille scutorum eidem Alexandro

1 Voces *pro parte* addimus (R. T.).
2 In loco parall. legitur *illorum* (R. T.).
3 Perperam edit. Main. legit *tuae* (R. T.).

1 In loco parall. legitur *introductione* (R. T.).
2 Coniunct. *ac* ex loc. parall. defenda (R. T.).
3 In loco parallelo legitur *etiam* (R. T.).

cardinali solvere et dare promiserunt, et aliàs, prout in praemissis, transegerunt, convenerunt et concordarunt; ac demum dictus Iulius praedecessor, ad ipsorum Alexandri cardinalis et cleri preces, concordiam, transactionem seu conventionem praedictas, necnon, prout illas concernebant, omnia et singula alia in instrumentis seu aliis scripturis desuper confectis contenta, et alia inde sequuta quaecumque, licita et honesta ac sacris canonibus minime contraria, auctoritate apostolicâ, ex certâ scientiâ suâ, confirmavit et approbavit, ac illis perpetuae firmitatis robur adiecit, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenissent in eisdem, supplevit; necnon partes praedictas ab eis, quovis praetextu seu quacumque occasione vel causâ, resilire non posse, sed ad illorum totalem observationem teneri, et ad id sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis et aliis pecuniariis, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, cogi et compelli; nec de cetero clerum et personas huiusmodi ullâtenus per ipsum Alexandrum cardinalem et legatum, suosve in dictâ legatione successores, aut eumdem Iulium praedecessorem, vel quoscumque alios Romanos pontifices successores suos pro tempore existentes, vel per [1] dictam Sedem, ullo umquam tempore super exactione dictorum spoliorum, quovis quaesito colore, molestari aut perturbari posse; sicque per quoscumque iudices commissarios, etiam [2] sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac [3] quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decrevit; prout in instrumento seu instrumentis, et quibusdam ipsius Iulii praedecessoris litteris; postmodum vero bonae memoriae Pius Papa V pariter praedecessor noster (sibi exposito, quod, bonae etiam memoriae Carolo tituli S. Chrisogoni presbytero cardinali a [1] Borbonio nuncupato in locum Alexandri cardinalis quoad legationem huiusmodi suffecto, illius procurator fiscalis simul atque quisque [2] ex dicto clero ab humanis decesserat, defuncti [3] spolia statim apprehendere, fiscoque legati vindicare et appropriare, ac aliàs clerum super liberâ facultate de bonis suis in ultimâ voluntate disponendi perturbare conabatur, in magnum cleri praeiudicium et populi Avenionensis scandalum, eidemque Pio praedecessori pro parte cleri et personarum praedictarum supplicato, ut in praemissis providere dignaretur) dictus Pius praedecessor concordiam, instrumentum et decretum dicti Iulii III quoad spolia cleri [4] non exigenda, litterasque et inde sequuta huiusmodi quaecumque apostolicâ auctoritate confirmavit et approbavit, ac ipsos clerum et personas ecclesiasticas per [5] Carolum cardinalem et pro tempore existentes legatos super spoliis huiusmodi de cetero molestari non debere decrevit, aliaque in illis necessaria fecit et ordinavit, prout in suis desuper confectis litteris respective plenius continetur. Cum autem, sicut [6] exhibita nobis pro parte eorumdem cleri et personarum ecclesiasticarum petitio continebat, ipsi cupiant concordiam, litteras et alia praemissa per Sedem Apostolicam confirmari et approbari, nobisque in prae-

1 Sic puto legendum pro *ad* quod legit Main. tum hîc tum in loco parallelo citato (R. T.).
2 Vocem *etiam* addimus ex loco parallelo (R.T).
3 Voculam *ac* addimus ex loco parallelo (R.T.).

1 Praep. *a* ex loco parall. delenda (R. T.).
2 In loco parallelo legitur *quispiam* (R. T.).
3 Male hîc edit. Main. legit *defuncto* (R. T.).
4 Vocem *cleri* addimus ex loc. parall. (R. T.).
5 Male edit. Main. legit *et* pro *per* (R. T.).
6 Vocem *sicut* addimus ex loc. parall. (R. T.).

missis supplicari fecerint[1], quatenus, pro firmiori illorum subsistentiâ, robur nostrae confirmationis similiter adiicere, aliàsque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur: nos igitur, clerum et singulares eius aliasque personas praedictas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existant[2], ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos[3] fore censentes, ac instrumentorum, litterarum et aliorum praedictorum, et inde sequutorum quorumcumque tenores, necnon litis[4] seu litium et causarum quarumcumque super praemissis aut eorum occasione ubilibet pendentium statum et merita, aliorumque hîc etiam de necessitate exprimendorum, tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concordiam, instrumentum, decretumque Iulii praedecessoris, quoad spolia cleri non exigenda in civitate Avenionensi et comitatu Venayssino nostris[5] dumtaxat consistentia ac in aliis locis legationi praedictae subiectis tantum, ac singulas litteras praedictas, nec non omnia et singula in illis contenta et inde sequuta quaecumque, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, ac illis perpetuae ac inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti et solemnitatum etiam substantialium defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus; ac confirmationem, approbationem, adiectionem, suppletionem, aliaque praemissa, ac praesentes litteras, nullo unquam tempore, et ad cuiuscumque legati instantiam, ex quacumque causâ, revocari, alterari, limitari aut derogari, seu de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae aut alio quopiam defectu notari posse; sed illa valida et efficacia fore, suosque plenarios effectus sortiri et inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam[1] sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus. Quocirca dilectis filiis curiae causarum camerae apostolicae generali auditori, abbati S. Andreae Status[2] Avenionensis et officiali Auraicensi per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte cleri et personarum, suorumve haeredum et successorum, aut ab eis habentium praedictorum causam, vel alicuius eorum, fuerint requisiti, solemniter pubblicantes, ac illis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos eorumque singulos confirmatione, approbatione, adiectione, suppletione, inhibitione[3], decreto, aliisque praemissis, iuxta praesentium tenorem, pacifice frui et gaudere, non permittentes eos vel eo-

1 Male ed. Main. hîc legit *fecerant* (R. T.).
2 In loco parallelo legitur *existunt* (R. T.).
3 In loco parallelo legitur *absolutas* (R. T.).
4 Male edit. Main. legit *lites* (R. T.).
5 Pessime edit. Main. legit *nomine* pro *nostris* (R. T.).

1 Vocem *etiam* addimus ex loc. parall. (R. T.).
2 Improbe edit. Main. legit *secus* pro *Status* (R. T.).
3 Vocem *inhibitione* addimus ex loco parallelo (R. T.).

rum aliquem desuper per ipsos legatum, vicelegatum, procuratorem fiscalem, seu alios quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari, aut inquietari; contradictores quoslibet et rebelles censuris et poenis, aliisque opportunis iuris remediis, eâdem auctoritate nostrâ, appellatione postposità, compescendo, ac, legitimis super his habendis servatis processibus, illos censuras et poenas huiusmodi incurrisse declarando [1], ipsasque censuras et poenas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, vel concilii generalis de duabus dietis, dummodo quis auctoritate praesentium ultra tres dietas non extrahatur [2], aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac etiam, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, pro tempore existentibus legato, vicelegato et quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibus et aliis decretis, etiam iteratis vicibus, in genere vel in specie, et aliàs quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si legato, aut vicelegato praedictis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, et excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romae, apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXIV mensis iulii MDCXCIII, pontificatus nostri anno III.

1 Comma istud *illos censuras et poenas huiusmodi incurrisse declarando* addimus ex loco parall. (R. T.).

2 Aptius in loco paralleto *ad iudicum non trahatur* (R. T.).

Clerus huiusmodi concordiam litterasque a Clemente VIII emanatas confirmari petit.

§ 2. Cum autem, sicut clerus singularesque personae ecclesiasticae nobis nuper exponi fecerunt, post revocationem privilegiorum, gratiarum et indultorum, in praeiudicium Sedis et Camerae Apostolicae concessorum, a nobis sub datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIV, XII kalendas novembris, pontificatus nostri anno II factam [1], cum clerus et personae ecclesiasticae praedictae ad dilectum filium nostrum Franciscum tunc S. Agathae diaconum cardinalem Barberinum nuncupatum, nostrum secundum carnem ex fratre germano nepotem, in civitate Avenionensi et comitatu Venayssino praedictis nostrum et Apostolicae Sedis de latere legatum recurrissent, ne per Apostolicae Sedis ministros contra praeinsertarum litterarum continentiam et tenorem super spoliis molestarentur, idem Franciscus cardinalis et legatus per suas ad venerabilem fratrem Cosmum episcopum Carpentoratensem, tunc in civitate et comitatu praedictis vicelegatum, sub die XXII aprilis

1 Quam vide in tom. XIII, pag. 222 (R. T.).

MDCXXV datas litteras eidem Cosmo episcopo et vicelegato iniunxerit, ne ulla haeredibus personarum ecclesiasticarum inibi[1] pro tempore decedentium super bonis, de quibus disposuissent, molestia inferretur, sed his desuper, qui ante revocationem praedictam servatus fuerat modus, de cetero servaretur; et propterea, pro maiori cleri et personarum ecclesiasticarum praedictarum securitate et quiete, clerus et personae ecclesiasticae huiusmodi plurimum cupiant sibi per nos desuper opportune provideri:

Urbanus confirmat.

§ 3. Nos, eosdem clerum et personas specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae[2] existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc similiter porrectis inclinati, praeinsertas dicti Clementis praedecessoris litteras, necnon litteras praedictas Francisci cardinalis et legati praedicti, ac omnia et singula in eis contenta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, ac illis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; illasque et illa et praesentes litteras nullo unquam tempore, et ad cuiuscumque legati instantiam, ex quacumque causâ revocari, alterari, limitari, aut derogari, seu de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quopiam defectu notari posse, sed semper et omni tempore valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac clero et personis ecclasiasticis praedictis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, perinde ac si revocatio praedicta nunquam emanasset;

Ita iudicari decernit.

§ 4. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Exequutores huiusce Constitutionis deputat.

§ 5. Quocirca dilectis filiis causarum curiae camerae apostolicae generali auditori ac Avenionensi et Carpentoratensi ecclesiarum praepositis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte cleri et personarum ecclesiasticarum huiusmodi, et successorum, seu ab eis causam habentium, vel alicuius eorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos praemissorum omnium ac praesentium litterarum commodo et effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes illos desuper a quoquam indebite molestari, perturbari, aut inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia[1], appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

1 Pessime ed. Main. *iniri* legit pro *inibi* (R.T.).

2 Edit. Main. legit *innodati* et postea *absolutas* (R. T.).

1 Oscitanter edit. Main. legit *defectus* (R. T.).

Obstantibus derogat.

§ 6. Non obstantibus revocatione, ac desuper confectis litteris nostris praedictis, ac omnibus illis, quae dictus Clemens praedecessor in eisdem praeinsertis litteris voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX februarii MDCXXXIII, pontificatus nostri, anno X.

Dat. die 19 februarii 1633, pontif. anno X.

CDLV.

Applicatio villae Torokaniae spectantis ad archimandritam Zydicinensem Ordinis S. Basilii Ruthenorum collegio per archiepiscopum Chioviensem metropolitam Russiae erigendo pro instruendis Ruthenis et Moscovitis adolescentibus[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Archiepiscopus Chioviensis collegium pro Ruthenis et Moscovitis adolescentibus erigere cupit.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater Iosephus archiepiscopus Chioviensis totius Russiae metropolita, quod ipse ad Dei laudem et gloriam ac inventutis in bonis artibus et ecclesiasticâ disciplinâ instructionem unum collegium in illis partibus pro Ruthenis et Moscovitis adolescentibus instruendis erigere intendit.

Ideo quamdam villam pro huiusce collegii dote applicari petit.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus archiepiscopus villam Torokani de iuribus et pertinentiis archimandritae Zydicinensis existentem (quae, ut asserit, ante triginta annos a bonae memoriae Hippatio archiepiscopo Chioviensi ipsius Iosephi archiepiscopi antecessore pro dote collegii Ruthenorum unitorum erigendi duobus postremis archimandritis scripto consentientibus destinata, eiusque redditus interim monasterio[1] monachorum Ordinis sancti Basilii eorumdem Ruthenorum, civitatis Vilnensis, in quo, ut etiam asserit, iuvenes tam inferioribus quam altioribus studiis instruebantur, applicati fuerant) collegio per ipsum Iosephum archiepiscopum erigendo, ut praefertur, per nos apostolicâ auctoritate applicari summopere desideret:

Quod Urbanus concedit.

§ 3. Nos, qui piorum operum incrementum sinceris desideramus affectibus, piis ipsius Iosephi archiepiscopi votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, annuere, ipsumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon villae huiusmodi fructuum, redditum et proventuum veros annuos valores praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, villam praedictam, cum omnibus iuribus, membris et pertinentiis suis, collegio per dictum Iosephum archiepiscopum, ut praefertur, erigendo, si et postquam canonice erectum fuerit, pro illius dote et manutentione, eiusque rectoris et collegialium pro tempore existentium congruâ sustentatione (ita quod liceat rectori et[1] collegialibus ipsis corporalem, realem, actualem possessionem dictae villae, eiusque iurium, membrorum et pertinentiarum quorumcumque apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque percipere, exigere, levare, locare, arrendare, ac in omnes[2] ipsius collegii usus et necessitates convertere, cuiusvis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Pessime edit. Main. legit *monasteriorum* (R. T.).

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

2 Forsan potius legendum *ac omnes in* (R. T.).

licentiâ desuper minime requisitâ), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo applicamus et appropriamus.

Clausulae. § 4. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis, quos illae concernunt, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, aliisque praemissis, ac archimandritatus et monasterii praedictorum et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXI februarii MDCXXXIII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 21 februarii 1633, pontif. anno X.

CDLVI.

Facultas regi christianissimo admittendi aetate minores ad habitum Ordinis militaris S. Spiritus[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Charissimo in Christo filio nostro Ludovico, Francorum regi christianissimo, Urbanus Papa VIII.

Charissimo in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Ludovicus rex facultatem, de qua in rubrica, sibi concedi petit. § 1. Cum maiestas tua per suas litteras nobis humiliter supplicari fecerit, quatenus ei facultatem concedere de benignitate apostolicâ dignaremur, personas generis nobilitate et praestitis maiestatis tuae servitiis conspicuas, aliàs tamen qualificatas, etiam si in aetate a militaris Ordinis Sancti Spiritus, cuius tu perpetuus administrator esse dignosceris, statutis requisitâ constitutae non fuerint, recipiendi et admittendi in milites militaris Ordinis praedicti, et cum eis, aliàs tamen habilibus, quoad receptionem et admissionem huiusmodi, omnia et singula, quae a sacro Concilio Tridentino non prohibentur, faciendi:

Cui Urbanus annuit. § 2. Nos, maiestatis tuae supplicationibus huiusmodi inclinati, eidem maiestati tuae facultatem praedictam apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impartimur.

Derogatio contrariorum. § 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti militaris Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII februarii MDCXXXIII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 22 februarii 1633, pontif. anno X.

CDLVII.

De missiones religiosorum cuiuscumque Ordinis ad Iaponicas et alias Indiarum Orientalium regiones impedientium poenis et aliis ad eas pertinentibus[1].

Urbanus Papa VIII,

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Ex debito pastoralis officii saluti animarum et fidei catholicae propagationi prospicientes, ea quae provide a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris propterea ordinata fuerunt, si subinde experientia doceat ea mutatione indigere, libenter immutamus, aliàsque disponimus, prout ad fidei catholicae propagationem et animarum salutem huiusmodi conspicimus in Domino salubriter expedire.

Gregorius XIII prohibuit ne quisquam accederet ad provincias Iaponicas praedicandi causâ sine Sedis Apostolicae licentiâ.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Gregorius XIII praedecessor noster, certis tunc expressis causis adductus, per suas in simili formâ Brevis litteras, sub datum die XXVIII ianuarii MDLXXXV pontificatus sui anno XIII[2], omnibus patriarchis et episcopis, etiam provinciae Chinae et Iaponis, sub interdicti ecclesiastici et suspensionis ab ingressu ecclesiae et pontificalium exercitio, aliis vero sacerdotibus, clericis et ministris ecclesiasticis, tam secularibus, quam cuiusvis Ordinis regularibus, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existerent, sub excommunicationis maioris poenis ipso facto incurrendis, interdixit et inhibuit, ne ad Sinarum regiones et provincias Iaponicas evangelii praedicandi vel doctrinam christianam docendi, aut sacramenta administrandi, aliaque munia ecclesiastica obeundi causâ, sine suae et Sedis Apostolicae expressâ licentiâ proficisci auderent.

Hanc prohibitionem declaravit Clemens VIII ut in Constitutione citata in nota ad rubricam.

§ 2. Postmodum autem recolendae memoriae Clemens Papa VIII similiter praedecessor noster[1] (accepto quod tam Chinae et Iaponum quam aliae illius[2] vicinae et adiacentes insulae, regiones et provinciae, ac finitima regna Indiae Orientalis amplissima et populis refertissima erant, et pro tantâ animarum multitudine ad fidem catholicam traducendâ et spiritualibus alimentis fovendâ plures operarii ac ministri necessarii erant, quam ex solâ religiosorum Societate Iesu haberi poterant) omnibus et singulis Mendicantium Ordinum magistris seu prioribus generalibus tunc et pro tempore existentibus indulsit, ut, cum necessitas postulasset, quoslibet Ordinis sui spectatae vitae et eruditionis religiosos, quos nimirum ad praedicta officia et ministeria idoneos et utiles fore in Domino iudicarent, per Lusitaniam dumtaxat et susceptâ inde navigatione, in Indias et civitatem Goam atque ad superiores Ordinum in illis partibus existentes transmittere; et tam ipsi sic transmittendi, quam alii supradictorum Ordinum religiosi in eisdem Indiarum partibus existentes, et ad hoc munus obeundum a suis magistris, ministris vel prioribus generalibus, seu aliis superioribus electi et approbati, tam ad Iaponicas praedictas, quam ad alias proximas et adiacentes etiam Chinae et finitimorum regnorum et terrae firmae Indiae Orientalis insulas, regiones et provincias accedere possent[2]. Ceterum omnibus et singulis religiosis, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis essent, sub excommunicationis maioris, a qua nonnisi a Romano Pontifice praeterquam in articulo mortis absolvi possent, necnon privationis vocis tam activae quam passivae, ac di-

1 Ad hoc vide Clem. VIII, Constitut. CCXLVI (*al.* 236), *Onerosa*, tom. X, pag. 631; et Paul. V, Const. CV (*al.* 102), *Sedis Apostolicae*, tom. XI, pag. 501.

2 Quas non puto legi in *Bullario* (R. T.).

1 Eius Constit. vide in tom. X, loc. cit. (R. T.).

2 Ex loc. parall. lege *illis* (R. T.).

gnitatum, administrationum et officiorum quorumcumque, necnon inhabilitatis ad illa et alia imposterum obtinenda ac exercenda, poenis ipso facto absque ullâ declaratione incurrendis, interdixit et prohibuit, ne ex insulis Philippinis nuncupatis, sive qualibet aliâ Indiarum occidentalium, vel quae pro partibus Indiarum occidentalium tunc habebantur, parte ad illas pertinente in Iaponicas et alias illis proximas, adiacentes et finitimas insulas, provincias et regiones praedictas, etiam quorumcumque privilegiorum eis vel suis Ordinibus a dicto Clemente et Romanis Pontificibus praedecessoribus suis, sub quibuscumque tenoribus et formis, in genere vel in specie, etiam super facultate praedicandi verbum Dei per universum mundum eâtenus concessorum seu imposterum etiam concedendorum, approbandorum et innovandorum (nisi in illis de prohibitione huiusmodi et interdicto specialis, specifica et expressa mentio cum sufficienti derogatione fieret) aut quovis alio praetextu et quaesito colore proficisci et transire auderent vel praesumerent; et si qui eâtenus vel imposterum secus facerent, postquam moniti essent, statim sub eisdem poenis, omni morâ et excusatione cessante, ad dictas insulas Philippinas vel alias partes Indiarum Occidentalium reverti et redire omnino tenerentur; et ad id per quoscumque iudices ecclesiasticos sub eisdem et aliis eorum arbitrio infligendis poenis cogi et compelli possent.

Subinde Paulus V nonnulla super hoc disposuit in Constitutione citata in nota ad rubricam.

§ 3. Et subinde felicis recordationis Paulus Papa V similiter praedecessor noster [1], accepto, experientiâ compertum esse, quod prohibitio accedendi ad Indias et civitatem Goam aliàs quam per Lusitaniam, nec, qui sperabatur ex eo [2], fructum protulerat, neque catholicae fidei propagationis negotio utilis fuerat, et propterea, ut tantum opus Dei, sublato omni impedimento, libere peragi posset, providere volens, omnibus et singulis Mendicantium Ordinum magistris, ministris seu prioribus generalibus, aut alio quocumque nomine nuncupatis Ordinum capitibus, tunc et pro tempore existentibus, ut, cum necessitas postularet, quoslibet Ordinis sui spectatae vitae et eruditionis religiosos, quos nimirum ad praedicta officia et munia idoneos et utiles fore in Domino iudicassent, ad superiores Ordinum in illis partibus existentes etiam per aliam viam, quam per Lusitaniam, in Iaponicas et alias illis proximas, adiacentes et finitimas insulas, provincias et regiones praedictas, servatâ in reliquis dictarum litterarum Clementis praedecessoris formâ in omnibus et per omnia, et non aliter, transmittere libere et licite valerent, indulsit; et aliàs, prout in Gregorii et Clementis, ac Pauli V praedecessorum praedictorum litteris desuper expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Modo ut facilius Christi evangelium possit praedicari in insulis ac regnis Orientalibus, concedit superioribus quorumcumque Ordinum, ut religiosos ad ipsas provincias mittere possint, etiam per alias vias, quam per Lusitaniam.

§ 4. Cum autem experientiâ plurium annorum compertum fuerit, ordinationes in praedictis litteris contentas non sufficere, easque aliquâ provisione indigere, ut in praedictas insulas et regna felicius ac facilius sacrosanctum Christi Domini evangelium praedicari et propagari possit ac valeat: nos, pro officii nostri debito, post habitam cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus negotio Propagandae Fidei per universum mundum praepositis maturam deliberationem, praefati Pauli praedecessoris nostri litteris inhaerentes, omnibus et singulis religionum cuiuscumque Ordinis aut instituti, etiam Societatis Iesu, magistris, ministris, praepositis seu prioribus generalibus, aut quocumque nomine

1 Eius Constit. vide in tom. XI, pag. 501 (R. T.).
2 Aptius forsan legeretur *ex eâ* (R. T.).

nuncupentur, nunc et pro tempore existentibus, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus, ut, cum eis expedire visum fuerit, quoslibet suarum religionum, Ordinum et instituti religiosos, quos aetate, vitâ, moribus et scientiâ idoneos esse ad missiones iudicaverint, ad praedictas insulas, provincias, regiones et regna Indiae orientalis etiam per alias vias quam per Lusitaniam libere et licite mittere possint ac valeant, servatâ tamen in reliquis praefatarum litterarum Clementis praedecessoris nostri formâ in omnibus et per omnia, et non aliter,

Impedientes huiusmodi accessum excommunicat.

§ 5. Necnon quoscumque ecclesiasticos et religiosos cuiuscumque Ordinis, tam non Mendicantium quam Mendicantium, etiam Societatis Iesu, et seculares, religiosorum, ut praefertur, mittendorum ad insulas, provincias, regiones et regna praedicta accessum huiusmodi impedientes, excommunicationis latae sententiae vinculo innodamus.

Religiosis missis, ut utantur catechismo romano et doctrina christiana cardinalis Bellarminii in instruendis illis gentibus praecipit.

§ 6. Religiosos vero, ut supra mittendos, ac etiam missos, et in praedictis locis nunc degentes, plurimum in Domino hortamur, ut in docendo populos, et praesertim de recenti ad fidem christianam conversos, uniformes sint, ne ob doctrinae diversitatem, praesertim in materiis moralibus, neophyti illi aliquod scandalum patiantur. Et, quia in hac re generalium praefatorum curam et vigilantiam plurimum profuturam arbitramur, eisdem iniungimus, ut praedictos suos religiosos ad servandam praedictam conformitatem saepius adhortentur. Ut autem id facilius succedat, praefati religiosi in instruendis populis praedictorum locorum Indiae Orientalis catechismum Romanum et doctrinam christianam parvam et magnam bonae memoriae Roberti sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Bellarmini nuncupati, in linguas praedictorum populorum translata et impressa[1], si fieri poterit, omnino adhibeant.

Christianis in illis provinciis existentibus recipere posse sacramenta etiam parochialia a quocumque sacerdote ad eos misso indulget, praeter requirentia ordinem episcopalem.

§ 7. Quoniam autem, sicut non sine animi nostri dolore intelleximus, in Iapone a pluribus annis contra christianos, et praesertim religiosos, acerrima persequutio fuit commota, eaque usque ad praesens perdurat et viget, omnibus et singulis christianis nunc in Iapone existentibus, et pro tempore futuris, ut a quibusvis sacerdotibus, ut supra a generalibus eorum illuc missis ac mittendis, quorum copiam habere poterunt, sacramenta (ordinem tamen episcopalem non requirentia) etiam parochialia, durante praesenti rerum statu, suscipere libere et licite valeant, concedimus pariter et indulgemus.

Religiosis huiusmodi missis mercaturam quamvis minimam exercere prohibet sub excommunicatione et aliis poenis ac superconventionibus disponit.

§ 8. Ceterum, quia a sacris canonibus, conciliorum decretis, ac apostolicis constitutionibus, omnibus religiosis, ac etiam aliis ecclesiasticis, praesertim in sacris ordinibus constitutis, mercatura et negotiationes seculares districte prohibentur, ac valde damnosum, indecorum et indecens existit, huiusmodi personas divino cultui mancipatas, ac praecipue illas quae ad praedicandum sacrosanctum Christi Domini evangelium destinatae sunt, praefatis mercaturis et negotiationibus se immiscere aut operam dare, praedictorum sacrorum canonum, ac decretorum, constitutionumque apostolicarum dispositioni inhaerentes, auctoritate apostolicâ, earumdem tenore praesentium, religiosis omnibus cuiuscumque Ordinis et instituti, tam non Mendicantium quam Mendicantium, etiam Societatis Iesu, eorumque singulis, tam in praedictis locis nunc existentibus, quam in futurum ad illa mittendis, omnem et quamcumque mercaturam seu negotiationem, quocumque modo ab eis fieri contingat, sive per se, sive per alios, sive proprio, sive communitatis

1 Male ed. Main l. *translatas et impressas* (R.T).

nomine, directe, sive indirecte, aut quovis alio praetextu, causâ aut colore, interdicimus et prohibemus sub excommunicationis latae sententiae poenâ ipso facto incurrendâ, ac privationis vocis activae et passivae, officiorum ac graduum et dignitatum quorumcumque, etiam inhabilitatis ad ea, et insuper amissionis mercium et lucrorum ex eis; quae omnia a superioribus religionum, ex quibus delinquentes existent, reservanda erunt ad usum missionum, quas eaedem religiones habent et habiturae sunt in futurum in praedictis Indiis, et non in alios usus; eisdem superioribus districte praecipientes sub eisdem poenis, ut in hoc invigilent, et contra delinquentes ad praedictas poenas procedant, sublatâ eisdem facultate huiusmodi delinquentibus aliquid ex dictis mercibus et lucris quantumvis minimum remittendi aut condonandi.

Controversiis oriundis providet, ut minores episcopi cognoscant, graviores Pontifici significent.

§ 9. Quod si forte aliquae controversiae inter religiosos dictarum religionum, quod Deus avertat, oriantur, episcopi locorum praedictorum pro tempore existentes, tamquam Sedis Apostolicae delegati, illas decidant et terminent. Si vero graviora quaedam negotia occurrerint, ea ad nos et Romanos Pontifices et successores nostros quantocitius ab eisdem episcopis referantur, ut quod in illis statui ac decerni debeat, maturâ consultatione adhibitâ, provideri possit; sicque volumus et ordinamus.

Clausulas praeservativas apponit.

§ 10. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari,

Sicque iudicari mandat.

§ 11. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores huius Constitutionis deputat.

§ 12. Mandantes propterea universis et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis ac ceteris ecclesiarum et locorum etiam regularium praelatis per universum orbem constitutis, ut praesentes litteras in suis quisque provinciis, civitatibus, dioecesibus, capitulis et iurisdictionibus ab omnibus inviolabiliter observari, et, quoties ab Ordinum praedictorum religiosis requisiti fuerint, solemniter publicari curent et faciant.

Contraria aufert.

§ 13. Non obstantibus interdicto et prohibitionibus ac litteris dictorum praedecessorum, aliisque praemissis, necnon apostolicis, in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, ac constitutionibus de unâ et duabus dietis, ita quod vigore praesentium, etiam ultra duas [1] dietas quilibet trahi possit, necnon praedictae Iesu, aliarumque religionum, provinciarum et regionum praedictarum, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, eorumque praelatis, superioribus et personis, etiam particularibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine, in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem impor-

1 Edit. Main. habet *duabus* (R. T.).

tantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, hac vice specialiter et expresse, in quantum nostris prohibitioni et interdicto aliisque praemissis adversentur, harum serie derogamus, ac derogatum esse et censeri, neque illa eis ullâtenus suffragari volumus et declaramus; ceterisque contrariis quibuscumque. Declarantes etiam ac decernentes facultatem eligendi posteriorem datam quibusvis Ordinibus, Societatibus, etiam Iesu nuncupatis, et aliis quibuscumque, etiam speciali notâ dignis, concessam, nemini adversus praesentes nostras litteras posse unquam suffragari.

Huius exemplis credi vult.

§ 14. Et quia difficile foret praesentes litteras, ubicumque usus venerit,[1] publicari, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici vel alicuius dictarum religionum secretarii subscriptis, et personae in dignitate ecclesiastica constitutae vel cuiusvis ex generalibus praedictis sigillo munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur[2], si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII februarii MDCXXXIII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 22 februarii 1633, pontif. anno X.

CDLVIII.

Subsidium decem et novem millionum nummorum aureorum in regnis Castellae et Legionis pro rege catholico[3].

1 Coniunct. *et* delemus (R. T.).
2 Edit. Main. legit *adhiberentur* (R. T.).
3 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi catholico, Urbanus Papa VIII,

Charissime in Christo fili noster[1], salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Ad universalis Ecclesiae regimen, meritis licet imparibus, imperscrutabili divinae providentiae iudicio vocati, piorum regum vota vias modosque exquirentium, quibus nefarios hostium orthodoxae fidei ausus reprimi et dissipari valeant, ipsius vero fidei defensioni et propagationi divinique cultus incremento consulatur, libenter exaudimus, et pastoralis officii nostri partes in tam sancto opere favorabiliter interponimus, prout, temporum et rerum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Ecclesiastici regi offerunt solutionem quatuor vectigalium, si Sedis Apostolicae facultas accesserit.

§ 1. Cum itaque, sicut maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, laici subditi regnorum tuorum Castellae et Legionis in eorum novissimis comitiis sive curiis de anno MDCXXXII proxime praeterito habitis (animadvertentes subsidium decem et octo millionum nummorum aureorum, spatio novem annorum ex gabellis seu sisis tunc impositis super vino, oleo, aceto et carne solvendum, aliàs a praedictis subditis tuis pro fidei catholicae defensione et obedientiae erga Romanam Ecclesiam conservatione maiestati tuae oblatum, et a nobis per nostras in simili formâ Brevis sub die XXIX maii MDCXXIX expeditas litteras[2] ad novem annos, sub certis modo et formâ tunc expressis, approbatum et confirmatum, ob nonnullas causas effectum ex tunc de cetero sortiri non posse, imo penitus cessare; tuam vero maiestatem ad reprimendos eiusdem fidei orthodoxae hostium conatus assidue gravissimis sumptibus urgeri, tuaque eraria pene exhausta esse, ita ut, nisi de alio extraordinario, cele-

1 Male edit. Main. legit *nostro* (R. T.).
2 De quibus vide sup. pag. 65 (R. T.).

rique et prompto[1] subsidio provideatur, eosdem sumptus in tam laudabilem et Deo gratam et reipublicae christianae utilem causam convertendos diutius ferre difficile possis) loco praefatorum millionum aliud servitium sive subsidium, ad summam decem et novem millionum nummorum aureorum cum dimidio alterius millionis in totum ascendens[2], spatioque sex annorum, a die primâ mensis augusti anni MDCXXXII proxime praeteriti inchoatorum, trium scilicet millionum et unius quarti alterius millionis huiusmodi pro quolibet anno, solvendum et exigendum ex gabellis seu sisis impositis et auctis super eisdem quatuor speciebus, vini scilicet, olei, aceti et carnis, colligendis et consumendis in dictis regnis Castellae et Legionis, solvendis non solum per ementes et vendentes, sed etiam per eos qui praefatas rerum species percipiunt ex propriis terrenis vel affictibus, aut respective emunt in uvis vel olivis, seu colligunt pro decimis, aut etiam dono accipiunt, seu aliàs ex quovis alio redditu et introitu habent et consumunt, praestare prompte obtulerint, ita ut omnes laici, cuiuscumque gradus, status, conditionis et praeeminentiae, ad id subsidium contribuere, ac gabellas seu sisas huiusmodi solvere deberent, neque ullus laicus immunis esset aut exemptus; ecclesiastici quoque eorumdem regnorum, si et postquam nostra et huius Sanctae Sedis licentia seu approbatio accesserit, in subsidio huiusmodi, scilicet in praedictis gabellis super eisdem quatuor speciebus impositis, et tunc auctis, contribuere, gabellasque seu sisas praedictas, iuxta litterarum nostrarum in formâ Brevis super concessione praedictae licentiae seu approbationis expediendarum formam, continentiam et tenorem, persolvere debeant;

1 Edit. Main. legit *promptu* (R. T.).

2 Male ed. Main. legit *ascendentium* (R. T.).

Hanc eis concedi facultatem rex petit.

§ 2. Et, sicut expositio maiestatis tuae subiungebat, si tantummodo laici subsidium huiusmodi contribuerent, et gabellas seu sisas praedictas solverent, summa praedicta decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis minime conficeretur infra tempus opportunum, quo maiestas tua bellorum contra fidem catholicam ingruentium et praecipue charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Romanorum regis in imperatorem electi in Germaniâ ad reprimendum Svecorum invasiones aliorumque haereticorum conatus bellum ad praesens gerentis necessitatibus subvenire possit, et ad summam praefatam eâ qua expedit celeritate conficiendam facultates laicorum non suppeterent: nobis propterea maiestas tua humiliter supplicari fecit, ut praemissorum confirmationem et approbationem ac licentiam concedere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concedit Pontifex.

§ 3. Nos igitur, nedum promptam et obsequentem eorumdem laicorum subditorum tuorum in te oblationem, verum etiam maiestatis tuae erga praefatam fidem catholicam zelum, et in ope dicto Ferdinando regi in imperatorem electo ferendâ[1] voluntatem commendantes, ac ad ingentes sumptus, quibus maiestas tua propter urgentes et extraordinarias necessitates huiusmodi iugiter premitur, nostrae paternae considerationis intuitum dirigentes, clerum praefatum in solutione gabellarum seu sisarum praedictarum, modo tamen et formâ infrascriptis, hac vice concurrere debere censuimus.

Nonnullis tamen additis conditionibus, quae hic recensentur.

§ 4. Motu igitur proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas ecclesiasticas personas, tam seculares, quam cuiusvis Ordinis, etiam exempti et Apostolicae Sedi imme-

1 Edit. Main. legit *et in ope dicti Ferdinandi regis in imperatorem electi feranda* (R. T.).

diate subiecti, regulares, nec non monasteria utriusque sexus, conventus et collegia, ac capitula ecclesiarum regnorum Castellae et Legionis praefatorum, ac in eisdem regnis commorantium et consistentium[1], ad conferendum et contribuendum prout laici in dicto subsidio decem et novem millionum nummorum aureorum cum dimidio alterius millionis huiusmodi, mediante scilicet solutione praedictarum gabellarum seu sisarum super vino, aceto, oleo et carne in dictis regnis colligendis et consumendis impositarum, et durante sexennio proximo, a dicto primo die augusti MDCXXXII ut praefertur inchoato, dumtaxat, et non ultra, teneri et obbligatos esse (non tamen quoad praefatas quatuor rerum species, quas ex propriis terrenis seu decimis aut aliis quibuscumque redditibus propriis per se vel alios etiam affictuarios suos vel etiam ex eleemosynis percipiunt, et pro divino cultu, seu propriis vel familiarum suarum usibus consumunt, pro quibus omnino immunes et exempti sint); et elapso praedicto sexennio exactio respectu ecclesiasticorum cesset, et nullâtenus quovis praetextu vel causâ continuari possit, etiamsi integra summa praefatorum decem et novem millionum nummorum aureorum cum dimidio alterius millionis huiusmodi adhuc non fuisset exacta; quodque, si ante sexennii huiusmodi finem summa decem et novem millionum nummorum aureorum cum dimidio alterius millionis huiusmodi confecta fuerit, ecclesiastici praedicti amplius contribuere, et dictas gabellas seu sisas, ut praefertur, solvere non debeant, sed praesens gratia expiret, nullaque sit eo ipso, tenore praesentium decernimus; volentes etiam quod omnes et singuli ecclesiastici praedicti solvere recusantes opportunis iuris et facti remediis per Ordinarios ecclesiasticos locorum tantum ad solutionem huiusmodi cogantur, non autem coram iudicibus laicis sive exactoribus earumdem gabellarum sive sisarum, neque quibusvis aliis iudicibus aut ministris (sub poenâ excommunicationis maioris, ac aliis poenis a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis inflictis et comminatis ipso facto incurrendis, a quibus a nemine praeterquam a nobis et Romano Pontifice pro tempore existente absolvi, etiam vigore quorumcumque privilegiorum apostolicorum et cruciatae sanctae nequeant), conveniri nullo modo possint, seu debeant, sed a praedictis Ordinariis ecclesiasticis tantum ad solutionem huiusmodi compelli valeant: quibus Ordinariis, sub interdicti ingressus ecclesiae ac suspensionis, nec non omnibus et singulis maiestatis tuae officialibus et ministris, cuiusvis status, gradus, conditionis, dignitatis et preeminentiae fuerint, ac aliis quibuscumque speciali notâ dignis, etiam Apostolicae Sedis delegatis et commissariis etiam cruciatae praefatae, ceterisque omnibus, aliisque ad quos quomodolibet spectat et pro tempore spectabit, sub praefatae excommunicationis maioris poenâ eo ipso incurrendâ, districte praecipiendo mandamus, ut, divini iudicii memores, ne[1] clerum et ecclesiasticos indebite, neque ultra, praeter aut contra continentiam et tenorem praesentium nostrarum litterarum, gravent quomodolibet, nec a quoquam gravari permittant, et, nedum contra quoscumque contravenientes et quomodolibet inobservantes ad sententiarum, censurarum et poenarum praedictarum declarationem et promulgationem respective, sed etiam contra eosdem ecclesiasticos et regulares, etiam exemptos nobisque et Apostolicae Sedi immediate subiectos, solvere recusantes, ad quamcumque simplicem eorumdem exactorum requisitionem, etiam exequutive, ac qua-

1 Aptius *commorantia et consistentia* (R. T.).

1 Forsan legendum *nec* (R. T.).

cumque appellatione remotâ, auctoritate nostrâ procedant.

Hoc subsidium loco quorumcumque aliorum subsidiorum, decimarum, etc. solvi mandat.

§ 5. Volumus autem quod istud subsidium decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis succedat loco quorumcumque aliorum subsidiorum super millionibus per nos hactenus approbatorum et concessorum, ita quod illorum vigore nihil amplius a quoquam exigi possit; quodque pecuniae, ex praefatis subsidiis et gabellis seu sisis, ut praefertur, a dictis ecclesiasticis exigendae, in praefatos et non alios usus convertantur, super quo maiestatis tuae conscientiam oneramus.

Clausulas necessarias addit.

§ 6. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in quibusvis generalibus conciliis editis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ecclesiis, regnis, personis, capitulis, monasteriis, conventibus et collegiis, et aliis praefatis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda esset, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium-que transumptis credi iubet.

§ 7. Ut autem praesentes nostrae litterae, cum opus fuerit, ad omnium notitiam facilius devenire possint, decernimus, ut eorum exemplis, etiam impressis, manu alicuius publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v martii MDCXXXIII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 5 martii 1633, pontif. anno X.

CDLIX.

Super exemptione cleri regnorum Castellae et Legionis a solutione decimae[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Refert ea, quae statuta sunt in praecedenti Constitutione.

§ 1. Hodie, pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici nobis exposito, quod laici subditi regnorum Castellae et Legionis eiusdem Pilippi regis in eorum comitiis seu curiis de anno MDCXXXII proxime praeterito habitis (animadvertentes subsidium decem et octo millionum nummorum aureorum aliàs a praefatis subditis suis pro fidei catholicae defensione et obedientiae erga sanctam Romanam Ecclesiam conservatione sibi oblatum, et a nobis per nostras in simili formâ Brevis sub die XXIX maii anni MDCXXIX expeditas litteras ad novem annos approbatum et confirmatum, ob non-

1 Ex regest. in Secret. Brev.

nullas causas effectum sortiri non posse, imo penitus cessasse, eumdem vero Philippum regem, ad reprimendum fidei ortodoxae hostium conatus, gravissimis assidue sumptibus urgeri, eiusque aeraria pene exhausta esse, itaut, nisi de alio extraordinario, celerique et prompto subsidio provideretur, idem Philippus rex eosdem sumptus in tam laudabilem ac Deo gratam et Reipublicae Christianae utilem causam convertendos diutius ferre difficile posset [1]), aliud servitium sive subsidium, quod in totum summam decem et novem millionum nummorum aureorum cum dimidio alterius similis millionis, sex annorum a primâ die mensis augusti anni proximi praeteriti MDCXXXII inchoatorum spatio, trium scilicet millionum et unius quarti alterius millionis huiusmodi pro quolibet anno, persolvendorum, conficere deberet ex gabellis sisis nuncupatis aliàs impositis et auctis super vino, aceto, oleo et carne in dictis regnis Castellae et Legionis colligendis et consumendis, non solum per ementes et vendentes solvendis, sed etiam per eos, qui praefatas rerum species percipiunt ex propriis terrenis vel affictibus, aut respective emunt in uvis vel olivis, seu colligunt pro decimis, aut etiam dono accipiunt, seu aliàs ex quovis alio redditu et introitu habent et consumunt, praestare prompte obtulerant; et, postquam nostra et huius Sanctae Sedis licentia seu approbatio accessisset, etiam ecclesiastici eorumdem regnorum in subsidio huiusmodi contribuere, gabellasque seu sisas praedictas, iuxta litterarum nostrarum in formâ Brevis super concessione praedictae licentiae seu approbationis expediendarum formam, continentiam et tenorem, persolvere deberent: nos, ex causis in expositione praedicti Philippi regis expressis inducti, ut scilicet ipse Philippus rex bellorum contra fidem catholicam ingruentium et praecipue charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Romanorum regis in imperatorem electi in Germania ad reprimendum Svecorum invasiones aliorumque haereticorum conatus bellum ad praesens gerentis necessitatibus infra tempus opportunum subvenire posset, ideo, propter urgentes et extraordinarias necessitates huiusmodi, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas ecclesiasticas personas, tam seculares, quam cuiusvis Ordinis, etiam exempti et Apostolicae Sedi immediate subiecti, regulares, necnon monasteria utriusque sexus, conventus et collegia, ac capitula ecclesiarum regnorum Castellae et Legionis praedictorum, ac in eisdem regnis commorantes et consistentes [1], ad conferendum et contribuendum, prout laici, in dicto subsidio mediante solutione praefatarum gabellarum seu sisarum super vino, aceto, oleo et carne in dictis regnis colligendis et consumendis impositarum et auctarum, et durante sexennio proximo a primâ die dicti mensis augusti MDCXXXII inchoato, et non ultra, ac sub certis modo et formâ tunc etiam expressis, eâ vice teneri et obligatos esse decrevimus. Voluimus tamen quod praedictum subsidium decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis succedere deberet loco quorumcumque aliorum subsidiorum per nos hactenus super millionibus approbatorum et concessorum, ita quod illorum vigore nihil amplius a quoquam exigi posset; quodque pecuniae per dictos ecclesiasticos in praefatis gabellis solvendae in praefatos et non in alios usus converterentur, et aliàs, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis hodie expeditis litteris, quarum tenores praesentibus

1 Male ed. M. l. *eumdem... regem... posse* (R. T).

1 Vel *commorantia et consistentia,* ut pagina 326 *a* (R. T.).

haberi volumus pro expressis ac de verbo ad verbum insertis plenius, continetur.

Recenset quoque impositam praeterito anno decimam quamdam super omnes Hispaniarum ecclesiasticos.

§ 2. Cumque aliàs, etiam dicti Ferdinandi regis in imperatorem electi contemplatione et intuitu, ac supplicationibus ipsius Philippi regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, per alias similiter nostras sub die v februarii dicti anni MDCXXXII expeditas litteras[1] unam semel persolvendam decimam, quae in totum ad summam sexcentorum millium ducatorum monetae Hispaniarum ascenderet, iuxta taxam seu repartitionem a venerabili fratre Caesare patriarcha Antiocheno, nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio, faciendam, omnium fructuum, redditnum et proventuum, obventionum et emolumentorum ac distributionum quotidianarum, necnon pensionum annuarum cleri secularis et quorumvis Ordinum, institutorum, et societatum, ac militiarum quarumcumque (non tamen hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani) regularis, non solum Castellae et Legionis, sed etiam aliarum provinciarum et ditionum Hispaniarum et insularum illis adiacentium, ac aliàs sub certis modo et formâ similiter tunc expressis indixerimus et imposuerimus:

Ecclesiasticis regnorum Castellae et Legionis, si quid nomine huius decimae solverint, restitui iubet;

§ 3. Considerantes praefatum servitium sive subsidium decem et novem millionum nummorum aureorum cum dimidio alterius millionis huiusmodi non modo praefatam concessionem super similibus millionibus a nobis de anno MDCXXIX sed etiam quascumque alias concessiones et gratias super aliis milionibus per quosvis Romanos Pontifices praedecessores nostros regibus Hispaniarum eiusdem Philippi regis praedecessoribus ac eidem Philippo regi respective factas excedere, ac sublevationi cleri regnorum Castellae et Legionis consulere, et, ne clerus praedictus duplici excessivoque onere, millionum scilicet et decimae huiusmodi, gravetur, providà ratione praecavere volentes, motu, scientià et deliberatione ac potestatis plenitudine similibus, ratam et quantitatem, quam illi de dicto clero eorumdem regnorum Castellae et Legionis (exceptis tamen infrascriptis) hactenus et imposterum ratione praefatâ[1] decimae solverint, eidem clero regnorum Castellae et Legionis, scilicet praefatis qui illam solverint, modo tamen et formâ sequentibus, restituendam esse et restitui debere decernimus et mandamus; onusque eamdem ratam ut praefertur restituendi, tenore praesentium, super clero aliorum regnorum, provinciarum, seu ditionum, ac insularum praefatae decimae solutioni obnoxiarum, qui in solutione subsidii praedictorum novem et decem millionum cum dimidio alterius millionis nihil omnino conferunt, iniungimus et imponimus.

Totamque decimam super ceteros Hispaniarum ecclesiasticos dividi.

Mandata hac de re nuncio apostolico dat.

§ 4. Quocirca eidem Caesari patriarchae moderno et pro tempore existenti nuncio huiusmodi per praesentes committimus et mandamus, ut eamdem ratam decimae, iuxta formam praefatarum litterarum persolutam et persolvendam per praefatos de clero ipsorum regnorum Castellae et Legionis, a clero praefatorum aliorum regnorum, provinciarum et ditionum ac insularum eiusdem decimae solutioni obnoxio, iuxta taxam et repartitionem ab eodem nuntio faciendam, iuris ac facti remediis, ac sub sententiis, censuris et poenis eius arbitrio infligendis et moderandis, etiam exequutive, ac omni et quacumque appellatione, reclamatione et recursu remotis et sublatis, per se suosque delegatos exigat et exigi faciat, illamque eidem clero ipsorum regnorum Castellae et Legionis, scilicet illis, qui (exceptis tamen, ut praefertur, infrascriptis) illam solverint, restituat, ac restitui faciat realiter et cum effectu.

1 Quas vide sup. pag. 272 (R. T.).

1 Aptius *praefatae* (R. T.).

Nonnullos a restitutione eximit.

§ 5. Sub hoc autem decreto et mandato de restituendâ ratâ dictae decimae solutâ et solvendâ comprehendere nolumus praeceptores, baiulivos et priores Ordinum militiarum praedictarum regnorum Castellâe et Legionis, neque episcopos, archiepiscopos, metropolitanos et primates eorumdem regnorum Castellae et Legionis, qui praedictae decimae solutioni consenserint, nec quatuor sanctae Romanae Ecclesiae cardinales in Romanâ curiâ praesentes, ac ecclesiastica beneficia et seu pensiones quascumque in praedictis regnis Castellae et Legionis obtinentes, qui pro concessione approbationis subsidii praefati decem et novem millionum cum dimidio apud nos efficaciter iteratisque officiis institerunt, minusque eorumdem regnorum Castellae et Legionis monasteria, conventus, collegia et loca regularia, praeterquam sanctimonialium, eorumque praepositos, superiores et personas regulares, qui et quae praefatam decimam solvere conventualiter vel aliâs iuxta eorum solitum stilum consenserint, quibus nihil restituendum esse declaramus. Ut autem clerus regnorum, provinciarum seu dominiorum ac insularum solutioni dictae decimae obnoxius ex impositione huiusmodi oneris restituendi seu solvendi ratam dictae decimae praefato clero regnorum Castellae et Legionis minus, quantum fieri potest, gravetur, volumus praefato oneri restituendi minime subiacere hospitalia hospitalitatem actu exercentia, ecclesias et loca pia quaecumque ex eleemosynis dumtaxat viventia, ac rectores parochialium ecclesiarum, quarum centum [1], alia vero beneficia obtinentes, et in aliquo ex eis residentes, quorum insimul quadraginta ducatos auri de camerâ fructus, redditus et proventus annuatim non excedunt.

1 Pessime edit. Main. habet *certum* (T. R.).

Terminum trium annorum praefinit ad restituendum.

§ 6. Et ut ceteri de dicto clero regnorum, provinciarum seu ditionum et insularum huiusmodi facilius hoc novum onus sustinere valeant, illis terminum annorum trium, vel quatuor, aut quinque, arbitrio eiusdem nuncii incipiendum, ad restituendam praedictam ratam decimae in annuis aequalibus et distinctis solutionibus per eumdem nuncium proportionabiliter assignandis concedimus.

Finitâque exactione huiusmodi onus sublatum esse declarat.

§ 7. Volumus autem, quod finitâ exactione praedictae decimae sexcentorum millium ducatorum monetae Hispaniae, ac finitâ praedictâ restitutione, gravamen praefatum impositionis et restitutionis cesset eo ipso sine spe illius prorogationis vel novae concessionis.

Clausulae.

§ 8. Decernentes, praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 9. Non obstantibus praemissis, ac omnibus illis, quae in singulis litteris praefatis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 10. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitae, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v martii MDCXXXIII, pontificatus nostri anno x.

Dat. die 5 martii 1633, pontif. anno x.

CDLX.

Confirmatio transactionis initae inter dominos cardinales ab Harrach et Pallottum, Summi Pontificis delegatos, et Ferdinandi imperatoris plenipotentiarios, super bonis ecclesiasticis regni Bohemiae; qua quidem transactione praedicta bona, crassante eo in regno haereticorum rebellione usurpata, regi conceduntur; ecclesiasticis autem certa pars vectigalis, quod salis *appellatur, adiudicatur*[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Sancta mater Ecclesia, super fundamentum Apostolorum et Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu aedificata, non modo aeterni sacerdotii dignitate ab ipso Christo insignita est, verum etiam in vestitu deaurato circumdata varietate, temporalium bonorum possessione exornata, ut nec pulchritudini deessent ornamenta, nec maiestati praesidia. Quapropter apostolica Romanorum Pontificum sollicitudo non in iis tantum prospiciendis versatur, quae spiritualis traditae sibi caelitus potestatis munia respiciunt, verum etiam ad ea pastoralis vigilantiae suae partes sedulo intendit, per quae bonorum temporalium earumdem ecclesiarum conservationi, quantum cum Domino fieri potest, opportunâ ratione providetur.

Ferdinando imperatore ecclesiarum ab haereticis direptarum bonis consulente,

§ 1. Aliàs siquidem, cum, concitatâ retroactis temporibus in regno Bohemiae per principes et potestates tenebrarum rebellione, furentibusque etiam armatâ haeresi seditionibus bellisque intestinis, multa bona et iura ecclesiastica partim direpta, partim occupata et usurpata fuissent, et tunc temporis detinerentur, ac[2] charissimus in Christo filius noster Ferdinandus Romanorum rex in imperatorem electus, pro suo avito et spectato religionis et fidei catholicae zelo profligatis, auxiliante Domino Deo exercituum, rebellibus haereticis, sedatisque armorum motibus fidei praedictae in dicto regno et illi adiacentibus provinciis, bonorumque ecclesiasticorum restitutioni totis viribus incumberet:

Urbanus cardinalibus ab Harrach et Pallotto facultatem concedit cum eo transigendi cleri secularis et regularis nomine.

§ 2. Nos, ex causis tunc expressis, dilectis filiis nostris Ernesto Adalberto ab Harrach, ecclesiae Pragensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesuli, nec non tunc nostro et Apostolicae Sedis apud eumdem Ferdinandum regem in imperatorem electum nuncio Ioanni Baptistae, S. R. E. presbyteris cardinalibus, Pallotto, respective nuncupatis, super bonis, decimis, primitiis, rebus, iuribus et actionibus quibuscumque ecclesiasticis regni Bohemiae praedicti (non tamen ad hospitale S. Ioannis Hierosolymitani quomodolibet spectantibus) cuiuscumque qualitatis, quantitatis et valoris fuissent, ac quocumque praetextu vel causâ occupata et usurpata essent, et detinerentur, tam nostro et eiusdem Sanctae Sedis quam cleri secularis et regularis eiusdem regni nominibus, cum praedicto Ferdinando Romanorum rege in imperatorem electo conveniendi, concordandi et transigendi, ac de eisdem bonis disponendi, prout ad fidei catholicae in eodem regno propagationem et manutentionem eisdem expedire visum fuisset (reservatâ tamen nobis et eidem Sedi de bonis, iuribus et redditibus vigore litterarum nostrarum desuper confectarum assignandis[1] nostro et dictae Sedis arbitrio ad Dei servitium et ecclesiarum dicti regni utilitatem disponendi omnimodâ facultate et potestate) plenam et liberam potestatem et auctoritatem apostolicâ auctoritate concessimus et impartiti sumus,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Coniunct. *ac* nos addimus, nam durat adhuc regimen perdens a particula *cum* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *assignandi* (R. T.).

et aliàs, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis et in infrascripto instrumento insertis litteris plenius continetur.

Qui concordiam inierunt.

§ 3. Cum autem, sicut accepimus, Ernestus et Ioannes Baptista cardinales praedicti, in vim litterarum nostrarum huiusmodi, unâ cum dilectis filiis Maximiliano comite de Thautmansdorff, Gulielmo comite Slavata, et Othone libero barone de Hostitz, ab eodem Ferdinando rege in imperatorem electo ad hoc specialiter deputatis, ad certam inter se conventionem super bonis, decimis, primitiis, rebus, iuribus et actionibus ecclesiasticis regni praedicti devenerint, prout plenius continetur in instrumento publico desuper confecto, tenoris subsequentis, videlicet:

Instrumenti transactionis tenor.

Concordiae tenor.

In nomine Domini. Amen. Cum (recuperato regno Bohemiae ex singulari Dei beneficio per sacram caesaream maiestatem serenissimum et invictissimum principem dominum Ferdinandum, huius nominis secundum, Romanorum regem in imperatorem electum, eumdemque dictae Bohemiae regem, ac omnibus haeresum ministris inde eiectis, catholicaeque religionis cultu et exercitio inibi restituto) pro parte ecclesiasticorum dicti regni multae quidem, ut asseritur, praetentiones et controversiae contra et adversus reges[1] et cameram dicti regni et quamplures dicti regni duces, principes, comites, barones, equites, civitates, communitates, et alios quoscumque subditos regni, bona ecclesiastica in dicto regno possidentes (possessionatos vulgo nuncupatos), de et super eorumdem bonorum ecclesiasticorum ad ecclesias, monasteria, tam virorum quam mulierum, aliaque beneficia ecclesiastica, tam secularia quam regularia, spectantium et grassante haeresi in dicto regno diversimode alienatorum recuperatione, ac illorum et fructuum perceptorum restitutione, rebusque aliis, motae et deductae fuerint et in dies moveantur et deducantur; illa autem, ob temporis antiquitatem et praetensas praescriptiones, aliasque exceptiones, quae pro eorumdem possidentium parte obiiciuntur, difficiles ad in iudicio prosequendum detegantur, itaut non, sine diuturnis inextricabilibusque et dispendiosis litibus ac magno catholicae religionis in eo regno restituendae stabiliendaeve detrimento, terminari posse videantur: proinde, negotio ad Sanctissimum Dominum nostrum Urbanum divinâ providentiâ Papam VIII delato, iussuque Sanctitatis Suae desuper communicato consilio, primo, mediantibus illustrissimo et reverendissimo domino Ernesto presbytero cardinale ab Harrach archiepiscopo Pragensi et illustrissimo domino Carolo Caraffa episcopo Aversano tunc apud sacram caesaream maiestatem praefatam Suae Sanctitatis et sanctae Sedis Apostolicae nuncio, cum eâdem sacrâ caesareâ maiestate Ferdinando imperatore et rege praedicto in ecclesias ecclesiasticasque personas beneficentissimo et in haeresibus extirpandis catholicâque religione in dicto regno restituendâ stabiliendâque studiosissimo, et deinde etiam in sacrâ congregatione illustrissimorum et reverendissimorum dominorum S. R. E. cardinalium super Fide Propagandâ deputatorum, tandem, post plures tractatus et maturas consultationes desuper habitas, in eam deliberationem communi voto deventum fuit, ut, ad longas, dispendiosas et inextricabiles lites, quae desuper verisimiliter exoriri possent, praecidendas, simulque ecclesiarum, monasteriorum ac beneficiorum ecclesiasticorum dicti regni indemnitati, ac praefati imperatoris, uti regis dicti regni, ducum, principum, co-

Nonnulli ecclesiarum bona detinebant.

Sed cum difficile esset ea in iudicio evincere ob temporis diuturnitatem;

De consilio sacrae Congregationis de Propaganda Fide,

1 Videretur legendum *regem* (R. T.).

mitum, baronum, equitum, nobilium, civitatum, communitatum, et aliorum quorumcumque subditorum regni, bona ecclesiastica ut praefertur possidentium, conscientiis consulendum, catholicam fidem et religionem in ipso regno confirmandam, augendam et conservandam, ac pro bono publico quietis et pacis inter ecclesiasticos et laicos regni supradicti, mutua conventio fiat, per quam idem serenissimus dominus Ferdinandus imperator electus, uti Bohemiae rex, nomine suo suorumque in eodem regno Bohemiae haeredum et successorum quorumcumque in perpetuum, Sanctissimo Domino nostro Papae Urbano VIII et sanctae Sedi Apostolicae, et, pro illis, illustrissimo et reverendissimo domino Ernesto S. R. E. presbytero cardinali ab Harrach archiepiscopo Pragensi et illustrissimo et reverendissimo domino Ioanni Baptistae S. R. E. presbytero cardinali Pallotto archiepiscopo Thessalonicensi, nuntio apostolico, plenipotentiariis a Suâ Sanctitate deputatis, in beneficium Ecclesiae et catholicae religionis universique cleri in supradicto Bohemiae regno, perpetuum annuum redditum quindecim cruciferorum, quartam partem unius floreni Rhenensis constituentium, super quolibet modio salis, quem vulgo Grosskueffen vocant, quod in praefatum regnum Bohemiae undequaque introducetur, vel in ipso Bohemiae regno effodietur, seu excoquetur, vel aliàs quomodolibet conficietur (si quando salis fons seu salina in dicto Bohemiae regno in usum veniat), in favorem eorumdem ecclesiasticorum, ac per ministros et officiales eorum nomine deputandos a kalendis praesentis mensis martii et ab inde in posterum in perpetuum exigendum, realiter et cum effectu tradet atque assignet; vicissim vero, pro parte praedictorum ecclesiasticorum, iura quae ipsi habent et eis competunt supra et pro infradicendis bonis ecclesiasticis, ut infra, alienatis aut oppignoratis et possessis, in favorem praedicti serenissimi domini Ferdinandi imperatoris electi, uti Bohemiae regis, suorumque in eodem Bohemiae regno haeredum et successorum quorumcumque in perpetuum catholicorum legitime intrantium, et quibus ipse serenissimus dominus Ferdinandus et praedicti eius haeredes et successores Bohemiae reges dederint, simpliciter, perpetuo, ex causâ assignationis ac mutuae conventionis praedictae cedantur et concedantur (modo tamen et formâ, ac sub reservationibus, conditionibus et pactis infra latius descriptis, contentis et annotatis), quam quidem conventionem Sanctissimus Dominus Noster ex causis supradictis, ac de eiusdem sacrae congregationis sententiâ probavit.

Deventum est ad concordiam.

Qua statuitur ut certa pars vectigalis, quod eo in regno pro sale solvitur, ecclesiasticis adiudicetur.

Hinc est quod anno a Nativitate eiusdem Domini millesimo sexcentesimo trigesimo, indictione decimatertiâ, die vero octavâ mensis martii, pontificatus praedicti Sanctissimi Domini nostri Urbani divinâ providentiâ Papae[1] VIII anno VII, regnorum autem serenissimi domini Ferdinandi imperatoris electi, Romani XI, Hungarici XII et Bohemici XIII, in nostrum notariorum in solidum rogatorum praesentium ad haec specialiter vocatorum et adhibitorum praesentiâ praesentes et personaliter constituti

Illustrissimus et reverendissimus dominus Ernestus S. R. E. presbyter cardinalis ab Harrach, archiepiscopus Pragensis, ac illustrissimus et reverendissimus dominus Ioannes Baptista S. R. E. presbyter cardinalis Pallottus, archiepiscopus Thessalonicensis, eiusdem Sanctissimi Domini nostri et sanctae Sedis Apostolicae apud sacram caesaream maiestatem praedictam cum facultate de latere legati nuncius, ex unâ, ad haec et infrascripta a praelibato Sanctissimo Domino nostro Papa

1 Edit. Main. legit *Papa* (R. T.).

per eius litteras apostolicas in formâ Brevis sub datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die VII mensis iulii anni MDCXXIX, pontificatus sui anno VI, cum amplissimâ facultate deputati, prout docuerunt per litteras praedictas, quas originaliter nobis notariis in solidum rogatis tradiderunt et consignarunt ad effectum praesenti instrumento inserendi et registrandi, infrascripti tenoris, videlicet:

Pontificium Breve, quo delegatis apostolicis facultas conceditur concordiae instrumentum stipulandi.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam. Inter gravissimas, multiplicesque apostolicae servitutis curas, quibus pro nostri pastoralis officii debito iugiter angimur, illa nos praecipue sollicitos habet, ut sacrosanta fides catholica, dispersis atque conculcatis inimici hominis zizaniis, ubique gentium inviolata vigeat et propagetur, haeresesque et alii damnati errores e mentibus christifidelium, ubi peccatis hominum facientibus irrepserunt, per immensam Dei bonitatem penitus evellantur. Quapropter nos, qui militantis Ecclesiae regimen, omnimodamque universi dominici gregis a Christo Domino curam in beatissimo Petro apostolorum principe accepimus, etsi nos ad omnium salutem procurandam debitores agnoscamus, iis tamen provinciis peculiari vigilantiâ studium impendimus, quae, dexterâ Dei faciente virtutem, e manibus haereticorum non ita pridem ereptae opem et operam nostras magis implorare dignoscuntur, piosque catholicorum principum conatus atque desideria ad id tendentium favoribus et gratiis prosequimur opportunis. Cum itaque, concitatâ retroactis temporibus in regno Bohemiae per principes et potestates tenebrarum rebellione, furentibusque cum armatâ haeresi seditionibus, bellisque intestinis, multa bona et iura ecclesiastica partim direpta et partim occupata et usurpata fuerint, et ad praesens detineantur, charissimus vero in Christo filius noster Ferdinandus Romanorum rex in imperatorem electus, pro suo avito et spectato religionis et fidei catholicae zelo, profligatis, auxiliante Domino Deo exercituum, rebellibus haereticis, sedatisque armorum motibus, fidei praedictae in dicto regno et illi adiacentibus provinciis bonorumque ecclesiasticorum restitutioni totis viribus incubuerit[1], et eorumdem haereticorum conversioni, haeresumque praedictarum extirpationi piâ sollicitudine iugiter invigilet: nos (sperantes[2] negotium restitutionis, extirpationis et conversionis praedictarum eo faciliores progressus habiturum fore, quo maior in ecclesiarum, bonorum et iurium possessionibus, in dictis regnis et provinciis, praeteritorum temporum huiusmodi confusione, ut praefertur, occupatis, usurpatis et detentis, nedum benignitas et indulgentia ab hac Sanctâ Sede ostendatur, sed etiam indemnitati ecclesiarum praedictarum, quantum cum Domino possumus, consulatur; nobisque persuadentes praedictum Ferdinandum Romanorum regem in imperatorem[3] electum, ob praeclaram[4] eius in nos et Sanctam Sedem observantiam, atque in reductione regni et provinciarum huiusmodi ad eiusdem Ecclesiae gremium et verae fidei praedictae confessionem nostramque et pro tempore existentis Romani Pontificis obedientiam singulare studium, infrascriptâ facultate, tamquam materie[5] suae pietatis exercendae usurum, eamque ostensurum tam in ecclesiis, monasteriis et locis piis, quae adhuc extant, conservandis et manutenendis, quam dirutis et eversis in dies instaurandis, occupatisque recuperandis, hisque sufficienter dotandis, ac reliquis denique

1 Potius legeretur *incumbat* (R. T.).
2 Pessime edit. Main. legit *speramus* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *imperatorum* (R. T.).
4 Edit. Main. habet *praeclarum* (R. T.).
5 Male edit. Main. legit *materiae* (R. T.).

vulneribus, quae eorumdem temporum confusione ecclesiae ipsae maxima acceperunt, medendis et sanandis), de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotium propagandae in universo mundo fidei praepositorum consilio, dilecto filio nostro Ernesto Adalberto S. R. E. presbytero cardinali ab Harrac nuncupato, ecclesiae Pragensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesuli, necnon venerabili fratri Ioanni Baptistae archiepiscopo Thessalonicensi, nostro et Sedis Apostolicae praedictae apud eumdem Ferdinandum regem in imperatorem electum nuncio, super bonis, decimis, primitiis, rebus, iuribus et actionibus quibuscumque ecclesiasticis regni Bohemiae praedicti (non tamen ad hospitale S. Ioannis Hierosolymitani quomodolibet spectantibus) cuiuscumque qualitatis, quantitatis et valoris fuerint, ac quocumque praetextu vel causâ occupata et usurpata sint et detineantur, tam nostro et eiusdem Sanctae Sedis quam cleri secularis et regularis eiusdem regni nominibus, cum praedicto Ferdinando Romanorum rege in imperatorem electo conveniendi, concordandi et transigendi, ac de eiusdem bonis disponendi, prout ad fidei catholicae in eodem regno propagationem et manutentionem eisdem expediri visum fuerit (reservatâ tamen nobis et eidem Sedi de bonis, iuribus et redditibus vigore praesentium assignandis nostro et dictae Sedis arbitrio ad Dei servitium et ecclesiarum dicti regni utilitatem disponendi omnimodâ potestate et facultate) plenam et liberam potestatem et auctoritatem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impartimur. Non obstantibus nostris de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, et exprimendo valore beneficiorum, ac de non tollendo iure quaesito, aliisque cancellariae apostolicae regulis, necnon piae memoriae Simmachi, quae incipit *Non liceat,* ac Pauli II, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiae non alienandis, ac quibusvis aliis apostolicis, nec non in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac quarumcumque ecclesiarum, monasteriorum et bonorum[1] piorum fundationibus, ac, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet, concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII mensis iulii MDCXXIX, pontificatus nostri anno VI. — M. A. MARALDUS:

Mandatum Ferdinandi imperatoris suis delegatis.

Et illustrissimi domini Massimilianus comes de Thautmansdorff (baro de Gkichemberg, Negars, Burgass et Totzenbach in Bischoffteinitz Mirschass et Iselcetzionitz, sacrae caesareae maiestatis consiliarius arcanus actualis et camerarius), Gulielmus quoque comes Slavata (gubernator domus Novodomensis d'Nlum et Koselemberg dominus in Heulaus Platz Skoselemberg et Teltscl hypothecarius possessor dominii Sllelnicensis, praefatae caesarae maiestatis consiliarius arcanus actualis et camerarius, eiusdemque uti regis in haereditario regno Bohemiae supremus cancellarius, necnon supremus in eodem regno haereditarius pincerna), et Otto liber baro de Hostitz Infalihaff Heinrisgrin et Schocha et Linair (supradictae caesareae maiestatis consiliarius imperialis, aulicus, camerarius, necnon germanicus in haereditario regno

1 Forsan legendum *locorum* (R. T.).

Bohemiae vice cancellarius) ex alterâ partibus, ad haec et infrascripta ab eâdem sacrâ caesareâ maiestate serenissimi Ferdinandi imperatoris et regis per publicum mandatum seu patentes litteras imperiales sub datum Viennae die XVI februarii anno MDCXXX, regnorum eiusdem Romani XI Hungarici XII et Bohemici XIII, cum amplissimâ facultate pariter deputati, prout similiter docuerunt per publicum mandatum seu litteras imperiales antedictas, quod seu quas nobis, ad effectum praesenti instrumento inserendi et registrandi, tradiderunt et consignarunt, tenoris infrascripti, videlicet:

Nos Ferdinandus II, divinâ favente clementiâ electus Romanorum imperator, semper augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae rex, archidux Austriae, dux Burgundiae, marchio Moraviae, dux Lucemburgiae, et inferioris et superioris Silesiae, Barbantiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae Wirtembergae et Thechae, princeps Sveviae, marchio inferioris et superioris Lusatiae, comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi et Goritiae, lantyravius[1] Alsatiae, marchio sacri romani imperii, Burgoricae dominus, marchiae Sclavonicae, portus Naonis et Sabinarum, recognoscimus et notum facimus, tenore praesentium, omnibus et singulis, inter mala, quae plurima secum vehit haeresis, hoc in primis adesse solere compertum, quod, ubi ea invaluit, ibi, pleraque quidem alia agi omnia fierique praepostere, ea vero, quae Deo et ecclesiis, earumque ministris ad veri[2] cultus conservationem data et consacrata sunt, in omnes alios usus rapi ferrique et profanari solent; veluti superiori[3] proximo, eoque, quod illud antecessit, seculo, in haereditario nostro Bohemiae regno accidit, in quo, cum, partim aliunde illati, partim in eius ipsius gremio nati, altique perniciosi quidam[1] in fide errores inolevissent, ea cum ipsis fere omnium rerum confusio, ecclesiarum quam maxime[2] et rerum ad eas pertinentium direptio, alienatio et distractio insequuta est, cui plures antecessorum nostrorum Romanorum imperatorum eorumdemque Bohemiae regum tametsi pro suâ in Deum pietate remederi voluisse admodum sit credibile, non potuisse tamen ex eo fit verisimile, quia, quod voluisse credimus, non perfecisse videmus, iniquitate nimirum hominum, temporumque necnon bellorum necessitatibus impeditos[3], imo forte similibus interdum alienationis actibus quae perperam ab aliis facta approbare coactos. Nos igitur, quibus, gloriosâ a Deo concessâ victoriâ, praedictum haereditarium regnum nostrum ab haeresibus purgare et in meliorem statum vendicare datum est, tametsi eodem favente et auxiliante Deo ea gesserimus, quibus sancta solaque salvifica catholica religio nostra tuta in hoc regno esse possit, tametsi etiam, ut in alios eiusdem regni ordines, ita in ecclesiasticum praecipue statum eximia tum beneficia tum ornamenta liberali et largâ manu contulerimus, quibus ille, si non contentus esset, certe suum per iniuriam ante amissorum dolorem abunde solari possit, nihilominus, cum nihil nobis antiquius sit, quam ea procurare et agere, quibus non ipsi tantum nos, nostrique in haereditario nostro Bohemiae regno haeredes et successores quicumque in perpetuum, liberiores in conscientiâ, verum in foro etiam externo contra lites et querelas super bonis et iuribus huiusmodi, per iniuriam temporum, ut praefertur, ab Ec-

1 Forsan legendum *landgravius* (R. T.).
2 Edit. Main. habet *vere*.
3 Edit. Main. legit *superioris* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *quidem* (R. T.).
2 Legerem *ecclesiarumque maxime* (R. T.).
3 Perperam ed. Main. legit *impeditus* (R. T.).

clesiâ abstractis et avulsis, motas vel movendas quietiores esse possimus, possessorum quoque, qui ea nunc tenent, omnimodae securitati contra quorumcumque possidentium actiones consulere volentes, tum et culpam[1], si qua[2] hac in re contracta est, omnimode abolere cupientes, in primis vero ac praecipue ad maius incrementum praefatae sanctae catholicae fidei et religionis nostrae, transactionem firmam, securam et perpetuam super bonis et iuribus eiusmodi faciendam et consulendam duximus. Ac proinde, communicato cum beatissimo domino nostro Urbano huius nominis VIII divinâ providentiâ sanctae Romanae et universalis Ecclesiae summo Pontifice hac super re et intentione nostrâ consilio, intellectâque propensâ ad hoc ipsum et piâ[3] Suae Sanctitatis voluntate, sicut eadem Sua Sanctitas ad hoc negotii tractandum et transigendum ex suâ parte plenipotentiarios mandatarios et commissarios suos iam tum sub datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII iulii MDCXXIX, constituit, ita nos quoque, maturâ prius habitâ cum proceribus et nobilibus consiliariis nostris hac super re deliberatione, ex nostrâ parte tamquam haereditarius Bohemiae rex nostro et haeredum ac successorum nostrorum quorumcumque in perpetuum in eodem regno Bohemiae nomine, plenipotentiarios nostros illustres, ac generosum[4] fideles, nobis dilectos, videlicet, consiliarium arcanum actualem ac camerarium nostrum Maximilianum comitem de Chautmansdorff[5] (baronem de Gleichemberg, Negass, Burgass et Chotzenbach in Biscoffteimitz, Mirselass et Trchcetzioffitz) Gulielmum quoque comitem Slavatam (gubernatorem domus Novodumensis de Klum et Koscheberg, dominum Neuhaus Blatz Koschemberg, et Teltsech, hypothecarium in possessorem dominii Melnicensis, consiliarium arcanum actualem camerarium, nostrumque ut regis in haereditario regno nostro Bohemiae supremum cancellarium, necnon supremum quoque in eodem regno haereditarium pincernam) tum et Ottonem liberum baronem de' Hostitz in Falkenart, Heinrisgrisi, et Schoccha et Linass (consiliarium imperialem nostrum aulicum camerarium, necnon germanicum in haereditario nostro regno Bohemiae vicecancellarium) deputare et constituere voluimus, prout adeo praesentium tenore eosdem plenipotentiarios, mandatarios et commissarios nostros deputamus atque constituimus, plenam atque liberam potestatem iisdem dantes atque concedentes nostro, tamquam Bohemiae regis, nostrorumque haeredum et successorum quorumcumque in perpetuum nomine, cum praedictis Suae Sanctitatis plenipotentiariis conveniendi, concordandi et transigendi de et super iuribus, actionibus et praetensionibus, quae et quas clerus tam secularis quam regularis praedicti nostri regni Bohemiae habet, seu habere praetendit, super bonis stabilibus, decimis, primitiis, aliisque rebus ecclesiasticis in eodem regno usurpatis, occupatis seu alienatis, necnon pro cessione[1] iurium, actionum et praetensionum vigore conventionis, concordiae seu transactionis, ut praefertur, ab iisdem plenipotentiariis nomine Sanctissimi Domini nostri et sanctae Sedis Apostolicae, universique dicti regni cleri recipiendâ[2], et in illorum compensationem bona quaecumque, etiam stabilia, iura, actiones, redditus ac proventus, cuiuscumque naturae, valoris, quantitatis et qualitatis fuerint, quocumque nomine

1 Male edit. Main. legit *culpa* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *piae* (R. T.).
4 Emenda, benigne lector, si putas (R. T.).
5 Lect. Main., prout est, in seqq. nomin. et tit. damus (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *processione* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *recipiendae* (R. T.).

nuncupentur, etiamsi ex regularibus, ac quantumvis privilegiata et necessario declaranda seu hîc vel alibi exprimenda forent, pleno iure, etiam irrevocabiliter et in perpetuum, Sanctissimo Domino nostro Papae Urbano VIII, et sanctae Sedi Apostolicae, ac, pro illis, plenipotentiariis a Suâ Sanctitate, ut praefertur, nominatis[1] et deputatis in[2] beneficium Ecclesiae et solius salvificae catholicae religionis universique cleri in supradicto haereditario nostro regno Bohemiae cedendi, consignandi, atque tradendi realiter et cum effectu in ampliore et validiore formâ (ratum, gratumque et firmum habituri quidquid hi praenominati plenipotentiarii nostri, nostro et haeredum ac successorum nostrorum quorumcumque in perpetuum in eodem regno nomine, cum praememoratis Suae Sanctitatis plenipotentiariis hoc in negotio et dictâ transactionis causâ egerint, fecerint, concordaverint, transegerint, in toto et in parte, nunc pro tunc, et tunc pro nunc, non secus quam si id totum ipsimet[3] nos per nosmetipsos egissemus, fecissemus, accordassemus et transegissemus, quibuscumque salutaribus exceptionibus iuris ac legum auxilio nobis hac de causâ competentibus expresse renunciantes), fide imperatoriâ regiâque, harum vigore et testimonio litterarum, manus nostrae subscriptione et sigilli caesarei regiique appensione roboratarum, quae dabuntur[4] in civitate nostrâ Viennae die XVI februarii anno MDCXXX, regnorum nostrorum Romani[5] XI, Hungarici XII et Bohemici XIII.

FERDINANDUS, etc.;

[6] GULIELMUS comes SLAVATA regni Bohemiae S. cancellarius;

1 Perperam ed. Main. legit *in nominatis* (R.T).
2 Heic potius addimus praepositionem *in* (R.T).
3 Edit. Main. legit *ipsemet* (R. T.).
4 Forsan legendum *dabantur* vel *dantur* (R.T).
5 Edit. Main. legit *Romanorum* (R. T.).
6 Deest subscriptio *Maximiliani* (R. T.).

C. L. S. OTTO, liber baro de Hostitz;

Ad mandatum sacrae caesareae maiestatis proprium,

IOANNES VALDERODE.

Volentes ad infrascriptam conventionem devenire, et, prout ad unumquemque ipsorum dictis nominibus et uti deputatos spectat et pertinet, in praemissis tractata exequi et adimplere, et desuper publicum et solemne instrumentum ad perpetuam rei memoriam conficere et celebrare,

In primis dicti illustrissimi domini, dominus Maximilianus comes de Chautmansdorff etc., dominus comes Slavata etc., dominus Octo[1], liber baro de Hostitiz etc., deputati serenissimi domini Ferdinandi imperatoris et regis praedicti, in vim facultatibus sibi ut[2] supra concessae et attributae, nomine dicti serenissimi domini Ferdinandi imperatoris et regis Bohemiae et praedictorum suorum in regno Bohemiae haeredum et successorum quorumcumque in perpetuum, ex causâ pariter dictae conventionis ut supra tractatae, initae atque firmatae, sponte et ex eorum certâ scientiâ, liberâque et spontaneâ voluntate et omni meliori modo, etc., iure proprio et in perpetuum realiter et cum effectu assignarunt, dederunt, tradiderunt, cesserunt atque concesserunt Sanctissimo Domino nostro Urbano Papae VIII, et sanctae Sedi Apostolicae, in beneficium Ecclesiae ac solius salvificae religionis catholicae universique cleri in saepedicto haereditario regno Bohemiae, et, pro eodem Sanctissimo Domino nostro ac sanctâ Sede Apostolicâ, dictis illustrissimo et reverendissimo domino domino Ernesto sanctae Romanae Ecclesiae cardinali ab Harrach, archiepiscopo Pragensi, et illustrissimo et reverendissimo domino domino Ioanni Baptistae S. R. E. cardinali Pallotto, archie-

1 Supra legebatur *Otho* vel *Otto* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *et* pro *ut* (R. T.).

piscopo Thessalonicensi et nuncio apostolico apud sacram caesaream maiestatem, plenipotentiariis a suâ Sanctitate ut supra nominatis et deputatis, praesentibus, et unâ nobiscum notariis in solidum rogatis uti publicis et authenticis personis solemniter et legitime stipulantibus [1], et acceptantibus pro omnibus, quorum interest, vel in futurum quomodolibet interesse poterit, annuum [2] perpetuum redditum quindecim cruciferorum, qui quartam partem floreni Rhenensis constituunt [3] super quolibet modio salis, quem vulgo Grosskuessem vocant, in dictum Bohemiae regnum ex quàcumque parte introducendi, vel in ipso Bohemiae regno effodiendi vel excoquendi, aut quomodolibet conficiendi, si quando salis fons seu salina in dicto Bohemiae regno in usum veniat, in favorem [4] ecclesiasticorum praedictorum, ac per ministros et officiales eorum nomine deputandos a praedictis kalendis praesentis mensis martii et ab inde in posterum perpetuo et libere exigendum;

Item cesserunt eidem Sanctissimo Domino nostro Papae ac sanctae Sedi Apostolicae, ac, pro illis, praefatis dominis plenipotentiariis, ut praefertur, qua supra stipulatione interveniente, omnia iura, etc., ad habendum, etc., ponentes, etc., constituentes, etc., dantes licentiam, etc., et donec, etc., constituerunt, etc.; promittentes iidem illustrissimi domini deputati nomine dicti serenissimi domini Ferdinandi imperatoris et regis, nomine suo, suorumque in dicto haereditario Bohemiae regno haeredum et successorum quorumcumque in perpetuum [5], assignationem et concessionem praedictam huiusmodi fore semper bonam et validam atque firmam, et non revocare, retractare, moderari, minuere, impugnare vel impediri [1], per se, vel alium, seu alios, in toto vel quavis parte, quovis quaesito colore, praetextu, causâ vel ingenio, directe vel indirecte, quinimo semper et omni tempore eosdem ecclesiasticos ministros et officiales, ut praefertur deputandos, in liberâ, pacificâ et quietâ possessione, exactione et perceptione dicti annui redditus manutenere, defendere et conservare, ac ab omni et quacumque lite, molestiâ et impedimento, et qualibet molestante et impediente personâ, communi, collegio et universitate defendere, eximere et liberare, ac de omni et quacumque evictione et defensione generali et particulari dicti annui redditus in amplissimâ iuris formâ:

Vicissim vero praedictus illustrissimus et reverendissimus dominus Ernestus cardinalis de Harrach, archiepiscopus Pragensis, et illustrissimus ac reverendissimus dominus Ioannes Baptista presbyter cardinalis Pallottus, archiepiscopus Thessalonicensis, nuncius apostolicus, a Sanctissimo Domino nostro Papa antedicto, ut praefertur, deputati, in vim facultatis eis et eorum cuilibet, ut praefertur, concessae et attributae, ac ex causâ praesentis conventionis inter partes contractae, initae atque firmatae, sponte et ex eorum certâ scientiâ, liberâque atque spontaneâ voluntate, ac omni meliori modo, etc., nomine ac vice Sanctissimi Domini nostri Papae praedicti sanctaeque Sedis Apostolicae, necnon ecclesiasticorum, tam secularium quam regularium dicti regni Bohemiae quorumcumque (non tamen hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani), cum infrascriptis tamen observationibus, declarationibus, conditionibus, pactis, et non aliàs, aliter, nec alio modo, cesserunt, concesserunt et transtulerunt praedicto serenis-

1 Edit. Main. legit *stipulatibus* (R. T.).

2 Perperam ed. Main. legit *annum* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *constituant* (R. T.).

4 Vocem *favorem* addimus ex praemissis pagina 333 *a* (R. T.).

5 Adde *stipulantis* vel *promittentis* (R. T.).

1 Potius lege *impedire* (R. T.).

simo Ferdinando II regi Romanorum in imperatorem electo, uti regi Bohemiae, et illius in eodem regno haereditario Bohemiae haeredibus et successoribus catholicis legitime intrantibus, et quibus dederint, dictis illustrissimis dominis domino Maximiliano comiti Chautmansdorff, etc., domino Gulielmo comiti Slavata, etc., et domino Ottoni libero baroni d'Hostitz, etc., a serenissimo domino Ferdinando imperatore, uti rege Bohemiae, suisque in eodem regno Bohemiae haeredibus et successoribus, ut praefertur, unâ nobiscum notariis in solidum rogatis ut publicis et authenticis personis solemniter et legitime stipulantibus et acceptantibus, omnia et singula iura et actiones, etc., quae et quas ecclesiastici praedicti regni Bohemiae, tam seculares quam regulares, habent, et eis competunt et competere possunt, super bonis ecclesiasticis eiusdem regni quocumque tempore alienatis, quae ad praesens possidentur vel ab eodem imperatore et Bohemiae rege, vel ab aliquo alio, sive Bohemio, sive alterius provinciae, cui rex aut regia camera Bohemia de evictione tenentur (talia tamen, qualia sunt actiones et iura praedicta, ita ut contra cedentes et ecclesiasticos praedictos, et seu Apostolicam Sedem numquam retorqueri possint, nec dicta Sedes, aut ipsi ecclesiastici pro illis de aliquâ evictione aut defensione, vel ad aliquod aliud teneantur);

Item simili modo, etc., cesserunt, etc., omnia et singula iura et actiones quae et quas ecclesiastici praedicti habent, et eis competunt et competere possunt, contra quamcumque personam, commune, collegium et universitatem respectu bonorum ecclesiasticorum dicti regni ante regimen in eodem regno gloriosae memoriae Rodulphi II imperatoris et eiusdem Bohemiae regis alienatorum, quorum possessoribus rex Bohemiae vel regia camera dicti regni de evictione non tenentur (talia tamen qualia sunt actiones et iura praedicta, ita ut contra cedentes et ecclesiasticos praedictos et seu Apostolicam Sedem numquam retorqueri possint, nec dicta Sedes, aut ipsi ecclesiastici pro illis de aliquâ evictione et defensione, aut ad aliquod aliud teneantur), ac ita etiam, ut ipse serenissimus dominus Ferdinandus imperator et Bohemiae rex, eiusque in dicto Bohemiae regno haereditario haeredes et successores dictorum bonorum possessoribus, si catholici fuerint, super dictis bonis ab eis possessis non possint aliquas inferre molestias vigore huiusmodi cessionum; et in reliquis ad habendum, etc., ponentes, etc., nullo iure, etc., constituentes, etc., dantes licentiam, etc., et donec, etc., constituerunt, etc. Praedicta autem omnia et singula ambae partes contrahentes quibus supra nominibus fecerunt et facere dixerunt et declararunt, etiam sub modo et formâ, et sub reservationibus, conditionibus, declarationibus et pactis infrascriptis mutuâ et qua supra hinc inde stipulatione vallatis, et non aliter, neque alio modo, nimirum: ut[1] cum huiusmodi cessionibus imposterum idem imperator uti Bohemiae rex, eiusque in eodem regno Bohemiae haeredes et successores praedicti, et ab eis ius et causam habentes seu habituri, similiter catholici, a bonorum supradictâ cessione seu cessionibus comprehensorum et fructuum ex eis perceptorum quorumcumque restitutione in utroque foro tuti et securi reddantur:

Ut huiusmodi cessiones intelligantur de iuribus et actionibus, quae praedictis ecclesiasticis competunt, respectu bonorum ecclesiasticorum immobilium, annuarum praestationum, decimarum, censuum, livellorum, emphiteoseum et aliarum rerum similium, ut supra alienatarum, non autem aliorum quorumcumque iurium, privilegiorum, immunitatum et praero-

1 Male edit. Main. *et* pro *ut* legit (R. T.).

gativarum, praefatis ecclesiasticis quomodolibet competentium; nam ista intacta, salvaque et illaesa ipsis ecclesiasticis reservantur, ita ut, illis per huiusmodi cessiones nullum fiat seu factum censeatur quocunque modo aliquod praeiudicium:

Ut ad favorem ecclesiasticorum praedictorum intelligantur et[1] reservata omnia et singula iura et actiones, quae et quas ecclesiastici habent, et quae ipsis competunt, super bonis ecclesiasticis post praefatum Rodulphi II regimen alienatis, dummodo eorum possessiones[2] actiones non habeant de evictione contra cameram regiam, seu Bohemiae reges:

Ut similiter ecclesiasticis praedictis reservata intelligantur omnia iura et actiones quae[3] eis super bonis ecclesiasticis, quocumque tempore, etiam ante eiusdem Rodulphi regimen, oppignoratis, quomodolibet competere possunt et poterunt, dummodo possessores non habeant contra eosdem reges Bohemiae vel cameram regiam praedictam actionem de evictione, vel, si illam[4] habuerint, ecclesiastici ipsi, solutâ pecuniâ ob quam fuerunt oppignorata, susceptisque in se molestiis, possint illa libere recuperare:

Ut assignatio praedicti annui redditus salis mutari seu revocari non possit[5], neque per eumdem imperatorem, neque per eius in regno Bohemiae haeredes et successores quosvis in perpetuum, nec per eiusdem regni status quovis praetextu vel causâ, nisi prius, cum Sanctae Sedis ac Romani Pontificis pro tempore existentis auctoritate et approbatione, eorumdemque ecclesiasticorum consensu, assignatis tot aliis bonis immobilibus, frugiferis, liberis, quae annuatim tantum reddant, quantum praefata assignatio, quindecim cruciferorum super quolibet modio salis, ut supra, in regnum introducendi, aut aliter quomodolibet fodiendi, excoquendi, aut conficiendi, redderet florenti regno:

Ut redditus annuus praedictus ex sale habendus, in favorem dictorum ecclesiasticorum, ut praefertur, assignatus, ad manus officialium nomine eorumdem ecclesiasticorum deputandorum modo eis beneviso, non autem ad manus officialium regiorum, aut aliorum, deveniat et devenire debeat, illisque ius sit inquirendi et providendi, ne quid in fraudem dicti annui redditus umquam fiat:

Ut praedictus redditus salis, in favorem ecclesiasticorum, ut praefertur, assignatus, intelligatur esse et sit merus ecclesiasticus, et iis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus et praerogativis potiatur et gaudeat, quibus de iure et consuetudine vel aliter quomodolibet bona mere ecclesiastica potiuntur et gaudent:

Ut conventio, assignatio, aliaque omnia in praesenti instrumento contenta quaecumque in tabulis, ut vocant, dicti regni inserantur iuxta eiusdem regni stylum et usum:

Utque huiusmodi conventio pro non factâ habeatur casu, quo imperator vel eius in regno Bohemiae haeredes et successores, vel quilibet eorum, vel etiam eiusdem regni status in totum vel in parte eidem conventioni vel aliquibus in praesenti instrumento contentis contrafecerint, aut contra illam et illa venerint; sit nihilominus in eo casu in sanctae Sedis Apostolicae electione, vel eamdem conventionem et in eâ praesentique instrumento contenta nulla declarare, vel, ut ad illius et illarum implementum agant ecclesiasticis iubere. Quae omnia et singula supradicta contrahentes praedicti, quibus supra nominibus, promiserunt invicem et vicissim solemni, et qua supra

1 Coniunct. *et* delenda foret (R. T.).
2 Forsan legerem *possessores* (R. T.).
3 Vocem *quae* nos addimus (R. T.).
4 Edit. Main. legit *illa* (R. T.).
5 Edit. Main. legit *possint* (R. T.).

stipulatione interveniente, semper et omni tempore et etiam in omnibus et singulis articulis, modoque et formâ praemissis habere grata, valida et firma, attendereque et inviolabiliter observare, et contra quidquam non facere, dicere vel venire de iure vel de facto, per se, vel per alium, seu alio quovis praetextu, iure, ratione vel causâ, seu quaesito colore, directe vel indirecte; aliàs, ultra praecisam promissorum et conventorum omnium et singulorum observationem, ad quam quaelibet pars contraveniens seu contrafaciens praecise cogi possit, teneri etiam voluit una pars ad alteram, et altera ad alteram ad omnia et singula damna, expensas et interesse, per partem observantem quomodolibet patienda et incurrenda, de quibus stetur etiam eius simplici assertioni absque onere alterius probationis.

Pro quibus omnibus et singulis firmiter et inviolabiliter observandis, tenendis et adimplendis, praedicti illustrissimus et reverendissimus Ernestus cardinalis ab Harrach, archiepiscopus Pragensis, et illustrissimus et reverendissimus dominus Ioannes Baptista cardinalis Pallottus, archiepiscopus Thessalonicensis ac nuncius apostolicus, a Sanctissimo Domino nostro Papa, ut praefertur, deputati, ecclesiasticos omnes et singulos regni Bohemiae, ac bona omnia et singula, introitus et iura quaecumque ecclesiastica dicti regni; praedicti vero illustrissimi domini dominus Maximilianus comes de Trautmansdorff, etc., dominus Gulielmus comes Slavata, etc., et dominus Otto liber baro de Hostitz, etc., a serenissimo domino Ferdinando imperatore et Bohemiae rege praedicto deputati, eumdem serenissimum dominum Ferdinandum imperatorem et Bohemiae regem eiusque in dicto Bohemiae regno haeredes et successores quoscumque in perpetuum, ac regiam eiusdem Bohemiae cameram, et omnia et singula eiusdem camerae bona, introitus et iura quaecumque, etiam in formâ guarantigiae, et quavis aliâ etiam strictiori, et sub verbo principum, aliis clausulis, renunciationibus et cautelis solitis et consuetis efficaciter et validissime obligarunt et hypothecarunt, et quilibet eorum, prout ad unumquemque ipsorum dictis nominibus spectat et pertinet, obligavit et hypothecavit etiam omni meliori modo, etc.; et ita, per dictos illustrissimum et reverendissimum dominum Ernestum cardinalem ab Harrach archiepiscopum Pragensem, et illustrissimum et reverendissimum dominum Ioannem Baptistam cardinalem Pallottum archiepiscopum Thessalonicensem et nuncium apostolicum, more cardinalium tactis pectoribus, et per dictos illustrissimos dominos dominum Maximilianum comitem de Trautmansdorff, etc., dominum Gullielmum comitem Slavata, etc. et dominum Ottonem liberum baronem de Hostitz, etc., tactis scripturis, ad sacrosancta Dei evangelia, iurarunt. Super quibus, etc.

Actum Viennae Austriae in aedibus praefati illustrissimi et reverendissimi domini cardinalis ab Harrach, praesentibus ibidem perillustribus ac admodum reverendis dominis domino Iosepho Curtio Cremonensis dioecesis et Octavio Ridolfucio Camerinensis, testibus ad praemissa specialiter habitis, adhibitis, vocatis et rogatis.

Et quia ego Iulius Picca U. I. D. apostolicâ auctoritate notarius, ac illustrissimi et reverendissimi domini cardinalis Pallotti nuncii apostolici antedicti cancellarius, de praedictis in solidum unâ cum infrascripto domino Ascanio de Strasoldo notario, etc., rogatus extiti, ideo in omnium et singulorum fidem me subscripsi, et solitum meum signum apposui requisitus, etc.

Et quia ego Ascanius de Strasoldo, notarius publicus apostolicus et imperialis, ac iudex ordinarius, de praedictis insolidum

mnà cum supradicto domino Iulio Picca U. I. D. ac notario et cancellario ut supra rogatus extiti, ideo in omnium et singulorum fidem me subscripsi, ac solito meo tabellionatus signo munivi requisitus, etc. Nobis[1] approbo — Ascanius, qui supra:

Pontifex allatam confirmat transactionem.

§ 4. Nos, inviolabili praeinserti instrumenti huiusmodi ac in eo contentorum quorumcumque validitati, perpetuae subsistentiae et observationi, quantum nobis ex alto conceditur, consulere volentes, de eorumdem cardinalium negocio propagandae in universo mundo fidei praepositorum consilio, conventionem sive transactionem ac desuper confectum praeinsertum instrumentum huiusmodi, omniaque et singula in eo contenta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti ac solemnitatum quarumcumque de iure, usu, stylo et consuetudine requisitarum et necessariarum ac omissarum, et quosvis alios quantumvis substantiales defectus, si qui principaliter vel accessorie in praemissis aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici vel praetendi possent, supplemus, tollimus et abrogamus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes praemissa omnia et singula, ac praesentes litteras, valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac omnibus, quos concernunt et concernent quomodolibet in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari et adimpleri, sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, dictaeque Sedis nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quarumvis ecclesiarum, monasteriorum, conventuum et locorum piorum, illorumque Ordinum et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis[1] eorumque praesulibus, superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v martii MDCXXXIII, pontificatus nostri anno x.

Dat. die 5 martii 1633, pontif. anno x.

CDLXI.

Confirmatio designationis novitiatuum factae a fratribus eremitis S. Augustini

1 Vox *nobis* an redundet, iudicet lector (R. T.).

1 Vocem *illis* nos addimus (R. T.).

Congregationis Lombardiae, vigore facultatis concessae cardinali protectori, vivae vocis oraculo, a Paulo V; ac concessio, quod in illis possint recipi novitii ad praescriptum constitutionum apostolicarum [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Fratres Eremitae S. Augustini vigore facultatis vivae vocis oraculo a Paulo V concessae, nonnullos conventus pro novitiatibus designarunt et erexerunt.

§ 1. Expositum nobis nuper fuit pro parte dilectorum filiorum vicarii generalis et fratrum Ordinis Eremitarum sancti Augustini congregationis Lombardiae, quod aliàs de anno MDCVIII felicis recordationis Paulus Papa V praedecessor noster, eius vivae vocis oraculo, bonae memoriae Antonio episcopo Ostiensi, cardinali Saulio nuncupato, tunc eiusdem congregationis apud ipsum Paulum praedecessorem et Sedem Apostolicam protectori facto, praefatae congregationi novitiatus in aliquibus eius domibus regularibus erigendi seu designandi facultatem concessit: cuius quidem facultatis vigore, unus in de Incoronata nuncupatus [2], Mediolanensis, et alius in S. Augustini, Bergomensis, et reliquus novitiatus huiusmodi in S. Barnabae, Brixiensis eiusdem congregationis domibus regularibus erecti, seu designati, in eisque a viginti quatuor annis citra novitii ad habitum et probationis annum peragendum et professionem regularem deinde emittendam recepti et admissi fuerunt.

1 Extendit hic Pontifex Constitutionem Gregorii XV, quam habes in Const. LXV (*al.* 63), *Romanus Pontifex*, tom. XII, pag. 706, ad omnia vivae vocis oracula, etiam S. R. E. cardinalibus concessa, et eorum manu firmata, ut in Const., *Aliàs felicis recordationis*, ut supra pag. 258. Super professionibus per regulares emissis, non facto in locis designatis novitiatu, nonnulla sancivit Urbanus in Const. *Religiosos*, sup. pag. 215. Et de Eremitis sancti Augustini lege Const. CXXXIV, (*al.* 122) *Romanus*, tom. XIII, pag. 320.

2 Puto legend. *nuncupatà*, nempe *domo*, et postea *Mediolanensi, Bergomensi, Brixiensi* (R.T.).

Supplicant Pontificem pro confirmatione huius erectionis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, stante constitutione nostrà, quarumcumque gratiarum, indultorum et privilegiorum a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris vivae vocis oraculo concessorum revocatorià, ne de praemissorum substantià et validitate ullo umquam tempore dubitari contingat, illa, cum inde sequutis, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri plurimum desiderent:

Quam Pontifex approbat et in eis novitios ad praescriptum constitutionum apostolicarum recipi posse concedit.

§ 3. Nos, vicarium et fratres praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, erectionem seu designationem novitiatuum praedictorum, vigore dictae facultatis ut praefertur factas, cum omnibus inde sequutis (dummodo tamen in novitiatibus huiusmodi novitii ad praescriptum decreti a nobis super receptione et educatione novitiorum ultimo loco editi, necnon felicis recordationis Sixti V praedecessoris nostri, ac aliarum constitutionum apostolicarum et decretorum pariter similis memoriae Clementis VIII, institutionumque generalium super receptione et educatione novitiorum eiusdem Clementis necnon Pauli V Romanorum Pontificum praedecessorum similiter nostrorum auctoritate editarum recipiantur), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus,

ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulas praeservativas ponit.

§ 4. Decernentes praemissa ac praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac eidem congregationi in omnibus et per omnia plenissime suffragari;

Ita iudicari mandat.

§ 5. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria removet.

§ 6. Non obstantibus nostrâ praedictâ, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus[1], privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV martii MDCXXXIII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 15 martii 1633, pontif. anno X.

CDLXII.

Commissio nuncio Franciae deputandi visitatorem monasterii Ordinis sancti Benedicti Lemovicensis dioecesis Sedi Apostolicae immediate subiecti[2].

1 Male ed. Main. legit *constitutionibus* (R.T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecto filio, nostro et Sedis Apostolicae in regno Franciae nuncio, Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Facultas nuncio apostolico visitatorem monasterii sanctae Mariae de Bonnesaigne deputandi cum facultatibus opportunis.

§ 1. Cupientes, ut in monasterio monialium sanctae Mariae de Bonnesaigne Ordinis sancti Benedicti Lemovicensis dioecesis, nobis et Apostolicae Sedi immediate subiecto, regularis disciplina conservetur, et ubi collapsa est restituatur, supplicationibus abbatissae et monialium dicti monasterii nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut singulo quoque biennio virum ecclesiasticum aetate, rerum gerendarum usu, vitaeque innocentiâ, ac morum gravitate conspicuum, per eiusdem monasterii abbatissam et moniales nominandum, seu aliàs tibi benevisum, in eiusdem monasterii visitatorem auctoritate nostrâ facias, constituas et deputes: qui quidem vir sic a te constitutus et deputatus, dicto biennio durante, semel vel pluries, tamquam noster et Sedis Apostolicae delegatus monasterium praefatum, illiusque moniales, personas, res et bona quaecumque, tam in capite quam in membris, visitet, ac in illarum statum, vitam, mores, ritus et instituta diligenter inquirat, necnon (evangelicae et apostolicae doctrinae, sacrorumque canonum et generalium conciliorum, et praesertim Tridentini decreti et Sanctorum Patrum traditionibus, eiusdemque monasterii regularibus institutis a Sede Apostolicâ approbatis inhaerendo) quaecumque mutatione, correctione, emendatione, revocatione et renovatione indigere cognoverit, reformet, mutet, corrigat, ac etiam de novo condat, condita, sacris canonibus et concilii Tridentini decretis ac regularibus huiusmodi institutis non repugnantia, confirmet, abusus quoscumque tollat, regulas, institutiones, ac ecclesiasticam disciplinam, ubi-

cumque illae exciderint, modis congruis restituat et reintegret, ipsasque personas ad debitum et honestum vitae modum revocet, et, quidquid statuerit et ordinaverit, observari faciat, inobedientesque per censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia cogat et compellat, aliaque in praemissis et circa ea necessaria quomodolibet et opportuna faciat, gerat et exequatur; super quibus omnibus et singulis plenam, liberam et amplam licentiam et facultatem viro ecclesiastico, per te, ut praefertur, delegando, concedendi, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, facultatem tibi concedimus et impertimur.

Mandatum de visitatori palendo.

§ 2. Mandantes propterea omnibus et singulis, ad quos spectat, ut illi in omnibus supradictis pareant, faveant et obediant, eiusque salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent: alioquin sententiam, sive poenam, quam ipse rite tulerit seu statuerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Graviora negocia ad Sedem Apostolicam deferenda.

§ 3. Volumus autem, ut si qua[1] graviora in huiusmodi visitatione repererit, illa necnon informationes omnes in huiusmodi visitatione sumendas sub suo sigillo munitas ad nos quamprimum diligenter transmittat, ut quod in illis statuendum sit, maturâ consultatione adhibitâ, decernamus.

Obstantium derogatio.

§ 6. Non obstantibus, apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon monasterii et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem monasterio illiusque superioribus et aliis personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII aprilis MDCXXXIII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 8 aprilis 1633, pontif. anno X.

1 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

CDLXIII.

Confirmatio nonnullorum decretorum pro gubernatoribus domus et hospitalis Annunciationis B. M. V. Neapolitanae[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Militantis Ecclesiae regimini divinâ dispositione praesidentes, ea, quae pro hospitalium indemnitate provide statuta fuisse dicuntur, ut firma et illibata perpetuo remaneant, apostolicae nostrae confirmationis robore libenter communimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Expositio gubernatorum hospitalis Annunciationis B. M. V. Neapolitanae.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni gubernatores domus et hospitalis Annunciationis B. M. V. Neapolitanae[2], quod ipsi considerantes, per alias constitutiones ab eorum praedecessoribus factas, quod de anno MDXCVIII, numerus puellarum expositarum eâtenus crevisset, ut vix in dictâ domo possent

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 In seqq. syntaxis rectitudinem ne quaeras (R. T.).

manuteneri, ideirco multae ex eis e dictâ domo dimissae fuerunt, et deinde quidam liber confectus fuit, in quo aliquae ex eis descriptae, earumque quibusdam sex et aliis decem carlini quolibet mense assignati fuerunt; quae quidem expositae ab eo tempore fere omnes obierunt; nihilominus tamen adhuc centum et quadraginta, et amplius, descriptae supersunt, et hoc inde provenit, quia defunctâ unâ ex descriptis huiusmodi altera eius loco semper subrogata fuit in dictae domus gravissimum praeiudicium; unde iidem exponentes decreverunt, ut quando aliqua ex dictis descriptis obierit, nulla alia eius loco subrogari valeat, ad hoc ut numerus praedictus extinguatur:

Nonnulla decreta a gubernatoribus praedictis emanata.

§ 2. Praeterea, quia dicta domus quolibet anno centum et amplius puellas expositas matrimonio collocat, cum dote nonaginta et centum ducatorum pro quolibet, et diversis mulieribus in subsidium earum dotium cedulas concedit, eâ conditione, ut eis absque filiis legitimis et naturalibus decedentibus, domus praefata in dotibus huiusmodi succedat; compertum autem est, tales dotes ad dictam domum nunquam reverti, etiam si casus obitus absque filiis huiusmodi succedat; quinimo a gubernatoribus exponentium praefatorum[1] antecessoribus multas dotium huiusmodi, et quae ad dictam domum recadere debebant, donationes diversis annis factas fuisse diversis personis; ideirco iidem exponentes, convalidantes constitutiones aliàs factas, decreverunt ut de cetero dotes, quae ad dictae domus beneficium redire debebunt, nulli amplius donari, aut cedi possint, sed recuperari, aut cum earum debitoribus, vel cum possessoribus bonorum pro restitutione dotium huiusmodi hypothecatorum, transigi debeat respective, et aliàs, prout in dictis decretis plenius dicitur contineri.

1 Improbe ed. Main. legit *praefatarum* (R. T.).

Apostolica petitur approbatio.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes decreta praefata apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desiderent:

Urbanus eam concedit.

§ 4. Nos, illos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, attentâ attestatione venerabilis fratris archiepiscopi Neapolitani desuper factâ, decreta praedicta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes illa necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantia tollit.

§ 6. Non obstantibus praemissis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII iunii MDCXXXIII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 22 iunii 1633, pontif. anno X.

CDLXIV.

Concedit facultatem generali Minimorum supprimendi conventus tenues, eorumque bona in conventus maiores transferendi cum oneribus annexis[1].

Dilecto filio correctori generali Ordinis fratrum Minimorum S. Francisci de Paulâ, Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva huius Constitutionis.

§ 1. Cum, sicut nobis nuper exponi fecisti, in visitatione tui Ordinis Minimorum sancti Francisci de Paulâ per te hactenus factâ compereris, et in dies comperias, nonnullos ipsius Ordinis conventus adeo pauperes et tenues existere, ut spes nulla sit illos unquam ad formam conventuum reduci, minusque eorum religiosorum numerum, qui per constitutiones apostolicas pro regulae eiusdem Ordinis observantiâ divinique cultus servitio praescriptus existit, in eis sustentari posse, quin etiam conventus huiusmodi in observantiae regularis ac disciplinae relaxationem totiusque Ordinis huiusmodi dedecus et ruinam esse prolapsuros noscas et experiaris, et propterea tibi de infrascriptâ facultate per nos provideri summopere desideres:

Concedit prout in rubricâ.

§ 2. Nos, de fide, virtute, prudentiâ et diligentiâ tuâ plurimum in Domino confisi, necnon conventuum huiusmodi situationes, confines, qualitates, eorumque fructuum[2], reddituum et proventuum veros annuos valores praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, tibi, ut conventus tenues huiusmodi (factâ per Ordinarios locorum eorum ecclesiarum profanatione, sive confraternitatibus vel aliis locis piis applicatione, eorumque onerum, ut infra, translatione) supprimere et extinguere, et eorum bona quaecumque maioribus conventibus perpetuo unire et incorporare, et ad ipsos maiores conventus, quibus bona huiusmodi unita et incorporata fuerint, onera etiam ipsorum minorum conventuum transferre, ac, si magis utile ecclesiis futurum iudicaveris, bona huiusmodi, vel eorum partem vendere, permutare aut aliàs alienare (dummodo id in conventuum huiusmodi et illorum ecclesiarum utilitatem cedat, ac pretium inde redigendum in alia bona stabilia dictis conventibus maioribus applicanda et incorporanda omnino et unico contextu convertantur), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, licentiam et facultatem impartimur.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes praesentes litteras, et illarum vigore faciendas uniones, incorporationes, venditiones, permutationes et alienationes huiusmodi, si et postquam factae fuerint, validas, firmas et efficaces existere et fore, ac eisdem conventibus in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus felicis recordationis Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac nostrâ de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, et Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, necnon conventuum et Ordinis praedictorum, etiam

1 Vide de his fratribus in Const. LXII (*al.* 54), *Ut ea*, tom. XIII, pag. 156.

2 Male edit. Main. legit *fructu* (R. T.).

iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorumque tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII iunii MDCXXXIII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 23 iunii 1633, pontif. anno X.

CDLXV.

Regulares non possunt prohiberi associari corpora defunctorum, et curati non possint cogere haeredes defunctorum celebrari facere missas in suis ecclesiis parochialibus [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Decreta sacrae Congregationis rituum.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum procuratorum generalium Ordinum sancti Francisci, sancti Augustini et Beatae Mariae de Monte Carmelo, Discalceatorum nuncupatorum, nobis expositum fuit, quod aliàs a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sacris ritibus praepositis emanavit decretum tenoris subsequentis [2], videlicet:

Instantibus procuratoribus generalibus Ordinum Praedicatorum, sancti Francisci, sancti Augustini et Discalceatorum Carmelitarum, declarari: I. an liceat curatis, solutis eorum iuribus parochialibus, impedire contra voluntatem haeredum defunctorum ne regulares ad funus corpora defunctorum ad quasvis ecclesias deferenda unà cum parochiis et clericis processionaliter associent [1]; et ad hoc sacra rituum congregatio respondit, regulares in casu proposito non posse impediri; II. an praedicti curati possint cogere haeredes seu exequutores testamentarios, ut, pro defunctis qui tumulantur in ecclesiis regularium, in ecclesiis etiam parochialibus celebrari faciant officia novemdialia et anniversaria, prout celebrantur in ecclesiis regularium, in quibus cadavera sepeliuntur; et sacra rituum congregatio respondit, non posse cogere.

Die XXIII aprilis MDCXXXIII.

Confirmantur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes decretum praeinsertum apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desiderent: nos, illos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Ita iudicari mandat.

§ 3. Decernentes decretum praefatum necnon litteras praesentes valida, firma

1 Parochi non possunt cogere habentes sepulturam in ecclesiis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ in Indiis sepeliri in ecclesiis parochialibus; vide Urbani VIII Const. *Aliàs felicis*, tom. XIII, pag. 417; vide etiam infra, sub dat. XI martii MDCXXXVIII.

2 Edit. Main. legit *subsequentibus* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *associant* (R. T.).

et efficacia existere et fore, ac ab omnibus ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV iunii MDCXXXIII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 25 iunii 1633, pontif. anno X.

CDLXVI.

Facultas ecclesiasticis regni Sardiniae partem novi subsidii quadringentorum millium scutorum, quod regi catholico regni status obtulerunt, ad quinquennium persolvendi[1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi catholico, Urbanus Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Facultatem aliàs ecclesiasticis tribuerat Pontifex subsidium regi subministrandi.

§ 1. Aliàs a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis videlicet: *Charissimo in Christo filio nostro*, etc. *Eximius*[2] *maiestatis tuae*, etc., sub datum die V octobris MDCXXVI, anno IV *(prout suo loco*, tom. XIII, pag. 493).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Edit. Main. legit *Eximiae* (R. T.).

Ii vero aliud etiam subsidium sponte offerunt.

§ 2. Cum autem, sicut denuo maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, subditi tui regni Sardiniae in comitiis generalibus, animadvertentes eamdem maiestatem tuam pro fidei catholicae in Belgicis ditionibus defensione gravissimis assidue sumptibus urgeri, quadrigentorum millium scutorum subsidium, spatio quinque annorum, octuaginta millium videlicet pro quolibet anno, persolvendum, pro causis in praeinsertis litteris expressis maiestati tuae oblatum et per nos approbatum, ut praefertur, ad decennium, octuaginta millium scilicet scutorum pro quolibet dicti decennii anno, in certis terminis ac modo et formâ tunc expressis seu exprimendis exigendum, de novo maiestati tuae obtulerint, seu illud ad decennium huiusmodi extenderint et prorogaverint ad effectum manutenendi in dictis Belgicis ditionibus, propter bellum contra haereticos et fidei catholicae hostes, unum tertium militum Sardorum nuncupatorum, seu nuncupandorum, ac venerabiles fratres archiepiscopi, episcopi et reliquae personae ecclesiasticae, qui in eiusdem regni comitiis interfuerunt, in solutione subsidii, eidem maiestati tuae ut praefertur de novo oblati seu extensi et prorogati, pro eorum ratâ, nostro et huius sanctae Sedis accedente beneplacito, concurrere similiter prompte et libere obtulerint et promiserint;

Quod rex apostolicâ petit auctoritate roborari.

§ 3. Ex eo autem quod per Lateranense concilium novissime celebratum diversasque alias canonicas sanctiones sub diversis censuris et poenis cavetur expresse ne reges, principes, et alii seculares magistratus ab archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis personis ecclesiasticis, etiam sponte offerentibus, aliquam pecuniae summam sive subventionem exigant seu recipiant, maiestas tua et tui illius regni ministri dubitent, ratam praedictam recipiendo censuras et poenas

praedictas incurrere et forsan incurrisse; et propterea pro tuae maiestatis et dictorum ministrorum quiete nobis humiliter supplicari fecerint, quatenus praemissis nostram et huius sanctae Sedis auctoritatem interponere dignaremur:

Annuit Urbanus.

§ 4. Nos, attentis praemissis, supplicationibus huiusmodi inclinati, spontaneae oblationi per archiepiscopos, episcopos et alias ecclesiasticas personas praedictas factae, pro hac vice tantum, nostram et dictae Sedis auctoritatem interponimus tenore praesentium pro manutentione tertii militum Sardorum nuncupandorum in Flandria, et propterea archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiasticis personis praedictis subsidium donativum extraordinarium nuncupatum huiusmodi, per eos, ut praefertur, sponte oblatum et promissum, persolvendi, ac tuae maiestati et tuis ministris illud petendi, recipiendi, exigendi et levandi, absque conscientiae scrupulo, seu causarum et poenarum praedictarum incursu, libere et licite possint, apostolicâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, licentiam impartimur et concedimus, ipsosque archiepiscopos, episcopos et alias personas ecclesiasticas, et earum singulas, quatenus ipsi dictam ratam iam promiserint aut solverint, necnon eamdem maiestatem tuam et tuos ministros praedictos, si eamdem ratam iam perceperint, ab omnibus et singulis censuris et poenis per eos propterea quomodolibet incursis, auctoritate et tenore praedictis, absolvimus et absolutos fore censemus et declaramus.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, et litteris apostolicis, quibusvis generaliter vel specialiter concessis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Conditiones nonnullas regi scribit.

§ 6. Volumus autem, ut (quandoquidem hoc subsidium prius pro defensione regni Sardiniae oblatum et applicatum fuerit) in eventum necessitatis praefati regni seu insulae Sardiniae contra piratarum et infidelium invasiones et incursiones maiestas tua supplere teneatur; et, quatenus maiestas tua non suppleret, tunc iidem ecclesiastici non debeant, nec cogi possint contribuere pro manutentione seu defensione regni seu insulae Sardiniae adversus praedictas invasiones; et imposterum personae ecclesiasticae dicti regni a solutione et exactione similium pecuniarum omnino abstineant; quodque poenitentiam, quam pro praemissis quivis confessarius ab Ordinario approbatus illis et eorum cuilibet duxerit imponendam, adimplere omnino debeant quodque distributio, repartimentum, ac taxatio et exactio ratae huiusmodi a personis ecclesiasticis in comitiis huiusmodi ab eisdem ecclesiasticis forsan deputatis, aut in eorum defectum ab Ordinariis locorum, seu a personis ecclesiasticis ab ipsis Ordinariis deputandis, dumtaxat fiat, ac ministris laicis ad effectum praemissum et pro summâ praedictâ tantum consignetur, aliàs eaedem praesentes nullae sint eo ipso.

Transumptis credi mandat.

§ 7. Necnon quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI iunii MDCXXXIII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 26 iunii 1633, pontif. anno X.

CDLVII.

Indultum regi catholico et clero regni Sardiniae recipiendi ac respective solvendi solitum donativum[1].

Dilectis filiis universo clero regni Sardiniae, Urbanus Papa VIII.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Facti series.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, quod occasione parlamenti, quod singulis certis annis in Sardiniae regno ad communem illius utilitatem convocari solet, necessariae quaedam expensae sustineri et subsidia praestari consueverunt, in quibus supportandis ecclesiasticae quoque personae, praeviâ huius sanctae Sedis licentiâ, ab immemorabili tempore citra semper contribuere solitae fuerunt. Et quia expensae praedictae hactenus creverunt, subsidia quoque praedicta in parlamento proxime celebrato ad summam in totum centum et quinquaginta millium ducatorum adscendentia praestita fuerunt. Quare idem Philippus rex nobis humiliter supplicari fecit, ut tam suae quam vestrarum conscientiarum securitati in praemissis consulere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Facultas, de qua in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, tam eidem Philippo regi, ut subsidia et contributiones praedicta per vos solvenda exigere, sive exigi facere, quam vobis, ut illa iuxta solitum et consuetum solvere libere et licite, pro unâ vice tantum, possitis et valeatis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis[1] editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII iunii MDCXXXIII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 27 iunii 1633, pontif. anno X.

CDLXVIII.

Quod fratres S. Augustini Discalceati Hispaniarum, in Philippinis et occidentalibus Indiis degentes, a quovis catholico episcopo, communionem Sedis Apostolicae habente, minores et sacros ordines, etiam non servatis interstitiis, suscipere possint[2].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Quia fratres sancti Augustini Discalceati Hispaniarum in Indiis Occidentalibus degentes, non facile ad episcopos pro suscipiendis Ordinibus accedere possunt.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius procurator generalis fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini Discalceatorum nuncupatorum Hispaniarum et Indiarum nobis nuper exponi fecit, fratres praedicti in Philippinis et Indiis Occidentalibus degentes, ob locorum huiusmodi ab episcopis distantiam, non sine impensis et magnis incommodis ipsos episcopos pro sacris ordinibus suscipiendis saepius adire nequeant, cupiatque propterea illis nos desuper, ut infra, opportune provideri:

Concedit ut a quovis episcopo communionem Sedis Apostolicae habente ad minores et sacros ordines promoveri possint, etiam non servatis interstitiis.

§ 2. Nos, procuratorem et fratres praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. legit *concilii* (R. T.).

2 De his fratribus, vide supra ad Const. CCXX, Clementis VIII, *Decet*, tom. X, pag. 548.

causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eiusdem procuratoris illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotio Propagandae Fidei praepositorum consilio, eisdem fratribus, ut a quocumque, quem maluerint, catholico antistite gratiam et communicationem Apostolicae Sedis habente, in propriâ dioecesi residente, vel in alienâ de dioecesani loci consensu pontificalia exercente, per eos eligendo, ad quatuor minores, quatuor feriatis, seu non feriatis, seu unicâ, et subinde ad sacros subdiaconatus, diaconatus, et presbyteratus ordines tribus dominicis seu aliis festivis diebus continuis vel interpolatis, etiam extra tempora ad id a iure statuta, ac interstitiis a sacro concilio Tridentino designatis minime servatis, annique curriculo non expectato, etiamsi in unoquoque ex dictis sacris ordinibus, antequam ad alium promoveantur, se non exercuerint, dummodo tamen ad id idonei reperiantur, promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus; necnon antistiti per eos eligendo huiusmodi ordines praedictos eis conferendi licentiam impartimur.

Obstantibus derogat. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX iulii MDCXXXIII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 9 iulii 1633, pontif. anno X.

CDLXIX.

De vacatione non expleto sexennio et aliis casibus ministri generalis fratrum Discalceatorum Ordinis Reformatorum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Hispaniarum[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Iniuncti nobis per abundantiam divinae gratiae pastoralis officii ratio postulat, ut regularium Ordinum in Ecclesiâ Dei militantium prospero statui, felicique directioni incumbentes, in his, per quae Ordines ipsi, illorum superiorum quoquo modo occurrente vacatione, nullis valeant incommodis pergravari, paternis et sollicitis studiis intendamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Exordium.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes de Annuntiatione, procurator generalis fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum Hispaniarum, quod in propriâ eorumdem fratrum regulâ a felicis recordationis Innocentio Papa III praedecessore nostro sanctis patriarchis Ioanni et Felici dicti Ordinis fundatoribus traditâ et a[2] nobis per nostras sub plumbo, sub datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXXI, VII kalendas octobris, expeditas litteras[3] reformatâ, inter alia expresse disponitur, quod capitulum generale de triennio in triennium celebretur, ac electio maioris et generalis ministri de sexennio in sexennium in capitulo generali per secreta suffragia iuxta concilium Tridentinum fiat. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, officium Causae huius Constitutionis.

1 Habes de hac congregatione huiusmet Pontificis Constitutionem CXCII, *Cum sicut*, tom. XIII, pag. 427.

2 Praep. *a* nos addimus (R. T.).

3 Quas non habet edit. Main. (R. T.).

ministri generalis huiusmodi, ex aliquâ legitimâ causâ, etiam ante finitum sexennium, vacare possit, cupiatque propterea dictus Ioannes per nos desuper opportune provideri:

Provisio, de qua in rubricâ.

§ 2. Nos, pro nostri muneris debito in praemissis consultum esse cupientes, ac Ioannem et fratres praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus dicti Ioannis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, si officium ministri generalis praedicti ante finitum sexennium vacare contigerit, mortis, renunciationis, depositionis, aut aliâ quavis causa, statim primus definitor generalis convocet ceteros definitores generales et ministros provinciales provinciarum Hispaniae, et, primo dicto definitore generali praesidente, omnes simul canonice eligant unum vicarium generalem, qui eamdem auctoritatem, praeeminentiam, vocem et locum ac minister generalis praedictus habeat, eiusque vicarii generalis huiusmodi officium duret usque ad finem primi subsequentis capituli generalis, in quo electionem ministri generalis fieri praecipimus.

In casu quo minister generalis ad capitulum non accesserit.

§ 3. Si congregato iam capitulo generali minister generalis aegrotaverit, vel propter aliam causam ad capitulum non accesserit, tunc totum capitulum eligat praesidentem generalem in primâ eiusdem capituli sessione, qui in absentiâ ministri generalis eisdem auctoritate et praeeminentiis[1] praesideat: cuius praesidentis officium solum durabit usque ad finem eiusdem capituli, quod nunc celebratur.

In morte ministri generalis congregato capitulo.

§ 4. Si congregato capitulo generali, etiam contigerit ministrum generalem e vitâ discedere; electo prius praeside, ut dictum est, fiat electio ministri generalis in illo capitulo in quo hoc evenerit.

Ita observari et iudicari debere iubet.

§ 5. Sicque et non aliter ab ipsis fratribus in praemissis perpetuo observari, et ita per quoscumque iudices ordinarios et commissarios iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus ac decernimus et declaramus.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Pauli Papae V praedecessoris nostri sub datum die XIV augusti MDCXIII, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus[2], privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi praecipit.

§ 7. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maio-

1 Forsan legend. *praeeminentiâ* (R. T.).
2 Male ed. Main. habet *constitutionibus* (R. T.).

rem, sub annulo Piscatoris, die XXII augusti MDCXXXIII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 22 augusti 1633, pontif. anno X.

CDLXX.

Declarat, per subsequutum Sedis Apostolicae beneplacitum impositionis cuiusdam vectigalis ecclesiasticis regnorum Castellae et Legionis in subsidium regis Hispaniarum et Romanorum imperatoris, huiusmodi vectigalis exactionem ante factam non fuisse confirmatam, nec licite illud exigi potuisse[1].

Urbanus Papa VIII.
ad futuram rei memoriam.

Impositum vectigali, de quo hic agitur, decretum fuit, ne ab ecclesiasticis exigeretur, nisi obtento prius Sedis Apostolicae beneplacito.

§ 1. Cum aliàs in regnis Castellae et Legionis impositae et seu respective auctae essent gabellae seu sisae, ad summam decem et novem millionum nummorum aureorum cum dimidio alterius millionis in totum ascendentes, spatioque sex annorum, a die primâ mensis augusti MDCXXXII inchoatorum, trium scilicet millionum et unius quarti alterius millionis huiusmodi pro quolibet anno, solvendae et exigendae, super quatuor speciebus vini, scilicet, olei, aceti et carnis in dictis regnis colligendis et consumendis, quodque ad solvendum easdem gabellas seu sisas etiam clerus et personae ecclesiasticae dictorum regnorum concurrerent[2], si et postquam beneplacitum apostolicum seu approbatio et confirmatio nostra accessisset, ac summa decem et novem millionum nummorum aureorum cum dimidio alterius millionis huiusmodi charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico persolvi deberet, cum decreto per nos apsito, quod pecuniae ex praedictis gabellis seu sisis, ut praefertur, a dictis ecclesiasticis exigendae, in alios usus, quam catholicae religionis defensionis, ac bellorum contra haereticos reliquosque catholicae fidei hostes, ac obedientiae erga S. R. E. conservationis, nullatenus; augmentum vero gabellae seu sisae huiusmodi, quod excedebat aliam concessionem a nobis de anno MDCXXIX factam, nonnisi in subventionem charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Romanorum regis in imperatorem electi et fidei catholicae in Germaniae defensionem converteretur (quae quidem conditio, videlicet *si et postquam beneplacitum apostolicum seu approbatio et confirmatio nostra respectu ecclesiasticorum accessisset*, etiamsi expresse apposita non fuisset, de iure tamen iuxta sacrorum canonum et conciliorum generalium nec non Bullae in die Coenae Domini legi solitae dispositionem pro apposità haberetur et intelligeretur);

Exactores vero illud etiam ab ecclesiasticis exegerant praedicto beneplacito non obtento.

§ 2. Nihilominus, sicut non sine animi nostri dolore accepimus, quidam ipsarum gabellarum seu sisarum exactores nulliter et de facto illas ab ecclesiasticis et ecclesiis ante beneplacitum seu approbationem et confirmationem nostras huiusmodi exigere tentaverint, et forsan exegerint, easdem sententias, censuras et poenas incurrendo;

Postmodum vero Pontifex suum concessit beneplacitum.

§ 3. Nosque denique, supplicante humiliter eodem Philippo rege, ac etiam quia defensio fidei catholicae in partibus Germaniae maxime urgebat, earumdem gabellarum seu sisarum impositionem, ad hoc ut etiam personae ecclesiasticae ad illas solvendas concurrerent, approbaverimus, et ut illae a dictâ die 1 augusti MDCXXXII ab ecclesiasticis praedictis solverentur ad sexennium tunc proximum decreverimus, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressiis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, plenius continetur[1]:

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Edit. Main. legit *concurrent* (R. T.).

1 Quas vide supra pag. 324 (R. T.).

Nunc vero declarat nullomodo approbatam fuisse huiusmodi iam factam exactionem;

§ 4. Idcirco, ne ex beneplacito apostolico seu approbatione et confirmatione impositionis sisarum seu gabellarum per exactores et alios ab ecclesiasticis ante obtentum beneplacitum seu approbationem et confirmationem apostolicas exactarum ullo modo praetendi possit voluisse nos aut velle impositionem dictarum gabellarum, seu sisarum eo tempore, quo facta fuit declarare aut etiam tacite approbare illam licitam fuisse, providere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac merâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, declaramus et attestamur, propter emanatum beneplacitum aut subsequutam postmodum earumdem gabellarum seu sisarum impositionis approbationem et confirmationem, nos propterea nullo modo voluisse nec velle declarare, minusque etiam tacite approbare nec tolerare, earumdem sisarum seu gabellarum impositionem, illarumque exactionem seu exactiones contra personas ecclesiasticas et ecclesias, si quae antea factae fuerunt; quinimo illas uti ante obtentum nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, et sic eo tempore illicite factas, ac de facto factas, illasque facere nemini unquam ante obtentum beneplacitum apostolicum absque sententiarum, censurarum et poenarum a sacris canonibus et conciliorum generalium decretis ac constitutionibus apostolicis inflictarum incursu licuisse, neque licere, sed talia perpetrantes in censuras et poenas praedictas incidisse;

Exactoresque in canonicas poenas incurrisse.

Clausulasque pro praesentium litterarum firmitate apponit.

§ 5. Praesentes vero litteras, ac omnia et singula in eis contenta, etiam ex eo quod laici praedicti, seu consilium regium, aut alii quicumque cuiuscumque qualitatis, status, gradus, dignitatis, etiam laicalis et supremae, conditionisque et praeeminentiae, etiam speciali notâ dignae, in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, ad hoc vocati, citati et auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari, redargui vel retractari non[1] posse; sed easdem praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi valida et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque et non aliter in praemissis omnibus per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et nuncios, quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, litteris nostris praedictis, ac regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque, quorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et insertis haberi volumus.

Datum in Arce Gandulphi, sub annulo Piscatoris, die XXVI octobris MDCXXXIII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 26 octobris 1633, pontif. anno XI.

CDLXXI.

Declarat nihil obesse, si quibus in Apostolicis Brevibus pontificatus sui anni a coronationis non autem ab assumptionis suae die computati reperiantur[2].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Pontifex mandaverat pontificatus sui annos

§ 1. Cum, sicut accepimus, licet anni pontificatus nostri a die qua ad summi

1 Partic. *non* nos addimus (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

ab assumptionis die computari.

apostolatus apicem, divinâ favente clementiâ, assumpti fuimus in quibusvis litteris apostolicis etiam in formâ Brevis de mandato nostro computari debuerint, mandatumque et voluntas nostra huiusmodi tam in secretariâ nostrâ Brevium secretorum, quam datariâ et cancellariâ exequutioni demandata fuerint, idem nihilominus in secretariâ nostrâ litterarum in formâ Brevis, quae principibus scribuntur, sive ob non habitam voluntatis et et mandati nostrorum notitiâ, seu aliàs inadvertenter, servatum non fuerit, sed in eâ anni pontificatus nostri a die coronationis nostrae numerati fuerint:

Sed cum in secretariâ Brevium ad principes computati fuerint a coronationis die;

Praecipit ab assumptionis die imposterum computari.

§ 2. Nos, ne ex praemissis dubium aliquod circa eorumdem annorum computationem, seu aliàs, aut aequivocatio[1] oriri contingat, mandamus dilecto filio Francisco Herrera earumdem litterarum, quae principibus scribuntur, secretario, ut de cetero annos pontificatus nostri non a die coronationis, sed a die assumptionis nostrae ad eumdem pontificatum numeret, utque voluntatis nostrae huiusmodi memoria perduret, volumus, ut praesentium transumptum, manu dilecti pariter filii magistri Marci Aurelii Maraldi praelati ac secretarii domestici nostri eorumdem Brevium secretorum subscriptum, in secretariâ dictarum litterarum, quae principibus scribuntur, retineatur et perpetuo asservetur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV decembris MDCXXXIII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 15 decembris 1633, pontif. anno XI.

CDLXXIII.

Decretum, ut omnes regularium superiores suos subditos et religiosos persaepe commoneant de iniunctâ omnibus observantiâ et exequutione apostolicarum constitutionum et decretorum ad officium sanctissimae inquisitionis adversus haereticam pravitatem pertinentium.

Feriâ quintâ XV decembris MDCXXXIII in generali Congregatione sanctae Romanae et universalis inquisitionis habitâ in palatio apostolico coram Sanctissimo Domino nostro Urbano divinâ providentia Papâ VIII, ac eminentissimis et reverendissimis dominis sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus adversus haereticam pravitatem inquisitoribus generalibus a sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatis.

Sanctissimus Dominus noster, sedulo incumbens, ut ea, quae salubriter apostolicis decretis et constitutionibus statuta et ordinata sunt, praesertim, quae ad sanctum officium inquisitionis contra haereticam pravitatem pertinent, inviolabiliter observentur, et omnimodam sortiantur exequutionem, districte mandat et praecipit: ut omnes superiores, cuiusvis Ordinis, congregationis, societatis, etiam de necessitate exprimendae, regularis aut cuiusvis alterius instituti, etiam quantumvis exempti et privilegiati, etiam per amplissima privilegia, cum clausulis, ne comprehendantur in litteris, decretis, ordinationibus et constitutionibus apostolicis non facientibus plenam et expressam ac de verbo ad verbum, nedum de ipsis Ordinibus, congregationibus, societatibus et institutis, sed etiam de huiusmodi exemptione, privilegio vel indulto mentionem (quibus hac vice, et ad effectum praesentis decreti dumtaxat consequendum, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter et expresse, et ad formam etiam generalis constitutionis Suae Sanctitatis incipientis *Cum sicut accepimus*, sub datum Romae, die V novembris MDCXXXI, Sanctitas Sua derogavit et derogat, ceterisque contrariis quibuscumque), teneantur, sub poenâ privationis officii ac vocis activae et pas-

1 Legendum foret *aequivocationem* (R. T.).

sivae ipso facto incurrendâ, aliisque arbitrio Sanctitatis Suae infligendis poenis, in perpetuum, semel saltem in anno, idest ferià sextâ post octavam Assumptionis beatae Mariae Virginis, in publicâ mensâ, vel in capitulo ad hoc specialiter convocato, et insuper in quocumque generali ac provinciali capitulo, conventu, dietâ, vel alio quovis nomine nuncupato capitulari congressu, suos subditos ac religiosos commonere de iniunctâ omnibus observantiâ et exequutione earumdem apostolicarum constitutionum et decretorum ad sanctum officium inquisitionis adversus haereticam pravitatem pertinentium, ac praesertim:

Iulii III constitutionis, quae incipit *Licet a diversis*[1], contra impedientes inquisitores haereticae pravitatis in eorum officio, aut in causis inquisitionis se ingerentes, eorumque complices et fautores, et contra ipsos inquisitores admittentes laicos ad criminis haeresis cognitionem; et Pii V constitutionis, quae incipit *Si de protegendis*[2], contra occidentes, verberantes, deiicientes, aut perterrefacientes quemvis ex ministris sanctissimi officii inquisitionis vel episcoporum id munus in suâ dioecesi vel provinciâ obeuntium, seu accusatorem, denunciatorem aut testem in causâ fidei quomodocumque productum vel evocatum; necnon contra diripientes, expugnantes, invadentes, incidentes, expilantes, aliòve exportantes alicuius praedictorum bona, libros, litteras, auctoritates, exemplaria, regestra, protocolla, exempla, scripturas, aliave instrumenta, sive publica sive privata, ubicumque posita, eorumque complices et fautores; et contra effrangentes carcerem vel custodiam, publicam vel privatam, extrahentes vel emittentes vinctum, prohibentes capiendum, captumve eripientes, recipientes, occultantes, seu facultatem effugiendi dantes, seu id fieri iubentes, eorumque complices et fautores, etiam effectu non sequuto, nullatenus excusandos, nisi claras tantummodo probationes in contrarium adducentes; et contra intercedentes pro praefatis delinquentibus: inflictis contra quemlibet praedictorum poenis, quae damnatis ex primo capite legis Iuliae Maiestatis[1], eorumque filiis, irrogantur, et oblatâ revelantibus impunitate:

Pii IV constitutionis quae incipit *Cum sicut nuper*[2], contra sacerdotes, qui poenitentes mulieres in actu sacramentalis confessionis ad inhonestos actus provocare et allicere tentant et sollicitant; et Gregorii XV constitutionis, quae incipit *Universi*[3] *Dominici gregis*[4], ampliativae circa huius criminis probationes, et extensivae contra confessarios, qui personas (quaecumque illae sint) ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis, quomodolibet perpetranda in actu sacramentalis confessionis, sive ante sive post immediate, seu occasione vel praetextu confessionis, vel extra occasionem confessionis in confessionario, aut alio loco ad audiendam confessionem electo, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint, et contra confessarios non monentes eos, quos sciunt ab aliis confessariis sollicitatos esse, ut inquisitoribus vel Ordinariis sollicitantes denuncient, vel docentes eos ad denunciandum non teneri:

Gregorii XIII constitutionis, quae incipit *Officii nostri partes*, de iurisdictione inquisitorum haereticae pravitatis in eos,

1 Quam vide in tom. VI, pag. 431 (R. T.).
2 Tom. VII, pag. 744 (R. T.).

1 Sic et Cherub.; sed nullam legem *Iuliae Maiestatis* cognosco; leg. potius *laesae maiestatis*, ut patet ex loc. parall. tom. VII, pag. 745 (R. T.).
2 Tom. VII, pag. 126 (R. T.).
3 Edit. Main. legit erronee *Universis* (R. T.).
4 Tom. XII, pag. 729 (R. T.).

qui ad ordinem presbyteratus non promoti missas celebrant, et sacramentaliter confessiones audiunt[1]; Clementis VIII constitutionis, quae incipit *Etsi aliàs,* declaratoriae poenae contra eos infligendae per iudices laicos, praeviâ eorum degradatione[2]; et Sanctitatis Suae constitutionis, quae incipit *Apostolatus officium,* extensivae[3] ad minores vigintaquinque annis, dummodo vigesimum aetatis annum compleverint[4]:

Sixti V constitutionis[5], quae incipit *Caeli et terrae creator,* contra exercentes artem astrologiae iudiciariae, et alia quaecumque divinationum genera, librosve harum artium legentes vel tenentes[6]; et Sanctitatis Suae constitutionis, quae incipit *Inscrutabilis iudiciorum Dei,* extensivae[7] ad alia, et cum gravioribus poenis[8]:

Clementis VIII constitutionis, quae in incipit *Cum sicut,* contra Italos, ne extra Italiam proficiscantur ad loca, in quibus liber et publicus cultus sive usus catholicae religionis non existat, minusque eis in locis habitent[9]; et Gregorii XV constitutionis, quae incipit *Romani Pontificis,* contra haereticos, ne in locis Italiae et insularum adiacentium quovis praetextu commorentur, et contra eorum fautores et receptatores[10]:

Pauli V constitutionis, quae incipit *Romanus Pontifex,* revocatoriae facultatum superioribus quorumcumque Ordinum et religiosorum[11] quoquo modo concessarum, cognoscendi causas suorum subditorum ad officium sanctae inquisitionis quomodolibet pertinentes[1]:

Eiusdem constitutionis, quae incipit *Regis pacifici,* innovatoriae constitutionum a Sixto IV et Pio V de Conceptione B. M. V. editarum, impositionis maiorum poenarum in transgressores, a locorum Ordinariis et haereticae pravitatis inquisitoribus puniendos[2]; et Gregorii XV constitutionis, quae incipit *Sanctissimus Dominus noster auditis,* ampliativae et declaratoriae prohibitionis asserendi beatam Mariam Virginem conceptam in peccato originali[3]:

Gregorii XV constitutionis, quae incipit *Romanus Pontifex in specula,* revocatoriae quarumcumque concessionum vivae vocis oraculo factarum; et Sanctitatis Suae constitutionis extensivae[4] ad quoscumque, quantumvis privilegiatos et exemptos, quae incipit *Aliàs felicis recordationis Gregorius XV,* sub datum Romae XX decembris MDCXXXI[5]:

Eiusdem constitutionis, quae incipit: *Apostolatus officium*[6], et Sanctitatis Suae constitutionis, quae incipit eo modo, revocatoriae[7] licentiarum quarumcumque legendi et habendi libros prohibitos[8]:

Sanctitatis Suae constitutionis, quae incipit *Sanctissimus Dominus noster sollicite animadvertens,* de imaginibus nondum a Sede Apostolicâ canonizatorum, vel beatificatorum, cum radiis, splendoribus, aut laureolis non proponendis, tabellis aut luminaribus ad eorum sepulchra non apponendis, eorumve gestis, miraculis, revelationibus et beneficiorum impe-

1 Tom. VIII, pag. 86 (R. T.).
2 Tom. X, pag. 750 (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *extensiva* (R. T.).
4 Tom. XIII, pag. 646 (R. T.).
5 Male hic et pluries postea edit. Main. legit *constitutio* (R. T.).
6 Tom. VIII, pag. 646 (R. T.).
7 Edit. Main. legit *extensiva* (R. T.).
8 Quam vide sup. pag. 211 huius tomi (R. T.).
9 Tom. X, pag. 279 (R. T.).
10 Tom. XII, pag. 708 (R. T.).
11 Potius *religionum* vel *institutorum* (R.T.).

1 Tom. XI, pag. 346 (R. T.).
2 Tom. XII, pag. 356 (R. T.).
3 Tom. XII, pag. 688 (R. T.).
4 Edit. Main. habet *extensiva* (R. T.).
5 Vide sup. pag. 258.
6 Tom. XII, pag. 779 (R. T.).
7 Edit. Main. habet *constitutio... revocatoria* (R. T.).
8 Quam vide supra pag. 217 huius tomi (R.T.).

trationibus non publicandis aut imprimendis[1]:

Pariter Sanctitatis Suae constitutionis, quae incipit *Sanctissimus Dominus noster pro debito sui pastoralis officii*, de libris ubicumque compositis, de quacumque materiâ tractantibus, ab his, qui degunt in Statu Ecclesiastico, non transmittendis aliò, ut imprimantur, sine vicarii et magistri sacri palatii in Urbe, vel extra eam sine Ordinarii et inquisitoris, aut ab eis deputatorum, licentiâ[2]:

Et eiusdem Sanctitatis Suae constitutionis sub datum Romae die v novembris MDCXXXI, quae incipit *Cum sicut accepimus*, quod constitutiones apostolicae in concernentibus fidem catholicam et sanctae inquisitionis officium hactenus editae et imposterum, etiam super quacumque aliâ re edendae, omnes regulares quomodolibet privilegiatos comprehendant, nisi in edendis illis specialiter excipiantur[3].

Et insuper iidem superiores teneantur curare et efficere, ut huius decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, et affixa conserventur, ita ut ab eisdem subditis religiosis omnibus videri ac legi commode queant; deque huiusmodi commonitione publico documento statim certiorem facere congregationem sanctissimae inquisitionis in Urbe. Et nihilominus voluit, ut decretum huiusmodi, seu illius exemplum, intimatum procuratori generali cuiuscumque Ordinis, congregationis, societatis et instituti, ut supra, in Urbe degenti, vel ad valvas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, et Principis Apostolorum Urbis, et in acie Campi Florae affixum, etiam absque intimatione praedictâ, infra duos citra montes, ultra vero montes infra quatuor menses ex tunc proximos, omnes et singulos eorumdem Ordinis, congregationis, societatis et instituti religiosos perinde arctet et afficiat, ac si commonitio et affixio praedictae exequutae essent, et unicuique hoc ipsum decretum exhibitum, ac personaliter intimatum foret. Et ita mandat et praecipit Sanctitas Sua.

IOANNES ANTONIUS THOMASIUS
S. Roman. et univers. inquisit. notarius.

Anno MDCXXXIV, *indictione secundâ, pontificatus Sanctissimi D. N. D. Urbani divinâ providentiâ Papae VIII anno* XI, *die vero quintâ ianuarii supradictae litterae sive decretum affixum et publicatum fuit ad valvas basilicarum S. Ioannis Lateranensis, et Principis Apostolorum Urbis, ac in acie Campi Florae, ut moris est, per me Antonium Bardum praelibati SS. D. N. Papae cursorem.*

1 Tom. XII, pag. 309 (R. T.).
2 Habetur in tom. XIII, pag. 371 (R. T.).
3 Vide sup. pag. 248 huius tomi (R. T.).

CDLXXII.

Statutum circa causarum criminalium in regno Poloniae cognitionem[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Singularia atque eximia charissimi in Christo filii nostri Vladislai Poloniae et Sveciae regis illustris in nos et hanc Sanctam Sedem fidei et devotionis merita, ac praecipuus, quo eumdem Vladislaum regem complectimur, paternae charitatis affectus, promerentur, ut quae ad prosperum felicemque christifidelium in regno Poloniae existentium statum et quietem pertinere dignoscuntur, quantum cum Domino possumus, favorabiliter concedamus. Prooemium.

§ 1. Supplicationibus itaque dilecti filii nobilis viri Georgii Ossolinski comitis de Tenchin eiusdem Vladislai regis[2] nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, quod de cetero in praefato regno Poloniae causae criminales in primâ instantiâ Gradus appellationis in causis criminalibus designat.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Videtur deesse *nomine* (R. T.).

cognoscantur ab ordinariis locorum, in secundâ a metropolitano, in tertiâ a dilecto filio moderno et pro tempore existente in dicto regno Poloniae nuntio (in reliquis instantiis, etiam restitutionis in integrum, et in secundâ instantiâ, quando metropolitanus uti ordinarius in primâ instantiâ cognoscit, committentur causae appellationum nullitatum per signaturam iustitiae infra certum tempus, et in partibus, alicui ex episcopis vel suffraganeis in eodem regno pro tempore existentibus, quos omnes pro huiusmodi causis criminalibus cognoscendis et terminandis habilitamus), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae. § 2. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 3. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quarumcumque ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v ianuarii, MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 5 ianuarii 1634, pontif. anno XI.

CDLXXIV.

Declaratio nonnullorum statutorum pro congregationibus Tusciae et Lombardiae monachorum Ordinis Cisterciensis emanatorum [1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Aliàs ab hoc Pontifice emanavit Constitutio super reformatione et confirmatione nonnullorum statutorum, cuius tenor hic refertur.

Aliàs a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam. In Sede Principis Apostolorum [2], nullis licet nostris suffragantibus meritis, divinâ providentiâ constituti, inter multiplices pastoralis officii curas, ad ea, per quae [3] regularis disciplinae observantia in quibuslibet Ordinibus et congregationibus conservetur, maioraque in dies suscipiat incrementa, sollicitudinis nostrae partes sedulo intendimus, et in iis, quae propterea pie et provide statuta sunt, apostolicae confirmationis robur libenter adiicimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque, sicut accepimus, pro felici prosperoque dilectorum filiorum monachorum Cisterciensis [4] Ordinis congregationum Lombardiae et Tusciae insimul unitarum statu, et reformatione in eis introducendâ, nonnullae constitutiones et statuta edita et a dilecto filio nostro Roberto tituli S. Alexii presbytero cardinali Ubaldino nuncupato, eiusdem Ordinis apud nos et Apostolicam Sedem protectore, ac duobus aliis Romanae curiae praelatis, pietate, doctrinâ et religionis zelo praestantibus, auditis etiam et consultis dilectis filiis praeside, procuratoribus et duobus ex antiquioribus abba-

1 Horum statutorum confirmationem habes in Const. huius Pont., *In Sede*, ut supra pag. 203.

2 Constitutionem hanc cum Cherub. et Main. iterum referimus suis numeris distinctam, quia huiusmodi numerorum distinctio necessaria est ad seqq. declarationes intelligendas (R. T.).

3 Male edit. Main. legit *per quo* (R. T.).

4 Edit. Main. legit *Cisterciensium* (R. T.).

tibus dictarum congregationum, de mandato nostro visa et examinata fuerint, tenoris subsequentis, videlicet:

De praelatorum residentiâ suis in monasteriis.

I. Praelati omnes quorumcumque monasteriorum residentiam requirentium debeant omnino in eis personaliter residere, nec ullo praetextu possint ab eis abesse ultra tempus praescriptum a constitutione editâ a capitulo anni MDCXVI, videlicet ultra viginti dies continuos. Praelatus qui ultra praedictum tempus, vel in totius anni cursu ultra quadraginta dies, continuis et discontinuis computatis, sine licentiâ regiminis ex legitimâ causâ in licentiâ exprimendâ et in actis redigendâ, abfuerit a suo monasterio, graviter puniatur, etiam privatione vocis activae et passivae, quin etiam ipsi patres regiminis, si absque legitimâ causâ huiusmodi licentiam concesserint, gravi poenâ pro arbitrio definitorii afficiantur.

De communi peculio.

II. Universae pecuniae communes ad singulas provincias pertinentes habeantur repositae et custoditae in capsâ triclavi, quae retineatur clausa tribus clavibus, quarum una remanere debeat penes caput regiminis, altera penes visitatorem maiorem, tertia penes capserium, quo munere fungi debeat unus ex abbatibus titularibus, qui pro provinciâ Lombardiae teneatur residere in monasterio S. Ambrosii, isque eligi debeat per capitulum, et interim usque ad eius celebrationem providebit illustrissimus protector, dictusque capserius retineat libros introitus et exitus, in quibus omnia distincte et ordinate adnotata apparcant, nec aliquid omnino erogare aut solvere possit alicui personae absque mandato regiminis in scriptis; si sine praedicto mandato quicquam erogaverit aut solverit, privationem praelaturae incurrat. Supradicta autem computa et mandata omnia singulis trienniis ante capitulum diligenter revideri debeant pro provinciâ Lombardiae per abbates S. Stephani de Cornu et Aquaefrigidae, et pro provinciâ Tusciae a duobus praelatis, qui non sint de regimine, deputandis per capitulum, qui accuratam et plenam relationem praedictorum omnium teneantur facere in capitulo.

III. Tempore per constitutiones ad eligendos discretos deputato[1] nullus abbatum accedat ad aliena monasteria, sed unusquisque in suo se monasterio contineat; qui secus fecerit, voce activâ in capitulo careat.

De discretis.

IV. Electi in discretos ad alia monasteria se minime transferant, sed in monasterio in quo degunt expectent discessum sui abbatis, cum quo rectâ accedant ad capitulum; si secus fecerint, voce in capitulo careant; interim vero se informent de statu monasterii, de quo interrogentur diligenter in capitulo; et casu quo non reperiantur diligenter informati, sint inhabiles in futurum, ad hoc, ut possint eligi in discretos.

De datis et acceptis.

V. In virtute sanctae obedientiae praecipimus tam discretis, ne quid omnino ab aliquo accipiant etiam sponte dare volente[2], quam omnibus et singulis religiosis, ne quid eis dare audeant; quod si delictum huiusmodi quis commiserit, et fuerit sufficienter probatum, tunc, tam dans, quam accipiens, privationem omnium dignitatum et officiorum incurrant, necnon inhabilitatem ad eadem vel alia in perpetuum.

De inventario rerum, quas quisque monachus habet, conficiendo.

VI. Sicut ex praescripto constitutionum tenentur subditi singulis annis tradere praelatis inventaria rerum omnium, quas habent penes se, et contrafacientes inter proprietarios censentur, et poenis proprietariorum in utroque foro subiacent; ita in posterum abbates et praelati omnes tempore visitationis, ipsi autem praeses et visitatores tempore capituli, sub iisdem

1 Erronee edit. Main. legit *deputatos* (R. T.).
2 Male edit. Main. habet *valenti* (R. T.).

poenis ipso facto incurrendis, teneantur conficere inventaria, in quibus cuiuscumque generis res omnino, pecuniae et bona, quae habent, quam diligentissime praescripta sint; eaque abbates et praelati supradicti praesidi et visitatoribus, praeses autem et visitatores definitoribus tradere teneantur, reponenda et conservanda in capsâ triclavi; supradicti[1] visitatores autem et definitores in hac re, iuxta praescriptum sacri Concilii Tridentini, curare debebunt, ut uniuscuiusque religiosi supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in eâ sit, nihil etiam, quod necessarium sit, eis denegetur.

De visitationibus provinciarum et monasteriorum.

VII. Visitatio provinciarum ut serio et diligenter habeatur, debeant omnino praeses et visitatores omnia et singula monasteria personaliter per se ipsos visitare, et in unoquoque per tantum tempus permanere, quantum necessarium erit ad visitationem plene et accurate perficiendam; ideoque visitationibus peragendis deputentur menses aprilis, maii et iunii, non obstante dispositione constitutionum in hac parte. Visitatores autem utantur communi mensâ, et frugali victu sint contenti, idemque servetur in comitiis. Praecipitur vero in virtute sanctae obedientiae, ut, tam ipse praeses et visitatores, quam eorum conversi et famuli, nihil omnino percipiant a visitatis, etiam sponte dare volentibus; quod si praesidem seu visitatores quidquam accepisse, aut a conversis et famulis, ipsis scientibus, acceptum fuisse probatum fuerit, inhabiles sint in perpetuum ad praesidentatus et visitatoratus officia; et nihilominus conversi, qui acceperint, graviter puniantur, et famuli absque spe reditus a servitio statim eiiciantur.

Cellerarii, aliorumque ministrorum computa singulis mensibus examinanda.

VIII. Abbas, prior et revisores computorum teneantur singulis mensibus revidere computa tam cellerarii quam aliorum omnium ministrorum, qui substantiam monasterii administrant; singuli autem eorum adnotent in particulari schedulâ omnia supradicta computa, dictamque schedulam penes se custodiant, et tempore capituli consignent discreto, ut deferat ad capitulum. Quod si abbas facere neglexerit, de malâ administratione suspectus censeatur, ita ut adversus eum procedi possit.

De conversis.

IX. Conversi deputari non possint ad administrationes extra monasteria ad officium subcellerariatus, aut ad servitia particularia abbatum, nisi post quintum professionis annum completum: qui secus aliquem deputaverit, voce activâ in proximo capitulo careat.

Extra monasteria non pernoctandum.

X. Nemini monachorum, sed praesertim iunioribus non sacerdotibus, ullo modo detur licentia permanendi, recreationis gratiâ in loco in quo sit eis pernoctandum extra monasteria vel loca monasteriorum. Praelatus, qui adversus hoc licentiam concesserit, ab officio per sex menses suspendatur.

Abbatum emeritorum privilegia.

XI. Abbatibus emeritis, qui ex legitimâ causâ renunciaverint dignitati, liceat, honoris gratiâ abbatis nomine vocari, quod maluerint monasteriorum pro habitatione tempore renunciationis et celebrationis capituli sibi eligere, habere conversum ad servitia sibi deputatum, et quoad victum et vestitum censeri vice[1] abbatum.

Cellerariorum munus.

XII. Nemini praelatorum liceat, pecunias monasteriorum exigere, aut erogare, aut eas quovis modo contrectare, neque item in rebus monasteriorum dividendis aut necessariis comparandis per se ipsos se immiscere, sed ea omnia per cellerarios, aut alios ministros ad quos ex constitutionum praescripto attinet, fiant: qui tamen cellerarii et ministri teneantur in huiusmodi rebus peragendis suorum praelatorum praeceptis obedire, nec quidquam,

1 Aptius in l. paralt. *triclavi supradictâ* (R. T.).

1 In loc. paralt. est *iure* pro *vice* (R. T.).

nisi eodem praelato iubente et mandante, exequi possint. Pecuniae autem a capserio ad id munus specialiter deputato custodiantur in capsâ triclavi, quae in singulis monasteriis habeatur in cubiculo praelati, earumque clavium unam retineat praelatus monasterii, aliam capserius, tertiam cellerarius, per quem cellerarium, seu alios ministros ad quos spectaret ut supra, tam eleemosynae, quam munuscula, si qua[1] dari licuerit, dentur, de praelatorum tamen mandato aut licentiâ, ac servatâ formâ constitutionis Clementis VIII de largitione munerum, semperque rei, quae datur, qualitas, quantitas, et, si fieri possit, etiam nomina eorum quibus dantur, aut per quos transmittuntur, in libro dati et accepti fideliter describantur. Quod si praelati praedicta aut aliqua eorum per se ipsos, et non adhibitis ministris, facere ausi fuerint, tunc in eos, tamquam fraudis et parum sincerae administrationis suspectos, tam capitulum quam visitatores et regimen procedant.

Nihil privato nomine habendum.

XIII. Si quis praelatus aut religiosus privato nomine equos, iumenta, pecudes, frumenta, blada, legumina, aut alios quoscumque fructus ex terrâ provenientes, tenere, possidere, aut a monasteriis emere, vel in solutionem accipere ausus fuerit, is, praeter amissionem usus earum rerum omnium et singularum, si praelatus sit, poenam contra exercentes mercaturam, cap. XXV[2] constitutionum taxatam, incurrat; monachi, qui trasgressores reperti fuerint, poenae inhabilitatis ad officia omnia et dignitates subiaceant; conversi denique per annum carceri mancipentur, et deinceps ab omni temporali administratione arceantur. Ad effectum vero probandi quempiam privato nomine aliqua praedictorum tenuisse aut possedisse, sufficiat probare, quod a die emptionis, adeptionis, aut captae possessionis, seu intentionis[1] eorum, in libris publicis monasterii scripta non fuerint.

1 Edit. Main. habet *quae* (R. T.).

2 In loc. paralt. est XXIII (R. T.).

Quis eligendus visitator.

XIV. In visitatorem minorem assumi non possit, qui trigesimum aetatis annum non expleverit, aliàs electio nulla sit ipso iure.

Quinam definitores.

XV. Ex patribus, qui immediate in regimine resederunt, non possint tempore capituli assumi in definitores, nisi ad summum duo tantum pro singulis provinciis. Quod si agatur directe vel indirecte de negotiis ad personam vel regimen seu administrationem alicuius ex definitoribus pertinentibus, tunc ipse, de cuius negotiis, ut supra, agitur, debeat omnino exire a definitorio.

Definitorium.

XVI. In definitorio habeat omnino locum unus saltem ex discretis pro singulis provinciis.

Patres regiminis.

XVII. Patres regiminis eamdem habeant in regimine durationem et vacationem, quam habent praelati in gubernio monasteriorum, nisi forte assumendus sit aliquis ex dictis patribus in praesidem.

Praeses functus officio.

XVIII. Liceat praesidi, post finitum officium, eligere sibi quod maluerit ex monasteriis suae provinciae gubernandum, exceptis, pro provinciâ Lombardiae, monasteriis Claraevallis Mediolani, S. Ambrosii maioris Mediolani, S. Martini Parmensis, et S. Crucis in Hierusalem de Urbe, et, pro provinciâ Tusciae, monasteriis Septimi, Cistelli Florentini, et Trium Fontium de Urbe, ad quorum monasteriorum gubernationem, sicut et in procuratorem provinciae in Curiâ Romanâ, is, qui praesidentatus munere proxime defunctus est, nullo pacto eligi valeat.

Abbas post triennium promoveri possit.

XIX. Nullus abbatum eligi possit ad loca regiminis, nisi saltem per triennium fuerit abbas.

Hortatio ad superiores.

XX. Superiores omnes, praesertim monasteriorum in quibus viget regularis

1 Aptius in loc. paralt. est *tentionis* (R. T.).

observantia, enixe hortamur in Domino, ac etiam eis praecipimus et mandamus, ut in frequentando noctu diuque chorum, vitâ communi in refectorio agendâ, ceterisque observantiis omnibus, quae per regulam et constitutiones praescribuntur, exacte obeundis, subditis exemplo sint.

Ne quis eligatur ante decem annos professionis.

XXI. Nullus possit eligi ad exercenda officia, qui, praeter alias conditiones et requisita, non habuerit decem annos completos professionis; aliàs electio sit nulla, et electores facultate eligendi deinceps careant.

Officia triennalia.

XXII. Officia prioratus, cellerariatus et magistri novitiorum non vacent singulis annis, sed sint triennalia, ut olim observabatur.

Eligendorum in abbates qualitates.

XXIII. In abbatem deinceps nullus assumatur, qui non habeat sufficientem scientiam ad exercendum curam animarum, aliàs electio sit ipso facto nulla: supradictam autem scientiam ad hunc effectum eos tantum habere intelligi volumus, qui, pro provinciâ Lombardiae, ad exercendam curam animarum approbati fuerint ab Ordinario Mediolanensi, a Florentino vero pro provinciâ Tusciae, vel pro utrâque provinciâ ab Urbis vicario, sive ab alio Ordinario per eminentissimum cardinalem protectorem pro tempore existentem deputando.

Capituli duratio.

XXIV. Capitulum duret saltem per octo dies, et singulis diebus bis congregetur definitorium duraturum singulis vicibus saltem per tres horas.

Praesidis locus.

XXV. Constitutio, qua disponitur ut praeses resideat in partibus Mediolani, intelligatur de monasteriis non distantibus ab urbe Mediolani ultra dietam, in quibus aliàs non sit prohibitum residere patribus regiminis.

Numerus religiosorum taxandus.

XXVI. In proxime futuro capitulo, ad praescriptum decreti de celebratione missarum, taxetur numerus religiosorum in unoquoque monasterio retinendorum iuxta eiusdem monasterii redditus, et idem fiat de famulis et equis: quo taxato, non licebit abbatibus numerum etiam famulorum et equorum augere, sub poenis expressis in supradictis decretis.

Collegium Lombardiae.

XXVII. Erigatur in monasterio deputando in proximo capitulo aliud collegium in provinciâ Lombardiae, in quo habeantur saltem decem collegiales, et decem alii collegiales retineantur pro provinciâ Tusciae in uno vel pluribus collegiis; ad quem effectum debeat in futuro capitulo unum vel alterum monasterium deputari.

De novitiis recipiendis.

XXVIII. Novitii non recipiantur imposterum nisi tempore celebrationis capituli in ipso capitulo, et, priusquam admittantur ad habitum, debeant omnino degere in habitu seculari per duos menses in monasterio sub regulari observantiâ: circa receptionem vero et qualitates eorumdem serventur decreta Clementis VIII, et constituatur omnino professorium, in quo pariter serventur decreta eiusdem Clementis.

Assignatio pro collegio S. Crucis de Urbe.

XXIX. Pro sustentatione monachorum monasterii et collegii S. Crucis in Hierusalem de Urbe, et aliis nonnullis oneribus et expensis quae in Urbe consueverunt fieri pro provinciâ Lombardiae, de quibus in schedulâ per praesidem et abbatem S. Crucis subscriptâ, assignentur redditus bonorum de Viono, quorum administratio ad abbatem pro tempore S. Crucis, vel ad eos qui eidem abbati benevisi fuerint, spectabit, quamdiu collegium in praedicto monasterio S. Crucis perseverabit. Quod si collegium aliò transferri, aut quovis modo in dicto monasterio cessare contigerit, tunc et eo casu redditus et administratio bonorum de Viono ad capsam, quam vocant triclavem, pertineant, prout hactenus pertinuerunt; contributiones autem pro collegii sustentatione, monasteriis in proximo praeterito capitulo impositae, ipsi capsae

congregationis persolvantur, quamdiu redditus praedictorum bonorum de Viono collegii sustentationi deputati[1] manserint.

Per supradictos autem articulos, pro reformatione dictae congregationis formatos, non intelligitur derogatum in aliquo decretis sacri concilii Tridentini, ac felicis recordationis Clementis VIII, et[2] SS. D. N. quoad regulares editis:

Confirmatio et approbatio statutorum.

Nos, inviolabili constitutionum ac statutorum huiusmodi observationi, felicique earumdem congregationum directioni, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere, ac praesidem et monachos praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, constitutiones et statuta praeinserta huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti ac solemnitatum omissarum et quosvis alios etiam quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici possent, supplemus. Decernentes illas in praedictis congregationibus ab omnibus et singulis ad quos spectat et in futurum spectabit inviolabiliter observari et adimpleri omnino debere, irritumque nihilominus et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis et congregationum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI martii MDCXXXI, pontificatus nostri anno VIII.

Et, quia aliqua ex supradictis statutis indigebant explicatione,

§ 2. Cum autem, sicut denuo accepimus, post emanatas praeinsertas litteras huiusmodi, in capitulo generali earumdem congregationum, de modo et formâ suprainsertas constitutiones et statuta exequutioni et observantiae demandandi actum fuerit, ac, maturâ consultatione adhibitâ, compertum sit, faciliori atque exactiori tam ipsarum superius insertarum quam etiam aliarum constitutionum earumdem congregationum olim a felicis recordationis Gregorio Papa XIII praedecessore nostro confirmatarum exequutioni et observantiae securius consultum fore, si tam ipsae supra insertae in nonnullis ex supradictis capitibus, videlicet VI, VII, XIII, XXIII et XXVIII, quam etiam aliae a dicto Gregorio praedecessore, ut praefertur, confirmatae constitutiones et statuta in duobus infrascriptis capitibus (quorum unum est, videlicet: Electio, sive imbursatio discretorum fiat praesentibus et intervenientibus pro veritatis testimonio religiosis aliis in illo monasterio commorantibus, inter quos saltem quatuor sacerdotes interveniant ex alio monasterio vocandi, si ex eo haberi non poterunt, sicque electi discreti ad capitulum acces

1 Male in loc. parall. est *deputari* (R. T.).
2 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

suri litteras testimoniales fidem facientes de legitimâ eorum electione ab omnibus sacerdotibus, seu saltem a quatuor eorum qui intervenerint electioni, subscriptas deferant, aliter sine litteris huiusmodi ad capitulum non admittendi: alterum vero est, videlicet: Illi tantum ad praelaturam et ad visitatoris maioris officium approbentur, qui officia minora, prioratus scilicet et cellerariatus, digne, gradatim, saltem biennio in quolibet officio, fideliter exercuerint) per nos, ut infra, declarentur, moderentur, limitentur, et alia etiam addantur respective:

Modo declarat, moderatur et alia addit Urbanus.

§ 3. Quare nos, qui negotium huiusmodi dilectis filiis nostris Antonio tituli S. Honuphrii presbytero, nostro secundum carnem fratri germano, ac Martio S. Mariae Novae diacono, cardinalibus, Ginetio nuncupato, mature, diligenterque examinandum, nobisque referendum commisimus, pro incumbentis nobis pastoralis officii debito prosperum earumdem congregationum statum felicemque directionem sinceris desiderantes affectibus, ac singulares eorumdem monachorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, de eorumdem Antonii et Martii cardinalium consilio, motu, scientiâ et deliberatione similibus:

Quoad VI, ut per capsam triclavem intelligatur triclavis congregationis:

Ad VII, singulis trienniis[1] una tantum visitatio fiat, uno quidem anno in monasteriis omnibus citra montes apenninos, altero vero in iis qui[2] sunt ultra montes, ita ut prima visitatio sit eius partis in qua fuerit praeses, eaque fiat temporibus in ipsâ constitutione assignatis, scilicet mensibus aprilis, maii et iunii singulorum annorum ex duobus, in quibus non celebratur capitulum: quod si praeses et visitatores singula monasteria personaliter non visitaverint, privationem vocis activae et passivae et inhabilitatem ad officia praesidentatus et visitatoratus incurrant.

1 Edit. Main. legit *triennis* (R. T.).

2 Potius lege *quae* (R. T.).

Ad XIII, monachi, qui extra claustra ad curam animarum vel alia beneficia ecclesiastica degunt, res huiusmodi ad usus proprios habere poterunt, sed singulis annis rerum huiusmodi notas abbati suo tradere tenebuntur sub poenis proprietariorum incurrendis.

Ad XXIII, examen et appobatio fiat per examinatores deputandos in capitulo congregationis.

Ad XXVIII, in capitulo numerus tantum novitiorum praefigatur, non autem necesse sit, ut eorum nomina exprimantur; et, quoad tempus deferendi habitum secularem[1], sufficiat mensis:

Quo vero ad constitutiones a dicto Gregorio praedecessore, ut praefertur, confirmatas:

In iis monasteriis, in quibus non sunt quinque sacerdotes ultra abbatem, sufficiat interventus et subscriptio eorum sacerdotum qui ibi commorantur:

Insuper vero monachis, curam animasum exercentibus, tempus talis exercitii suffragetur ad effectum habilitatis ad praelaturam et visitatoris maioris officium, non secus ac tempus exercitii officiorum prioris et cellerarii: apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo declaramus, moderamur, limitamus, eisque addimus respective.

Nec aliter iudicari posse decernit.

§ 4. Decernentes constitutiones et statuta sic per praesentes declarata, moderata, limitata et addita respective in praedictis congregationibus ab omnibus et sin-

1 Edit. Main. legit *secularium* (R. T.).

gulis, ad quos spectat et in futurum pro tempore spectabit, inviolabiliter perpetuo observari et adimpleri, et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus litteris nostris praeinsertis, ac aliter disponentibus constitutionibus et statutis in eis contentis praedictis, aliisque omnibus et singulis, quae in eisdem praeinsertis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV ianuarii MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 25 ianuarii 1634, pontif. anno XI.

CDLXXV.

Confirmatio triennalis impositionis super fructibus commendarum Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Inter ceteras, quibus assidue premimur, apostolatus nostri curas, in eam praecipue incumbimus, ut insula Melevitana[2] hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani firmissimum christiani nominis adversus Turcarum tyrannidem propugnaculum, debite muniatur, et quae propterea ab ipsius hospitalis magno magistro et consilio provide ordinata sunt, apostolicae firmitatis[3] munimine roboramus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Sane pro parte dilectorum filiorum Antonii de Paula magni magistri necnon consilii completi dicti hospitalis nobis expositum fuit, quod, cum, pro reficiendis et instaurandis moenibus civitatum Victoriosae, Sengleae et Vallettae earumque arcium, necnon propugnaculis aliisque fortificationibus perficiendis ac de novo construendis, commune aerarium dicti hospitalis ingenti pecuniarum summâ indigeat, infrascriptam impositionem, sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito, statuerunt et ordinaverunt, prout plenius continetur in decreto desuper emanato tenoris subsequentis, videlicet:

Decretum super fortificationibus faciendis.

§ 2. Frater Antonius de Paula Dei gratiâ sacrae domus hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, ac militaris Ordinis sancti Sepulchri Dominici magister humilis, pauperumque IESU CHRISTI custos, universis et singulis praesentes nostras litteras visuris, lecturis et audituris, salutem. Notum facimus, et in verbo veritatis attestamur, qualiter infrascriptum decretum extractum fuit ex libro seu registro conciliorum nostrae cancellariae, in quo similia adnotari et registrari solent, quod quidem in hanc publicam formam extrahi et redigi iussimus, ut ubique, tam in iudicio quam extra, eidem plena et indubitata fides adhibeatur: cuius tenor est, qui sequitur, videlicet:

Die XV mensis novembris MDXXXIII. Cum, pro reficiendis et instaurandis moenibus civitatum Victoriosae, Sengleae et huius humilissimae Vallettae earumque arcium, ac propugnaculis aliisque fortificationibus perficiendis ac de novo construendis, opus sit ex communi aerario ingens pecuniarum summa, iuxta decretum per venerandum concilium, referentibus venerandis commissariis desuper deputatis, nuper conditum, quod praemissa pro conservatione huius dominii, imo totius Reipublicae Christianae tuitione, fieri censuit ac mandavit, eminentissimus ac reverendissi-

1 Istius Ordinis materiam habes Constit. XLV, *Universalis*, tom. XIII, pag. 134, et Constit. *In specula*, ut supra.

2 Forsan legend. *Melitana* vel *Melitensis* (R.T.).

3 Male edit. Main. legit *firmatis* (R. T.).

mus dominus magnus magister ac venerandum concilium completum legitime congregatum, intellectâ denuo relatione praefatorum commissariorum, maturâque deliberatione praehabitâ, cum scrutinio ballottarum, sub beneplacito et confirmatione Sanctissimi Domini nostri Papae, eiusque Sedis Apostolicae, et non aliter, nec alio modo, ordinaverunt, statuerunt et imposuerunt ac imponunt pensionem sive impositionem duodecim millium scutorum monetae de tarenis duodecim pro singulis scutis super omnibus prioratibus, castellaniâ empostae, baiulivatibus, commendis, membris, pensionibus, ac bonis Ordinis tam exemptis quam non exemptis, etiam per commune aerarium (si in mortuario et vacanti extiterint), in quolibet ex tribus proxime sequentibus annis tantum et dumtaxat, praeter et ultra responsiones et impositiones ordinarias, pro ratâ et iuxtâ taxam sive aestimationem de anno MDLXXXIII editam, exsolvendum[1] in capitulis provincialibus cuiuslibet prioratus in singulis futuris annis MDCXXXIV, MDCXXXV et MDCXXXVI celebrandis, prout solvi consueverunt responsiones et impositiones, itaut in praedictis tribus annis summa triginta sex millium scutorum, ad praemissum effectum et non alium eroganda, exigi possit et debeat, nec ulterius, iis transactis, quovis praetextu seu colore ipsa impositio continuari valeat, sed statim suppressa et extincta sit et esse censeatur. Volentes, ut pecuniae ex huiusmodi impositione proventurae in arcâ sub clavibus suae eminentiae et commissariorum super fortificationibus deputatorum conserventur, et exinde, quando opus erit, extrahi valeant per eos fideliter in praefatum usum impendendae; quodque singulis mensibus iidem commissarii rationes et computa expensarum venerando concilio, sub poenâ de proprio ipsas expensas illius mensis satisfaciendi, reddere teneantur.

Et quia ita se habet veritas, factâque fideli cum originali collatione, concordare comperimus, ideo in huius rei testimonium bulla nostra magistralis in cerâ nigrâ praesentibus est impressa. Datum Melitae in conventu nostro, die XIX mensis novembris MDCXXXIII.

Confirmat Pontifex.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes impositionem huiusmodi, desuperque confectum decretum praeinsertum, quo exactius observentur, apostolici roboris firmitate communiri summopere desiderent: nos, illos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis, sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, impositionem praedictam, desuperque confectum decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans apponit.

§ 4. Decernentes impositionem et decretum huiusmodi praesentesque litteras valida, firma et efficacia existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac con-

1 Lege *exsolvendam* id. *impositionem* (R. T.).

stitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti hospitalis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis. § 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX ianuarii MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 30 ianuarii 1634, pontif. anno XI.

CDLXXVI.

Quod Ordinarii locorum et concionatores verbi Dei tempore Adventus et Quadragesimae necessitates locorum Terrae Sanctae commendari curent.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Salvatoris et Domini nostri, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem, vices licet immeriti gerentes in terris, inter multiplices gravissimasque apostolicae servitutis curas, in ea praecipuâ pastoralis sollicitudinis vigilantiâ incumbimus, ut tanti ac tam salubris mystherii monumenta, quae in civitate Hierusalem et locis circumvicinis sunt, conserventur, et omni, qua fieri poterit, maiori honorificentiâ recolantur. Prooemium.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Ambrosius de Polla Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ professor ac commissarius Terrae Sanctae nobis nuper exponi fecit, ecclesiae et alia loca pia ibidem existentia fere diruta sint, et quae ibi adhuc sunt monasteria aere alieno, ob impiam Turcarum, haereticorum et schismaticorum tyrannidem et pro sanctae fidei catholicae in eisdem locis conservatione contracto, admodum gravata sint: nos, eorumdem sacrorum monumentorum huiusmodi conservationi et manutentioni, quantum nobis ex alto conceditur, consulere volentes:

§ 2. Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis necnon omnibus et singulis quorumvis Ordinum, congregationum et institutorum regularium generalibus per praesentes committimus et mandamus, ut ad minus duabus vicibus quolibet anno, Adventus et Quadragesimae temporibus, tam per verbi Dei praedicatores in suis sacris concionibus, quam in actionibus et functionibus publicis, necessitates eorumdem sacrorum monumentorum populo proponi et commendari curent et faciant: Praecipit prout in rubrica.

quod et omnipotenti Deo bonorum omnium retributori acceptissimum, nobis vero gratissimum erit.

Transumptis credi mandat.

§ 3. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III februarii MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 3 februarii 1634, pontif. anno XI.

CDLXXVII.

Confirmatio quarumdam dismembrationum, ac unionum commendarum linguae Franciae hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

In capitulo generali habito nonnulla fuere statuta pro dismembratione aliquarum commendarum linguae Franciae.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum procuratorum linguae et prioratuum Franciae hospitalis S. Ioannis Hierosolimitani nobis expositum fuit, quod dicta lingua a capitulo generali eiusdem hospitalis de anno MDCXXXI celebrato, pro conservatione prioratuum et dignitatum ac pro communi beneficio fratrum eiusdem linguae, infrascriptas provisiones et ordinationes fieri obtinuit, videlicet:

Statuta huiusmodi recensentur.

§ 2. Quod a magno prioratu Franciae dismembrari debeant bona redditus annui viginti millium librarum similium, duae commendae de cambimento, seu melioramento, fratrum eiusdem prioratus erigi debeant, reliqua vero octomillia librarum huiusmodi uniri et incorporari debeant baiulivatui de Morea, eiusdem hospitalis, cui pariter unitus est baiulivatus de Curii, eâ tamen conditione, ut ille commendatarius, qui ad dictum baiulivatum de Morea promotus fuerit, non possit optare, nec promoveri ad aliquem alium prioratum, sed praeceptorias seu commendas per eum tempore smutitionis dicti baiulivatus obtentas retinere; praeterea, quod debeat applicari et uniri dignitati thesaurarii generalis prioratus S. Ioannis in insulâ de Corbeil, ita tamen, ut talis unio suum non sortiatur effectum, nisi post obitum moderni dicti prioratus prioris, et cum expressâ conditione, ut, quando effectum sortita fuerit, non possit ille, qui de benignitate thesaurarii huiusmodi provisus fuerit, aliquam aliam dignitatem in dictâ linguâ obtinere; praeceptoriâ autem [1] seu commendâ, aut praeceptoriis seu commendis, et aliis bonis per eum tempore smutitionis dictae dignitatis obtentis cum eâ gaudere possit: insuper quod a prioratu Aquitaniae dismembretur praeceptoria seu commenda de Antigny ad effectum smutiendi eam in linguâ pro cambimento vel melioramento fratrum dicti hospitalis; quodque loco illius sit licitum cuicumque dictum prioratum obtinenti cum illo retinere meliorem praeceptoriam seu commendam, quam tunc temporis habebit; denique quod a prioratu Campaniae dismembretur praeceptoria seu commenda de Beaume ad effectum smutiendi pro cambimento vel melioramento in beneficium fratrum eiusdem prioratus; quodque, ipsius proceptoriae seu commendae loco, ille, qui in priorem prioratus Campaniae electus fuerit, meliorem praeceptoriam seu commendam, quam tunc possidebit, retinere valeat, sed post eius obitum praeceptoria seu commenda huiusmodi libere pro cambimento seu melioramento fratrum dicti

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Vocem *autem* nos addimus (R. T.).

prioratus remaneat; demum, quod omnes supradictae dismembrationes, uniones, applicationes et retentiones intelligantur concessae sine praeiudicio communis aerarii, et cum aliis clausulis et conditionibus expressis in extracto dictae linguae Franciae, ad quem in decreto capitulari desuper emanato habita fuit in omnibus et per omnia relatio.

Preces pro obtinendâ apostolicâ confirmatione.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, post publicationem dicti decreti a commissariis deputatis, iuxta illius formam, omnes supradictae dismembrationes, applicationes et assignationes bonorum factae, et ab eâdem linguâ, nemine discrepante, prout in extractu facto sub die VI septembris proxime praeterito, et postmodum a magno magistro et eius consilio approbatae fuerint, prout in decreto desuper sub die XI octobris proxime similiter praeteriti continetur, nullâ tamen in eis factâ mentione duarum dismembrationum, videlicet praeceptoriae seu commendae de Antigny a prioratu Aquitaniae, ac praeceptoriae seu commendae de Beaume a prioratu Campaniae, eo quod illae antea a dictis prioratibus separatae et dismembratae reperiebantur; cupiant autem dicti exponentes omnes supradictas deliberationes dictae linguae, necnon decretum capitulare praedictum, quo maiorem vim obtineant, ac ab omnibus inviolabiliter et perpetuo observentur, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune, ut infra, providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat Urbanus.

§ 4. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supradictas linguae deliberationes, necnon decretum capitulare huiusmodi, eorumque communicationem a dictis commissariis factam, et a linguâ, ut praefertur, necnon consilio ordinario dicti hospitalis in vim capituli generalis approbatam, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus.

Supplet defectus.

§ 5. Declarantes, quod, licet in illis non sit facta mentio praeceptoriarum seu commendarum de Antigny et de Beaume, nihilominus, quatenus antea valide dismembratae non essent, tamen semper dismembratae, et, quatenus earum primae dismembrationes validae fuerint, eo casu illae confirmatae censeantur, iuxta formam et tenorem dicti decreti capitularis.

Clausulas apponit.

§ 6. Ac decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti hospitalis, etc., capitularibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus

et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV februarii MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 15 februarii 1634, pontif. anno XI.

CDLXXVIII.

Prohibet quominus milites Militiae Christianae ex aerariis eiusdem Militiae pecunias, iocalia et alia bona ipsius Militiae absque Sedis Apostolicae licentiâ accipiant, extrahant, etc.[1]

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Causae faciendae prohibitionis.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius Michaël Adolphus comes ab Althan, unus ex illis qui Militiam Christianam[2] sub invocatione conceptionis B. Mariae Virginis immaculatae nobis erigi et institui supplicarunt, nobis nuper exponi fecit, Militia praedicta ad Dei ac ipsius B. M. V. laudem et gloriam valde diffusa ac dilatata sit, eique magni momenti munera tam in pecuniis quam aliis rebus consistentia donata sint, unde depositarias[3] ac aeraria in diversis locis, ad munera huiusmodi recipienda et asservanda, instituere oportuit:

Prohibitio, de qua in rubricâ.

§ 2. Nos, pecuniarum, aliarumque rerum huiusmodi conservationi, rectaeque dispensationi, quantum cum Domino possumus, consulere, dictumque Michaëlem Adolphum comitem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis personis, tam ecclesiasticis quam secularibus, sub excommunicationis poenâ per contrafacientes incurrendâ, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus, ne quaecumque stabilia, pecunias, iocalia et alias res quascumque huiusmodi ex dictis aerariis absque Sedis Apostolicae licentiâ accipere, sive extrahere vel distrahere, aut ut accipiantur sive extrahantur vel distrahantur permittere, sub quovis quaesito colore vel praetextu, audeant seu praesumant: volumusque, ut pecuniae et alia praedicta in dictae Militiae servitium et non alios usus expendantur et convertantur.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV februarii MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 15 februarii 1634, pontif. anno XI.

CDLXXIX.

Commissio nuncio Hispaniarum, ut significet commissario cruciatae se gravasse clerum Castellae et Legionis, ipsum cogendo sub censuris ad solutionem excusati post lapsum quinquennii concordiae desuper initae et a Sanctâ Sede confirmatae[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Male edit. Main. legit *Militiae Christianae* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *depositarius* (R. T.).

Venerabili fratri Laurentio episcopo Senogalliensi, nostro et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncio,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Apostolatus officium, humilitati nostrae, meritis licet imparibus, divinâ providentiâ commissum, iugiter nos compellit omni sollicitudine invigilare, ne immunitatis ecclesiasticae iura et privilegia violentur, sed personis ecclesiasticis salva et illaesa conserventur.

Facti series. § 1. Sane ex gravi dilectorum filiorum cleri regnorum Castellae et Legionis querimoniâ accepimus, commissarium cruciatae ad concordiae initae[1] inter charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum regem catholicum ex unâ ac eosdem clerum ex alterâ partibus (super solutione concessionis primae decimae universis parochis[2] in regnis et dominiis Hispaniarum ac insulis eisdem regnis adiacentibus ad rationem ducentorum et quinquaginta millium ducatorum monetae Hispaniarum quoad praefata regna Castellae et Legionis annuatim solvendorum) et a nobis auctoritate apostolicâ confirmatae exequutionem procedere, licet concordia et confirmatio praedictae ad quinque annos iam a pluribus mensibus citra elapsos restrictae et limitatae sint, neque solutio huiusmodi absque novâ concordiâ et novâ Sedis Apostolicae licentiâ exigi possit, quandoquidem prima decima huiusmodi non pro certâ summâ, minusque pro dictâ[3] summâ ducentorum quinquaginta millium ducatorum praedictorum, ab eâdem Sede concedatur, sed potius pro decimâ ditioris domus cuiuslibet parochiae regnorum et dominiorum huiusmodi, ita ut, elapso concordiae et confirmationis apostolicae tempore, clerus ipse ad alicuius summae ducatorum solutionem eo praetextu nullo modo teneatur, minusque ad id cogi possit seu debeat, sed ea dumtaxat ditioris domus cuiuslibet parochiae decima exigi debeat pro tempore tantum quo eidem Philippo regi auctoritate apostolicâ concessa reperitur.

Commissio, de qua in rubrica. § 2. Quare, cleri praedictorum indemnitati, iuxta creditum nobis desuper apostolicae servitutis officium, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut eidem commissario significes, quod ipse commissarius, cum nullam ad id habeat facultatem, male et perperam fecit gravando eosdem clerum, etiam sub censuris, ad solvendum post lapsum dicti quinquennii concordiae et confirmationis apostolicae huiusmodi, quodque de cetero a praemissis omnibus abstineat, donec alia cum eisdem clero concordia desuper inita et apostolicâ auctoritate confirmata fuerit, et, ob gravamen eisdem clero illatum ac censuras et poenas ecclesiasticas per eum propterea incursas conscientiae suae consulat.

Clausulae. § 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et nuncios, quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis,

1 Hanc vide supra pag. 166 seqq. (R. T.).

2 Potius lege *ab* (vel *in*) *universis parochiis* (R. T.).

3 Ed. Main. h. *praedictâ* loco *pro dictâ* (R.T.).

etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam commissario praedicto pro tempore existenti, et quibusvis aliis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x martii MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 10 martii 1634, pontif. anno XI.

CDLXXX.

Commissio eidem nuncio, ut moneat eumdem commissarium cruciatae, ne officia notariatuum cruciatae, subsidii et excusati vendat [1].

Venerabili fratri Laurentio episcopo Senogalliensi, nostro et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuntio,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Apostolatus officium, humilitati nostrae, meritis licet imparibus, divinâ providentiâ commissum, iugiter nos compellit omni sollicitudine invigilare, ne immunitatis ecclesiasticae iura et privilegia violentur, sed personis ecclesiasticis salva et illaesa conserventur.

Commissarios nonnihil ultra concessionem Sedis Apostolicae a clero exegerat.

§ 1. Sane[2] ex gravi dilectorum filiorum cleri regnorum Castellae et Legionis querimoniâ accepimus, commissarium cruciatae ad concordiae initae inter charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum regem catholicum ex unâ ac eosdem clerum ex alterâ partibus (super solutione concessionis primae decimae in universis parochiis in regnis et dominiis Hispaniarum ac insulis eisdem regnis adiacentibus ad rationem ducentorum et quinquaginta millium ducatorum monetae Hispaniarum, quoad praefata regna Castellae et Legionis annuatim solvendorum) et a nobis auctoritate apostolicâ confirmatae exequutionem procedere, licet concordia et confirmatio praedictae ad quinque annos iam a pluribus mensibus citra elapsos restrictae[1] et limitatae sint, neque solutio huiusmodi absque novâ concordiâ et novâ Sedis Apostolicae licentiâ exigi possit, quandoquidem prima decima huiusmodi non pro certâ summâ, minusque pro dictâ summâ ducentorum quinquaginta millium ducatorum praedictorum, ab eâdem Sede concedatur, sed potius pro decimâ ditioris domus cuiuslibet parochiae regnorum et dominiorum huiusmodi, ita ut, elapso concordiae et confirmationis apostolicae tempore, clerus ipse ad alicuius summae ducatorum solutionem eo praetextu nullo modo teneatur, minusque ad id cogi possit seu debeat, sed ea dumtaxat ditioris domus cuiuslibet parochiae decima exigi debeat pro tempore tantum quo eidem Philippo regi auctoritate apostolicâ concessa reperitur.

Urbanus id fieri vetat.

§ 2. Quare, cleri praedictorum indemnitati, iuxta creditum nobis desuper apostolicae servitutis officium, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut eidem commissario significes, quod ipse commissarius, cum nullam ad id haberet facultatem, male et perperam fecit gravando eosdem clerum, et[2] sub censuris, ad solvendum post lapsum dicti

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Primae duae § eaedem ac const. praec. (R. T.).

1 Perperam ed. Main. legit *restitutae* (R. T.).
2 Antea pag. 374 *b* lectum fuit *etiam* (R. T).

quinquennii concordiae et confirmationis apostolicae huiusmodi, quodque de cetero a praemissis omnino abstineat, donec alia cum eisdem clero concordia desuper inita et apostolicâ auctoritate confirmata fuerit, et, ob gravamen eisdem clero illatum ac censuras et poenas ecclesiasticas per eum propterea incursas, conscientiae suae consulat.

Officiaque et notariatus cruciatae vel excusati vendi.

§ 3. Praeterea eumdem commissarium auctoritate nostrâ moneas, ne notariatus et officia cruciatae, subsidii et primae decimae excusati nuncupati huiusmodi, cum ecclesiastica officia sint, a ministris regiis vendi seu alienari quoquo modo permittat, minusque cogat clerum ad solutionem aliquam faciendam eis qui officia huiusmodi, sive alterum eorum, ement[1], seu iam forsan de facto emerint, nosque, sub excommunicationis latae sententiae poenâ per contrafacientes ipso facto incurrendâ, serio prohibere, ne officia et alia praefata emantur vel vendantur, sed circa haec servari debere omnia, quae hactenus servari consueverunt.

Clausulae.

§ 4. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et nuncios, quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, litteris apostolicis, et[1] commissario praedicto pro tempore existenti, et quibusvis aliis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, ad effectum praemissum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x martii MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 6 martii 1634, pontif. anno XI.

CDLXXXI.

Committitur nuncio Franciae, ut absolvat ducem de Espernon, eiusque ministros, ad tempus, cum reincidentiâ, ab excommunicatione, aliisque censuris et poenis, in quas incidisse declarati fuerunt ab archiepiscopo Burdegalensi ob violentias eidem archiepiscopo et nonnullis e clero civitatis Burdegalensis illatas[2].

Dilecto filio nostro, Alexandro S. R. E. presbytero cardinali Bichio nuncupato,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Alma et pia mater Ecclesia in reos iuste et severe animadvertit, eosdem resipiscentes postea recipit, ac depositâ cordis duritie veniam humiliter postulantibus benigne clementerque ignoscit.

Facti series.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit nobilis vir Ioannes Aloysius dux de Espernon ac provinciae Aquitaneae pro charissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum rege christianissimo guberna-

1 Antea pag. 375 *a* lectum fuit *etiam* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

tor, quod, ut venerabilis frater Henricus archiepiscopus Burdegalensis praetendit, post nonnullas violentias contra personam eiusdem Henrici archiepiscopi, eiusque ministrorum, ac nonnullorum ex clero civitatis Burdegalensis, aliosque assertos excessus contra immunitatem et iurisdictionem ecclesiasticam per ipsum Ioannem Aloysium ducem, eiusque locumtenentem, officiales et ministros in praedictâ civitate Burdegalensi factas et perpetratas, iidem Ioannes Aloysius dux, eiusque locumtenens, ac officiales et ministri, in excommunicationem, aliasque ecclesiasticas sententias, censuras et poenas iuxta sacrorum canonum et generalium conciliorum dispositionem incidisse, ab eodem Henrico archiepiscopo declarati fuerunt; a qua quidem declaratione sive sententiâ cum dictus Ioannes Aloysius dux, iura sua coram nobis et hac Sanctâ Sede deducere cupiens, ad nos et Sedem eamdem appellaverit, nihilominus pro conscientiae suae securitate et quiete nobis humiliter supplicari fecit, ut sibi, eiusque locumtenenti, officialibus et ministris ac complicibus, de opportunae absolutionis beneficio providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Commissio, de qua in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, cum eodem Ioanne Aloysio duce, aliisque praefatis more pii patris agere, non tamen iurisdictioni et immunitati ecclesiasticae in aliquo praeiudicare volentes, necnon violentiarum praedictarum ac excessuum huiusmodi, si qui sint, qualitates, quantitates et circumstantias, etiam quantumlibet aggravantes, praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, circumspectioni tuae, de cuius fide, integritate, prudentiâ ac honoris domus Dei zelo plurimum in Domino confidimus, per praesentes iniungimus, ut per te, seu personam pontificali seu saltem aliâ ecclesiasticâ dignitate praeditam a te arbitrio tuo subdelegandam, Ioannem Aloysium ducem, eiusque officiales et ministros ac complices, si et postquam coram te, sive tuo subdelegato, comparuerint, ibique humiliter exposuerint, se velle appellationem seu appellationes ad nos et Sedem Apostolicam super praemissis interpositas debito tempore prosequi, et ideo, ne praefato processu pendente, in censuris et poenis fulminatis ulterius permanere contingat, supplicent sibi absolutionis beneficium saltem ad tempus concedi et impartiri, tunc et eo casu, tibi, tuoque deputato huiusmodi, ut ad aliquod tempus tibi vel tuo delegato benevisum, eumdem Ioannem Aloysium ducem, eiusque officiales, ministros et complices, a praefatis censuris et poenis, cum reincidentiâ eo ipso incurrendâ ex solo lapsu praefati temporis absque aliquo alio decreto vel novâ denunciatione, declaratione seu publicatione faciendâ, absolvas in formâ Ecclesiae consuetâ, factâ tamen per praefatum ducem, aliosque officiales, ministros et complices praefatos, promissione de parendo mandatis nostris, et sanctae matris Ecclesiae, ac de peragendâ poenitentiâ, si qua[1] per nos et Sedem Apostolicam iniungenda fuerit, super quibus tibi facultatem opportunam concedimus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, necnon in universalibus, provincialibus, synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, dictae ecclesiae Burdegalensis statutis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ac consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI martii MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 10 martii 1634, pontif. anno XI.

1 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

CDLXXXII.

Indictio seu impositio duorum pro centenario super omnibus fructibus et pensionibus ecclesiasticis universae Italiae[1].

Urbanus episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Proemium. Nuper nos, ingentes orthodoxae fidei hostium in inclytam Germaniam irruptiones et catholicorum illarum partium oppressiones ac miserabilem statum paternâ mediatione considerantes, et ne ipsi catholici in maiores inciderent aerumnas anxie pertimescentes, charissimo in Christo filio nostro Ferdinando Romanorum regi in imperatorem electo, quacumque potuimus opportunâ ratione, subvenire statuimus.

Necessitas imponendi. § 1. Verum, quia camerae nostrae apostolicae vires valde attritae ad ea comparanda subsidia, quae imminentes postulabant necessitates, nequaquam sufficiebant, ad aliarum etiam ecclesiarum peculium nos convertere coacti fuimus; et proinde, de venerabilium fratrum nostrorum. S. R. E. cardinalium consilio et assensu, indiximus et imposuimus sex integras decimas omnium et quorumcumque fructuum, redditum, proventuum, obventionum, distributionum quotidianarum et emolumentorum, ordinariorum et extraordinariorum, omnium ecclesiarum, etiam patriarchalium et metropolitanarum, ac quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, tam secularium quam cuiusvis Ordinis regularium, etiam militiarum, quas omnes per ea[2] obtinentes (nonnullis tamen, utpote S. R. E. cardinalibus, militibus S. Ioannis Hierosolymitani, ac duodecim congregationibus quae cum camerâ praedictâ aliâs concordaverant, exceptis), pro unâ intra tunc proximum diem festum S. Michaëlis Archangeli mensis septembris, et pro aliâ intra idem festum anni tunc proxime futuri, ac pro tertiâ partibus aequalibus intra illum ipsum diem festum consequentis anni, camerae praedictae et illius depositario generali ad id constituendo voluimus persolvi, prout in nostris sub datum XII halendas februarii, pontificatus nostri anno IX, desuper confectis litteris plenius continetur[1].

Causa huius constitutionis. § 2. Verum, quia postmodum calamitates Germaniae, cum magno animi nostri dolore, admodum invaluerunt, et res catholicorum in deterius prolapsae longe maiora, quam ex dictis sex integris decimis colligi possint, auxilia postulare cognovimus, aliud magis opportunum remedium adhibere voluimus, certo nobis persuadentes, neminem fore, qui, circumspectis causarum et temporum qualitatibus, onus sibi in tam piam causam imponendum prompte et lubenter non subeat.

Omnes ecclesiasticos obbligat, exceptis solum paucis. § 3. Habitâ itaque cum eisdem S. R. E. cardinalibus super praemissis maturâ deliberatione, de eorum consilio et assensu, impositionem sex integrarum decimarum, quoad solutionem tertiae partis earumdem adhuc non exactae de cetero faciendam, revocantes et annullantes, ac viribus et effectu carere, ac neminem ex nominatis obligatis in dictis litteris ad ipsius tertiae partis non exactae solutionem cogi posse aut debere declarantes, indicimus et imponimus ad decennium proximum solutionem annuam duorum pro quolibet centenario omnium et quorumcumque fructuum, redditum, proventuum, iurium, obventionum, distributionum quotidianarum et emolumentorum, ordinariorum et extraordinariorum, omnium et quarumcumque ecclesiarum patriarchalium, primatialium, metropolitanarum, cathedra-

1 Aliam indictionem sex decimarum fecit iste Pontifex in Const. CCCLXXXV, *Suprema dispositione*, super omnibus fructibus ecclesiasticis Italiae ut supra pag. 192.

2 Potius legerem *quas per omnes ea*, etc. (R.T).

1 Quas vide sup. loc. cit. in notâ ad rubr. (R.T.).

lium, collegiatarum et parochialium, necnon monasteriorum et conventuum, ac etiam mensarum patriarchalium, primatialium, archiepiscopalium, episcopalium, abbatialium, capitularium et conventualium, prioratuum quoque praeposituarum, praeceptoriarum, canonicatuum, praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, etiam iurispatronatus[1] laicorum, tam ex privilegio, quam ex fundatione et dotatione, cum curâ et sine curâ, secularium, ac sancti Benedicti, sancti Augustini, Cluniacensium, Cistercensium, Praemonstratensium, sancti Basilii, Silvestrinorum, et, qui proprietates redditusque certos ex privilegio vel aliàs possident, Mendicantium, ac quorumcumque aliorum Ordinum utriusque sexus, necnon congregationum regularium, et hospitalium etiam, pauperum hospitalitatem non exercentium, seu bona et redditus ultra infirmorum necessitates et alia pro quibus instituta sunt pia officia exercenda possidentium (non tamen per cardinales praedictos, quia ipsi pro sustinendâ tantâ dignitate gravissimas impensas et labores Reipublicae Christianaae causâ continuo subire coguntur, obtentorum[2], necnon sanctae Mariae Theutonicorum, S. Lazari de Altopassu, Templi Dominici, et aliarum[3], [4] non tamen hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani[5] in Italiâ universâ consistentium, et etiam duodecim congregationum, quae cum camerâ praedictâ de subsidio ordinario concordarun[6]), et insuper omnium collegiorum possidentium bona stabilia fructifera ecclesiastica per viam unionis, aggregationis, aut alio quovis titulo, monasteriorum, prioratuum et beneficiorum ecclesiasticorum, quovis nomine nuncupatorum, secundum verum et realem annuum valorem fructuum, redditum, proventuum et aliorum praemissorum; necnon etiam indicimus et imponimus ad idem tempus similem annuam solutionem duorum pro singulo centenario omnium et quarumcumque pensionum annuarum super fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis ac distributionibus in favorem quorumcumque, etiam duodecim congregationum[1] praedictarum, assignatarum et assignandarum; percipiendam, exigendam et levandam ab omnibus et quibuscumque episcopis, archiepiscopis et primatibus, patriarchis et aliis ecclesiarum praelatis, ac ceteris cuiuscumque dignitatis, gradus, status et conditionis personis (praedictis cardinalibus et hospitalis S. Ioannis[2] Hierosolymitani militibus dumtaxat exceptis) praedicta quocumque iure et titulo obtinentibus et obtenturis, necnon oeconomis et administratoribus perpetuis et temporalibus, usufructuariis, ac fructus, pensiones, res et alia huiusmodi iura ex quacumque causâ sibi apostolicâ auctoritate in toto vel in parte reservata habentibus et habituris, secularibus et regularibus, Ordinum, congregationum, militiarum et hospitalium (non tamen S. Ioannis praedictorum[3]), necnon ab ipsis ecclesiis, capitulis, conventibus, ordinibus, congregationibus, collegiis, hospitalibus, militiis, mensis, massis et locis, quocumque privilegio et exemptione reali, personali et mixtâ, antiquâ et immemorabili, pacificâ et continuâ suffultis, quos omnes, ad hoc

1 Edit. Main. legit *iuspatronatus* (R. T.).

2 Heic forsan foret claudenda parenthesis exceptionis (R. T.).

3 Videtur addendum *militiarum* (R. T.).

4 Heic iterum aperienda parenth. except. (R.T.).

5 Et heic statim parenth. claudenda (R. T.).

6 Signum parenthesis forsan delendum (R. T.).

1 Edit. Main. legit *congregationibus* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *Ioanni* (R. T.).

3 Vel legendum *praedicti*, vel parenthesis claudenda ante vocem *praedictorum* (R. T.).

obligatos, intra diem festum S. Michaëlis archangeli cuiuslibet anni dicti decennii, a proxime venturo incipiendo, ac[1] camerae praedictae et illius depositario generali ad id constituendo omnino volumus persolvi[2].

Depositarii onus.

§ 4. Eiusdem vero depositarii munus erit sedulo curare, ut quidquid pecuniarum ex annuâ solutione huiusmodi colligetur, id diligenter ac fideliter asservetur, de mandato nostro speciali in praedictos usus dumtaxat, nec aliàs, erogandum.

Contrafacientes poenâ excommunicationis mulctat.

§ 5. Quicumque vero annuam solutionem huiusmodi nullo modo, vel non integre, scienter, aut non secundum verum annuum valorem, fructuum, redditiuum, proventuum, iurium, obventionum, distributionum et emolumentorum, etiam medio iuramento, iuxta id quod a quinquennio citra, si per tantum tempus fuerint possessores, sin minus, pro tempore quo possederint denunciandum, non autem iuxta taxam hactenus observatam exprimendum, vel concordiam cum camerâ praedictâ cum interventu dilecti filii illius commissarii ineundam, in praescriptis terminis non exhibuerint, seu in illorum exhibitione malitiam commiserint vel fraudem, ecclesiarum antistites suspendimus a divinis, capitula vero, conventus et collegia quaecumque ecclesiastico interdicto supponimus, ac singulares personas antistite inferiores excommunicationis sententiâ innodamus.

Conductores ad solutionem adstringit.

§ 6. Ceterum ad praedictam annuam solutionem consequendam praecipimus etiam omnibus conductoribus, censuariis et locatariis proprietatum, fructuum et iurium praedictorum, etiam huiusmodi pensionibus oneratorum, ut utramque annuam solutionem nomine dominorum ac pensionariorum, ad computum suae quisque locationis, omnibus vero possessoribus, usufructuariis et aliis pensiones solvere debentibus, ut ipsi etiam pensiones huiusmodi[1] nomine pensionariorum camerae et collectoribus seu subcollectoribus deputatis seu deputandis integre persolvant.

Iuxta valorem vel taxam, vel concordatum solvendum est.

§ 7. Decernentes annuam solutionem fructuum, redditiuum, proventuum et aliorum iurium praedictorum secundum verum et realem valorem annuum ut praefertur verificandum, vel saltem iuxta taxam de qua cum dilectis filiis nostris Hippolyto S. Eustachii diacono cardinali S. R. E. camerario ac nostro et camerae praedictae thesaurario generali cum interventu commissarii ut praefertur concordaverint, annuae solutionis huiusmodi collectores seu subcollectores praedictos a quibus libuerit integre exigendi optionem facultatemque habere, neque ullas immunitates et exemptiones, etiam ex causâ resignationis, cessionis iuris, concordiae, conventionis, compositionis, aut quacumque aliâ gravi et onerosâ occasione quocumque modo concessas et interim concedendas, integram solutionem huiusmodi minuere vel impedire, neque possessores, usufructuarios, aut alias personas pensiones huiusmodi solvere debentes, etiamsi ipsi iuri et actioni petendae vel detrahendae vel retinendae portionis et ratae partis pensionarios contingentis iureiurando renunciaverint atque ex formâ dictae camerae amplissimâ caverint, modo aliquo obligari, neque ad id pro dicto tempore constringi posse;

Quietantiae probant.

§ 8. Omnes vero confessiones et quietantias receptionis annuae solutionis a procuratoribus et ministris camerae praedictae, tam conductoribus, censuariis et locatariis nomine suorum principalium, quam etiam ipsis, necnon possessoribus, usufructuariis, et aliis pensiones solvere debentibus nomine pensionariorum faciendas, perinde valere, atque in iudicio et extra

1 Coniunctio *ac* delenda (R. T.).

2 Potius lege *persolvisse*, ut pag. 194 *a* (R.T.).

1 Potius legendum *decimas pensionum huiusmodi*, ut supra pag. 194 *b*, et alibi, ex g. tom. XII, pag. 461 (R. T.).

illud ubique locorum vim habere, ac si ipsismet principalibus et pensionariis praesentibus et solventibus factae et exhibitae fuissent; conductores autem, qui pretium locationis dominis legitime anticipaverint, locationem suam huiusmodi, quam ad hoc prorogamus, usque ad integram satisfactionem, ut prius, etiam adveniente successore, continuare debere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Collectorem generalem instituit et facultates illi tribuit.

§ 9. Ut autem omnia praedicta, sicut causa urgens postulat, diligenter et fideliter exequutioni demandentur, praedictum Hippolytum cardinalem camerarium, cuius integritas atque experientia iampridem nobis perspecta est, generalem annuae solutionis huiusmodi collectorem in universâ Italiâ, cum omnibus et quibuscumque privilegiis, iurisdictionibus ac iuribus, quae omnes alii antehac huiusmodi collectores habuerunt, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, constituimus et deputamus, eique plenam, liberam et absolutam potestatem, facultatem et auctoritatem tribuimus annuam solutionem huiusmodi, camerae praedictae nomine, ubique procurandi, praedictos omnes, tam coniunctim quam divisim, ad illius integram solutionem, ut praedictum est, faciendam, etiam per edictum locis publicis affigendum, monendi et requirendi, non parentes, fraudantes et ceteros contumaces in censuras et poenas incidisse, servatâ formâ concilii Tridentini, declarandi, proprietates, res, fructus et alia bona ipsorum etiam manu regiâ apprehendendi et usque ad condignam satisfactionem retinendi, contradictores et perturbatores, molestatores et rebelles quoscumque, eisque auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte quovis quaesito colore praestantes, cuiuscumque dignitatis, gradus et ordinis fuerint, praedictis et aliis censuris et poenis ecclesiasticis, necnon pecuniariis, ceterisque iuris et facti remediis compellendi, illasque etiam iteratis vicibus aggravandi, dignitatibus, beneficiis et officiis omnibus privandi et amovendi et ad futura inhabiles faciendi, interdictum ecclesiasticum apponendi, auxiliumque brachii secularis, quandocumque opus fuerit, invocandi, ad sanitatem vero reversos, qui debite satisfecerint, ab omnibus censuris et poenis supradictis in formâ Ecclesiae consuetâ absolvendi, super irregularitate forsan incursâ dispensandi et ad pristinum statum omnino restituendi;

Alias facultates dicti collectoris explicat.

§ 10. Praeterea collectores et subcollectores fide et qualitatibus idoneos in omnibus civitatibus, terris et provinciis Italiae praedictae, quotquot viderit expedire, cum simili vel limitatâ, non tamen absolvendi, potestate, deputandi, eumque vel eos arbitrio suo revocandi, negligentes et morosos removendi, ac alium seu alios subrogandi, quotiescumque ei videbitur, in delinquentes et suspectos, per se, vel alium, seu alios, etiam simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figurâ iudicii, inquirendi, et meritis poenis puniendi, modos et formas in praedictis servandos praescribendi, dubia quaecumque in praemissis forte oritura declarandi, ac prorsus omnia et quaecumque circa ea necessaria et opportuna faciendi, statuendi et exequendi, etiamsi talia forent, quae mandatum exigerent magis speciale, quam praesentibus est expressum.

Derogat contrariis.

§ 11. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris

nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, ac aliis apostolicis constitutionibus, necnon ecclesiarum, monasteriorum, Ordinum, congregationum, hospitalium, militiarum et locorum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis et aliis quibusvis clausulis et decretis, in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quodque praelatis et personis praedictis, eorumque ecclesiis et locis, vel quibusvis aliis, communiter aut divisim, a praedictâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, necnon personis, eorumque nominibus, cognominibus, ecclesiis, monasteriis, ordinibus et locis huiusmodi, mentionem: et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, in genere et in specie, quomodocumque concessis, confirmatis et innovatis, etiam solutionem annuam huiusmodi aliter quam secundum antiquam taxam vel conventionem factam, et nisi in universali solutionum per orbem impositione, fieri prohibentibus, necnon promissionibus, donationibus, obligationibus, iuramentis et renunciationibus, vinculis et cautelis in assignatione praedictarum pensionum factis, quibus per impositionem annuae solutionis huiusmodi neminem teneri, neque eas quoad praemissa contra quemcumque locum habere similiter declaramus; aliisque indultis et litteris apostolicis, generalibus et specialibus, cuiuscumque tenoris existant, per quae praesentibus non expressa aut omnino non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in litteris nostris mentio specialis; quae omnia contra praemissa nolumus cuiquam in aliquo suffragari; necnon aliis impositionibus et concessionibus ad tempus nondum elapsum, si quae sint, factis; ceterisque contrariis quibuscumque.

Pro solutione pecunias tantum et non res sacras pro pignore accipere iubet.

§ 12. Ceterum in exigendâ annuâ solutione huiusmodi constitutionem recolendae memoriae Clementis Papae V similiter praedecessoris nostri in concilio Viennensi editam (quod decimae ad monetam currentem communiter levari, nec calices, libri, ceteraque ornamenta divino cultui dicata ex causâ pignoris capi, vel distrahi, aut aliàs quomodolibet occupari debeant, ubique volumus observari: quin etiam praecipimus, ne quisquam, etiam plura quanticumque valoris beneficia ecclesiastica, seu[1] plures pensiones, aut fructus, seu talia mixtim obtinens, pro litterâ et sigillo quietantiae universalis, si illam habere voluerit, ultra unum carolenum, conficientem quatrenos trigintaseptem monetae romanae, solvere teneatur, nec ad aliud onus etiam praetextu cambii uspiam compellatur.

Exemplari standum.

§ 13. Quia vero difficile nimis esset praesentes litteras quocumque illis opus erit perferre, volumus quoque, ut illarum exemplis, etiam impressis, et notarii publici, ac Hippolyti cardinalis et camerarii praedicti, aut alterius collectoris, seu praelati ecclesiastici, eiusve curiae sigillo obsignatis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum adhibeatur, quae illis ipsis adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Contra lacerantes poenae.

§ 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae revocationis, annullationis, indictionum, impositionum, suspensionis, suppositionis, innodationis, decreti, prorogationis, constitutionis, deputationis, tributionis, declarationum,

1 Verba *plures beneficia ecclesiastica, seu* delemus (B. T.).

praeceptorum et voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXXIV, XI kalendas aprilis, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 22 martii 1634, pontif. anno XI.

Subscriptiones.

✠ EGO URBANUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

† Ego Dominicus, episcopus Ostiensis et Veliternensis, cardinalis Gymnasius.

† Ego C., episcopus Portuensis, card. Pius.

† Ego M., episcopus Tusculanus, cardinalis Lantes.

†

† Ego G., episcopus Albanensis, cardinalis Borgia.

†

†

†

†

†

†

†

† Ego R. tituli sanctae Praxedis presbyter cardinalis Ubaldinus.

† Ego Tiberius tituli S. Priscae presbyter cardinalis Mutus.

†

† Ego I. tituli S. Sabinae presbyter cardinalis Sabellus.

†

†

† Ego Guido tituli S. Mariae de Populo sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis Bentivolus.

†

† Ego Fr. Desiderius tituli S. Caroli sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis de Cremona.

† Ego Augustinus tituli S. Bartholomaei in Insula presbyter cardinalis Spinula.

†

† Ego Cosmus tituli S. Pancratii sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis de Torres.

† Ego A. tituli S. Martini sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis de la Cueva.

† Ego Fr. Antonius tituli S. Honuphrii sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Barberinus.

†

†

†

†

†

† Ego B. cardinalis Spada tituli S. Stephani in Monte Coelio.

† Ego Laudivius tituli S. Petri ad Vincula presbyter cardinalis S. Sixti nuncupatus.

† Ego Berlingerius tituli S. Augustini cardinalis Gypsius.

†

†

†

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Eusebii presbyter cardinalis Pamphilius.

†

† Ego E. tituli S. Mariae de Pace presbyter cardinalis Verospius.

†

†

†

†

†

†

† Ego Gregorius tituli Ss. Quirici et Iulittae presbyter cardinalis Narus.

†

†

† Ego Franciscus Maria Basilicae Ss. Apostolorum presbyter cardinalis Brancaccius.

†
† Ego Uldericus tituli S. Anastasiae presbyter cardinalis Carpineus.
† Ego Stephanus tituli S. Laurentii in Pane et Perna presbyter cardinalis Duratius.
† Ego Augustinus cardinalis Oregius tituli S. Sixti presbyter.
†
†
†
†
†
† Ego Hyppolitus S. Eustachii diaconus cardinalis Aldobrandinus, S. R. E. camerarius.
† Ego Franciscus S. Laurentii in Damaso diaconus cardinalis Barberinus, S.R.E. vicecancellarius.
† Ego P. Maria cardinalis Burghesius.
† Ego L. sanctae Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Biscia.
† Ego Martius S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Ginettus, Sanctissimi Domini nostri Papae vicarius.
† Ego A. Ss. Cosmae et Damiani diaconus cardinalis Caesarinus.
† Ego S. Agathae diaconus cardinalis Antonius Barberinus.
†
†
†
†
†
† Ego Benedictus Ss. Viti et Modesti diaconus cardinalis Ubaldus.

Anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXXXIV[1], *indictione secundâ, die vero* XXIV *aprilis, pontificatus Sanctissimi in Christo patris et domini nostri Urbani divinâ providentiâ Papae VIII anno* XI, *praesentes litterae apostolicae lectae et publicatae fuerunt ad valvas basilicarum Lateranensis, et Principis Apostolorum, cameraeque et cancellariae apostolicae, ac in acie Campi Florae, per nos Franciscum de Paulis et Dominicum Mangilium praelibati Sanctissimi Domini nostri Papae cursores.*

IOANNES RADICA, pro D. mag. cursor.

1 Erronee edit. Main. legit *trigesimo* (R. T.).

CDLXXXIII.

Indictio iubilaei universalis ad divinam iram avertendam, et catholicae rei pericula ac detrimenta praesertim in Germaniâ ingruentia removenda; et eiusdem prorogatio ad alias duas hebdomadas, cum declaratione, quod possint christifideles supplere in sequentibus duabus, si quid in primis hebdomadis pro consequendâ indulgentiâ huiusmodi omiserint.

Urbanus Papa VIII,

Universis christifidelibus, praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad avertenda pericula in Germania praesertim ingruentia

Iteratis precibus, atque indictis publice supplicationibus ad Deum saepius clamavimus, ut calamitatum turbine correptos nos liberaret, et aerumnas populo suo imminentes averteret; quae etsi penitus amotae non sint, ex parte tamen divinâ clementiâ sublatas aut esse mitigatas intelligimus. Commoti igitur catholicae rei periculis et detrimentis, in Germaniâ praesertim ingruentibus, decrevimus in ieiuniis et oratione perseverantes accedere ad eum denuo qui assiduas fidelium petitiones exaudire consuevit: speramus enim, cum sit creator, redemptor et misericors pater animarum nostrarum, fore ut plane nobis propitiatus, et culparum quibus ultionem meremur oblitus, nos voti compotes efficere non dedignetur. Hoc autem ut fructuosius et maiori cum spiritus ardore peragatur, et ex veteri Ecclesiae Romanae omnium matris et

magistrae more, in praesentibus necessitatibus, eiusdem Ecclesiae thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus, proferre et largissime erogare decrevimus.

Iubilaeum concedit adimplentibus hic descripta.

§ 1. Itaque, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, omnes et singulos utriusque sexus christifideles, tam in almâ Urbe nostra, quam alibi ubicumque locorum constitutos, apostolicâ auctoritate paterne enixeque requirimus, monemus et in Domino adhortamur ad infrascripta devote peragendum et adimplendum, et ad Deum Salvatorem nostrum orandum, ut per viscera misericordiae suae fidem catholicam protegere, ab hostium conatibus et insidiis defendere, haeresim extirpare, principibus christianis pacem et veram concordiam donare, ac praecipue praesentibus Ecclesiae necessitatibus subvenire dignetur. Nos enim de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, meritis minime suffragantibus, contulit, universis et singulis christifidelibus in almâ Urbe praedictâ degentibus, qui solemni processioni, quam a basilicâ Principis apostolorum in Vaticano ad ecclesiam archihospitalis nostri Sancti Spiritus in Saxia nuncupatam de Urbe feria quartâ sequentis hebdomadae, quae erit XXIX praesentis[1] mensis martii, unâ cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, christianorumque regum et principum apud nos et Apostolicam Sedem oratoribus, omnibusque praelatis et proceribus, ac universo clero et populo agemus, aut alteri ex processionibus, quae feriâ sextâ eiusdem hebdomadae, XXXI dicti mensis, a basilicâ S. Mariae Maioris ad ecclesiam Lateranensem, et sabbato eiusdem hebdomadae, primâ aprilis, ab ecclesiâ B. Mariae supra Minervam ad ecclesiam eiusdem B. Mariae de Animâ etiam nuncupatam, respective, de mane per universum clerum tam secularem quam regularem, post meridiem vero per archiconfraternitates et confraternitates secularium canonice institutas almae Urbis praedictae fient, interfuerint; vel qui in eâdem, seu immediate sequenti hebdomadâ, duas ex dictis basilicis sive ecclesiis saltem semel visitaverint, ibique devote, ut supra, Deum oraverint, necnon feriâ quartâ et sextâ ac sabbato eiusdem vel sequentis hebdomadae ieiunaverint, atque peccata sua confessi sequenti saltem die dominico sanctissimum Eucharistiae sacramentum reverenter sumpserint, et eleemosynas ad libitum, prout charitas singulis suggesserit, fecerint; ceteris vero omnibus et singulis fidelibus extra Urbem existentibus in quibusvis civitatibus, terris et locis, qui processioni ab Ordinariis locorum, vel eorum vicariis, seu officialibus, vel de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, primâ vel secundâ hebdomadâ postquam ad eorum notitiam hae nostrae litterae devenerint indicendae et agendae interfuerint; vel ecclesiam seu ecclesias per eosdem designandas saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, Deum oraverint, ac feriâ quartâ, sextâ, et sabbato alterius[1] ex duabus hebdomadis ab eisdem deputandis ieiunaverint, pariterque peccata sua confessi ac sanctissimâ communione refecti fuerint, et eleemosynas similiter pro arbitrio suo fecerint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et elargimur.

Itinerantibus, regularibus, infirmis, captivis,

§ 2. Navigantes vero aut iter agentes, ut cum primum ad sua se se domicilia

1 Edit. Main. legit *praesentibus* (R. T.).

1 Videtur legendum *alterutrius* (R. T.).

et aliis impeditis, modum statuit.

receperint, suprascriptis peractis, et, loco interventus in processione, visitatâ ecclesiâ cathedrali, vel maiore, aut parochiali locí eiusdem domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in clausuris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis quam religiosis, secularibus vel regularibus, etiam in carcere aut in captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, scilicet ieiunium, eleemosynam, ecclesiaeque seu ecclesiarum visitationem, ac interventum in processione et orationem, vel eorum aliorum aliqua praestare nequiverint, ut illa confessarius, quem ut infra elegerint, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

Eligendi confessarium, qui eos absolvat etiam a reservatis (excepta haeresi), facultatem concedit.

§ 3. Cupientes autem omnes christifideles participes fieri huius pretiosissimi thesauri, universis et singulis utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus et regularibus, cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, licentiam concedimus et facultatem damus, ut sibi ad hunc effectum eligere quemcumque presbyterum confessarium, tam secularem quam cuiusvis Ordinis regularem, ex approbatis a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris a iure vel ab homine quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicae (etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis) et aliàs per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae et hac vice tantum, non tamen a crimine haeresis, absolvere et liberare valeant.

Ac vota commutet, praeter castitatis, ac religionis.

§ 4. Et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis.

Exequutorem deputat.

§ 5. Quapropter, tenore praesentium, in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum, eorumque vicariis et officialibus, vel, iis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim, absque ullâ morâ, retardatione vel impedimento, per suas ecclesias, dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, ac cleris et populis sibi subiectis solemnes processiones et supplicationes indicant et celebrent, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent.

Habilitandi potestatem non tribuit.

§ 6. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate seu inhabilitate quoquo modo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae;

Publice denunciati quomodo possint consequi declarat.

§ 7. Neque etiam easdem praesentes iis, qui a nobis et Apostolicâ Sede, vel ab aliquo praelato, seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus celebrationis hu-

iusmodi iubilaei satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Contrariis derogat.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles iubilaei, indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et congregationum sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, congregationibus et institutis illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter, nominatim et expresse, ad effectum praesentium, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemptis fidem haberi iubet

§ 9. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earumdem praesentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, ubique locorum et gentium, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII martii MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 23 martii 1634, pontif. anno XI.

CDLXXXIV.

Communicatio privilegiorum omnium, non Mendicantium et Mendicantium Ordinibus seu Congregationibus Clericorum concessorum, fratribus Discalceatis Hispaniarum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum [1].

Urbanus Papa VIII,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Redemptoris nostri Iesu Christi Salvatoris exemplo [2], quo se ipsum exinaniens, formamque servi accipiens, sui sanguinis profusione nos redemit, assiduâ meditatione pensantes, continuis stimulis, ut, tantae liberalitatis memores, gemitus maxime filiorum Ecclesiae in vinculis compeditorum et misericordiam nobis postulantium audientes, paternâ sollicitudine ad opem illis quam possumus ferendam eo promptius excitemur, quo illos apud gentes barbaras et incultas durior servitus premit, vincula coarctant, perdita patria et amissi parentes affligunt; necnon eorum, quos frequentes sacramentorum Ecclesiae participatio non recreat, imo spiritualis perditionis evidentius terret periculum, saluti, quantum cum Domino possumus, libenter consulamus, illosque ab illâ miserabili servitute sublevemus; Exordium.

1 Istorum fratrum congregationem Hispaniarum inter alios Mendicantium Ordines adscripsit Paulus V et eis privilegia communicavit in Constit. CXLVIII (*al.* 146), *Ecclesiae*, tom. XI, pagina 608. Cetera lege ad huius Pont. Const. *Cumsicut*, tom. XIII, pag. 427.

2 Legendum potius *exemplum* (R. T.).

ac operarios illi messi, quae utique non pauca existit, ex professo invigilantes adiuvemus, eorumque pium exercitium, quo ipsi labores expeditius suscipiendo tam pium opus alacrius continuent et promptius exequantur, gratiis et favoribus quibus possumus amplissimis confoveamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Enarrat a Paulo V Ordinem istorum fratrum inter Mendicantium Ordines adscriptum fuisse eique privilegia communicata.

§ 1. Sane pridem felicis recordationis Paulus Papa V praedecessor noster congregationem fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum Hispaniarum inter ceteros Mendicantium Ordines adscripsit, ac illam et illius fratres sub Mendicantium nomine comprehendi debere decrevit et declaravit; propterea omnia privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, libertates, indulta et alias gratias Mendicantium Ordinibus concessa ad ipsam congregationem, eiusque fratres, domos, ecclesias et loca extendit et ampliavit; omnia praeterea privilegia, speciali quoque notâ digna, immunitates, exemptiones, libertates, concessiones, gratias, tam spirituales quam temporales, universo Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum Ordini, illiusque domibus, ecclesiis, superioribus ac fratribus concessa, praefatae congregationi pariter concessit, communicavit et extendit; ac aliàs, prout in litteris apostolicis desuper expeditis plenius continetur[1].

Nunc ex causis hic expressis,

§ 2. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Ioannis de Annunciatione, ipsius Congregationis procuratoris generalis, petitio continebat, fratres et religiosi eiusdem Ordinis, iuxta particulare eorum institutum a piae memoriae Innocentio Papa III etiam praedecessore nostro approbatum, sub regulâ proprià sanctis patriarchis Ioanni et Felici dictae religionis fundatoribus traditâ, in captivorum redemptione pro viribus occupentur, et longos ac taediosos labores in transfretando mari et apud ipsos infideles dietim sustineant; et non modo in redemptione ipsâ, quae ad omnes captivos nunquam extendi potest, sed etiam exhortationibus, concionibus et admonitionibus ad reliquos, qui dictam duram servitutem continuant, ne fides eorum deficiat, occupentur, proprias facultates libenter exponant, discrimina quaelibet et pericula alacriter indefessi subeant; et, ut tam pium opus eo alacrius fratres ipsi continuent et utilius exequantur, promptioresque ad id reddantur[1], ac propterea plurimum cupiant aliarum religionum et Ordinum gratias et privilegia, hactenus a Sede Apostolicâ concessa, congregationi praefatae illiusque fratribus et locis per nos et Sedem eamdem ut infra concedi et communicari; quare pro parte eiusdem Ioannis nobis fuit humiliter supplicatum, ut Congregationis ampliationi in praemissis opportune providere et consulere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Communicat huic Congregationi omnia privilegia aliorum Ordinum et Congregationum, quatenus sint in usu, non revocata, neque sub revocationibus comprehensa.

§ 3. Nos igitur, ipsius Congregationis augmentum et conservationem firmissimis vallare praesidiis desiderantes, ipsumque Ioannem ac singulas personas eiusdem Congregationis a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon litterarum praefatarum tenores etiam veriores ac datas praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex voto congregationis venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ec-

1 Quas vide loc. cit. in notâ ad rubricam (R. T.).

1 Aliquid deesse videtur, ex. g. *spiritualibus gratiis indigeant recreari*; aut simile (R. T.).

clesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum, Congregationi fratrum Discalceatorum praedicti Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum, illiusque domibus et regularibus locis sub illa comprehensis, necnon ministro generali pro tempore existenti, definitoribus et procuratoribus generalibus, visitatori, consultoribus, assessori, ministrisque provincialibus et conventualibus, aliisque cuiuscumque nominis officialibus, superioribus, ac religiosis omnibus et singulis in eâ professis fratribus pro tempore ad captivos redimendos transmissis, et capitulis generalibus, personis regularibus, novitiis, conversis, donatis, oblatis, ministris, famulis, cunctisque tam officiariis quam domesticis et eorum domibus inservientibus, et ceteris primodictae Congregationis ac domorum et regularium locorum personis quibuscumque pro tempore existentibus, necnon quibusvis aliis personis ac christifidelibus illorum ecclesias seu cappellas pro tempore visitantibus, ut omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus, indulgentiis, aliisque praerogativis et gratiis, universis et singulis, tam spiritualibus quam temporalibus (singulis domibus, conventibus, et aliis regularibus locis ac personis, tam canonicorum[1] regularium ubivis existentium institutis, et non solum Ordinibus monasticis, regularibus Mendicantium et non Mendicantium, tam pro redimendis captivis, quam aliàs quomodolibet, Ordini Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum, illiusque domibus, conventibus et fratribus, necnon Ordini beatae Mariae de Mercede Redemptionis captivorum, ac etiam omnibus et quibuscumque congregationibus regularibus, et praecipue Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium et Canonicorum Congregationis Sanctissimi Salvatoris Lateranensis, Sancti Salvatoris de Bononia, ac etiam Sancti Ruffi Valentiae et Sanctae Crucis Colimbriae, Clericorum Regularium de Somascha et Pauperum Matris Dei ac Scholarum Piarum, ipsisque monasticis congregationibus, etiam Cassinensi, aliisque monachis et monasteriis sancti Benedicti, Sancti Hieronymi, Carmelitis Discalceatis, conventui beatae Mariae de Guadalupe, necnon Societati Iesu, ipsisque Cartusiensium, Praemonstratensium et Reformatorum Cisterciensium, Servitarum, Olivetanorum Ordinibus, aliisque familiis et societatibus[1] regularibus, militiis, hospitalibus quibuscumque, et piis locis regularibus, ac quibuscumque personis nunc et pro tempore existentibus praefatorum et quorumlibet Ordinum, societatum, congregationum regularium, per nos et Sedem praedictam, ac alios quoscumque praedecessores nostros Romanos Pontifices, necnon eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, et de latere legatos, et quosvis Sedis praedictae nuntios, vel etiam tam apostolicâ praedictâ quam ordinariâ et regiâ vel imperiali auctoritatibus respective, aut aliàs quomodolibet, quibuscumque verborum expressionibus et tenoribus, in genere vel in specie, ac particulariter, tam per modum communicationis et ampliationis quam simplicis et individuae ac particularis et specialis concessionis, ac etiam motu proprio et ex certâ scientiâ et de apostolicae potestatis plenitudine, etiam iteratibus vicibus, concessis hactenus, vel confirmatis, aut approbatis, et quibus illi tam in vitâ quam in mortis articulo, etiam circa peccatorum remissiones et iniunctarum poenitentiarum relaxationes, aut aliàs quomodolibet, de iure, usu, aut privilegio, vel consuetudine quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere

1 Adde ex Cherub. *quam clericorum* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *Societatis* (R. T.).

possunt et poterunt quomodolibet in futurum, quamvis illa sint speciali notâ digna, difficilisque concessionis, et quae in generali concessione non veniunt) non solum per participationem, communicationem, illorum extensionem, et ad illorum instar, sed speciatim et nominatim, pariformiter et aeque principaliter, in omnibus et per omnia, absque ullâ prorsus differentiâ (perinde ac si illa primodictae Congregationi, illiusque capitulis generalibus, ministro generali pro tempore existenti, illiusque superioribus et personis praefatis specialiter, expresse et nominatim, etiam per viam et modum simplicis et individuae ac particularis et specialis concessionis, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, ac[1] de apostolicae potestatis plenitudine, aut per modum communicationis et ampliationis concessa fuissent) quatenus tamen sint in usu et non revocata, nec sub aliquâ revocatione comprehensa, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant (ita quod omnes et singuli primodictae Congregationis et illius domorum locorumque regularium superiores et ministri, quocumque nomine appellati, eosdem favores, gratias apostolicas et privilegia, quae aliarum religionum, ordinum, congregationum, societatum, etiam Societatis Iesu, monasteriorum, conventuum, domorum, aut locorum regularium et familiarum generales, superiores, praepositi, provinciales, rectores, priores, conventuales, aut claustrales, visitatores, guardiani, custodes, aut alio quocumque nomine, titulo, aut dignitate insigniti, habent, similiter, ut supra, habeant; fratresque et personae regulares primodictae Congregationis, generales, superiores, ministri, et ceteri alii cuiuscumque appellationis praepositi et praefecti, in primodictâ Congregatione expresse professi et in eius gremio et observantiâ viventes, fratres et personas regulares primodictae Congregationis eum privilegiis, gratiis et favoribus apostolicis Ordinum et congregationum huiusmodi perpetuo secundum observantiam regularem et canonicum institutum Ordinis Sanctissimae Trinitatis regere et gubernare et respective visitare valeant; neque primodicta Congregatio super praefatis omnibus et singulis a quoquam, quavis auctoritate vel nomine, molestari, perturbari, inquietari, aut aliâs quomodolibet in iudicio et extra impediri possint[1]), apostolicâ auctoritate praedictâ, earumdem tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus.

1 Turbate ed. M. h. *ac per modum de apost.* potest. plenit., *aut communicationis* (R. T.).

Clausulas praeservativas adiungit

§ 3. Decernentes easdem praesentes semper et perpetuo, tamquam ad divini cultus et bonorum operum augmentum et religionis propagationem tendentes, validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ob omnibus et singulis firmiter atque inviolabiliter observari et adimpleri debere; nec ab illis ullo unquam tempore, quovis praetextu, occasione, vel causâ, recedi, aut resiliri, easdemque praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus et aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes Sedemque praefatam sub quibusvis tenoribus et formis et cum quibusvis clausulis et decretis pro tempore factis, minime comprehendi vel confundi[2]; sed semper et perpetuo ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum atque validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, et de novo etiam sub quacumque posteriori datâ quandocumque eligendâ concessas esse et fore, primodictaeque

1 Potius legend. *possit*, idest *Congregatio* (R. T).
2 Subintellige *posse* (R. T.).

generalis ministri et fratrum Discalceatorum huiusmodi Congregationi suffragari;

Ita iudicari ab omnibus mandat.

§ 4. Sicque et non aliàs per quoscumque iudices, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos ac Sedis Apostolicae praedictae nuntios, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis apostolicis, et in synodalibus, provincialibusque et universalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus; necnon regularium domorum, locorum et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis primodictae Congregationi, illiusque superioribus et personis, in genere vel in specie, ac aliàs, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam iteratis vicibus, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse harum serie derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem dari praecipit.

§ 6. Volumus autem, quod ipsarum praesentium exemplis, seu transumptis, etiam impressis, et alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo et notarii publici manu obsignatis, stetur, eademque prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctionemque poenalem superaddit.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis, indulti, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXXIV, V kalendas aprilis, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 22 martii 1634, pontif. anno XI.

CDLXXXV.

Prorogatio iubilaei universalis ad alias duas hebdomadas.

Urbanus Papa VIII,

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Enarrat concessionem praedicti iubilaei.

§ 1. Pastorali charitate, qua gregem dominicum curae nostrae divinitus commissum prosequimur, eiusque precum et piorum operum fiduciâ adducti, ad divinam opem pro praesentibus Ecclesiae necessitatibus, praesertim in Germaniâ vigentibus, implorandam, per nostras in simili formâ Brevis sub die XXIII martii proxime praeteriti expeditas litteras universis et singulis christifidelibus in almâ Urbe nostrâ degentibus, qui processionibus tunc expressis interfuissent, vel basilicas aut ecclesias etiam tunc expressas visitassent, et ibi pro fidei catholicae defensione, haeresum extirpatione ac principum christianorum concordiâ devote orassent, necnon feriâ quartâ et sextâ ac sabbato unius ex duabus hebdomadis ieiunassent, atque peccata sua confessi sequenti saltem die dominico sanctissimum Euchari-

stiae sacramentum reverenter sumpsissent, et eleemosynas ad libitum, prout charitas singulis suggessisset, fecissent; ceteris vero omnibus et singulis fidelibus extra Urbem existentibus, in quibusvis civitatibus, terris et locis, qui processioni ab Ordinariis locorum vel eorum vicariis seu officialibus vel de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam animarum exercent, primâ vel secundâ hebdomadâ postquam ad eorum notitiam praefatae nostrae litterae devenissent indicendae et agendae interfuissent, vel ecclesiam seu ecclesias per eosdem designandas saltem semel visitassent, ibique, ut supra, Deum oravissent, ac feriâ quartâ, sextâ et sabbato alterius[1] ex duabus hebdomadis ab eisdem deputandis ieiunassent, pariterque peccata sua confessi ac sanctissimâ communione refecti fuissent, et eleemosynas similiter arbitrio suo fecissent; plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in formâ iubilaei concessimus et elargiti sumus, cum facultatibus eligendi confessarium, aliisque facultatibus, prout in dictis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis habere volumus, plenius continetur.

Quod extendit ad alias duas hebdomadas.

§ 2. Ut autem illorum, qui, certis ex causis praepediti, seu aliâs, participes infra tempus in dictis litteris praefixum pretiosissimi huius thesauri fieri non potuerint, spirituali consolationi animarumque saluti consulamus, plenissime[2] in formâ iubilaei indulgentiae huiusmodi munus, cum omnibus et singulis facultatibus, indultis, decretis et gratiis in praefatis litteris nostris contentis, ad duas post dominicam in Albis immediate sequentes hebdomadas, quoad christifideles in almâ Urbe nostrâ praedictâ, quo vero ad alios extra eamdem Urbem ubivis locorum et terrarum ut praefertur degentes, a fine primae vel secundae hebdomadae in eisdem litteris expressae computandas, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, extendimus et prorogamus; ita ut christifideles praefati, qui tempore in eisdem litteris praefixo caelestem indulgentiae huiusmodi thesaurum non fuerint consequuti, si duabus hebdomadis per praesentes prorogatis durantibus, vel in alterâ earum, similiter pro fidei catholicae defensione, praesertim in Germaniâ ac etiam in regno Poloniae, aliisque provinciis et regnis infidelium et haereticorum ditionibus finitimis, haeresumque extirpatione, ac christianorum principum concordiâ devote ut supra oraverint, aliaque omnia et singula in dictis litteris comprehensa adimpleverint, eamdem indulgentiam consequi valeant, in omnibus et per omnia, perinde ac si litterae nostrae huiusmodi etiam duas hebdomadas per praesentes prorogatas comprehenderent.

Consequendi facultatem concedit supplendo quod antea omiserint.

§ 3. Ac praeterea, benignius cum eisdem chistifidelibus agentes, concedimus et indulgemus, ut, quicumque in tempore in nostris litteris praedictis praefixo, aliqua in illis praescripta ad indulgentiam huiusmodi consequendam egerint, aliaque vero omiserint, si haec in duabus hebdomadis per praesentes prorogatis durantibus vel aliquâ earum adimpleverint, indulgentiam praedictam nihilominus consequantur, ac gratiis huiusmodi fruantur, sicut consequerentur et fruerentur, si omnia dictis duabus hebdomadis per praesentes prorogatis durantibus aut earum alterâ praestarent.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Forsan legendum *alterutrius* (R. T.).

2 Edit. Cherub. habet *plenissime* (R. T.).

1 Quinque lineas *si omnia dictis duabus hebdomadis ..... ac gratis huiusmodi fruantur* male intrusas et repetitas delemus (R. T.).

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI aprilis MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 21 aprilis 1634, pontif. anno XI.

CDLXXXVI.

Confirmatio constitutionum Congregationis Reformatae Ordinis S. Antonii de S. Antonio Viennensis[1] *in capitulo generali examinatarum et approbatarum*[2].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Sacri apostolatus ministerio, meritis licet imparibus, divinâ dispositione praesidentes, inter gravissimas pastoralis officii nostri curas, illam praesertim amplectimur, per quam felici christifidelium quorumlibet sub suavi religionis iugo Altismo famulantium statui et quieti opportune consulitur, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Gregorius XV abbati huius Congregationis facultatem dedit proprias sibi condendi constitutiones.

§ 1. Aliàs siquidem a felicis recordationis Gregorio XV praedecessore nostro, in erectione Congregationis Reformatae Ordinis S. Antonii de S. Antonio Viennensi canonicorum regularium, dilecto filio moderno abbati generali dictae Congregationis concessa et postea a nobis confirmata fuit facultas pro felici gubernio eiusdem Congregationis nonnullas constitutiones seu statuta, licita tamen et honesta sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis ac constitutionibus apostolicis non contraria, necnon in capitulo generali dictae Congregationis examinanda et a Sede Apostolicâ approbanda, condendi.

§ 2. Qui quidem abbas, vigore dictae facultatis, nonnullas constitutiones condidit, conditasque in capitulo generali dictae Congregationis examinari et approbari necnon ab omnibus vocalibus in eodem capitulo congregatis subscribi obtinuit, tenoris subsequentis, videlicet:

1 Primam huius Ordinis erectionem vide in Bonif. VIII Constit. XI, tom. IV, pag. 143 (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Tenor Constitutionum.

Iesus, Maria, pro Dei gloria, et in honorem beatissimi patris nostri Antonii.

Incipit codex constitutionum Congregationis Reformatae Ordinis sancti Antonii Viennensis, iam tertio emendatarum potissimum per capitulum generale extraordinarie celebratum hoc anno MDCXXX mensibus octobris et novembris, in quo immutatae et auctae fuerunt, et maiori quam hactenus luce donatae, faciliorique et commodiori ordine digestae[1] in quatuor partes, in quarum primâ agitur de officio divino et caeremoniis ecclesiasticis, in secundâ de moribus, in tertiâ de electionibus et electorum officiis, deque administratione temporalium, in quartâ de hospitalitate.

PARS PRIMA.

De officio divino.

De rubricis, horis et ritibus servandis.

Serventur in officio divino rubricae missalis, breviarii et caeremonialis romani, tam in propriis quam in aliis quae celebrantur officiis.

In dioecesum et parochiarum festis[2], quae ponuntur a populo et quae episcopus servanda praeceperit, persolvatur officium, et breviario romano non se propriis dictarum dioecesum officiis restringendo[3], iuxta decretum Concilii Tridentini sess. XXV, cap. XII.

Singulis diebus horâ quartâ matutinâ pulsetur a deputato primum signum pro matutinis, et horâ quintâ, pulsato ultimo, hebdomadarius inchoabit officium, sicut

1 Male edit. Main. legit *digesta* (R. T.).

2 Perperam ed. Main. legit *factis* (R. T.).

3 Comma istud corrigat qui potest. Ceterum decretum Concilii Tridentini huiusmodi est: « dies festi quos in dioecesi suâ servandos episcopus praeceperit ab exemptis omnibus etiam regularibus serventur « (R. T.).

et omnes horas canonicas, nisi impeditus alteri idoneo vices suas commiserit. Matutinum vero, laudes et prima subsequenter sine cantu recitabuntur.

In choro nemini liceat cantare quod non sit cantandum, aut privatim aliquid legere, aut aliud facere, dum dicuntur horae canonicae, vel missae maiores decantantur. Sed fratres simul cantent, quoties cantandum erit, et psallant Domino sapienter, laudibus divinis singulari attentione, devotione et modestiâ intendentes.

Nullus omnino, cuiuscumque privilegii aut superioritatis etiam generalatus praetextu, immunis a choro censeatur, nisi tempore quo quis in proprii officii munere fuerit occupatus.

Psalmodia non trahatur, sed rotunde proferatur cum pausis, ita ut in medio et in fine cuiuslibet metri fiat pausa cum modico intervallo, nec nimis protrahendo vocem, nec nimis abbreviando, servatâ solemnitatum differentiâ.

In choro stent omnes in invitatorio, omnibus hymnis, ad *Benedictus, Magnificat, Nunc dimittis, Benedicite omnia opera*, et ad cantica laudum ferialium, et etiam ad symbolum *Quicumque vult*, etc.

Genuaflectant ad verba invitatorii: *Venite adoremus et procedamus*, etc., *Te ergo quaesumus tuis famulis subveni quos pretioso sanguine redemisti*; in hymnis ad versus: *Veni Creator spiritus*, etc., *Tantum ergo Sacramentum*, etc., *O vere digna hostia*, etc., *O salutaris hostia*, etc., *O Crux, ave spes unica*, etc., ad *Ave maris stella*, etc., ad introitum missae *Salve Sancta Parens*, etc., et ad offertorium *Ave Maria*; item quotiescumque a dicente invitatorium officii Beatae Mariae pronunciatur *Ave Maria*, vel in choro[1] in responsorio et antiphonâ, idque in choro extra tempus paschale et dies dominicos.

In fine hymnorum, ad *Gloria Patri*, etc., *Benedicamus Patrem et Filium*, etc., *Sit nomen Domini benedictum*, surgant. Ad *Confiteor* similiter, cum a choro dicitur, et operto[1] capite chorus versus chorum inclinetur mediocriter, ita sane, quod si extenderentur brachia extremitates digitorum possent attingere genua; hebdomadarius tamen recitabit *Confiteor* versus ad altare.

Quotiescumque vero pronunciatur tremendum ac venerabile nomen Iesu, sistent fratres, facient semigenuflectionem; si sedeant, aut genibus sint provoluti, caput opertum[2] inclinent. Ad nomen B. Mariae, necnon beatorum patrum nostrorum Antonii et Augustini, ad nomen vero Sancti, cuius fit officium, primâ vice, caput detectum inclinent, aliàs solum inclinent, quod lector in refectorio pariter servabit.

Hebdomadarius, et alii ad quos pertinebit, postquam intonaverint, aut benedictionem, absolutionem, lectionem, versiculos, capitulum, vel orationem dixerint, similiter caput parum inclinent.

Sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum venerentur omnes uniformiter humili et devotâ genuflexione usque ad terram, cum modicâ capitis et corporis inclinatione, quotiescumque ante ipsum transire contigerit.

Sacris altaribus, crucibus, ac piis Sanctorum imaginibus debitam exhibeant reverentiam mediocri inclinatione quoties gradientibus se in viâ directe offerunt.

Fiat et apponatur tabula in loco apto, in qua singulis diebus sabbati de praescripto superioris designentur altaris et chori ministri, prout officii solemnitas requisierit, aut fratrum numerus permiserit.

Ad tertiam pulsetur horâ nonâ matutinâ diebus[3] quibus non ieiunatur; cum

1 Verba *in choro* praeter rem esse videntur (R.T).

1 Forsan legendum *aperto* (R. T.).

2 Vide not. praeced. (R. T.).

3 Perperam edit. Main. legit: *Ad tertiam pulsetur horâ nonâ. Matutina diebus*, etc. (R. T.).

vero ieiunatur, horâ sexquinonâ; et ubique servetur ordo missalis romani de missis conventualibus post tertiam, sextam et nonam celebrandis.

Ultimum vesperarum signum pulsetur secundum consuetudinem locorum.

De suffragiis pro fratribus defunctis.

Priores praeceptoriarum et domorum moneant quamprimum superiorem generalem de obitu fratrum, ut ipse alios moneat quos defuncti superior monere non potuit, ut animae missae sacrificiis et precibus sine more iuventur.

Quilibet sacerdos Congregationis pro unoquoque fratre defuncto quantocitius unum sacrum celebret, clerici vero recitent officium defunctorum in tribus nocturnis et laudibus[1], conversi et donati rosarium, semelque communicent omnes pro defuncti animâ. In loco autem in quo frater fuerit defunctus, ultra praemissa, celebretur missa defunctorum cum officio et suffragiis secundum rituale romanum; sed pro superioris generalis animâ duae a quolibet Congregationis sacerdote celebrentur, et duae solemnes, in capite Ordinis dumtaxat, decantentur, una autem in membris. Ceterum cum habitu religioso sepeliantur corpora defunctorum fratrum, et per novem dies eorum portio[2] erogetur.

De pais officiis.

Fratres omnes non sacerdotes in maiori sacro communicent singulis diebus dominicis, et festis solemnibus primae classis, et beatae Mariae, quae coluntur, nisi legitimâ causâ a superiore approbatâ retrahantur; in concurrentiâ tamen trium solemnium festorum consequentium, et immediate succedentium, satis erit, si primâ die communicent, et, si quis frequentius ad illud sacrum convivium accedere velit, de permissu superioris liceat.

Fratres clerici[3] sacerdotes quotidie missae sacrificio intersint omnes immediate post primam, ubi commode fieri poterit; conversi vero et donati primum perpetuo audiant sacrum.

Fratres conversi, donati et infirmi hospitalis pro qualibet horâ canonicâ recitent quinquies *Pater noster* et *Ave*, et semel *Credo* integraliter, idque in ecclesiâ, si commode fieri possit.

De confessionibus et confessariis.

Omnes omnino fratres semel in septimanâ ad sacram peccatorum suorum confessionem apud confessarios a superiore approbatos cum intimâ etiam levissimarum culparum detestatione accedant.

In qualibet praeceptoriâ seu domo instituantur, examinentur et approbentur a superiore duo vel tres confessarii, pro numero fratrum, qui sint doctrinâ, prudentiâ et charitate praediti, quibus etiam reservatorum casuum a generali Ordinis designatorum (non tamen Ordinariis locorum vel Sedi Apostolicae reservatorum) absolutio committatur, cum ipsi confessarii id necessarium iudicaverint, et ipsorum confessariorum nomina[1] in loco patenti appendantur.

Caveant diligenter tam superiores quam confessarii, ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur.

Ad secularium confessiones exponat superior presbyteros aetate et moribus maturos, ab examinatoribus iuxta constitutionem Clementis VIII *De reformatione regularium* in capitulo generali electis examinatos, et ab episcopis approbatos, non aliter.

De casuum reservatione.

Quoniam, secundum sacrum Concilium Tridentinum, sess. IV, cap. VII, et decretum felicis recordationis Clementis VIII, sibi possunt superiores aliquos casus reservare, caveant ne hoc utantur privilegio in destructionem, sed in aedificationem; sequentes tamen casus superioribus in perpetuum reservatos decernimus, videlicet:

1 Edit. Main. legit *laudis* (R. T.).
2 Nescio an desit *in pauperes* (R. T.).
3 Forsan deest partic. *non* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *nomine* (R. T.).

1. apostasiam a religione, habitu dimisso sive retento, quando eo pervenerit apostasia, ut extra septa monasterii facta fuerit egressio; 2. occisionem et vulnerationem seu ob[1] gravem percussionem cuiuscumque personae; 3. malitiosum impedimentum, retardationem et retentionem litterarum superioris generalis ad inferiores, et inferiorum ad generalem, vel ad definitorium: alios sibi casus de consensu capituli generalis poterit reservare superior, dummodo sint de contentis in dicto decreto Clementis VIII.

De ecclesiis. Sacrista circa officium suum diligenter se praebeat, et studeat Deo placere, non hominibus; de altarium munditie et decentiâ sollicitus sit, vasa sacra et ornamenta omnia honeste et decenter asservet et custodiat sub inventario, et de illis rationem reddat superiori suo quoties poposcerit.

In altarium et ministrorum paramentis servetur rubrica, quoad integritatem, munditiem, colorem et ornatum serico, uti[2] permittitur, pretiosiora non quaerantur, sed oblatis a benefactoribus uti liceat.

De ordinandis. Non mittantur fratres ad sacros ordines promovendi quin prius stricte et sincere fuerint examinati a superiore, vel ab eo deputatis, de aetate et doctrinâ, nec etiam mittantur, qui zelum religionis, morum integritatem, et religiosae conversionis expectationem non praeseferant, ne immeritis[3] talis pateat ascensus.

SECUNDA PARS.

De moribus et de votis[4].

De moribus. Ad morum reformationem aliud utilius iniungere non intendimus, quam divinorum mandatorum, et beati patris nostri Augustini ad canonicos regulae, solemniumque votorum exactissimam et perfectissimam, in quantum Dominus dederit, observantiam, cum praesentium constitutionum determinationibus; et quoniam, ex praescripto eiusdem regulae, iubemur habere cor unum et animam unam, in Domino mandamus strictissime atque[1] praecipimus, ut, qui sub unâ regulâ et sub unius professionis voto vivimus, uniformes in observantiis religionis inveniamur, quatenus unitas cordium, quae interius tenenda est, ab uniformitate exterius servatâ in moribus tueatur et repraesentetur. Eapropter singulares consuetudines et observantias extra regulam, constitutiones et communem vivendi modum in ordine receptum et approbatum ab omnibus in publico et coram aliis vitandas et amputandas decernimus.

De voto paupertatis. Cum paupertatem evangelicam scalae perfectionis primum gradum esse Christus noster[2] doceat his verbis: *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quae habes, et da pauperibus, et sequere me:* propterea, a paupertate votorum tractatum incipientes, statuimus, quatenus nemini liceat bona mobilia vel immobilia, cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine communitatis, possidere vel tenere, sed statim superiori tradantur, conventuique, ut primum commode poterit, incorporentur, iuxta decretum concilii Tridentini.

Nullus praeterea, quantumvis superior sive alius officialis, possit, etiam de consensu vel consilio capituli localis, quocumque praetextu vel causâ, bona immobilia vendere, alienare, permutare, in emphyteusim perpetuam vel ad tempus dare: locationes ultra triennium facere[3] debeantur, de ordine Sanctissimi Nostri, necnon[4]

1 Praep. *ob* praeter rem esse videtur (R. T.).
2 Legerem *serico uti,* commate deleto (R. T.).
3 Perperam ed. M. legit *in meritis* (R. T.).
4 Edit. Main. scribit *devotis* (R. T.).

1 Perperam ed. M. legit *teque* pro *atque* (R. T).
2 Vel lege *nos* vel *Dominus noster* (R. T.).
3 Forsan deest *non* (R. T.).
4 Videretur legendum *nec* (R. T.).

(exceptis locationibus illorum praediorum, quae ponuntur quolibet triennio, et in quibus unum triennium reputatur pro uno anno) impignorare, anticipare, pecuniâ locare, nisi de licentiâ et expressâ auctoritate capituli generalis: quod si quid secus factum fuerit in aliis praeterquam in supra[1] expressis et specificatis, irritum et inane, ex nunc, prout ex tunc, declaramus. Si quis autem contraire praesumpserit, ab officio per generalem aut visitatorem deponatur, et subiaceat aliis poenis de iure et ex constitutione Sanctissimi Domini nostri: *De rebus regularium non alienandis.*

Si quis ex fratribus in tantum malum progressus fuerit, ut, contra praeceptum Domini, vel contra votum paupertatis, pecunias vel aliquid aliud fuerit furatus, occulte receperit, retinuerit, vel impenderit, per se, vel per alium, apud se, vel apud alium, praemissisque legitimis informationibus convictus fuerit furti, iudicio condemnetur, si superior sit, a generali, si inferior, a superiori locali carceribus mancipetur, donec pecunias aut alia occultata restituerit, quae si restitui nequeant, peractâ poenitentiâ e carceribus liberari poterit, sed voce activâ et passivâ careat donec per capitulum generale rehabilitetur; si autem conversus, aut donatus fuerit, coniectus in carcerem ieiunet bis in hebdomadâ in pane et aquâ, ibique detineatur pro rei gravitate ad arbitrium superioris, qui propter poenitentiam poterit cum eo mitius agere.

Superiores, iuxta constitutionem Clementis VIII *De reformatione regularium*, abstineant a munerum largitione, ita ut non liceat eis quoquo modo pecunias aut res alias communitatis erogare aut donare, sub quovis praetextu vel causâ, proprio vel[2] communitatis nomine, praeterquam munera religionis nostrae benemeritis fieri solita, decem scuta tamen pro quolibet non excedentia, aut quae iustâ de causâ pro bono religionis erunt facienda, servatâ tamen formâ constitutionis felicis recordationis Clementis Papae VIII desuper editâ.

De habitu et suppellectili.

In sequentes[1] ordinationes apostolicas statuimus, ut fratrum vestitus et suppellex cellarum ex communi pecuniâ comparentur[2], et omnino uniformis sit fratrum et quorumcumque superiorum, etiam generalis, statuique paupertatis, quam sunt professi, conveniat, ita ut nihil superflui admittatur, nihil etiam quod sit necessarium iuxta regulam nostram alicui denegetur.

Superior et quisque[3] officialis unicâ cellâ, nudis omnino parietibus, lecto et mensâ humilibus, uniformique supellectili sit contentus[4]. Superior tamen generalis, aut visitator, possit alicui ex superioribus, si eorum muneris et officii necessitatem id exigere cognoverit, alteram cellam concedere.

Cum regula nostra praecipiat ne habitus noster sit notabilis, quod debeamus moribus placere non vestibus, ideo statuimus, ut fratrum clericorum vestes fiant de panno nigri coloris humili, scilicet de cadisio in locis quibus commode haberi poterit, alioquin huic simillimo: toga vero sive vestis, qua solent superindui fratres hyeme, sit de panno fortiori non pretioso, cuius collare sit rectum, et tunicae collare[5] cohaereat, eiusque manicae sint longitudinis et latitudinis sufficientis ad manus tegendas.

Forma vestium sit uniformis et simplex, servatâ decentiâ, ne cuiusquam offendantur aspectus.

1 Edit. Main. legit *suprema* (R. T.).
2 Particula *vel* nos addimus (R. T.).

1 Forsan legendum *Insequentes* (R. T.).
2 Aptius legerem *comparetur* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *quis* (R. T.).
4 Pessime edit. Main. habet *consensus* (T. R.).
5 Edit. Main. legit *collari* (R. T.).

Tunica sive sottana sit consuta et clausa ex anteriori parte, cuius pars superior a collo vestas zonam[1], eiusque manicae a parte pugni uncinolis restringantur.

Cappa, sive pallium quo utimur in ecclesiâ, sit de largea, quam vulgo *da scot* nuncupamus, sine artificiosâ complicaturâ; in locis autem, in quibus non invenitur talis largia, alia persimilis accipiatur.

Pallium, quo utimur extra conventum cum pedites incedimus, sit de praedicto cadisio, aut alio panno simili, non pulchriore, longitudinis decentis, cuius collata[2] sit latitudinis seu[3] digitorum, et erectum non deferatur.

Pallia fratrum aequitantium sint de bono et forti panno ad suram defluentia, quae temporum iniuriis valeant resistere, et numquam nodis sericis restringantur; ocreis etiam nigris chryrotecisque[4] simplicibus uti permittitur.

Fratrum conversorum sottana et pallium (quod fibulâ connectent) breviora sint quam clericorum, et quatuor digitis super pedis claviculam desinant, sintque de rudiori panno, sicut et donatorum, quae paulo breviora esse debent; utrorumque tamen pallia quatuor digitis breviora sint quam sottana, beticique coloris sint omnes eorum vestes.

Sacrum religionis nostrae signum, quod *Zau*[5] sive *Potentia* appellatur, pro clericis sit de cameloto caerulei coloris cum cordulâ, pro conversis et donatis de panno laneo rudi eiusdem coloris sine cordulâ, assuaturque omnibus exterioribus vestibus: novitii illud multo brevius portent.

1 Verba *vestas zonam* non intelligo; forsan legend. *versus zonam*, aut, *usque ad vestis zonam* (R. T.).

2 Nescio an *collare* pro *collata* legendum (R. T).

3 Forsan *duo*, vel quid aliud, pro *seu* legendum; sed reliqua emendet aliquis hariolus (R. T).

4 Forsan legendum *crurothecisque* (R. T.).

5 Lege *Tau*, de quo signo vide Constit. XI, Bonif. VIII, tom. IV, p. 144 *b* (R. T.).

Nulli fratrum liceat unquam praedictum signum dimittere, aut occulte ferre: si quis autem temere dimiserit per contemptum, excommunicatus existat ipso facto.

Bireta fratrum clericorum sint simplicia, absque flocco, et sargiâ honestâ, quam *de limestre* vocant, vel huic simili, non pretiosora.

Zonae omnium sint de lanâ inser tenta[1] latitudinis quatuor digitorum.

Subindusia sint de telâ communi, quorum collare replicetur super collare tunicae, sive sottanae[2], ad latitudinem pollicis circiter.

Galeri sint de lanâ, eiusdem in superiori ac inferiori parte latitudinis, quorum alae ad mensuram palmi circiter sint protensae, ac vittae ac foderaturae non sint de serico.

Calcei sint plani, ex corio bovis[3], usui pauperum convenientes, corrigiis ex eodem stringantur, nec a lateribus sint aperti.

Fratrum breviaria et diurnalia sint simplicia, nigrâ pelle cooperta, sine deauraturâ; ceteri quoque libri, quantum fieri poterit, non sint deaurati et de illis in unaquaque domo fiat catalogus.

Nullos in suis cellulis libros fratres habeant sine licentiâ superioris, nec extrahant eos ex bibliothecâ vel ex refectorii suggestu[4].

Cellarum lectuli sint cum simplicibus columnis, sine ornatu, et circumdentur propter pudorem viliori cadisio, aut simili panno coloris violacei, et eorum tecta ex asseribus, vel trelixio conficiantur, in illisque cubent fratres singuli in singulis cum camisiis et caligis super mappas laneas cum linteaminibus de telâ communi.

Fratribus ex obedientiâ superiorum iti- De itinerantibus.

1 Lect. Main. damus (R. T.).

2 Edit. Main. legit *sottana* (R. T.).

3 Ni malis cum ed. Main. legere (!) *bonis* (R.T.).

4 Edit. Main. legit *suggesta* (R. T.).

nerantibus provideatur, de mandato superioris domus a qua proficiscuntur, per procuratorem de sufficienti viatico et vestitu honesto, aliisque necessariis, habitâ ratione temporis et itineris; sed meminerint ipsi fratres in victu et expensis paupertatem, nec in alios usus concessas pecunias expendere, nec sine licentiâ a rectâ viâ deflectere.

Non liceat itinerantibus fratribus per loca, in quibus sunt domus et fratres nostri Ordinis, aliò quam[1] ad ipsas divertere, in quibus superiores vel praecèptores sub inobedientiae[2] poenâ benigne recipi, ac honeste charitativeque per triduum, si voluerint, tractari[3], nec se ab illo hospitalitatis officio eximere ullâ ratione valeant, dummodo ipsi itinerantes legitimis a suis superioribus muniti[4] sint testimonialibus litteris, sin minus non recipiantur, nec recipi debeant.

Sint conformes fratres in tonsurâ barbae et capillorum, ita ut de quindenâ in quindenam fiat corona, nisi propter solemne festum aliquod praeveniatur vel retardetur per aliquot[5] dies; capilli non nutriantur, sed alternis mensibus tondeantur, barba vero singulis mensibus forbice super pectinem fiat.

De mensa. Quandoquidem ex regulâ teneamur carnem nostram domare de ieiuniis et abstinentiâ escae et potus, quantum valetudo permittit, statuimus, ut, ultra ieiunia a sanctâ matre Ecclesiâ iniuncta, ieiunent fratres toto tempore Adventus, dominicis diebus exceptis, incipientes a feriâ secundâ hebdomadae primae (uti tamen poterunt lacticiniis et ovis); item vigiliis Nativitatis et Purificationis beatissimae Virginis Mariae et beatorum patrum nostrorum Antonii et Augustini, universisque feriis sextis totius anni, nisi eo die contingat festum primae classis, aut aliàs iniunctum habeat ieiunium eius vigilia.

Abstineant a carnibus universis feriis quartis totius anni, nisi eo die contingat festum Dominicae Nativitatis, vel maior solemnitas sancti patris nostri Antonii XVII ianuarii. Abstineant etiam a carnibus feriâ secundâ et tertiâ ante feriam quartam Cinerum. Dispensamus tamen tam a ieiuniis Adventus, feriae sextae, et harum quatuor vigiliarum, quam ab abstinentiâ feriae quartae et feriarum secundae et tertiae ante Cineres, ultra dietam itinerantes ex obedientiâ.

In mensâ communi et incinctis[1] frugalitas servetur, ita ut secundum regulam malint fratres minus agere, quam plus habere, iniungentes tamen iis qui praesunt[2], ut fratrum necessitati charitative provideant.

Omnes fratres, etiam superior generalis, eodem pane, eodem vino, eodemque obsonio, sive pietanciâ, in communi mensâ, ad primam vel secundam, nisi fuerint infirmi, vescantur, nec singulare aliquid, quo privatim quis utatur, ullo modo afferri possit, et, si quis in eâ re peccaverit, sequenti prandio vel coenâ nihil alimenti accipiat praeter panem et aquam.

Nullus vero extra horam prandii et coenae aliquid alimentorum sumat, nisi dum aegrotat; licebit tamen matutinis horis, extra tempus ieiunii, facto vel audito sacro, modicum panis et vini in refectorio sumere per modum medicinae.

Lecto[3] ad mensam capitulo e sacrâ scripturâ, mane ex[4] evangelio, sero de qualibet aliâ parte, tam lector quam minister ca-

1 Edit. Main. legit *quem* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *inobedientia* (R. T.).
3 Potius lege *recipere... tractare debeant* (R T).
4 Edit. Main. legit *moniti* pro *muniti* (R. T.).
5 Male edit. Main. legit *aliquod* (R.T.).

1 Forsan legendum *in cibis* pro *incinctis* (R.T).
2 Improbe prorsus edit. Main. legit *praesumunt* pro *praesunt* (R. T.).
3 Ed. Main. habet *Lectis*, et dein *capitulo* (R.T).
4 Praep. *ex* nos addimus (R. T.).

put tegant, illud nudaturi ordine, quo ad chorum, ut supra, articulo decimo primae partis. Conversi et donati in separatâ mensâ sedeant, nec umquam clericis commisceantur in refectorio, nec in recreationibus.

De voto castitatis.

Per castitatem, quae est pulchritudo animae, coaequari potest homo angelis sanctis. Quare hortamur fratres nostros, ut huius angelicae virtutis candorem purum et incontaminatum omni studio servent, atque, ut[1] ab omni specie turpitudinis longissime remoti sint, regulae nostrae bene memores, conversationes malas, sed maxime feminarum, sedulo devitent, sobrietatem vexant[1], castitatis praeservatricem, colant, nihil omnino in ore, minus in corde, ab eâ versetur alienum.

Quo securius flos ille pudicitiae fragrantissimus intemeratus servetur, numquam fratres foras aliter quam bini procedant, simulque stent, et, ubi necessitas alloquendi mulieres occurrerit, id fiat socio vidente, licet non audiente, et paucis absolvatur, sed caveant maxime ne litteras vel munuscula furtim vel crebro accipiant, quia crebra munuscula et sudariola et dulces litteras sanctus amor non habet. Urgente tamen aliquâ necessitate, poterit super dispensari[3], ut soli possint mitti.

Castitatem suam etiam invicem tantâ[4] sollicitudine custodiant, adeoque in loquutione sint circumspecti et in actibus[5] compositi, ut pudicitiae amatores sinceri omnibus appareant, nec eis liceat partem quamvis corporis alterius fratris nudam tangere, nisi eius infirmitas id postulet, ne quidem alter alterum ioco perfricari; verumtamem, cum aliquis fratrum peregre recedet[1], aut revertetur, illum salutare licebit per mutuam super colla inclinationem.

De voto obedientiae.

Praecepta beati patris nostri Augustini audiamus, et eo doctore montem obedientiae[2] concedamus[3], et quod Deo promisimus attendamus. Cum enim nos doceat nihil melius esse obedientiâ, nihil peius inobedientiâ; et experientiâ compertum sit obedientiam totius monasticae religionis basim esse, eius vero eversionem inobedientiam: idcirco mandamus, ut fratres nostri, qui propriae[4] voluntati renunciasse non ignorant, suis superioribus tamquam Christo obediant, illos etiam humili affatu et reverentiali gestu venerentur, atque apud semetipsos statuant, id[5], quod superior praecipit, ipsius Dei praeceptum et voluntatem esse, iuxta illud, Lucae x, *Qui vos audit me audit.* Superioris igitur praecepta tantâ celeritate[6] et alacritate confestim prosequantur, ut, omnibus relictis, ne litteram[7] quidem inchoatam absolvere sibi fas esse ducant.

Hortamur praeterea, ut liberam adeo sui ipsorum suarumque actionum dispositionem cum verâ obedientiâ et simplicitate superioribus relinquant, ut intimos quosque motus, propensiones naturales, impulsusque[8] singulares nullo modo ignorent, eisque quidquid de novo agrediantur[9] communicent et aperiant, sine aversione aut contradictione[10], ne proprium iudicium eorum iudicio contrarium demonstrent.

1 Edit. Main. legit *uti* (R. T.).

2 Quid pro *vexant* legendum sit, aestimet lector scius; forsan *verborum* vel *vestium* (R.T.).

3 Edit. Main. legit *dispensare*, hoc casu debuerat antea legi *superior* pro *super* (R. T.).

4 Vel *sanctâ* vel *attentâ* pro *tantâ* leg. (R.T.).

5 Male, ut puto, *artibus* legit edit. Main. (R.T.).

1 Potius legendum foret *cedet* (R. T.).

2 Edit. Main. habet *obedientio* (R. T.).

3 Potius lege *conscendamus* (R. T.).

4 Edit. Main. legit *proprie* (R. T.).

5 Male edit. Main. *ut* pro *id* legit (R. T.).

6 Edit. Main. legit *celebritate* (R. T.).

7 Edit. Main. legit *litterarum* (R. T.).

8 Edit. Main. legit *impulsisque* (R. T.).

9 Edit. Main. legit *aegrediatur* (R. T.).

10 Forsan legendum *nec* pro *ne* (R. T.).

Si quis per contumaciam vel manifestam rebellionem inobediens suo superiori extiterit, vel cum eo intus vel foris proterve contendere ausus fuerit, legitime convictus, carceribus mancipetur.

In praesidium Congregationis et disciplinae regularis fulcimentum sancimus et statuimus, ut, quicumque fratrum nostrorum ad curias seculares pro debitâ correctione et punitione vitandâ recurrerit, ipso facto excommunicatus sit et existat, quoadusque, iudicio capituli generalis, beneficium absolutionis a superiore generali promeritus[1] fuerit accipere.

Non solum curae sit fratribus superiorum iussis quamperfectissime obedire, sed eorum etiam constitutionibus, ordinationibus, litteris, nunciis, nutibus, ac subordinatis officialibus. Ad communes pariter exercitationes aut erectiones[2], signo campanae audito, sine morâ confluant, et quaecumque officia per communem tabellam ipsis[3] iniuncta diligenter peragant.

Praecipimus praeterea ex[4] vi regulae ne quis[5] litteras ad aliquem mittat, nec acceptas legat, nisi prius superiori[6] legendas obtulerit, nisi cum aliquo[7] ratione sui officii superior dispensandum iudicaverit. Si quis autem secus fecisse convictus fuerit, secundum dictam regulam, ad arbitrium praepositi gravius emendetur.

Caveant etiam omnes ne sine licentiâ superioris negotium aliquod, quantumvis pium, suscipiant, aut aliquid ab aliquo alteri restituendum accipiant, vel in pios[8] usus conferendum, nec pariter pietatis vel aliquo[9] praetextu, aliquos libellos vel tractatus, etiam rerum spiritualium, nec quidem simplices collectiones, componant aut describant, multo minus aliis communicare praesumant, nisi ipse superior ea subscripserit; quod si quid huiusmodi in lucem edere praetenderent, si ad mores pertineret, a superioribus approbationem et a generali licentiam obtineant.

A communibus exercitiis nemo sine licentiâ absit, nisi forte aliquis actu proprio officio detineretur, et differri commode non posset quod agit. Nemo sine superioris licentiâ alterius cellam et officinas ingrediatur[1], rei cuiuspiam usum habeat, vel eam[2] alteri praebeat, alterius officio se ingerat, mortificationem publicam neque austeritatem eo inconsulto[3] faciat.

De recipiendis in Ordine.

Cum ad regularem disciplinam in singulis religiosorum Ordinibus propagandam aut destruendam nihil aeque conferre compertum sit, quam diligentem aut negligentem novitiorum institutionem; idcirco statuimus, ut in recipiendis novitiis, et in eorum educatione, necnon in eorum magistri electione, decreta Concilii Tridentini, ac felicis recordationis Pii V, Sixti V, Clementis VIII, et Domini nostri Urbani etiam VIII, Summorum Pontificum, considerata locorum et redditnum commoditate, in quantum possibile erit, observentur.

Quicumque voluerit Ordinem nostrum ingredi et profiteri, sit de honestâ familiâ et legitimo matrimonio natus, sano iudicio donatus, linguae latinae peritus, pro clerico, firmâ valetudine praeditus, annum suae aetatis[4] vigesimumquintum[5] excedens, et quadragesimum non excedens, non fuerit haereticus, vel de haeresi suspectus, non sit obaeratus[6], nec reddendae

1 Edit. Main. legit *pro meritus* (R. T.).
2 Fors. *recreationes* pro *erectiones* leg. (R.T.).
3 Edit. Main. legit *ipsi* (R. T.).
4 Edit. Main. legit *ea* (R. T.).
5 Edit. Main. legit *nequis* (R. T.).
6 Edit. Main. legit *superior* (R. T.).
7 Male edit. Main. legit *aliqua* (R. T.).
8 Edit. Main. legit *inpios* (R. T.).
9 Vox *alio* vel addenda vel substituenda (R.T.).

1 Edit. Main. legit *ingrediantur* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *iam* pro *eam* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *in consulto* (R. T.).
4 Edit. Main. legit *suae tatis* (R. T.).
5 Fors. leg. *decimumquintum*, ut postea (R. T).
6 Edit. Main. legit *oboratus* (R. T.).

rationi obnoxius, strictioris religionis voto solemni non adstrictus, alterius religionis habitum non portaverit, parentes, ipsius ope graviter indigentes, non deserat, sed nec ille[1] nec ipsi famam bonam perdiderint, occultam infirmitatem non patiatur.

Ne parentum importunitas subripiat quod religionis integritas non concedit, superior ipse generalis, etiam cum definitoribus, dispensare non possit cum illis, qui suae aetatis annum decimumquintum non excesserint, neque cum illis, qui infirmitatem incurabilem vel difficilis curationis patiuntur[2], vel haeretici fuerint, sed ad capitulum generale reservetur. Cum illis autem, qui quadragesimum suae aetatis annum excesserint, vel qui alterius Ordinis habitum portaverint, si eximiae pietatis, doctrinae et expectationis, praeviâ sollicità strictissimâque perquisitione, de ceteris requisitis multum utiles Congregationi nostrae videantur fore, superior generalis cum definitoribus dispensare possit, difficile tamen cum illis, qui professionem emiserint.

Serio moneantur, tam qui in clericos, quam qui in conversos voluerint recipi, illos ab Ordine reiiciendos esse etiam emissâ professione (quam propterea nullam esse ex nunc declaramus) si illegitimationem, occultam infirmitatem, aes alienum, seu debitum, rationis reddendae obligationem, se fuisse haereticum[3], alterius Ordinis habitum tulisse, et se vel parentes infamatos esse celaverint, et tales defectus non fuerint confessi. Et conversos, quotiescumque ordines aliquos, etiam clericalem tonsuram, quocumque modo vel praetextu receperint, pari modo expellendos fore, quicumque superiores et novitiorum magistri, ad quos accesserint, sincere et exacte commoneant.

1 Edit. Main. legit *illae* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *pariuntur* (R. T.).
3 Oporteret legere *haereticos* (R. T.).

Si quis novitiorum se ipso voluerit abire et Ordinem relinquere, superiores vel magistri novitiorum causas blande sciscitabuntur, et, si propter solam tentationem vel aliquam humanam apprehensionem adverterint, illa[1] repellere charitative conabuntur, sed, si persistat, non se molestos exhibeant illum retinendo, sed illi restituant quae attulerit, nisi usu consumpta sint, vel in eius victum et vestitum expensa, vel ab eo libere relinquantur.

Demum postulantes praenotatis qualitatibus praediti, et religionis capaces recogniti, habitu poterunt indui et post annum et diem probationis ad professionem admitti per ipsum abbatem generalem, per visitatorem tempore suae visitationis, per superiorem localem vel magistrum novitiorum, et actus receptionis et professionis in libro scribentur, quos subscribet ipse recipiens, receptus, et duo testes: conversi, ignari scribere, signum crucis, vel si quod habent privatum, depingent.

Antequam aliquis in numerum conversorum recipiatur, per decem annos in statu donatorum Congregationi fideliter deserviat,[2] aliquam utilem artem calleat, elapso autem decennio, in eodem habitu novitiorum ingredi poterit, et, per alium annum probatus, si idoneus fuerit iudicatus, ad professionem admitti valeat.

Fratres conversi et donati nullos unquam libros latinos legant, sed pios vulgaris idiomatis recipiant a superiore, qui illis officium Beatae Mariae poterint concedere; sed diurnale vel breviarium illis non concedatur, ad clericorum statum transire numquam possint, quod si attentare praesumpserint, severissime puniantur, et vilissimis quibusque officiis semper mancipentur.

Si forte aliquis ex religiosis Ordinem nostrum ante decretum reformationis no-

1 Lege *illas* vel *illam* (R. T.).
2 Videtur heic deesse partic. *si* (R. T.).

strae professis zelo perfectionis maioris velit se institutis nostris submittere, per annum integrum in novitiatu exerceatur, quo peracto, si idoneus reperiatur, professionem secundum formam his constitutionibus praescriptam emittat.

Meminerint novitiorum magistri hoc praecipue, post Dei timorem et perfectionis religiosae amorem, fratribus in conversos recipiendis inculcare, illos ad opera manualia esse destinatos, a quibus numquam quocumque praetextu se excusare valeant.

Donati solerter examinentur de famâ, moribus et aliis; debent esse robusti, firmae valetudinis, aetate ad vigesimum secundum saltem annum provecti; si[1] aliquam artem calleant, qua Ordini utilius deserviant, poterunt in quacumque domo recipi; sed diligenter[2] de rudimentis fidei et disciplinae religiosae doceantur primo[3] quo admissi fuerint anno, ita ut pii, simplices, modesti, fideles, et laboris, ad quem vocantur, patientes sint; eoque expleto, si capaces indicentur, cum illis civilis contractus fiat, per quem promittant paupertatem, castitatem, obedientiam et fidelitatem, et iurent super sacra Dei evangelia eorum omnium observantiam, quodque aliquid ab Ordine non petent pro servitiis exhibitis, si quando propter incorrigibilitatem, vel peccatum scandalosum, et notorium expellerentur; in quo casu a praedictis sint absoluti; sed quamdiu in Congregatione perseverabunt, illis de necessariis provideatur.

Sciant omnes nostrae Congregationis fratres tam clerici quam alii se esse pauperum igne sacro infirmorum curatores et procuratores, et idcirco obligatos ad eleemosynas pro eis etiam ostiatim, si opus fuerit, quaerendas.

Formula professionis.

Tempore probationis elapso, qui per examen sedulum, ut praefertur, capaces perfectionis religiosae et utiles Congregationi censebuntur, professionem emittant in haec verba: *Ego frater N. facio professionem et voveo Deo, Beatae Mariae Virgini, beato Antonio, et tibi, reverende pater, superiori meo, vice reverendissimi abbatis superioris nostri generalis et successorum eius, perpetuam paupertatem, castitatem et obedientiam, morumque meorum emendationem secundum regulam beati Augustini et statuta Congregationis reformatae S. Antonii Viennensis.* Conversi vero sic dicent: *Ego frater N., conversus, voveo Deo, Beatae Mariae*, etc., *paupertatem, castitatem et obedientiam, morumque meorum emendationem in statu conversorum iuxta regulam.*

Ut qui in numerum professorum recepti fuerint melius in bono incepto regularisque disciplinae observantiâ confirmentur et stabiliantur, infra triennium a professione aliquod officium exterioris obedientiae clerici non obeant, nec communibus tractatibus intersint, neque Ordinis negotiis misceantur, etiam si sacerdotes, sed eo durante litterarum studiis et caeremoniis ecclesiasticis vacent.

Quia, praeter curam corporalem et spiritualem pauperum igne sacro infirmorum, aliarum etiam multis in locis animarum cura[1] nobis incumbit, ut huic muneri ad maiorem Dei gloriam et ipsarum animarum salutem et progressum satisfacere valeamus, erigantur seminaria litterarum in quibus professi studiis vacare teneantur. Horum autem seminariorum destinatio, erectio, directio, gubernatio, dispensationi superioris generalis relinquitur.

Quandoquidem non raro contigerit suggestione daemonis fallacis alumnos religiosae perfectionis decipi, etiam sub praetextu perfectionis vitae, propterea nemo fratrum audeat ad strictiorem seu arctio-

1 Partic. *si* nos addimus (R. T.).
2 Edit. Main. legit *diligentet* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *primi* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *curam* (R. T.).

rem religionem transire sine definitorii licentiâ, quam etiam non concedat, si ex levitate, temeritate, odio, contemptu aut aliâ animi perturbatione moveatur[1]. Cum ordinarii superioris iudicio stare noluerit, ad generalem et definitores res deferatur, quorum responsum expectare si proterve recuset, carcerali custodiâ mancipetur, si aufugerit, excommunicatus publicetur, et, si poenitens reversus fuerit, petitâ veniâ, disciplinâ plectatur, ab excommunicatione absolvatur, et iterum incarceretur, donec per superiorem generalem fuerit dispensatus.

De quotidianis exercitiis.

Mane surgant fratres diligenter horâ quartâ matutinâ, et dum se modeste induunt aliquid devote in Domino meditentur, ac, decenter vestibus operti, humiliter genua flectant, ac demum adorent, deinde lectum componant, tum, aliis necessariis expletis, pulsato horae sesquiquartae signo, convenient omnes ad oratorium consuetam orationem vocalem simul facturi, qua expletâ, orationi mentali vacent per dimidiam horam super materiâ quam unusquisque sibi serotino tempore utiliorem praeparaverit; horâ vero quintâ, pulsante ultimo matutinarum signo, omnes simul ad chorum propere, modeste, silenterque procedant, ab eoque regrediantur similiter, idque servetur quotiescumque itur ad chorum vel ab eo reditur.

Horâ sesquidecimâ matutinâ diebus quibus[2] non ieiunatur, horâ vero sesquiundecimâ cum ieiunatur, pulsetur ad refectionem corporalem, et statim conveniant fratres modeste silenterque ad refectorium, factâque de more ab hebdomadario benedictione, sedeant primo superiores, ordine in electionibus infra praescripto, deinde sacerdotes alii, subinde diaconi, similiter subdiaconi, postea alii clerici, postremo in mensâ separatâ conversi et donati, ordine professionis suae.

1 Edit. Main. legit *moneatur* (R. T.).
2 Vocem *quibus* nos addimus (R. T.).

Nemo superveniat post sessionem ad primam mensam pransurus vel coenaturus, absque expressâ superioris licentiâ; ne turbetur communitas, primae mensae omnes intersint, cessante legitimo impedimento a superiore probato, ibique devote sine strepitu iuxta praescriptum regulae sacram lectionem audiant.

Post prandium, gratiis devote peractis, fieri poterit recreatio per horam in loco deputato, tam ab illis qui in secundâ mensâ quam qui in primâ pransi fuerunt[1] vel coenaverint, ibique loquantur de rebus in Domino utilibus: expletâ recreatione, ad sonum campanulae, in cellas se recipiant fratres, nisi proprio occupentur officio, ibique, post breve examen conscientiae, et invocato devote divino auxilio, aliquid legant, scribant aut studeant, sive aliud ex praescripto superioris peragant usque ad vesperas; quibus cum completorio peractis, pari ratione se habeant.

Pulsetur horâ quintâ serotinâ ad orationem mentalem per dimidium[2] horae in oratorio communi faciendam, a qua recedentes in refectorium se conferant pro refectione, qua finitâ, et recreationis tempore expleto, recipiant se in cellas lectioni spirituali vacaturi, et horâ octavâ serotinâ diebus designatis pulsabitur pro capitulo culparum, sesquioctavâ vero singulis diebus pulsetur ad orationem vocalem post breve examen faciendam, qua expletâ, et benedictione simul a superiore acceptâ, ad lectum eant; extra quem nemo reperiatur post horam nonam, sine licentiâ. Diebus quibus ieiunatur, meditatio serotina fiat ab horâ sesquiquintâ ad sextam, et, post modicam refocillationem, recreatio per dimidium[3] horae tantum.

Singulis hebdomadibus feriâ sextâ habeatur sermo de religiosa disciplinâ et

1 Aptius legendum *fuerint* (R.T.).
2 Edit. Main. habet *per dimidiam horae* (R. T).
3 Edit. Main. legit *dimidiam* (R. T.).

regulari observantiâ, vel mutua rerum spiritualium collatio; bis etiam in septimanâ fiat lectio sacrae scripturae vel casuum conscientiae, diebus praescriptis, qua absolutâ, mutuâ collatione circa explicatam doctrinam se se fratres utiliter exerceant, qui etiam poterunt semel in hebdomadâ, die quae convenienda[1] videbitur, recreari: secundum tamen loci et personarum necessitatem superior dispensare poterit, etiam cum universâ communitate, ut crebrior fiat recreatio.

Fratres egredi a conventu non audeant absque licentiâ singulis vicibus impetratâ, et benedictione a superiore acceptâ, qui iuxta regulam exituro socium adiungat, non egredientis rogatu, sed arbitrio suo; poterit tamen dispensare cum procuratoribus et curatis, eorumve sociis, ut acceptâ mane et sero speciali benedictione, saepius in die negotiis requirentibus egrediantur. Cum autem ceteri omnes ad domum revertentur, superiorem iterum adeant benedictionem accepturi, qui a socio itineris rationem et quid rei actum diligenter perquirat; socius autem, necessitate exigente, iuxta regulam admonitionem fraternam charitative praemittat, antequam moneat superiorem. De cetero nullae generales licentiae dentur.

De capitulo culparum.

Sit in unaquaque domo frater, qui alios excitet horâ constitutâ, ideoque cubitum eat mediâ saltem horâ ante ceteros, eodemque[2] temporis spatio ante eos surgat, lumenque, cum opus fuerit, in singulorum cellas deferat, sitque in dormitorio per totam noctem ardens.

Quamvis extra capitulum omnes possint post commissum delictum statim veniam postulare, si aliquem laeserint, sicut regula nos docet; fiat tamen bis in hebdomadâ, feriis scilicet secundâ et sextâ, horâ octavâ serotinâ, capitulum culparum, in quo fratres, ordine suo, genibus flexis coram superiore, se de peccatis externis, quae contra regulam, constitutiones et praecepta superioris admiserint, breviter et aperte palam se accusent, poenitentiamque postulent, et indictam a superiore aequo animo subeant, humiliterque expleant.

Licebit etiam fratribus, ad maiorem Dei gloriam et sui humiliationem, repugnantias palam referre de licentiâ superioris, cui prius privatim quisque[1] ipsas repugnantias declaret, et ipse superior, ac, de illius licentiâ, ceteri fratres poterunt alios proclamare de manifestis et levibus culpis, et qui proclamatus fuerit, aut se ipsum accusaverit, genibus flexis humiliter poenitentiam expectet.

In aliis culpis observentur ea quae in regulâ nostrâ praecipiuntur de correctione fraternâ; ita ut, qui peccare fratrem animadverterit, opportunum tempus et locum nactus, primo, semotis arbitris, secreto moneat; et, si in peccato persistat, superiori tamquam patri referat; si admonitus secreto a superiore negligat se emendare, duobus vel tribus testibus ostendatur; a quibus convictus, secundum arbitrium superioris emendatoriam teneatur subire vindictam.

Si quis (quod Deus avertat) adeo pertinaci et indurato animo fuerit, ut nullius remedii lenitate vel acerbitate sanari possit a peccato, et necessitas membri insanabilis amputandi imposita videatur, eius rei definitio ad superiorem generalem et definitores remittatur, et ab illis incorrigibilis[2], sublato religionis nostrae signo, in seculi corruptionem[3] reiiciatur, servatâ iuris formâ.

Hortamur praeterea fratres, ut laudabilem morem ad omnia vitiorum germina radicitus evellenda efficacissimum semper

1 Aptius *conveniens* vel *convenientior* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *eosdemque* (R. T.).

1 Vocem *quisque* addimus (R. T.).
2 Adde *iudicatus*, aut simile (R. T.).
3 Edit. Main. legit *corructionem* (R. T.).

observent, nempe, si quis rogaverit humiliter in capitulo, ut coram superiore ceteri fratres eius vitia et defectus singulatim pandant et manifestent, ei concedatur roganti, si et quando superiori expedire videbitur; idque eà moderatione et candore animi fiat, ut ex verà charitate proficisci manifestum sit, et ea solum vitia dicantur, quae externâ specie cognoscuntur, non autem occulta, praesertim graviora.

De silentio. Cum, ut ait Isaias propheta, cultus iustitiae sit silentium, et, secundum beatum Iacobum, huius, qui non refraenat linguam suam, vana est religio, ordinamus ut silentium in totâ domo servetur [1] extra tempus recreationum, sed maxime in ecclesiâ, sacristiâ, oratorio, dormitorio et refectorio, ubi, cum de rebus necessariis loqui necesse erit, id obiter et submissâ voce fiat, et in illis locis fragor aut strepitus non excitetur tempore quo fiunt exercitia communia.

De infirmis et infirmariis. Ad opera charitatis maxime erga infirmos exercenda cum simus principaliter vocati, et haec ordinata esse debeat [2], dignum est, ut de curâ fratrum nostrorum infirmorum potior ratio habeatur. Quapropter statuimus, ut in unaquaque domo infirmaria certa et salubri loco instituatur, in qua fratres omnes, cum aegrotant, curentur.

Ægrotantium cura, iuxta praescriptum regulae, uni fratrum demandetur, qui omni sedulitate et charitate eis ministret, eosque soletur, et de cellario petat quod cuique opus esse perspexerit, et tam ipse superior quam dispensator a medicis praescripta diligenter provideant [3]; quod si quis aegrotus eorum incuriâ periclitetur, severe pro culpae modo puniantur [4].

1 Edit. Main. legit *serveretur* (R. T.).
2 Aptius forsan legerem *debeant* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *provideantur* (R. T.).
4 Male edit. Main. legit *puniatur* (R. T.).

Qui praeter solitum male se habuerit, id superiori indicet, credaturque servo Dei, iuxta regulam nostram; sed utrum sanando illi dolori quod delectat expediat si non sit certum, medicus consulatur, quem nullus vocet, nec consulat, nec medicinam accipiat, absque expressâ superioris licentiâ.

Qui infirmorum curam habet quaerat a superiore quos fratres ad aegros invisendos et recreandos accersere debeat, praeter quos nullus infirmariam ingrediatur, nisi cum licentiâ; caveant tamen omnes, ne, dum infirmis placere et indulgere student, aliquid faciant, quod eis nocere in corpore vel animâ possit, vel aliis scandalo esse; quod si talis infirmitas fuerit, quae nec multum debilitet, nec turbet appetitum, cibos refectorii non mutent tales infirmi.

TERTIA PARS.

De electionibus et de capitulo generali.

Quod sit capitulum generale. Capitulum generale esse dicimus et declaramus coetum et conventum reverendissimi abbatis superioris generalis, aut eius vicarii (qui alius non sit nisi religiosus presbyter nostrae Congregationis, aetate maturus, doctrinâ, experientiâ et moribus commendabilis), prioris claustralis monasterii, quod est Ordinis caput quatuor definitorum, visitatorum, procuratoris generalis, superiorum praeceptoriarum et domorum, magistrorum novitiorum in quibus non erit congregatio professorum sive alius superior ab illo [1], discretorum ipsarum domorum, legitime in Spiritu Sancto congregatorum; quod

1 Puto comma istud aliter esse legendum, ut sensus sit: *magistrorum novitiatuum* (vel *domorum novitiorum*) *in quibus non sit congregatio professorum*, et *in quibus non sit alius superior ab illo* (idest distinctus ab ipso magistro novitiorum) vel *in quibus non sint alii superiores ab illis*, idest distincti a magistris novitiorum (R. T.).

singulis trienniis iuxta Bullam reformationis nostrae in dicto S. Antonii Viennensis monasterio celebrandum decernimus, idque postridie Ascensionis Dominicae, sine aliâ interpellatione, siquidem dies interpellat; inhibentes alibi aut alio tempore celebrari, nisi per ipsummet capitulum, aut per generalem cum quatuor diffinitoribus, ex causâ urgentissimâ, aliter fuerit decretum. Nemini autem praenominatorum sub excommunicationis poenâ ipso facto incurrendâ a praefato capitulo sine legitimâ causâ ipsius capituli iudicio approbandâ abesse liceat.

Penes ipsum capitulum totius Congregationis summam potestatem et omnimodam dispositionem et iurisdictionem esse volumus et ordinamus, ita ut ad illud pertineat superiores eligere et instituere, et eos, elapso triennio vel non elapso, deponere, sicut et alios quoscumque dignitatem vel officia in Ordine obtinentes; item omnia et singula ad Congregationem spectantia statuere, ordinare, instituere, unire, separare, delinquentes punire, et circa haec omnia peragere, prout Spiritus Sanctus, ius et ratio suadebunt. Nihil tamen ab eo decretum vim constitutionis habebit, quod prius non fuerit a tribus capitulis continuis confirmatum, praesentibus exceptis[1]. Non protrahatur capitulum generale nisi a feriâ sextâ infra octavam Ascensionis Dominicae inclusive ad feriam sextam ante vigiliam Pentecostes inclusive, nisi ex urgenti necessitate per alios duos dies protrahi debeat, et non ultra, et in eo assignentur mansiones unicuique fratrum, a quibus non recedent usque ad sequens capitulum, nisi pro iustâ causâ cum aliquo aliter faciendum superior generalis iudicaverit.

Caeremoniae. Die, qua procedendum erit ad primi[2] capituli sessionem, omnes vocales missas de Spiritu Sancto celebrent privatim, de eodemque una solemnis cantetur ab abbate vel priore claustrali, qua finitâ, nolis[1] sonantibus, inchoëtur a cantoribus hymnus *Veni Creator Spiritus*, et processionaliter omnes ad locum capituli procedant: ad quem cum perventum fuerit, praeses capituli, finito hymno, decantatis evangelio et collectis, dicat orationes consuetas; deinde sedeant omnes ordine suo, scilicet abbas generalis superior, vel eius vicarius, prior claustralis, quatuor definitores ordine suae electionis, visitatores eodem ordine, procurator generalis, superiores praeceptoriarum secundum antiquitatem earum, vicariique domorum capiti Ordinis connexarum, in quibus erit congregatio fratrum, magistri novitiorum, discreti vero ordine professionis, et habeatur sermo vel brevis oratio de regulari disciplinâ ab eo qui per generalem superiorem fuerit deputatus. Finitâ oratione, recedant qui capitulo interesse non debent; vocentur, qui adesse debent; absentium excusationes examinentur, quae si non fuerint legitimae, poenam[2] excommunicationis incurrisse proclamentur[3]; tunc discreti litteras domorum, a quibus sunt delegati, proferant capitulo, seu praesidi, et definitoribus, qui eas examinent, et, si quid notabile occurat, ad capitulum deferent; superiores exhibeant libros rationum receptorum et impensorum suae administrationis, a se et domorum senioribus subscriptos: curabunt etiam transcribi in formâ iuridicâ titulos possessionum et redditiuum domorum, ut in archiviis in loco tutiori conficiendis reserventur.

His ita peractis, praeses capituli patres capitulares ad cautelam absolvat in haec

1 Videretur legendum *praesenti*, quod tunc erit, *excepto* (R. T.).

2 Videretur legendum *primam* (R. T.).

1 De hac voce vide lexic. Forcellin. (R. T.).

2 Edit. Main. legit *poenas* (R. T.).

3 Aptius legerem *proclametur* (R. T.).

verba: *Auctoritate, qua fungor, ad hunc effectum ut omnia, quae in capitulo generali a vobis fient, rata et firma sint, absolvo vos ab omni censurâ, et vobiscum in irregularitate et impedimento dispenso, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

Religiosa disciplina suas dicendo opiniones et modestia ab omnibus servetur, ita ut quisque suo loco et ordine sententiam ferat placide et quiete, clare, breviter, et sine repetitione; nemo adversetur, sed, in quod plures consenserint[1], ratum esse sibi quisque persuadeat, nec dicat sibi non probari, quod a maiori parte decretum fuerit, nisi ius et ratio aliud omnino suaderet.

De eligendi formâ.

Primo nominetur a superiore generali, et a capitulo approbetur, unus capitularium secretarius idoneus, qui decreta capituli distincte et ordine describat; nominentur etiam eodem modo duo scrutatores ex corpore dicti capituli, qui simul cum dicto secretario suffragia scrutabuntur, iurentque electores, secundum veritatem cuiusque conscientiae probiores ac magis ideoneos se electuros; insuper secretarius et scrutatores, se rite et fideliter munus sibi commissum obituros.

Mox procedant hi tres in medium, sedeantque coram omnibus ad mensam ad hoc paratam (praesidente reverendissimo abbate superiore generali, aut eius vicario, non tamen audiente, cum petuntur nomina eligendorum) super quam sint duae urnae cum chartâ et atramentario, et nomina omnium eligentium describat secretarius, dum ceteri vocales, quos eligere secundum Deum debent, cogitant.

Statim praesidens a praefato secretario petat tria aut plura nomina eligendorum, quae voluerit, in totidem schedulis scripta separatim, e[2] quibus acceptis unum, quod voluerit, dictus praeses aut[1] eligens mittat in urnam primam, et alia inutilia in alteram secundam[2].

Accedat, qui a praefato praesidente primus fuerit, et similiter faciat, mittens in dictam urnam nomen eius, quem duxerit eligendum, et ita omnes vocales per ordinem, necnon et praedicti scrutatores et secretarius; qui schedulas suas scribere debebit coram scrutatoribus, ut schedulae omnes scribantur eâdem manu.

Quibus finitis, fiat inter scrutatores collatio suffragiorum; quibus regulatis et bene verificatis, scribat secretarius electionem eius, pro quo plures supra medietatem eligentium suffragati fuerint, et statim coram omnibus eam legat et publicet in hunc modum: *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, celebrata fuit electio canonica superioris talis domus per reverendissimum N. abbatem superiorem generalem, et reverendos patres NN. in praesenti capitulo vocales, rite et canonice in Spiritu Sancto congregatos, in qua quidem electione frater N. habuit unum votum, frater N. duo, frater N. sex, etc.; et, cum frater N. habuerit tot vota supra medietatem, ideo fuit canonice electus. Quapropter ego frater N. Ordinis et Congregationis reformatae S. Antonii presbyter religiosus professus, et dicti capituli generalis secretarius, nomine meo, ac nomine capituli, ac omnium capitularium, in superiorem talis domus praefatum reverendum patrem N. cum tot suffragiis sicque canonice electum publico et denuncio. In nomine Patris, etc.* Quod observari volumus in omnibus electionibus, in quibus formam a capitulo generali servatam semper retineri mandamus.

Priusquam ad electiones deveniatur, in

1 Edit. Main. legit *consenserit* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *et* pro *e* (R. T.).

1 Forsan legendum *praeses eligens*, nam de aliis postea (R. T.).
2 Edit. Main. legit *secundo* (R. T.).

primis et ante omnia praelegantur constitutiones de qualitate et requisitis eligendorum.

Ad officia, gradus et praelaturas illi praecipue eligantur, qui possint et consueverint regulas Ordinis et constitutiones observare, praesertim, quae pertinent ad servitium chori ac victum et vestitum communem.

Declaramus autem, officia supradicta in unâ eâdemque personâ esse incompatibilia, ea videlicet, quae in capitulo de electionibus supra describuntur, omnemque electionem esse nullam, quae contra vel non servatâ formâ in constitutionibus descriptâ facta fuerit.

Ordo electionum.

Prima electio fiat de priori claustrali huius monasterii; secunda de quatuor definitoribus capituli generalis; tertia de duobus visitatoribus; quarta de procuratore generali; quinta de superioribus localibus ordine antiquitatis domorum; sexta de superiore huius monasterii; septima de magistris novitiorum, quae tamen poterit secunda aut tertia fieri arbitrio capituli generalis.

In casu autem, quo electio reverendissimi abbatis generalis in capitulo generali veniret facienda, prima fiat.

Electio autem canonica non censeatur, nisi unus solus plures voces habeat, quam ceteri omnes simul, ita ut maior pars capituli libere in unum consentiat.

Si vero nullus primo scrutinio ceteris omnibus plures voces habeat, iterum suffragia ferantur eodem quo superius modo. Si autem neque secundâ neque tertiâ vice unus plus quam reliqui omnes habuerit[1], si vero concurrant duo, aut plures, qui aequalia habeant, eligatur antiquior professione, et, inter professione et suffragiis aequales, eligatur aetate maior, et eiusmodi electio canonica censeatur.

De abbate generali.

Abbas superior generalis Ordinis et Congregationis reformatae S. Antonii Viennensis, ex singulari et illaeso Sanctae Sedis privilegio, e mistico corpore Congregationis per canonicam electionem semper fuit assumptus, sicut imposterum ex gremio Congregationis reformatae semper est assumendus, et in caput Ordinis elevandus, non ut potestate dominante, sed charitate serviente honorem promereatur, quo illum ceteri fratres debent efferre, dicit enim Christus: *Ecce ego sum inter vos tamquam qui ministrat.* Non ergo[1] se erigat tamquam dominaturus in clero, sed, forma gregis factus, sit tamquam unus ex reliquis fratribus, vel illos morum et vitae integritate praecedat, ut fidelis ministri et solliciti pastoris partes sustineat, et eam quam tenetur Summo Pastori de commisso grege reddere possit rationem.

Quia in monasterio sancti Antonii Viennensis reliquiae sacrae ipsius beatissimi patris Antonii asservantur, in eoque iacta fuerunt prima totius Antonianae familiae fundamenta, ideo caput universi Ordinis et sedes superioris generalis ordinaria existit, a qua abesse sine gravi causâ et pro bono totius Congregationis non debet, nisi visitationis munus obeat, aut forte valetudinis conservandae causâ per aliquot dies non procul in aliquâ Ordinis aede moram trahere cogeretur.

Ad conventum praefati monasterii pariter spectat electio ipsius abbatis superioris generalis, admissis omnibus religiosis presbyteris Congregationis nostrae reformatae et aliis Ordinis religiosis quibus competit secundum antiqua statuta (sed quoad vocem activam tantum), dummodo praesentes fuerint, vel supervenerint, aliquos enim vocare non tenetur; et statim, ubi canonice et secundum praesentes constitutiones fuerit electus, confirmatus existat, et universo Ordini tamquam caput praesideat, beneficium tamen so-

1 Heic aliquid excidisse videtur (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *erga* (R. T.).

lemnis benedictionis, more abbatum et praelatorum baculo et mitrâ utentium, recipere non differet, ut plenarie sibi collatis privilegiis in Ordinis utilitatem uti et potiri valeat.

Eius supellex ab aliorum fratrum supellectili non differat, exceptis abbatialis dignitatis insignibus; pecunias, pensiones vel redditus peculiares non habeat, sed de communi aere monasterii necessaria ad personam et officium illi decenter subministrentur.

In communi refectorio refectionem sumpturus, ab aliis distinctus, propter reverentiam, sedeat, nec alibi comedat, nisi hospitum religiosâ excusetur receptione, in qua talem modum servabit, quo disciplina religiosa non periclitetur vel paupertas violetur.

Munerum largitionem sibi interdictam non dubitet, nisi ut supra, et aliàs iuxta formam dictae Constitutionis Clementis VIII. Quamvis illius obedientiae et iurisdictioni subsint omnia et singula totius per totam christianitatem diffusi Ordinis personae, praeceptoriae, ecclesiae, cappellae et quaecumque alia beneficia, altaria, oratoria et confraternitates sub invocatione sancti Antonii instituta et erecta, et in posterum instituenda et erigenda, eorum tamen bona immobilia vel mobilia quaecumque aliò non transferat, nec transferri permittat.

In ipso visitationis actu non immoretur, sed actum expediat, ne expensis praeceptoriae et domus graventur; in quibus si diu commorabitur post expletum visitationis munus, vel aliàs quomodolibet, expensae omnes ex redditibus dicti monasterii capitis Ordinis desumantur: aliis quam religiosis fratribus in comitatu non utatur, et illos assumat, qui consilio et prudentiâ sint praediti, quorum unus secreti tenax secretarii vices obeat: poterit etiam habere famulum unum secularem equitem, aliosque duos pedites.

Cum inter cetera Congregationis reformatae privilegia illud notabile sit, quo praecipitur ut nullus eligatur in abbatem et superiorem generalem ipsius Ordinis et Congregationis qui non sit de gremio ipsiusmet Congregationis reformatae, idcirco electio, quae contra hoc decretum facta fuerit, nulla sit et nullius effectus; qui vero contrafecerit, aliquem videlicet elegerit qui non sit praefatae Congregationis reformatae presbyter religiosus expresse professus, excommunicatus ipso facto existat; vota autem seu suffragia eligentium aliquem non reformatum nulla sint et pro nullis habeantur, et de ceteris reformatum eligentibus sit canonica electio; nec eligatur qui non fuerit ex legitimo thoro natus, trigesimum suae aetatis annum non compleverit, quique vitâ[1] experientiâ probatus, scientiâ et moribus idoneus non fuerit.

Si fascinante diabolo malorum omnium suggestore aliquis abbas generalis superior in haeresim caderet, vel de carnali copulâ convinceretur, aut aliquam partem bonorum Ordinis, iudicio capituli generalis notabilem, in propriam utilitatem vel alienam convertisset, vel ab institutis Congregationis nostrae reformatae recessisset, aut aliquod crimen a iure civili capite, vel a canonico depositione plectendum admisisset, sive aliàs inhabilis factus fuisset, eum sane (quod numquam speramus) ab ipso generali capitulo deponendum decernimus.

Quotiescumque sedem abbatialem quocumque modo vacare contigerit, et Ordinem Congregationemque nostram generali pastore destitui, ne interea praedonum incursibus pateat, et eius negotia neglecta dispereant, seu etiam religiosa disciplina relaxetur, potestas abbatialis, iurisdictio, regimen et administratio ad priorem claustralem et quatuor definito-

1 Forsan *vitae* pro *vitâ* legend. (R. T.).

res nostrae Congregationis devolvatur, et eo ipso devoluta sit et censeatur, ad ipsosque pertineat universitati Ordinis et Congregationis eorumque negotiis secundum constitutiones providere, tam in spiritualibus quam temporalibus, quoad de successore canonice provisum fuerit iuxta dictae nostrae Congregationis privilegia.

Cum vero praefatus abbas generalis superior vitâ functus fuerit, peractis eius exercitiis[1], ad electionem successoris procedatur statim, cantatâ prius unâ missâ solemni de Spiritu Sancto, in qua omnes sacerdotes, qui electioni interesse habebunt, communicent unico Corpori Domini nostri Iesu Christi, ut, uno eodemque Spiritu Sancto informati, de praelato sibi salubrius providere possint; quo expleto, in loco capituli consueto congregatis praelegatur decretum in Bullâ reformationis contentum, quo cavetur ne quis eligi possit in abbatem generalem Ordinis superiorem qui non sit de gremio praefatae Congregationis reformatae; deinde procedant ad eius canonicam electionem, quam nullam esse decernimus, nisi fuerit servata forma superius tradita; et, si[2] aliàs quovis modo sedes abbatialis vacare contigerit, idem observetur.

De priore claustrali.

Prior claustralis huius monasterii, quem secundam personam totius Ordinis esse volumus, sit sacerdos, persona gravis, antiquus in Ordine, conversatione, moribus et integritate vitae commendabilis, rerum et iurium Ordinis peritus, cuius officium sit in hoc monasterio degentium religiosorum curam et correctionem sub auctoritate abbatis generalis superioris habere et exercere, et eos exemplo, vitâ et verbo doctrinae instruere in bono, et malo etiam revocare, zelum religionis habens secundum scientiam.

Pervigilet, ut observentur regulae et constitutiones Ordinis et reformationis, nec absit a monasterio, nisi gravis necessitas urgeat, et tunc ad modicum tempus, et de licentiâ reverendissimi abbatis[1] conventuale capitulum primâ cuiusque mensis die non impeditâ, et toties[2] opus esse iudicaverit, convocet.

De definitoribus capituli generalis.

Cum, ex privilegio Summorum Pontificum Martini V et aliorum, indultum sit abbati generali et capitulo generali, quod, pro definiendis causis, litibus et controversiis dirimendis, ac negotiis emergentibus terminandis, aliquos iudices, quos definitores nominamus, possint eligere; idcirco, virtute dicti privilegii, et iuxta antiquam nostri Ordinis consuetudinem, statuimus, ut in quolibet capitulo generali eligantur quatuor definitores, quorum officium sit tempore capituli generalis congregati simul cum reverendissimo abbate definire, expedire, decidere et terminare minora quaeque negocia (gravioribus capitulo reservatis), item discretorum litteras examinare, et omnia, quae ab eis aut ab aliis allata sunt, ad capitulum referre, et quae referenda non videbuntur reiicere.

In interstitiis vero capitulorum abbas superior generalis de eorum consilio, aut saltem duorum ex ipsis, omnia, quae ad mores et ad regulae ac constitutionum exactam observantiam ac totius religionis aut cuiuslibet particularis familiae gubernationem pertinent, similiter possit definire, omniaque et singula negotia ab uno capitulo usque ad aliud emergentia, quae dilationem non patiuntur, terminare, superiores, definitores et officiarios, qui inhabiles facti fuerint, deponere, et loco eorum atque decedentium alios per secreta suffragia sufficere usque ad proximum generale capitulum, congregationes fratrum de novo instituere in domibus seu prae-

1 Potius *exequiis* quam *exercitiis* leg. (R.T.).
2 Particulam *si* nos addimus (R. T.).

1 Legerem *abbatis*. *Conventuale*, puncto interposito (R. T.).
2 Vel *quoties* lege pro *toties*, vel adde (R. T.).

ceptoriis, quae deinceps Congregationi nostrae reformatae unientur, eisque superiores per secreta ut praefertur suffragia praeficere, religiosos de domo in domum, quando necesse fuerit, transferre: et omnia, quae in definitorio fuerint decreta, in libro scribant, quem capitulo generali exhibere tenebuntur.

De visitatoribus.

In singulis capitulis generalibus eligantur duo fratres sacerdotes, pietate, prudentiâ, doctrinâ et rerum experientiâ praediti, qui, auctoritate capituli generalis, munus visitationis, iuxta formam sibi secundum sacros canones ac constitutiones apostolicas et praesertim decreta sacri Concilii Tridentini praescriptam, secundo infra triennium anno obeant, nisi ipse abbas superior generalis obeat.

Cum ad domos visitandas pervenerint, in primis patentes litteras superiori locali exhibeant, et in munere visitationis nihil de novo instituant vel immutent, sed collapsa restaurent, et in omnibus iuxta Concilium Tridentinum procedant (expensas faciendas in visitationibus domus visitandae a capitulo generali taxandas sustineant); non simul tamen procedant, sed quisque partem sibi assignatam cum socio idoneo a definitorio sibi adiuncto visitet.

In correctionibus criminum et aliis gravioribus negotiis semper requirant seniorum patrum conventus vel maioris eorum partis consilium; caveant maxime ne superiorum auctoritatem apud inferiores, et inferiorum erga superiores reverentiam, obedientiam et confidentiam non[1] minuant; non etiam aliquid de ipsarum domorum libris aut utensilibus dare aut sumere possint, nisi de superioris consensu.

Finitâ visitatione, acta, quae confecerint, ad superiorem generalem referant, nec ultra triennium, nisi de novo eligantur, visitandi susceptum munus prorogent.

De procuratore generali.

Exigit Ordinis et Congregationis conservatio, ut aliquis in Curiâ Romanâ religiosus deputetur, qui res et negotia praedicti nostri Ordinis et Congregationis procuret et gerat; quapropter in capitulo generali eligatur aliquis fratrum peritus, bonus[1] Congregationis zelans, qui procurator generalis appelletur, eâ maxime de causâ instituendus, ut fratrum discursus et distractio, et plurima alia incommoda evitentur.

Fidelitatem, prudentiam et dexteritatem habere studeat, invigiletque, ne quid in dictâ curiâ transeat vel agatur in praeiudicium Ordinis nostri et Congregationis, non se ingerat in agendis negociis secularium, nec intentare possit aliquod negotium, totum Ordinem aut Congregationem reformatam aut aliquem nostri Ordinis religiosum concernens, absque generalis et definitorum expressâ licentiâ.

De superioribus.

Superiores singularum praeceptoriarum seu domorum sint sacerdotes, aetate provecti, doctrinâ, moribus commendabiles, charitate et prudentiâ praediti, ac in generali capitulo electi, quorum officium (quod usque ad ingressum successoris extenditur) est opere et sermone exhortari ad regulae constitutionumque observantiam.

Caveat iste[2] superior in victu ac vestitu aliquid singulare, nisi infirmitatis causâ, admittere, familiaritate aut indulgentiâ alios offendere, bonas consuetudines a generali superiore et a capitulo approbatas immutare, vel propriâ auctoritate novas introducere.

Si quando cum suis aut secum dispensandi necessitas requirat, id levi de causâ non faciat, neque aliquid cum integrâ communitate in regulari vitâ mutet vel

1 Particula *non* delenda videtur (R. T.).

1 Potius lege *boni* quam *bonus* (R. T.).

2 Forsan *quisque* pro *iste* legend. (R. T.).

omittat, nisi gravi ex causâ superioris generalis et definitorum iudicio probandâ.

Officia minora domestica, veluti ianitoris, sacristiae, coqui, infirmarii, excitatoris, et his similia, distribuat, et de adiutorio illis prospiciat, si necessarium fuerit, ne labore graventur; sit sollicitus, ut huiusmodi officiarii suo rite fungantur officio, et ea auferat a ministris, quando expedire videbitur.

In capite tamen Ordinis, propter multiplicem et pretiosam sacristiae supellectilem et chori amplitudinem, pro maiori dictae supellectilis securitate et divini officii decore, sacrista et chori magister a superiori generali, priori claustrali et quatuor definitoribus instituentur, et, cum opus fuerit, destituentur.

Meminerint tamen superiores non facile auferenda officia, quae indigent experientiâ.

Beneficium aliquod notabile non suscipiat, nisi de consensu reverendissimi generalis et definitorum; officiarii vero subordinati nihil immutent in suis officinis, nec alibi, sine eius licentiâ.

Singulis mensibus, vel saepius si necessitas exigit, superiorem generalem de statu familiae sibi commissae per litteras certiorem faciat, eumque de gravioribus consulat; fratres, quando necessitas vel utilitas suadebit, convocare possit.

Unionem fraternam et conformitatem mutuam observandam curet, et ideo singulares familiaritates et amicitias dissolvat, perturbationem vel iram mutuam inter domesticos non ferat; sed, si quid huiusmodi acciderit, studeat, ut statim iuxta regulam nostram cum satisfactione debitâ in gratiam mutuam redeant.

In refectorii communitate inter manducandum vix loquatur, et si in lectione communi aliquid occurrat pro instructione fratrum illud explicandum in aliud tempus differat.

In minoribus culpis ordinarias tantum poenitentias imponat, quales sunt publica reprehensio, edere in parvâ mensâ, orare in refectorio, osculari terram, dicere culpam suam, et similia non graviora.

Crebro et magnae charitatis significatione alloquatur fratres, eorumque necessitatibus non animi tantum sed etiam corporis paterno affectu[1] prospiciat.

Habeat inventaria utensilium omnium officialium suorum separatim descripta, ut ea novis ministris tradat, et exactis eorum officiis repetat; habeat clavem ita fabrefactam, ut, cum videbitur sibi, cellas omnes reserare possit, et propterea nullus cellam, etiam noctu, ita claudat, quin semper a superiore possit aperiri.

De superiore huius monasterii et vicariis domorum.

Superior huius monasterii eligatur in capitulo generali vir pius et eruditus, qui prioris claustralis absentis vel impediti vices, eâdem qua ille auctoritate, gerat.

Praeceptoriarum vero et aliarum domorum superiores vicarios sibi constituant, eisque suas vices committere possint, sicut et illos amovere, cum expedire viderint; illis tamen, ubi superiores ipsi morentur[2], curam totius familiae committimus, donec de superiore fuerit provisum, quos hortamur, ut gregi prodesse magis quam praeesse opere et exemplo conentur.

De magistris novitiorum et eorum socis.

Magistri[3] novitiorum electio inter priores iudicio capituli generalis fiat sine praeiudicio maiorum superiorum, ut sic magis idonei facilius eligi queant; socii vero in adiutorium, cum necessarii illis fuerint, a generali superiore et definitoribus per secreta suffragia electi instituantur.

Omnia officia triennalia.

Horum autem omnium, scilicet prioris claustralis[4] et eius superioris, definito-

1 Edit. Main. legit *effectu* (R. T.).

2 Videtur *morientur* potius esse legendum (R. T.).

3 Potius legendum *magistrorum* (R. T.).

4 Adde verba necessaria *huius monasterii* (R. T.).

rum, visitatorum, procuratoris generalis, superiorum localium, magistrorum novitiatuum, ac sociorum, munera sive officia, iuxta Bullam sacrae reformationis nostrae, triennalia sint; liceat tamen capitulo generali, ubi manifeste cognitum fuerit expedire, eosdem omnes, aut eorum aliquos, ad aliud triennium, et non ultra, in eodem quod gesserint officio confirmare, a quo tandem absoluti per aliud simile triennii spatium officio vacent, exceptis novitiorum magistris, qui tamdiu continuari et confirmari poterunt, quamdiu in educandis novitiis utiles iudicabuntur.

De discretis. Discreti domorum sint sacerdotes, et in capitulo cuiusque privatae domus eligantur, ut ad capitulum generale cum suo superiore se conferant, ut superiorem generalem et definitores capituli certiores faciant[1] de statu domus a qua deputati fuerint, atque de angustiis et difficultatibus eius, et quomodo superiores officii sui tempore se gesserint erga inferiores, et contra, quos[2] se inferiores erga superiores praestiterint, quomodo servata fuerit regula et constitutiones, quae denique sit totius domus tam spiritualis quam temporalis conditio. Illorum autem electioni interesse poterunt omnes clerici in sacris constituti, licet triennium post professionem non compleverint, quoad vocem activam tantum.

Nihil autem ad capitulum deferant, sive a domo, a qua sunt delegati, sive a singularibus fratribus, nisi scriptum et mandantium propriâ manu subscriptum sit; mandata[3] vero domus (quae palam in capitulo, absente superiore, dabuntur) sigilli ipsius domus impressione firmentur, sin minus, fides ei[4] non adhibeatur.

De officiariis. Demandetur a superiore generali administratio et dispensatio rerum temporalium, pecuniarum et redditiuum cuiusque domus tribus fratribus idoneis, qui ad eius nutum amovibiles sint, ita ut unus, qui procurator vocabitur, rerum et bonorum, redditiuumque[1] colligendorum ac exigendorum curam habeat, omniaque temporalia administret, lites aut processus instruat et prosequatur, et, cum opus fuerit, moveat, de consilio et consensu superioris, locationes etiam et alia necessaria instrumenta, de eorum consensu, sicut et maiores provisiones rei familiaris, pecuniis ex capsâ depositi extractis, faciat; donatorum vel conversorum operâ utatur in subsidium; adhibeat prudentiam, integritatem, sinceritatem, dexteritatem; et cum a secularibus moribus tum ab omni avaritiâ, fraude, mendacio, calumniâ summe abhorreat; exemplo virtutis sit omnibus, et nemini noceat, sed eos benevolos conservet, quorum operâ ad negocia peragenda indiget; saepe de rebus peractis vel peragendis cum superiore conferat; scripturas et originalia instrumenta et titulos diligenti custodiâ servet in archivio ad hoc designato, cuius clavem unam habeat, superior alteram, et depositarius tertiam.

Cubiculum clavi obseratum habeat ad servandas scripturas et alia quibus ad procuratorium munus indigebit; eumque aliquas ex archivio accipiet, earum memorias[2] relinquat in libro, qui in eodem archivio recludetur, notatis mense, die et anno; quas, cum suo tempore restituet, ex eodem libro expunget. Omnes proventus, et tempora sive terminos quibus colligendi sunt, in peculiari libro scribat, et seorsum summam contractuum et locationum, quae ad breve tempus sunt; quascumque res aut pecunias ex fructibus domus perceperit, addito a quibus et unde provenerint, etiam scribat seorsum.

1 Edit. Main. legit *faciunt* (R. T.).
2 Nempe *quales* vel *quomodo* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *mandato* (R. T.).
4 Legendum foret *eis* nempe *mandatis* (R.T.).

1 Edit. Main. legit *redituumque* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *memoria* (R. T.).

De archiviis. Archivia generalia Ordinis in hoc monasterio construantur, in quibus documenta totum Ordinem in communi concernentia seu eorum authentica transumpta reponantur; et etiam privata alia distincta huius monasterii.

De sigillis. Quandoquidem usus invaluit et consuetudo, ut instrumenta publica, litterae testimoniales, provisiones officiorum, beneficiorum collationes, dimissoriae et alia multa, quae rescribere in dies oportet, fidem plenam non faciant, nec legitima censeantur, nisi mandantium et rescribentium, ultra chirographa, sigillis roborentur; propterea sigilla habere in Congregatione nostrâ necessarium ducentes, et ne varientur, aut ultra modum multiplicentur, habeantur et custodiantur ut sequitur:

In monasterio igitur S. Antonii Viennensis, quod est caput Ordinis, sit sigillum ceteris maius, in quo sit imago exarata sancti patris nostri Antonii cum hac circumscriptione, *Sigillum capituli generalis communitatis reformatae Ordinis S. Antonii,* quod servabitur in praedictis generalibus archiviis sub tribus clavibus, quarum unam servabit superior generalis, alteram primus definitorum, tertiam secundus, quas alteri non committent, nisi sit unus de reliquis duobus definitoribus, quo quidem sigillo muniri debent institutiones vel commissiones superiorum, novitiatuum erectiones, uniones et separationes, contractuum approbationes et confirmationes, atque etiam acta generalium capitulorum.

Abbas superior generalis suum habeat sigillum cum praedictâ imagine et hac circumscriptione, *Sigillum abbatis generalis Ordinis S. Antonii,* in cuius superiori parte insculpatur mitra et baculus pastoralis, eius dignitatis insignia; eo utetur, ut ratio et ius suadebunt, et erit magnitudinis paulo minoris quam generalis capituli.

Visitatores sua sigilla habebunt aequalis magnitudinis et formae cum dictâ imagine, et hac inscriptione, *Sigillum visitatoris Ordinis S. Antonii,* et erunt paulo minora quam superioris generalis.

Praedicti monasterii conventus suum habebit sigillum, in quo sit praedicta imago cum inscriptione hac, *Sigillum conventus monasterii S. Antonii Viennensis.* Aliae pariter domus et praeceptoriae[1] sua habebunt sigilla in quibus sit eadem imago et sequens inscriptio, *Sigillum praeceptoriae S. Antonii talis loci,* sintque eiusdem amplitudinis cum sigillis visitatorum.

Ex praedictis vero sigillis in unaquaque praeceptoriâ seu domo sit unum commune minus apud superiorem aut alium ab eo deputatum, quo omnes litterae mittendae firmentur, et aliud maius, quo omnes expeditiones et instrumenta nomine superioris et Congregationis fieri solita sigillentur.

De depositario. Depositarius omnem annonam a procuratore collectam et omnes maiores rei familiaris provisiones ab eo factas diligenter servet, omniumque suae fidei commissorum, facto eorum inventario, curam et custodiam habeat, ut, quandocumque superiori benevisum fuerit, fides eius in eis rite conservandis et reddendis appareat. Pecuniae vero a procuratore exactae, cum libro computorum accepti et expensi, in capsam tribus clavibus obseratam conficiantur, quarum quidem clavium una sit penes superiorem, altera penes ipsum procuratorem, tertia penes depositarium.

Videat quid cuique fratrum opus sit, et mandante superiore illis provideat, ne quid superflui sit vel depereat, sed omnia sint munda et apta, et, si quid indecens reperiat vel non licitum, superiorem moneat, vestium mutationes observet, et omnia quae ad vestiarium pertinent sibi com-

1 Edit. Main. legit *Alia... praeceptoria* (R. T.).

missa tueatur et de praescripto superioris distribuat, linteamina etiam refectorii et culinae mutet diebus consuetis, vel refectorii ministro apponenda largiatur. Granorum pariter, quae erunt in horreo, curam geret.

De dispensatore.

Dispensator universae domui de necessariis quoad esculenta et poculenta, mandante superiore, non secundum proprium affectum, sed iuxta charitatis regulam, veluti bonus dispensator, de rebus in cellario acceptis providcat, curam cellae vinariae et panariae, refectorii et culinae utensilium habebit, et de illis, facto inventario, rationem superiori reddet; provisiones vero diales et minores de eius ordine fient ab emptore, qui quidem emptor a procuratore pecunias ad hunc effectum accipiat, illique singulis diebus de expensis rationem reddet.

De administratione temporali in hoc monasterio.

Cum certissimum sit ex multitudine oriri confusionem, quam ordini et communi concordiae maxime contrariam nemo nescit, et illam vitare omnino necessarium, ut omnis devota congregatio ordo sit, non chaos; propterea, cognitâ huius monasterii (quod est Ordinis caput) multiplicitate in dies emergentium negotiorum, pro quibus peragendis contractus quidam modus et compendiosa aliqua ratio assumenda fuit, ne totus conventus per frequentiorem capituli convocationem ab iis occupationibus retrahatur, ideireo praefati monasterii capitulum conventuale deputabit tres de peritioribus patribus, quos consultores nominabit, de quorum consilio et consensu, praesidente priore claustrali, vel, eo absente, subsuperiore, omnia illius bona temporalia et negocia procurator administrabit, tractabit et peraget, exceptis tamen vicariatus litteris, procurationibus generalibus, locationibus seu affictationibus quae pretium ducentarum librarum excedent, debitorum dimissionibus seu quietantiis generalibus, conventionibus super reparatione vel aedificatione quae pretium centum librarum excedent, obaerationibus vel mutuationibus supra sexaginta libras, provisionibus beneficiorum, officialium secularium institutionibus, diminutionibus affictationum et emphyteusum, quae ipsi capitulo reservabuntur semper.

Consultores praedicti deliberationes super administratione factas scribent in libro exhibendo capitulo locali cum libris accepti et expensi per tres fratres administratores temporalium, et id fiat initio cuiusque mensis, ut inde quoquomodo[1] temporale regatur, a capitulo cognosci possit, et, prout erit necesse, ab eodem ordinario[2].

Ceterum procurator, depositarius et dispensator tam impensi quam accepti singulis mensibus superiori locali, adhibitis eiusdem domus senioribus, rationem reddant; denique[3] ipse superiori generali vel visitatori; demum ipse generalis et visitator in quolibet capitulo generali, saltem coram tribus iudicibus ab ipso capitulo deputatis, illorum omnium universaeque suae administrationis tam publicae quam privatae rationem reddere teneantur, cuius etiam rationis exempla authentica in archiviis reponantur.

Decretum Concilii Tridentini insequentes, statuimus et inhibemus, ne plures in domibus nostris ponantur aut instituantur fratres, quam qui ex redditibus propriis cuiuscumque domus honeste sustentari, et de necessariis provideri possint.

Omnem etiam Ordinis perturbationem vitare volentes, ordinamus, ut quae ex domibus seu praeceptoriis nostris lites imposterum seu causas ad iudicium habebunt ducendas, earum tractationi ne-

1 Potius lege *quomodo* (R. T.).
2 Legendum foret *ordinari* (R. T.).
3 Potius legerem *dein* (R. T.).

cessarios sumptus impendant: quando vero lis seu causa ad totum spectabit Ordinem, tunc aeraria communia controversiae expensas ministrabunt. In casu autem, quo privatae domus impensas ferre ob nimiam paupertatem non possent, ex eodem communi aerario desumantur.

De officio seniorum cuiusque domus.

In unaquaque domo sint duo aut tres seniores pro numero religiosorum a capitulo locali electi canonicâ electione, pietate, prudentiâ et experientiâ commendabiles, quorum consilium superior requirere debeat in rebus maioris momenti: qui quidem seniores, necessitate cogente, pro communi domus utilitate poterunt invicem convenire, et unum deputare, qui superiorem cum reverentiâ et debitâ submissione moneat de iis, quae ipsi seniores iudicaverint sive ad personam sive ad eius officium iuxta regulam et constitutiones pertinere; qui si non adhibeat remedium iterum et saepius admonitus, ad generalem referant, quae modum et vires eorum excedunt, subordinationem tamen et observantiam erga superiorem non idcirco praetermittant, et ipse superior, cum aliquid ei proponitur, patienter et benigne audiat.

De receptione exterorum.

Non longe ab introitu cuiusque domus sit locus aptus ad recipiendos exteros tam regulares quam seculares pro quacumque causâ advenientes, et si qui sunt cibandi, ad commune refectorium cum fratribus non admittantur, nisi propter aliquam conditionem, praesertim virtutis; eisque mensa frugalis apponatur, et paupertatem redolens, neque liceat eos plus unâ die retinere, nisi sint religionis nostrae benefactores et benemeriti.

Nemo, qui ad loquendum cum hospite extraneo fuerit adhibitus, illum alloquatur vel moneat aut doceat de rebus quae in domo aguntur vel agendae[1] sunt, nec quisquam aliorum fratrum ei alloquatur ex professo, nisi habeat peculiarem a superiore licentiam.

De poenis.

Licet in charitate et in spiritu mansuetudinis, et non in virgâ, fratres nostri debeant regi; quia tamen aliquibus nimia benignitas obesse solet, ideo, ne tranquillitas Ordinis turbetur, poenae delinquentibus imponantur, itaut primum charitative debeant admoneri, tum increpationibus corrigi, postmodum subsequentibus vel aliis huiusmodi poenis, pro arbitrio superioris et qualitate culpae augendis vel minuendis, coërceri; in infligendis tamen poenis gravioribus iuris ordo servetur.

De poenâ levi.

Poena levis erit de defectu reprehendi seu increpari, aliquam orationem iniunctam recitare, fratrum pedes osculari, brachiis extensis breviter orare, culpam suam palam pronunciare, veniam a Deo et a fratribus postulando. Istae et similes poenae imponantur eis

I. Qui in templo vel oratorio strepitu, curiositate, irreverentiâ vel aliquo parum religioso gestu alios turbaverint vel offenderint;

II. Qui iniuncta a communi tabulâ officia negligenter persolverint;

III. Qui in genuflexionibus, inclinationibus et aliis caeremoniis negligentiores saepius fuerint;

IV. Qui pro victu et vestitu vel aliâ qualibet re murmuraverint;

V. Qui in habitu aliquid notabile habere praesumpserint;

VI. Qui scurrilitatibus alios ad risum provocare consueverint;

VII. Qui in domo extra horam sine licentiâ manducaverint;

VIII. Qui per negligentiam choro, communibus exercitiis, aut primae mensae non interfuerint.

De poenâ graviori.

Poena gravior erit a vino abstinere per diem, ieiunare in pane et aquâ, disciplinam suscipere, humilibus actibus, a quibus natura repugnat, exerceri, flexis

1 Edit. Main. habet *agenda* (R. T.).

genibus in capitulo ab omnibus fratribus de defectibus et culpis exterioribus proclamari : his et similibus poenis plectantur

I. Qui superioribus suis irreverenter et superbe respondere praesumpserint;

II. Qui convicio, maledicto et criminis obiecto aliquem laeserint;

III. Qui litteras sine superioris licentiâ miserint aut receptas legerint;

IV. Qui res sibi collatas suis superioribus celaverint;

V. Qui cum secularibus sine necessitate et superioris veniâ saepius loqui praesumpserint;

VI. Qui malitiose aliquid, quod Congregationi posset nocere, dixerint;

VII. Qui extra monasterium sine licentiâ aut grandi necessitate cum secularibus aliquid cibi aut potus acceperint.

De poena gravissima.

Poena gravissima erit ad tempus in carcerem trudi per aliquot annos, voce activâ et passivâ privari, omni administratione privari, et tandem, ubi huiusmodi poenae non prosunt, a definitione capituli generalis expelli. His poenis puniantur

I. Qui extra monasterium sine expressâ licentiâ aut necessitate pernoctaverint;

II. Qui superioris praecepto formali per contumaciam et manifestam rebellionem non obtemperaverint;

III. Qui per coniurationem vel conspirationem aut malitiosam concordiam adversus suos superiores se erexerint et ordinem turbaverint;

IV. Qui litteras superioris generalis, definitorum, visitatorum et procuratoris generalis, aut aliorum superiorum, ab eis vel ad eos missas, malitiose aperuerint, retardaverint aut retinuerint;

V. Qui in aliquem violentas manus iniecerint aut vulneraverint;

VI. Qui castitatem cum alterâ personâ violaverint.

De obbligatione constitutionum.

Conscientiarum tranquillitati providere cupientes, declaramus constitutiones nostras, quando non habent praeceptum annexum, vel aliâ lege divinâ aut ecclesiasticâ prohibitae aut mandatae non sunt, non obligare ad culpam aliquam, sed tantum ad poenam taxatam in eis vel per superiorem taxandam, quam qui ferre recusaverint, culpam non evadent, sicut nec qui transgrederentur ex contemptu constitutiones, renuentes subiici earum ordinationi.

Possunt superiores praecipere sub poenâ excommunicationis aut obedientiae, hac tamen potestate non utantur, nisi raro et propter gravem et inevitabilem necessitatem. Non est etiam intentionis nostrae quemquam, qui contra haec decreta aliquid commiserit, ad poenam, quae in illis continetur, obligare, nisi superior eius illam ei nominatim indixerit. Ceterum alias omnes constitutiones a capitulis generalibus Congregationis nostrae hactenus editas cassamus et annullamus, praesentes autem ab omnibus observari stricte praecipimus.

QUARTA PARS.

De reformatione hospitalitatis.

De curâ infirmorum igne sacro contactorum.

Cum ex primaevâ Ordinis nostri fundatione pauperum igne sacro seu gehennali igne sancti Antonii vulgariter dicto et nuncupato vexatorum et contactorum curam specialem habere debeamus, et in ipsâ nostrâ dicti Ordinis reformatione legem non velimus solvere sed adimplere; auctoritate apostolicâ nobis in aedificationem datâ statuimus et mandamus universis domorum nostrarum superioribus, in quibus erit fratrum congregatio, ut, quamprimum fieri poterit, loca antiquitus hospitalitati destinata restaurent, aut alia de novo coaptent, ad ipsorum infirmorum receptionem, in quibus a viris feminae sint per murum separatae; praecipientes,

ut, quam[1] primum ipsi infirmi ad hospitalia nostra advenerint, curent superiores sive praefecti hospitalis, ut ante omnia per humilem peccatorum confessionem ad sanitatem corporalem praeparentur.

Praeterea, antiquis Ordinis nostri constitutionibus inhaerendo, statuimus ut omnes et singulae personae utriusque sexus praefato morbo igne sancti Antonii vulgariter dicto contactae et infirmae, quae eorum durante infirmitate ad hoc monasterium vel domus alias ipsius Ordinis recursum habuerint pro beati patris nostri Antonii suffragiis implorandis, seu aliàs ipsum beatum Antonium in eorum infirmitate humiliter et devote invocaverint, si tales personae pro sanitate captandâ, implorandâ et assequendâ ad hospitalia nostra declinaverint et se reduxerint, illico et absque difficultate et contradictione quacumque in hospitali, ad quod appulerint, cessante excusatione qualibet, recipiantur et recipi debeant in futurum.

Quod si tales infirmi in hospitalibus nostris ex praedicto igne gehennali sancti Antonii aliquod[2] suorum membrorum perdiderint, ex cuius membri perditione seu abscissione inhabiles et infirmi in tantum facti fuerint, quod suum panem in seculo lucrari non possint, ipsi, si[3] in domibus seu hospitalibus nostris perpetuo remanere caelibes velint, hoc ipsum omnino facere liceat; et ad ipsos infirmos recipiendos, educandos, instruendos, alimentandos, vestiendos sine ullâ difficultate seu contradictione omnes nostri Ordinis et sacrae reformationis superiores perpetuo teneantur et obligati sint.

Si autem extra loca ipsius Ordinis aliquod membrorum suorum perdiderint, et sic mutilati[4] ad hospitalia nostra advenerint, recipiantur similiter, dummodo eorum durante infirmitate ad ecclesias ipsius Ordinis vel ad merita ipsius praelibati sancti patris Antonii recursum habuerint et devote confugerint, et ex chirurgorum testimonio legitime constet, quod ex infirmitate praedictâ, et non ex aliâ, ipsum membrum perdiderint.

Quilibet superior domorum nostrarum omnes et quoscumque infirmos originarios eius dioecesis, in qua sita est domus cui praeest, teneatur recipere, et alios etiam quoscumque aliarum dioecesum recipiat, curet et alimentet. Sed si ibidem membrum perdiderint, postquam convalescentiam talem receperint quod remitti possint, remittantur ad superiorem suae originis aut domicilii, vel ad maius hospitale huius monasterii, iuxta dispositionem reverendissimi abbatis.

De hospitalibus.

In hospitalibus nostris, tam huius monasterii quam aliarum Ordinis domorum, certus et determinatus infirmorum numerus non ordinetur, seu instituatur, sed quotquot advenerint recipiantur. Si tamen in tanto et tam magno numero sub uno superiore essent infirmi, quod ibidem, absque maximo incommodo dicti superioris et fratrum Congregationis, sustentari non possent, significetur illud reverendissimo abbati generali, et iuxta ipsius ordinationem et discretionem ad alias praeceptorias remittantur, et ibidem recipiantur et alimententur.

Quod si pari ratione in hospitali maiori huius monasterii in excessivo numero adessent infirmi, tunc iuxta ordinationem praefati reverendissimi abbatis generalis in alias domus remittantur et distribuantur.

Omnes et singuli infirmi utriusque sexus, tacti morbo seu infirmitate sancti Antonii nuncupatâ, qui receptionem in nostris hospitalibus seu mansiones tamquam infirmis et mutilatis sibi dari seu assignari postulaverint, antequam in ipsis

1 Aptius legeretur *quum* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *aliquot* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *ipsi* pro *ipsis* (R. T.).
4 Edit. Main. habet *mutilitati* (R. T.).

hospitalibus pro infirmis recipiantur, prius ad sancta Dei evangelia iurare teneantur in manibus praefecti ipsius hospitalis in hoc monasterio, et superiorum in domibus, quod erunt obedientes et fideles religioni et superioribus suis, et quod honeste et religiose vivent iuxta ipsius Ordinis statuta et observantias, et quod bona ipsius Ordinis non alienabunt, distrahent aut perturbabunt[1] extra religionem, quinimo ad dictae religionis utilitatem et commodum fideliter conservabunt.

Insequentes etiam ordinationes antiquas statuimus, ut nulli recipiantur infirmi in hospitalibus nostris, nisi tacti fuerint seu mutilati dicto morbo sancti Antonii; et, si attestationes in scriptis non habeant a chirurgis, quibus appareat eos propter eumdem morbum fuisse mutilatos, non recipiantur nec recipi debeant; si vero advenerint nondum mutilati ut curentur, a chirurgo hospitalis et alio externo visitentur; qui si praedicto morbo tactos iudicaverit[2], admittantur, et non aliter.

Infirmi seu infirmae in hospitalibus nostris recepti seu receptae non expellantur ex ipsis hospitalibus, nisi essent incorrigibiles aut aliquid enorme commississent[3], seu aliàs scandalum inter ceteros generarent, volentes, ut cum delinquerint, animadversione debitâ per superiores domorum, in quibus erunt, iuridice corrigantur.

Officia infirorum.

Omnes infirmi utriusque sexus maiori intersint missae singulis diebus dominicis et festis loco sibi assignato in ecclesiâ, viri cum togis suis ex panno tanei coloris, et feminae cum capuccio ex panno nigri coloris iuxta formam antiquam statutorum hospitalis; portent etiam utriusque sexus infirmi semper in suis superioribus vestibus *potentiam* seu signum *Tau* de panno laneo caerulei coloris.

Pro qualibet horâ canonicâ dicant praefati infirmi et infirmae quinque *Pater noster* et *Ave*, etc.; diebus vero dominicis et festis duplicetur dictum officium.

Confiteantur etiam peccata sua omnibus primis mensium dominicis, necnon et solemnioribus anni festivitatibus, videlicet Nativitatis Dominicae, Circumcisionis, Epiphaniae, sancti patris nostri Antonii, Purificationis, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, sancti Ioannis Baptistae, sanctorum Petri et Pauli, Assumptionis et Nativitatis Beatae Mariae, Omnium Sanctorum, necnon in festo sanctae Catharinae virginis et martyris, cuius dens sanctus asservatur in dicto hospitali maiori, idque confessoribus sibi designatis; de eorum[1] etiam consilio communicare poterunt et debebunt praedictis temporibus.

Hospitalia a domibus, ubi degunt fratres, sint separata, nec liceat dictis fratribus hospitalia mulierum intrare, sub poenâ excommunicationis ipso facto incurrendâ, nisi iis tantum, qui pro ministrandis sacramentis dictis mulieribus, cum aegrotant, fuerint destinati; nec tunc quidem aliter quam cum uno aut duobus sociis a superiore designatis; nec etiam virorum hospitalia ingrediantur, nisi de expressâ superioris licentiâ; si quis autem secus fecisse fuerit convictus, puniatur ad arbitrium praefati superioris.

In quolibet hospitali mulierum constituatur una ex ipsis hospitalis infirmis, moribus et honestate vitae diu approbata, et virtute praecellens, quae sit magistra et gubernatrix ceterarum, et pervigili curâ intendat ad earum regimen et directionem, praecipue iuvencularum, et si quam male conversantem viderit, eam arguat et reprehendat, idque significet

1 Forsan *pertrahent*, aut simile, pro *perturbabunt* (R. T.).

2 Videretur legendum *iudicaverint* (R. T).

3 Edit. Main. legit *commissi essent* (R. T.).

1 Legerem *quorum* (R. T.).

superiori domus seu praefecto hospitalis, et[1] mature et provide conveniens et opportunum adhibeatur remedium, iuxta antiqua hospitalis nostri statuta, quae in hoc et in ceteris in eis non[2] contentis, praesentibusque non contrariis, in omnibus et per omnia observari mandamus et praecipimus.

De cura animarum.

Quia in parochialibus ecclesiis et aliis huic religioni per litteras apostolicas unitis aderat, prout de praesenti remanet, etiam cura animarum parochianorum laicorum, et pro illâ, ut convenit, exercendâ ipsae litterae apostolicae mandent, ut personae capaces et idoneae, ac ex gremio praedictae Congregationis nostrae dumtaxat, in illius capitulo generali eligantur; statuimus, quod quilibet, ad curam earumdem animarum parochianorum electus, debeat per Ordinarium examinari, et, si repertus fuerit idoneus, approbari, antequam in exercitio praedictae curae se aliquo modo ingerat; quodque, sic approbatus, non possit, inconsulto ipso Ordinario, et sine causâ legitimâ, seu ex lapsu temporis, quia perpetuo fuit electus, amoveri.

De poena, quam incurrent murmuratores contra praesentes constitutiones.

Quicumque fratrum his constitutionibus cum quocumque detrahere et illas non observandas murmurare ausus fuerit, post primam et secundam admonitionem, si perseveret, per sex annos activâ et passivâ voce careat, ac etiam pro obstinationis modo aliis gravioribus poenis subiaceat; qui vero vocales non sunt, a superiore pro gravitate culpae puniantur.

Receptio et approbatio praesentium constitutionum per generalem capitulum facta.

Nos subscripti et subsignati omnes religiosi presbyteri ac clerici in sacris constituti professi Ordinis et Congregationis reformatae sancti Antonii Viennensis in capitulo generali congregati, vidimus, legimus et examinavimus suprascriptas constitutiones per reverendissimum patrem in Christo dominum D. Antonium Brunel de Grançon dicti Ordinis et Congregationis abbatem et superiorem generalem conditas, et ab eo iuxta tenorem litterarum apostolicarum sibi pro reformatione praefati Ordinis concessarum dicto capitulo generali examinandas et approbandas exhibitas et oblatas; quas quidem constitutiones approbavimus, recepimus, approbamus et recipimus sub beneplacito Sanctissimi Domini nostri Papae, qui humiliter supplicabitur, quatenus dignetur, eas suâ auctoritate apostolicâ confirmare ac roborare: mandantes ac praecipientes omnibus et singulis nostrae Congregationis superioribus, religiosis professis et novitiis, ac omnibus utriusque sexus infirmis sacro igne seu igne gehennali tactis, in hospitalibus nostris tam in capite quam in membris degentibus, quatenus easdem constitutiones libenter, interim et donec a sanctâ Sede Apostolicâ confirmentur, suscipiant ac inviolabiliter observent. Iniungentes praeterea omnibus praeceptoriarum et domorum nostrarum superioribus, ut intra mensem, postquam ad domos sibi in hoc generali capitulo per canonicam electionem commissas pervenerint, eas publicare, et intra mensem alterum post earum publicationem observare faciant et observent; huius tamen praecepti vi[1] non intendimus dictarum constitutionum infractores aliis poenis, quam quae in dictis constitutionibus comminantur, subiicere neque obligare. Haec confirmata fuerunt in praefato generali capitulo dictae Congregationis reformatae sancti Antonii celebrato in monasterio S. Antonii Viennensis anno Domini MDCXXX, die VIII mensis novembris, sessione praefati generalis capituli XLVIII. Et ut praesentibus fides plena habeatur, sigillis reverendissimi domini abbatis et capituli conventualis eiusdem monasterii eas muniri fecimus per secretarium praelibati capituli generalis.

1 Potius *ut* quam *et* leg. (R. T.).

2 Particula *non* delenda videtur (R. T.).

1 Edit. Main. legit *praeceptivi* (R. T.).

A Gramon abbas sancti Antonii; A. de Grangieras, nomine meo et procuratorio fratris Ioannis Baptistae Chaboud; frater Petrus Dubois, nomine meo et fratris Ioannis Iacobi Gaubert tamquam ipsius procurator; fr. Ioannes Govion, nomine meo et nomine fratrum Stephani de Beaulieu, Francisci Roasseaum, Antonii Pestel, Francisci Pontaine, Ordinis nostri professorum, quorum mandatum speciale pro generali capitulo celebrando habui; fr. L. du Mas; fr. Ludovicus Masse; fr. B. Ambert; frater Paulus Villat nomine meo et reverendissimi patris Amabilis Santignat, cuius procuratorium mandatum pro generali capitulo celebrando habui; frater I. Chastain, nomine meo et venerabilium fratrum Hilarii Guiard, Petri Marbaud, Ioannis Palem et Iacobi Bellin presbyterorum, a quibus procuratoria mandata accepi pro celebratione capituli generalis; fr. Alexius Ravacol, fr. Ludovicus Cherenci, fr. Marcus Corvesi, fr. Paulus Tissot, fr. A. Coccon, fr. A. Guilhaumeau, fr. I. B. Carolois, fr. A. Sant Ange. fr. Anselmus Buffet, fr. B. du Mund, fr. Athanasius de Codevill, fr. Dionysius Gayot, et ego fr. Claudius Allard, eiusdem Ordinis et congregationis presbyter religiosus professus, et generalis capituli, a quo approbatae et receptae fuerunt praesentes constitutiones, secretarius, tam meo, quam venerabilium fratrum Stephani Goyt et Fabiani de Lastich necnon fratris Antonii Chalumni nominibus, eorum procuratorio munitus mandato de die XIII kalendas octobris anni currentis, sub sigillo praeceptoriae S. Antonii Parisiensis, eorumque chirographis, his praesentibus constitutionibus subscribo, licet alterâ sive alterius manu descriptis. Actum die, mense et anno praenotatis.

Subscriptiones.

Fr. C. Allart, secretarius.

Hucusque tenor Constitutionum.

§ 3. Cum autem, sicut dictus abbas nobis nuper exponi fecit, ipse pro dictarum constitutionum observatione eas apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Idem abbas hasce constitutiones apostolica confirmatione petit roborari.

§ 4. Nos igitur, dictum abbatem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, constitutiones praeinsertas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus. Decernentes illas necnon praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, semper et perpetuo observari.

Annoit Urbanus.

§ 5. Et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulas necessarias apponit.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Or-

Obstacula tollit

dinis et Congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII aprilis MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 30 iunii 1634, pontif. anno XI.

CDLXXXVII.

Prorogatio subsidii quadringentorum et viginti millium ducatorum super fructibus ecclesiasticis Hispaniarum et Sardiniae pro rege catholico[1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi catholico, Urbanus Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Prorogatio subsidii ad quinquennium.

§ 1. Magnis causis adducti concessionem subsidii annui quadringentorum et viginti millium ducatorum ex fructibus et redditibus ecclesiasticis civitatum et locorum regnorum universarum Hispaniarum, ac etiam Sardiniae, clarae memoriae Philippo II avo ac Philippo III genitori tuis Hispaniarum regibus catholicis a felicis recordationis Pio V ad certum tunc expressum tempus factam, et deinde pluries etiam a Gregorio XIII, Sixto V, Gregorio XIV, Clemente VIII et Paulo V, Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, eisdem Philippo avo et Philippo genitori tuis, regibus, per diversas eorum et praesertim dicti Clementis sub datum die IX februarii MDCXCII, pontificatus sui anno I; et die XVII iunii MDC, pontificatus item sui anno IX; et die XXX octobris MDCIII, pontificatus similiter sui anno XII; et dicti Pauli sub datum die XXII iunii MDCV, pontificatus sui anno I; ac die VII septembris MDCXI, pontificatus pariter sui anno VII; et die XII novembris MDCXV, pontificatus item sui anno XI; et die XXI octobris MDCXIX, pontificatus etiam sui anno XV; ac novissime a nobis die XXVI martii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I, per nostras huiusmodi in formâ Brevis expeditas litteras ad quinquennium prorogatam, litterasque omnes desuper confectas, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ad aliud quinquennium a fine ultimi dicti quinquennii ut praefertur prorogati numerandum extendimus et prorogamus. Et nihilominus maiestati tuae illud ipsum annuum subsidium quadringentorum et viginti millium ducatorum, cum omnibus et quibuscumque indultis, facultatibus, concessionibus, extensionibus, clausulis et decretis in aliis tam Pii, quam Gregorii XIII, Sixti V, Gregorii XIV, Clementis VIII, ac Pauli V praedecessorum praedictorum litteris, ut praefertur, contentis, ad primum quinquennium a fine quinque annorum ultimo concessorum, ut praefertur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et assignamus.

Facultates quoque exactoribus prorogatae et concessae.

§ 2. Ac propterea venerabilibus fratribus Laurentio episcopo Senogalliensi, moderno et pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae apud maiestatem tuam nuntio[1] Antonio archiepiscopo Damasceno iam eiusdem subsidii exactoribus et commissariis generalibus apostolicâ auctoritate deputatis, et eorum cuilibet, plenam et liberam in praemissis facultatem et auctoritatem tribuimus per se, vel alium, seu alios, quos ad id idoneos duxerint, ad exequutionem praemissorum, ac aliàs iuxta facultates per dictos praedecessores aliis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Addenda foret coniunctio *ac* (R. T.).

commissariis et exequutoribus ac ipsis concessas omni et quacumque appellatione postpositâ procedendi, aliaque faciendi et exequendi, quae in praemissis et circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, necnon omnibus aliis, quae dicti praedecessores in suis litteris praedictis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 4. Ut autem praesentes litterae, cum opus fuerit, facilius ad omnium notitiam deduci possint, decernimus, ut earumdem transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae alicuius in dignitate ecclesiasticâ contitutae obsignatis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die III maii MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 3 maii 1634, pontif. anno XI.

CDLXXXVIII.

Nonnullae ordinationes et statuta facta pro bono regimine civitatis Ferrariensis[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Rationes condendi haec statuta.

§ 1. Volentes nos, pro eo, quo civitatem nostram Ferrariensem prosequimur, praecipuo paternae charitatis affectu, prosperae eius consilii et magistratus ordinationi atque gubernio, quantum cum Domino possumus, consulere, utque, sublatis abusibus qui in ipsius consilii et magistratus electione hactenus irrepserunt et de cetero irrepere possunt, civitas ipsa feliciter gubernetur et ad maiora in dies in pacis et iustitiae cultu incrementa dirigatur, providere:

Qui ab officio iudicis sapientum sint excludendi.

§ 2. Motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, hac perpetuo valiturâ constitutione nostrâ, statuimus atque ordinamus, ad consilium et magistratum, praesertim officii iudicis sapientum eiusdem civitatis, nullo modo in posterum quempiam eligi seu assumi posse, qui alienigena sive forensis sit: incolae vero, et éx privilegio cives, non possint eligi, nisi postquam domicilium per habitationem veram actualem et decennalem continuam in eâdem civitate contraxerint; ad consilium tamen recipi possint.

Vel a munere consiliarii et ab aliis magistratibus.

§ 3. Indigenae autem et cives, etiam originarii, qui actu alicuius principis secularis aut reipublicae ministri, sive officiales, vel familiares, aut aliàs in aliquo eius servitio extiterint, non possint eligi ad consilium, nec ad aliquem magistratum, nisi postquam penitus recesserint a servitio praefato, et postea per quinquennium in eâdem civitate habitaverint; in consilio tamen, postquam vere per annum a recessu servitii habitaverint, recipi possint. Qui vero magistratus sive officii sui tempus absolverit, rationem tamen administrationis suae infra bimestre coram legato et cum interventu commissarii camerae inibi residentis non reddiderit, et civitati integre non satisfecerit, nec ad magistratum sapientum et iudicis illorum eligi et recipi, nec in consilio ad votandum admitti possit. Qui autem eiusdem civitatis in aliquo et ex quacumque causâ debitor extiterit, donec integre non satisfecerit, eligi et admitti non possit ad aliquod officium magistratus, nec ad aliqua munia publicum servitium concernentia, nec ad consilium.

Modus faciendarum electionum.

§ 4. Ut autem omnes electiones sint liberae, volumus illas fieri per vota secreta coram legato vel alio superiore, ita ut

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

unus non possit dare[1] alteri votum suum, seu, ut vulgo dicitur, pillam suam, sub privationis loci consilii per decennium, aliisque poenis arbitrio legati incurrendis. Et quando in consilio tractabitur interesse alicuius consanguinei vel affinis in primo vel secundo gradu coniuncti, tunc consiliarii, qui sint tali consanguinitatis vel affinitatis gradu coniuncti, a tractatu et voto praestando ac etiam a consilio excludi debeant, excepto tantum casu, quo de oratore apud nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem deputando tractabitur.

Arma in consilio nullimode deferenda.

§ 5. Et ad evitanda scandala prohibemus omnibus et singulis consiliariis, officialibus et ministris, ne in consilio arma cuiuslibet generis etiam defensiva deferre audeant.

De expeditione mandatorum de pecuniis solvendis.

§ 6. Volumus etiam, quod deinceps omnia et singula mandata et ordines de pecuniis solvendis subscribi debeant a iudice sapientum et duobus sapientum senioribus, aliàs solutio nulla sit;

Munus consiliariorum contradicentium.

§ 7. Quodque in cuiuslibet consilii initio sorte extrahantur duo consiliarii, qui munus contradicentium singulis propositionibus in eodem consilio faciendis exerceant, non tamen in electionibus magistratuum et aliorum officialium.

Clausulae.

§ 8. Decernentes, praesentes litteras de subreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, in ius vel controversiam revocari nullatenus posse, sed illas semper validas, firmas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari debere; sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 9. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cancellariaeque apostolicae regulis, et praesertim illâ de non tollendo iure quaesito, ac dictae civitatis Ferrariensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrariorum praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad effectum praemissum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV iunii MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 8 iunii 1634, pontif. anno XI.

CDLXXXIX.

Nonnullae declarationes circa controversias inter collectorem et commissarium cruciatae Portugalliae vertentes[1].

Venerabili fratri Laurentio episcopo Hieracensi, moderno et pro tempore existenti[2] iurium et spoliorum camerae apostolicae in Portugalliae et Algarbiorum Reguis debitorum collectori generali,

Urbanus Papa VIII.

1 Subde *palam*, ut patet ex contextu (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.
2 Edit. Main. legit *existente* (R. T.).

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Facti series. Aliàs[1] per nos accepto, quod in controversiis, inter te et pro tempore existentem iurium et spoliorum camerae apostolicae debitorum in Portugalliae et Algarbiorum regnis collectorem generalem ex unâ, ac dilectum filium Antonium Mascaregnas, indulgentiarum et gratiarum spiritualium et temporalium cruciatae in eisdem Portugalliae et Algarbiorum regnis ab hac Sanctâ Sede concessarum commissarium generalem apostolicâ auctoritate deputatum ex alterâ partibus, ortis, venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales super hoc a nobis specialiter deputati, cum interventu etiam praelatorum a nobis pariter ad hoc deputatorum, negotio mature examinato, partibusque hinc inde informantibus pluries auditis, declaraverant et resolverant, praedictum Antonium commissarium non potuisse, nec in futurum posse, vigore litterarum apostolicarum eiusdem cruciatae, concedere licentiam celebrandi nec audiendi missas in oratoriis privatis, seu domesticis, et ideo licentias câtenus per ipsum Antonium commissarium concessas, et de cetero forsan concedendas, fuisse et esse ac fore nullas et invalidas; ac insuper quod quando idem Antonius commissarius procedebat uti merus exequutor dictarum litterarum cruciatae, nec egrediebatur limites suae commissionis ab exequutione earumdem litterarum cruciatae non dari appellationem, nec ad effectum devolutivum, nec suspensivum, sed quando exercebat limites suae commissionis, aut gravabat partes, posse, saltem per viam querelae, recursum haberi ad collectorem uti superiorem, qui posset, servatis sacris canonibus, inhibere, et postea, cognito plene de gravamine vel excessu, illud seu illum emendare, et providere prout iustitia exigebat, idemque posse dictas partes facere, quando commissarius procedebat uti iudex aut mixtus exequutor; verum in casibus, in quibus ius commune expresse concedit appellationem, posse partes appellare, et collectorem appellationem ad utrumque effectum recipere, et modo superius dicto inhibere; cumque postea super declarationibus vel resolutionibus praedictis exorta fuissent sequentia dubia, videlicet: primum, ad quem spectaret cognoscere, an commissarius cruciatae gravasset partes, vel excessisset limites suae facultatis, aut processisset uti mixtus exequutor, vel an appellationes fuissent interpositae in casibus in quibus ius commune expresse illas committit: secundarie vero quando[1] censeretur commissarius procedere, uti merus vel mixtus exequutor: ac demum an commissarius praedictus et cruciatae possint cogi ad tradendum acta, ad effectum ut collector de praemissis cognosceret, et an idem commissarius parere teneretur inhibitionibus desuper sibi a collectore factis sive faciendis; iidem cardinales unâ cum praelatis praedictis, articulis huiusmodi exacte discussis, ad primum dubium responderant, praedictam cognitionem spectasse et pro tempore spectare ad collectorem uti superiorem commissarii cruciatae; ad secundum vero, tunc eumdem commissarium procedere uti merum exequutorem, quando absque iudiciali cognitione exequeretur purum et nudum factum super rebus expressis in eisdem litteris cruciatae; mixtum vero exequutorem dici quando assumeret iudicialem cognitionem super re prius non cognitâ, aut quando se opponeret aliquis legitimus contradictor; ad tertium denique, posse eumdem commissarium et eius notarium cogi a collectore ad tradenda

1 De tota re quae sequitur vide tom. XIII, pagina 462, 464 (R. T.).

1 Vocem *quando* nos addimus (R. T.).

acta, et, quemadmodum collector, postquam coepisset cognoscere de gravaminibus seu excessibus supradictis, aut an appellationes essent admittendae, posset canonice inhibere eidem commissario, ita commissarius teneretur huiusmodi inhibitioni parere; interim autem quo acta transportarentur coram collectore, posset idem collector concedere supersessorias ad tempus, sive acta denegarentur, sive malitiose eorum transportatio differretur, sive aliae extarent qualitates et circumstantiae, ex quibus in aliis casibus idem faciendum foret; et licet dictus Antonius commissarius se declarationibus, seu resolutionibus praedictorum cardinalium pariturum promisisset, nihilominus, propriae salutis immemor, declarationes seu resolutiones easdem parvipendens, iis non solum cum effectu parere recusaverat, verum etiam dictas sacrosanctum Missae sacrificium in privatis oratoriis, ut praefertur, celebrandi licentias concedere, et ad hunc effectum litteras apostolicas super concessione gratiarum spiritualium et temporalium dictae cruciatae emanatas alterare, in iisque quod licentias huiusmodi concedere poterat adiungere, easque litteras sic alteratas, sive earum exempla, etiam impressa, publicari facere praesumpserat, aliaque quamplurima, in auctoritatis huius Sanctae Sedis praeiudicium et contemptum, ac contra declarationes, seu resolutiones huiusmodi facere, dicere et gerere non erubuerat:

Confirmatio declarationum, de quibus in rubrica.

§ 2. Nos, praemissis pro muneris nostri debito, quantum cum Domino possumus, opportune providere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, omnes et singulas declarationes seu resolutiones supra expressas huiusmodi, cum omnibus in eis contentis et inde sequutis quibuscumque, apostolicâ auctoritate approbavimus et confirmavimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti et quosvis alios etiam quantumvis substantiales defectus, si qui in praemissis quomodolibet intervenerint, supplevimus, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur [1].

Nuncio apostolico committitur earum exequutio.

§ 3. Cum autem hodie, supplicationibus charissimi in Christo filii nostri Philippi Portugalliae et Algarbiorum regis catholici nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, dilectum filium Antonium de Mendoxa canonicum doctoralem ecclesiae Portalegrensi in commissarium generalem indulgentiarum et gratiarum spiritualium et temporalium eiusdem cruciatae in locum dilecti filii Michaëlis de Castro ad ecclesiam Visensem providendi, cum omnibus et singulis facultatibus, privilegiis et indultis eidem Michaëli concessis, iuxta tamen declarationes praedictas, substituerimus et subrogaverimus:

Nos, volentes easdem declarationes debitae, ut par est, exequutioni demandari, et a dicto Antonio de Mendoza moderno et pro tempore existente [2] dictae cruciatae commissario, ceterisque omnibus et singulis, ad quos spectat, inviolabiliter observari; motu, scientiâ et deliberatione similibus, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut eidem Antonio de Mendoza moderno et pro tempore existenti gratiarum dictae cruciatae in eisdem regnis commissario, sub excommunicationis maioris latae sententiae, ac privationis beneficiorum, dignitatum et officiorum quorumcumque, etiam speciali notâ et expressione dignorum, inhabilitatisque ad illa et alia in posterum obtinenda poenis, eo ipso absque ullâ declaratione incurrendis, auctoritate nostrâ praecipias et mandes, ne licentias sacrosanctum Missae sacrificium in privatis domorum oratoriis

1 Quae forsan desunt (R. T.).
2 Edit. Main. legit *existenti* (R. T.).

celebrandi, seu respective celebrare faciendi, quibusvis personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, quavis ex causâ vel quaesito colore aut praetextu concedere, nec litterarum apostolicarum super concessione dictae cruciatae confectarum, ut praefertur, summaria vel exempla litteris concessionis praedictae cruciatae non conformia imprimere seu publicare, aut imprimi seu publicari facere audeant seu praesumant[1], nisi prius eadem summaria vel exempla a te seu de tuo mandato per personas ad hoc idoneas a te deputandas revisa, et si opus fuerit, correcta et emendata[2], et cum eisdem litteris diligenter collata fuerint, nec quisquam contra earumdem declarationum formam, continentiam et tenores innovare seu attentare audeat, vel praesumat[3].

§ 4. Decernentes praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, quovis praetextu, causâ vel quaesito colore, de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, infringi, vel retractari, in ius vel controversiam vocari, aut adversus eas quodcumque iuris, gratiae, vel facti remedium intentari seu impetrari, aut sic impetrato vel concesso quempiam illo uti seu se iuvare in iudicio vel extra nullo[4] unquam tempore posse; sed illas ac omnia et singula in eis contenta semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque a praedicto Antonio moderno et pro tempore existente gratiarum cruciatae huiusmodi commissario, ac aliis ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et nuncios, quavis auctoritate fungentes, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem commissario, ac quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque, aliisque decretis, in genere vel in specie, ac aliàs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoris specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Obstantium derogatio.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x iunii MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 10 iunii 1634, pontif. anno XI.

1 Aptius legerem *audeat seu praesumat* (R.T.).
2 Edit. Main. legit *emandata* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *praesumant* (R. T.).
4 Male edit. Main. legit *ullo* (R. T.).

CDXC.

Confirmatio statutorum societatis Exaltationis Sanctae Crucis extra muros civitatis Parisiensis erectae[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Licet omnia christifidelium vota, quae ad animarum salutem, divinique cultus augmentum in dies magis promovendum facere intelligimus, ad exauditionis gratiam libenter admittamus, ea tamen praecipuo paternae charitatis affectu complectimur, quae in peculiarem Sanctae Crucis venerationem tendere dignoscuntur. Unigenitus enim Dei Filius homo factus, in illâ humani generis salutem operatus, ac insons pro sontibus hostia factus est, et effuso pro iniustis sanguine, iustus mortis servitutem suscepit, ut nobis vitae aeternae tribueret libertatem: unde merito militantis Ecclesiae praeconio concinitur *Beata cuius brachiis secli pependit pretium.*

Extra muros civitatis Parisiensis societas Exaltationis Sanctae Crucis instituitur;

§ 1. Cum itaque, sicut nonnulli christifideles civitatis Parisiensis nobis nuper exponi fecerunt, una pia et devota utriusque sexus christifidelium societas sub invocatione Exaltationis Sanctae Crucis ordinariâ auctoritate, ad procurandam haereticorum conversionem, in ecclesiâ domus fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum prope et extra muros civitatis Parisiensis canonice erecta et instituta, et pro felici illius regimine et gubernio nonnulla statuta sive capitula edita, statuta vero sive capitula huiusmodi de mandato nostro correcta et emendata fuerint, tenoris sequentis videlicet:

Quae sua condit statuta.

Regulae et statuta[2] *Societatis Exaltationis Sanctissimae Crucis institutae eiusdem festo die* XIV *septembris anno salutis* MDCXXXII *in coenobio patrum Cappuccinorum, quod est Lutetiae Parisiorum in suburbio S. Honorati*[1] *per admodum R. P. F. Hyacinthum Parisium concionatorem Cappuccinorum et apostolicum missionarium.*

Cap. I. De institutione ac fine societatis.

Fuit haec societas Lutetiae Parisiorum in suburbio S. Honorati intra coenobii patrum Cappuccinorum septa a pio quorumdam catholicae religionis propagandae studio instituta, ut eius sodales pro suo quisque modulo in haereticorum ad veram catholicamque religionem conversionem incumbere, et qua spiritualibus qua temporalibus collatis subsidiis iis opem ferre, atque eos in susceptâ religione confirmare possent. Ideo, ad hunc finem assequendum, cuiuscumque sortis homines amplectimur[2], puta ecclesiasticos, seculares, principes, viros doctos, ac mediocris sortis homines, ut quisque, Deo adiuvante, suae conditionis hominibus ferre opem, atque facili negotio, qua congressibus, qua hortationibus, qua integerrimae vitae exemplis, ad veram fidei semitam reducere ac restituere possit.

Hoc vero nomine Exaltationis Sanctissimae Crucis hanc societatem visum est insignire, non modo quia eodem festo die eiusdem Sanctissimae Crucis ac Crucifixi ope sumpsit exordium, verum etiam quia ad eiusdem exaltationem non minus facere videtur haereticorum ad verum Crucis cultum et religionem revocatio.

Quam verum sublime et Deo gratum hoc sit institutum vel inde licet cognoscere, quod, Dionysio Areopagità teste, a quo nostrae religionis exordium sumpsimus[3], divinorum omnium divinissimum est cooperari Deo in salutem animarum: et, si Apostolo praedicante inimicorum crucis Christi finem interitum futurum non ambigimus, cur eiusdem crucis amicorum,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Edit. Main. habet *Regula et Statutae* (R.T.).

1 Edit. Main. legit *S. Honoti* (R. T.).

2 Forsan legend. *amplectitur* (R. T.).

3 Significare volunt Dionysium Areopagitam fuisse primum Galliarum apostolum (R. T.).

qui nempe pro virili eius disseminandae gloriae sunt amantes, aeternam vitam finem futurum non dicemus?

Cap. II. De sodalibus in hanc societatem cooptandis.

Ii[1] porro sunt in hanc societatem admittendi, qui idonei ad finem societatis assequendum cognoscantur, et de quibus spes sit, eos serio ad tam sublime opus animum appulsuros. Ne vero ex nimiâ sodalium frequentiâ aliqua[2] oriatur confusio ac perturbatio, sodales numerum viginti quinque non excedent, nisi forte aliquis per dignitatem vel opes in haereticorum conversione impendendas, vel ob aliud excelsum Dei donum, ad dictum opus maxime aptus videretur; tunc enim, etiam ultra numerum, in societatem ingressus non est denegandus.

Antequam aliquis in societatem admittatur, societatis totius roganda est sententia: ob quod in tempore absentes, qui facile poterunt, certiores fient, ut in primo consessu[3] adesse et suam sententiam ferre possint. Quod si duae tertiae sodalium partes admittendum non censuerint, nullo pacto admittatur.

Admittendus vero est nemo, cuius spectata vita et mores probati non sint, vel de cuius doctrinâ nulla[4] umquam suspicio exorta sit: quin imo si quis antea in societate virtute conspicuus, (quod Deus avertat) flagitiis, sceleribusque se implicaret, adeo ut perditâ vitâ ac moribus societati ceterisque malo esset exemplo, et bis terve admonitus incoepto persisteret, per certos homines huic muneri destinatos illi palam fiat, eum diutius in hac societate, ubi vitae morumque integritate praefulgere quisque debet, non posse persistere, et satius esse, si ipse sibi consulat, seque ab ipsâ societate removeat.

1 Perperam, ut puto, edit. Main. habet *Si* (R. T.).
2 Perperam edit. Main. habet *aliaque* (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *consensu* (R. T.).
4 Potius legeretur *ulla* (R. T.).

Ministri haereticorum in societatem non admittantur, nisi quinquennio ab eorum conversione elapso, dummodo per id tempus in christianis moribus et catholicâ religione perstiterint.

In sociorum delectu maxime est societati invigilandum; nam ut plurimum ex Lutetiâ eiusque suburbiis ex omni hominum genere et gradu sunt seligendi, ut quisque, quemadmodum initio dicebatur, suae sortis hominibus haereticis, cum quibus agere saepius contigerit, opem ferre possit; unde eos sibi studebit aggregare, quos ad solam Dei gloriam et[1] haereticorum conversionem aptos existimabit. Curabit quoque societas duos vel plures socios in controversiis, linguisque hebraicâ et graecâ optime versatos habere, qui eos, quos oportuerit, possint instruere.

Adscribantur societati sacerdotes seculares et regulares idonei, de suorum tamen superiorum licentiâ, qui ab his ad quos spectat habeant facultatem absolvendi ab haeresi, schismate et apostasiâ a fide, legendi iis[2] libros prohibitos Apostolicâ Sede vel eius nuntio.

Cap. III. De congregationibus in societate habendis.

Congregatio nec saepius, quam bis in hebdomadâ habeatur, nec ultra quindecim dies protrahatur; satius vero esset, si semel in hebdomadâ haberetur: non in dominicis, vel aliis solemnitatibus Domini nostri, Beatissimae Virginis, aliisque diebus festis est cogenda.

Sit[3] vero hoc in congregationibus solemne, ut quisque quid ab ultimâ congregatione circa haereticorum conversionem egerit referat, quos scilicet ad fidem reduxerit, quoquomodo affectus alios habeat[4]; quibus relationibus ab unoquoque pera-

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).
2 Vocem *iis* praeter rem esse quisque persensit; forsan *legendique* (R. T.).
3 Perperam edit. Main. legit *Si* (R. T.).
4 Forsan legendum: *quonamque modo affectos alios habeat* (R. T.).

ctis, societas quid agendum sit deliberabit.

In fine tandem cuiusque congregationis dies, hora et locus, quo erit conveniendum, destinabitur, atque de negotio pertractando qui praesentes fuerint absentes admonebunt.

Cap. IV. De sociorum dissidiis, quae forte orientur, componendis.

Si forte (quod absit) dissentiones ac dissidia aliquot sodales inter orientur, pro viribus societas curet ea componere, eosque in pristinam animorum concordiam revocare; quod si nihil precibus ac hortationibus profecerit, donec de eorum reconciliatione constiterit, eos, ut a congregatione abstineant, admonebit.

Si quis vero dissidentium societatis arbitrio se subiiciat, eum societas amplectetur, alii vero adhuc dissidentes, si infra quindecim dies dissentionem atque animi duritiem non posuerint, in societatem iterum sine duarum tertiarum partium consensu non sunt admittendi.

Quod si omnes litem et controversiam societatis arbitrio examinandam et componendam subiiciant, societas, rationibus hinc inde excussis, ad Dei gloriam, quod magis videbitur expedire, quodque aequius erit, deliberabit.

Cap. V. De his, quae circa eorum curam, qui de novo ad fidem conversi sunt, societas praestare debet.

Haud segnior quidem societatis cura esse debet in his confirmandis, quos ad fidem revocavit, quam in revocandis fuit. Unde, ne susceptae eos religionis poeniteat, saepius invisere, blandiri, et, qua spiritualibus et qua temporalibus collatis subsidiis, eorum indigentiis occurrere oportebit.

Hinc paratam semper domum ad eos recipiendos qui ad profitendam catholicam religionem suâ domo excesserunt; atque undecumque tandem accesserint hospitio sunt excipiendi, atque humaniter tractandi. Advertendum vero maxime est, ut qui tali domo et hospitio praeest, is sit, ut vitae ac morum innocentiâ ac christianâ charitate eos alliciat, et traditis verae pietatis exemplis, in catholicâ religione magis magisque confirmet. Propterea notae sanctitatis ac pietatis esse debet, et, si fieri possit, ex societate ipsâ eligendus, qui, et temporalibus necessitatibus consulat, multoque magis spiritualibus collatis subsidiis instituat ad verae et catholicae religionis studium; observet quoque eorum mores, et societati referat, ut ipsa tempori, si quid esset opus, providere possit.

Peregrinae virgines ac mulieres ab honestâ aliquâ muliere sunt excipiendae, eiusque curae tradendae, cuius erit non modo de his, quae ad vitam necessaria sunt, providere, sed pro eius captu in susceptâ religione, qua verbis, qua exemplis, confirmare. Ad exactiorem vero earum in doctrinâ christianâ ac fide instructionem religiosi ac graves viri, saltem quinquagenarii, sunt substituendi, qui id in ecclesiâ et in aliorum praesentiâ praestabunt. Pro expensis vero, quae ad earum excéptionem et substentationem necessariae erunt, ipsa societas providebit.

Si forte aliquis ex his de novo conversis in morbum incideret, atque ob suam egestatem unde suo morbo ac miseriae consulere[1] possit non haberet, curabit pro virili societas, ut viri in xenodochio Societatis Charitatis excipiantur; mulieres vero apud eiusdem Societatis virgines, vel alium in locum, ubi christianâ pietate eorum cura geri possit, excipiantur.

Reliquis vero assiduâ febre laborantibus, nec pecuniâ, nec medicorum, pharmacopolarum, aut aliorum operâ opem ferat societas, nisi prius peccata expiaverint et sacro pane se refecerint; quod societati per confessarii fidem, vel alterius e societate, qui forte adfuisset, constabit; quae fides per eiusdem secretarium adnotetur.

Curabit quoque societas, ut de novo conversi alicui arti vel servituti addicantuur,

1 Edit. Main. legit *corsulere* (R. T.).

ad quod etiam omnem feret opem, ut sibi victum comparare, atque honeste vivere possint: iis vero, qui laborem respuentes otio se dedere volent, ne ansa eis in eâ vitâ persistendi praebeatur, nihil omnino praebebitur, nisi fortasse certis de causis aliud societati videretur.

Pueri vero, dum per aetatem licet, ad aliquam artem addiscendam, ad quam aptiores videbuntur, applicentur, vel saltem ad serviendum aliquo in loco, ubi Deo inservire, et victum sibi parare queant. Quod si aliquis ingenio polleat, et de eo spes sit, ut in liberalibus studiis ac disciplinis sit profecturus, in collegio eum admitti societas curabit, et tam de his quam de illis, donec solidioris sint aetatis, et nullius ad vivendum auxilio indigeant, societas in eorum curâ vices patris geret, ut eiusdem societatis filii merito possint nuncupari.

Cum quis de nuper conversis pecuniâ indiguerit ad eius inopiam sublevandam mutuo detur: quam tamen, ad libitum eius e sociis cui se obstringet, spondebit reddere. Advertatur vero, quod si summa mutuo data duos aureos non excedat, apocha privata sufficiet; secus vero si excedat: nam praeter eam, tabellionis publici fides exigetur.

Haud vero scheda obligationis praetermittatur, qua acceptam referat societati eam summam, vel gubernatori, vel administratoribus, nullâ factâ apochae et fidei tabellionum mentione, quae deinde in libros relata, pro eiusdem gubernatoris et administratorum cautione inserviet.

Tandem sacerdos, qui absolutionem ab haeresi nuper converso impenderit, eum serio moneat, curetque, ut eligat approbatum aliquem confessarium, cui peccata deinceps aperiat, nisi forte sibi, a quo fuit absolutus, aperire vellet: atque eidem converso pecuniam pro eius sustentatione, si quando exigeret, societas non tribuat, nisi eius confessarius testatum faciat eum semel in mense peccata aperire solitum esse, ac nisi forte eidem societati ad Dei gloriam iustis de causis aliud videatur.

Cap. VI. De officialibus, ac muneribus in societate obeundis.

Erunt omnes, quibus haec sunt obeunda, octo (praeter alios minores) puta director, gubernator, quatuor administratores, rationum collator, qui vulgo controllator dicitur, et secretarius; atque de his omnibus, deque eorum muneribus singulatim dicetur in sequentibus. Ili vero praeter directorem (qui sacerdos esse debet) ex ecclesiasticis sacris initiatis eligi non poterunt, licet ipsi in electione suffragium ferant.

Quoad tempus vero, quo cuique suum munus est exercendum, director tribus annis, gubernator duobus, reliqui vero tantum anno in munere persistent, nisi forte gubernatorem vel administratorem iterum confirmare urgenti causâ societati videretur. Ex quatuor vero amnistratoribus duo semper confirmari debent, qui cum duobus de novo electis administrabunt.

At vero quivis, qui huic societati erit adscriptus, atque in eâ vel officialis vel in aliquo obeundo munere suam navat operam ac laborem, nullam mercedem vel humanam remunerationem intendat, sed ad solam Dei gloriam et haereticorum conversionem se suaque omnia dirigat. Æquum tamen societati videtur, ut nonnulli, nempe gubernator, administratores, controllator et secretarius, qui aliquid in ratione sumptuariâ reddendâ atque aliis scriptis exarandis de suo impendunt, mercedem aliquam ex eleemosynis de novo conversorum consequantur.

Cap. VII. De officialium societatis electione.

Ut electio ad Dei gloriam cadat, nec sine divinâ imploratâ ope efficiatur, pridieque [1] electio fiat (quae semper in festo Exaltationis Sanctae Crucis horâ octavâ matutinâ est facienda), sacerdotes omnes

1 Videtur legendum *pridie quam* (R. T.).

(si licebit tamen) sacra de Spiritu Sancto facere, qui vero sacerdotes non sunt, ipso Exaltationis festo die peccata confiteri, et sacro pane se reficere optimum esset.

Inde, congregatis omnibus in loco iam ante quindecim dies destinato, director incipiat hymnum *Veni Creator;* quo cum reliquis precibus absoluto, ad electionem procedatur: nulli autem extero in electione adesse fas erit. Electio vero hoc modo fiet: quisque scriptum in schedulâ nomen illius, vel eorum, quibus suffragium suum ferre voluerit, in loco, ubi nec adverti oculis vel aliquo modo cognosci possit, collocabit.

Director vero arculam circumgestabit, cui schedulae commendentur, inde ad sedem suam reversus altâ voce electorum in schedulâ nomina perleget singillatim, secretario singula rescribente: quibus perlectis, videbitur in quemnam electio cecidit: quod si in primâ electione nemini suffragia, quae ad id munus requiruntur, lata fuere, nempe duae tertiae suffragiorum partes, usque ad tertiam procedatur. Quod si neque in tertiâ peragetur, qui duo [1] plura suffragia habuerint, eligantur, atque iis solummodo iterum suffragia ferentur, et qui plura habuerit, erit electus; si vero paria erunt uniuscuiusque suffragia, res ad sortem renovabitur.

Electione peractâ, *Te Deum laudamus* et reliquae preces ad gratiarum actionem recitabuntur: postridie vero sacerdotes sacra facientes debitas Deo gratias agere tenebuntur, simulque divinam maiestatem orare, ut novos officiales dirigat ad ea peragenda, quae ad eius gloriam et bonum societatis cedant.

Cap. VIII. De directore societatis.

Directorem igitur semper habebit societas, a quo regetur, quique sacerdos erit; dummodo residentiâ alicuius ecclesiae extra Lutetiam, vel animarum curâ, vel publico alio munere non sit impeditus. Eius erit societatem dirigere, ac ad suum finem assequendum promovere. Tribus annis in eo munere permanebit (nisi forte sponte pro bono societatis, accedente duarum tertiarum partium consensu, se subtrahere vellet); quibus confectis, non poterit in directorem iterum eligi, nisi tribus aliis elapsis annis. Quod si aliquâ ex causâ plusquam triginta diebus a dictâ societate directori abesse contigerit, proponet idem director aliquem ex societate, qui suas vices gerat, quem tamen aptum eadem societas censeat, et dicetur subdirector, ac durabit in eodem munere usque ad reditum directoris, et non ultra.

Idem director constitutiones hasce archiepiscopo Parisiensi pro tempore existenti ostendat, ut in illarum observantiâ atque exequutione invigilare possit.

Poterit, prout necessarium societati existimaverit, tam in generali quam in particulari socios admonere. Curet etiam in primis, ut socii inter se concordes mutuo se amore foveant et complectantur. Conversis item de novo, seu divites seu pauperes sint, in quibuscumque fortunae casibus praesto esse debebit: aegrotantes autem saltem semel in hebdomadâ adire atque invisere optimum esset; societati deinde referet morbum et remedia, quae ipse pro corporis animaeque salute opportuna iudicabit.

Ante omnia autem curet, ut de novo conversi bonis moribus et catholicae religionis praeceptis instituantur. Quod si hoc per se praestare non poterit, doctorum hominum operâ utetur, ne forte horum omnium inscitiâ ad pristinos mores relabantur.

Advenas autem, qui fidei amplectendae causâ venerint, non solum invisere et fortiores in [1] susceptâ religione reddere debebit, sed curabit insuper, ut ab haeresi non absolvantur, nisi prius constet, eos non ficte hanc absolutionem exquirere, ac tam

1 Potius lege *duo qui* (R. T.).

1 Praep. *in* nos addimus (R. T.).

societas, quam ille, qui eos hospitio excepit, super hoc sententiam suam ferant; puerorum autem curam geret, quos societas vel ad litterarum studia vel ad artes destinavit, an[1] in suo munere bene se gerant nec ne cognoscet, et suis praeceptoribus commendabit; ac si quid illis desit, patris vicem geret.

Si aliqua nuper conversum urgeret necessitas, ut statutus congregationis dies ad sublevandam eius inopiam expectari non possit, poterit director praecipere, ut, quod congruum ipsi videbitur, tribuatur. Tenebuntur vero gubernator, administratores et rationum collator directoris praescriptum exequi, dummodo ex unâ ad alteram congregationem duorum aureorum summa pro quolibet non excedatur: inde in proximâ congregatione societatem de solutâ pecuniâ certiorem faciet: ab iis vero, quibus pecunia collata est, schedam obligationis seu apocham fieri curabit; subdirector autem nonnisi unicam libram turonensem conferendi facultatem habebit pro quolibet, nisi forte maiorem illi societas tribui debere facultatem aestimaret.

Si quando societatis officiales convenire expedierit, poterit director extra ordinem convocare, eosque consulere de iis rebus, de quibus totius societatis sententiam rogare non est necesse.

Tandem si tam director quam subdirector a societate pluribus diebus vel hebdomadis abessent, gubernator eorum vicem geret, ac de quibus illi potuissent decernere et ipse poterit.

Cap. IX. De gubernatore et reliquis.

Gubernatoris munus (cui nihil sine communi omnium sensu consensuque peragere licebit) erit pecuniae mutuo datae apochas et schedas obligationis omnes perlegere atque examinare, eas vero illorum, qui ab administratoribus aliquid acceperunt, suâ manu subscribet; inde in acta notarii seu secretarii societatis referre curabit, simulque quidquid ab administratoribus et rationum collatore acceptum vel expensum fuerit. Conferentur deinde rationes cum notarii commentario, quod vulgo registrum dicitur; quae si inter se paria erunt, computa subsignabit, et penes se habebit exemplar collatum cum originali, extractumque commentarii seu registri notarii, in quo tam acceptum quam expensum contineatur.

Si gubernatori ultra tres menses a societate abesse contingeret, eligendus est alius, qui vicem gubernatoris gerat.

De administratoribus.

Post gubernatorem erunt quatuor administratores et unus rationum collator seu controllator, quorum erit recipere destinatos, donatos, et legatos nummos pro noviter conversis, aliisque societatis ministeriis; de quibus ipsi proprio ac privato nomine tenebuntur, et tam dati quam accepti ab ipsis rationem gubernatori vel vicegubernatori et societati, ac aliis quibus de iure et consuetudine[1] reddent, et nisi perfectam hanc rationem reddiderint, sciant se obligatione, qua obstricti sunt, nunquam absolvendos, quae absolutio nonnisi ab ipsâ societate poterit impertiri.

De controllatore.

Rationum collatoris seu controllatoris munus erit, praeter id quod dictum est, conferre apochas tam accepti quam expensi, quod tamen aureum excedat; cumque illi a gubernatore vel administratoribus aliisve tradentur, suâ manu subscribet.

De secretario.

Secretarius tandem seu societatis notarius debebit conficere et apud se retinere et custodire commentarium seu registrum nominum illorum, qui societatis operâ ad catholicam fidem fuerint conversi; promissionum insuper et rationum accepti et expensi; cuiuscumque item rei, quae quomodolibet societati addicta aut donata fuerit ad pauperum conversorum benefi-

1 Edit. Main. legit *ac* pro *an* (R. T.).

1 Deesse videtur verbum *competit* (R. T.).

cium; tandem societatis decreta, et gubernatoris, administratorum et controllatoris confectas rationes.

Curet praeterea ut societatis primordia et progressus et res egregie a societatis hominibus gestae scriptis mandentur, confectaque commentaria custodiat, ut ad maiorem Dei gloriam et posterorum exemplum futuris temporibus, quid Deus per suos dignatus est efficere, relegatur. Relapsorum etiam a fide notam describet. Tandem scripta omnia et societatis monimenta omni curâ servabit. Elapso vero anni sui muneris, inventarium eorum omnium, quae apud se habebit, conficiet, quod directori et societati ostendet, et, retento apud se eiusdem inventarii exemplari, unâ cum reliquis scriptis successori tradet.

Poterit etiam secretarius secum adiutorem habere, si necessarium duxerit, et ipse par labori non sit, qui adiutor ex ipsâ societate est assumendus.

Iam vero his omnibus, qui officiales sunt, nihil dare licebit, sine societatis, directoris vel subdirectoris aut etiam gubernatoris consensu, ut supra dictum est.

Cap. X. De impressione librorum ab hominibus societatis.

In edendis in lucem libris ab aliquo ex sodalibus compositis, praesertim si materiam controversiarum contineant, ultra superiorum, ad quos spectat, licentiam, etiam societatis assensus requiratur, ut nihil quod reprehendi possit ab ipsius societatis sodalibus publici iuris fiat. Quamobrem societas unum aut plures destinabit qui edenda scripta legant, relegantque, et, si commode fieri poterit, coram ipsâ societate, dummodo in qualibet congregatione in huiusmodi lectione non plus quam dimidiata[1] hora insumatur; quae vero scripta luce digna videbuntur, societas eorum editioni consensum praestabit.

Cap. XI. De harum constitutionum observantia.

Non modo, qui huic societati nomen dedit, in harum regularum observantiam invigilare debet, sed pro virili etiam curare, ne his aliquid unquam detrahatur vel addatur, nedum aliquid de novo mutetur.

Unde cum societas has leges observare promiserit, licet nullo peccati vinculo ad earum observantiam obstringatur, ad illarum tandem custodiam super omnia debet insudare.

Constitutiones societatis Exaltationis Sanctae Crucis ultimo emendatae iuxta nonnullas notas reverendissimi domini Paulutii.

FRANCISCUS IMPLUS, secretarius.
FRANCISCUS PAULUTIUS, etc.

Urbanus earum confirmat.

§ 2. Nos, inviolabili erectionis et institutionis praedictarum, ac capitulorum sive statutorum huiusmodi firmitati atque observationi, quantum cum Domino possumus, consulere, dictosque exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotio Propagandae in universo mundo Fidei praepositorum consilio, erectionem et institutionem dictae societatis, ut praefertur factas, necnon praeinserta statuta sive capitula huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, sine cuiusquam praeiudicio, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

1 Aptius lege *dimidia* (R. T.).

Clausulas apponit.

§ 3. Decernentes praesentes litteras ac omnia et singula in eis contenta valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari debere; irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII iunii MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 18 iunii 1634, pontif. anno XI.

CDXCI.

Declaratio ac confirmatio decretorum editorum circa imagines defunctorum nondum a Sede Apostolicâ canonizatorum cum splendoribus aut laureolis non proponendas et processus pro eorum beatificatione aut canonizatione conficiendos [1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Caelestis Hierusalem cives, quorum gloriosis natalitiis sancta laetatur mater Ecclesia, sicut huius sanctae Sedis Apostolicae ministerio a piis utriusque sexus christifidelibus venerantur in terris, ita Romanum decet Pontificem, militantis Ecclesiae regimini divinâ providentiâ praepositum, pro suo praecipuo honoris domus Dei zelo invigilare, ne quid in personarum cum sanctitatis aut martyrii vel famâ opinione defunctarum memoriam sive cultum, inconsultâ Sanctâ Sede praedictâ innovetur.

1 Decreta hîc enunciata habes in Const. CXXX (*al.* 118) *Sanctissimus*, tom. XIII, pag. 309.

Refert decreta aliàs edita super imaginibus defunctorum nondum a Sede Apostolicâ canonizatorum.

§ 1. Aliàs siquidem nos, sollicite animadvertentes abusus, qui irrepserant et irrepere non cessabant in colendis quibusdam cum sanctitatis aut martyrii famâ vel opinione defunctis, qui, etsi neque canonizationis neque beatificationis honore insigniti essent ab eâdem Sede, eorum tamen imagines in oratoriis atque in ecclesiis, aliisque locis publicis, atque etiam privatis, cum laureolis aut radiis seu splendoribus proponebantur, miracula et revelationes aliaque beneficia a Deo per eorum intercessiones accepta in libris rerum ab ipsis gestarum enarrabantur, et ad illorum sepulchra tabellae, imagines et res aliae ad beneficia accepta testificanda, et lampades et alia lumina apponebantur; volentesque proinde huiusmodi abusibus pro debito officii pastoralis occurrere, re etiam cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus contra haereticam pravitatem in universâ republicâ christianâ generalibus inquisitoribus ab eâdem Sede specialiter deputatis communicatâ et mature consideratâ ac discussâ, de eorumdem cardinalium consilio sub die XIII martii MDCXXV declaravimus, statuimus et decrevimus, ne quorumvis hominum cum sanctitatis seu martyrii famâ (quantacumque illa esset) defunctorum imagines, aliaque praefata, et quodcumque aliud venerationem et cultum praeseferens et indicans, in oratoriis aut locis publicis seu privatis vel ecclesiis, tam secularibus quam regularibus, cuiuscumque religionis, Ordinis, instituti, congregationis aut societatis, apponerentur, antequam ab Apostolicâ Sede canonizarentur, aut Beati declararentur, et (si quae appositae essent) amoverentur, prout eas statim amoveri mandavimus; ac pariter imprimi de cetero inhibuimus libros eorumdem hominum, qui sanctitatis sive martyrii famâ vel opinione, ut praefertur, celebres e vitâ migravissent,

gesta miracula vel revelationes, seu quaecumque beneficia, tamquam eorum intercessionibus a Deo accepta, continentes, sine recognitione aut approbatione Ordinarii, qui in iis recognoscendis theologos, aliosque pios ac doctos viros in consilium adhiberet, et, ne deinde fraus aut error aut aliquid novum et inordinatum in re tam gravi committeretur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmitteret, eiusque responsum expectaret; revelationes vero et miracula, aliaque beneficia supradicta, quae in libris horum hominum vitam gestaque continentibus eâtenus sine recognitione atque approbatione huiusmodi impressa erant, nullo modo approbata censeri voluimus, mandavimusque. Ad horum hominum sepulchra vetuimus etiam ac inhibuimus tabellas atque imagines ex cerâ aut argento, seu ex aliâ quacumque materiâ, tam pictas quam fictas atque exculptas, appendi seu affigi, et lampades sive alia quaecumque lumina accendi, sine recognitione ab Ordinario omnino, prout supra, faciendâ, Sedique Apostolicae referendâ[1] ac probandâ; declarantes, quod per suprascripta praeiudicare in aliquo noluimus neque intendimus iis, qui, aut per communem Ecclesiae consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientiâ ac tolerantiâ praefatae Sedis Apostolicae vel Ordinarii, celebrantur[2]. Cumque postea die secundâ octobris eiusdem anni MDCXXV a quibusdam revocari in dubium accepimus, an tabellas et imagines, quas imposterum offerri contingeret, recipere, et antea oblatas conservare liceret: nos (qui tantummodo voluimus, occurrendo abusibus qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum sanctimoniam divinae clementiae placuerit admirandis operibus illustrare[1]), re prius cum eisdem cardinalibus communicatâ, de simili eorum consilio, declaravimus, quod, sicut numquam prohibuimus, nec intentionis nostrae fuit prohibere oblationem, receptionemque tabellarum et imaginum huiusmodi, ita, ut deinceps nulli dubitationi locus relinqueretur, statuimus et decrevimus, ut quoties ad aliquam ecclesiam, aut oratorium, locumve alium publicum, secularem seu regularem, tabellas et imagines aliudve simile quispiam deferret, ac intercessione hominum inter Sanctos vel Beatos non adscriptorum, quamvis cum martyrii aut sanctitatis famâ demortuorum, optata se impetravisse diceret, liceret ecclesiasticis personis, ecclesiarum locorumve praedictorum curae praepositis, tabellas et imagines, sive pictas, sive ex quavis materiâ fictas, atque alia quaecumque collatae gratiae fidem facientia, simul cum deferentis, aliorumque, qui conscii fuissent, attestationibus, recipere, atque, approbantibus Ordinariis, ad quos referre statim omnia tenerentur, in secreto aliquo seorsim ab ecclesiâ loco custodire, ibidemque iam amota collocare et asservare, ut, si quando Dominus talium virorum merita beatificationis seu canonizationis honore in terris decorare voluisset, extarent huiusmodi sanctitatis qualescumque probationes Apostolicae Sedis iudicio tunc examinandae[2]. Demum vero, ut eiusmodi decreta observarentur indubie, ac omnimodam sortirentur exequutionem, cum eisdem cardinalibus re pariter communicatâ, deque eorumdem consilio, praemissis addidimus, statuimus, decrevimus, atque declaravimus, ne ex tunc deinceps quispiam Ordinariorum aut ab Apostolicâ Sede ad hoc specialiter delegatorum, super alicuius utriusque sexus cum sanctitatis aut

1 Edit. Main. habet *refenda* (R. T.).

2 Hucusque vid. loc. cit. in notâ ad rubr. (R. T.).

1 Adderem *comprobandam* (R. T.).

2 Vide loc. cit. pag. 310 (R. T.).

martyrii famâ vel opinione defuncti miraculis, revelationibus, aliisve eiusmodi sanctitatem redolentibus ex integro informationes quoquo modo reciperet, aut processum instrueret, vel hucusque receptas informationes, instructumve processum ulterius prosequeretur, nisi postulator prius per legitimas iuridice susceptas probationes circa personam eius, de cuius miraculis, revelationibus, aliisve rebus gestis sanctitatem praeseferentibus ageretur, praescriptam in praefato nostro decreto formam omnino servatam extitisse docuerit; et nisi postea successive idem Ordinarius, aut ab Apostolicâ Sede ad hoc specialiter delegatus, diligenti praehabitâ disquisitione circa eamdem personam, supracitato decreto nullatenus contraventum esse rite pronunciaverit; utque id inviolabiliter observetur, statuimus insuper ac decrevimus, ne transmissi ad Urbem undecumque huiusmodi processus a congregationis sacrorum rituum secretario, minusve sanctae fidei promotore quomodolibet aperiantur, nisi prius in ipsâ sacrorum rituum congregatione, alio seiunctim oblato authentico processu, ex eo Ordinarium, aut ab Apostolicâ Sede specialiter delegatum, rite ac recte, ut praemittitur, cognovisse ac pronuntiasse praelibato decreto nequaquam contraitum[1] esse, plene constiterit, ac deinde a nobis iudicialiter aperiendi eos processus facultas indulta fuisset; insuper longissimum tempus, illiusve immemorabilem cursum, de quo in praedicto decreto, intelligi declaravimus esse tempus centum annorum metam excedens: deque his atque infrascriptis omnibus, quae in his decretis disposita et ordinata sunt, aliquâ suboriente difficultate, Ordinariis locorum et delegatis apostolicis quibuslibet omnem omnino interpretandi facultatem ademimus, utque Sedem Apostolicam desuper consulerent, ab eâque responsum expectarent, mandavimus eisdem; et aliàs, prout in decretis desuper editis plenius continetur[1].

1 Ita Cherub.; male Main. h. *contrarium* (R.T.).

§ 2. Quare, inviolabili decretorum praedictorum observationi, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac merâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, decreta praedicta cum omnibus et singulis in eis contentis, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: omniaque et singula decreta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, observari omnino praecipimus, sub poenâ nullitatis quacumque informationum, processuum, ac interpretationis[1], aliter quam praeviâ suprascriptâ praecognitione instructorum, eorumque admissionis, publicationis aut interpretationis; itaut earumdem informationum receptiones, processuumve instructiones, necnon eorum admissiones, ac publicationes et interpretationes habeantur pro non receptis, non instructis, non admissis, non publicatis, non interpretatis, eorumque amplius ratio aliqua nullatenus alicubi umquam haberi debeat. Modo illa confirmat et declarat.

§ 3. Decernentes praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis seu eorum aliquo interesse habentes, seu quomodolibet habere praetendentes, ad praemissa vocati et auditi, minusque causae, propter quas eaedem praesentes emanarint, adductae, verificatae, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenus iustificatae fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali, sive Clausulas praeservativas addit.

1 Reliqua decreta haec in *Bull.* non sunt (R.T.).

etiam ex eo, quod in praemissis, seu eorum aliquo, solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite, a iure vel facto aut statuto vel consuetudine aliquâ resultante, seu etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore iuris clauso, seu occasione vel causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ huiusmodi et aliis superius expressis seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato vel concesso quempiam uti, seu se iuvare in iudicio vel extra posse; neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi; sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari;

Ita iudicari statuit.

§ 4. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et nuntios, et alios quavis auctoritate et potestate fungentes, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputat, ac mandat puniri transgressores.

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis, nec non dilectis filiis nostris et Apostolicae Sedis nuntiis, ac haereticae pravitatis inquisitoribus ubilibet existentibus, per apostolica scripta mandamus, ut, statim atque praesentes litterae ad eorum et cuiuslibet eorum notitiam pervenerint, in suâ quisque respective dioecesi vel provinciâ sedulo pervigilet, ne sine approbationibus praedictis imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, revelationes, ac beneficia praedicta publicentur, aliave contra superius disposita fiant; transgressores vero si regulares fuerint, privationis suorum officiorum, ac vocis activae et passivae, necnon suspensionis a divinis; si vero clerici seculares, privationis pariter suorum officiorum, suspensionis a divinis et ab administratione sacramentorum, exequutioneque suorum ordinum respective, aliisque arbitrio praedictorum Ordinariorum seu inquisitorum pro modo culpae infligendis poenis plectendo (qui autem libros impresserint, aut imagines pinxerint, sculpserint, seu quoquo modo affixerint vel formaverint, ceterique artifices circa praemissa qualitercumque delinquentes, praedicta omnia amittant et insuper pecuniariis, aliisque etiam corporalibus poenis iuxta criminis gravitatem, eorumdem Ordinariorum, seu inquisitorum arbitrio afficiantur); contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facta remedia, omni et quacumque appellatione, recursu et reclamatione remo-

tis, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Publicationem in Urbe omnes afficere decernit.

§ 7. Ut autem praesentes et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam deducantur, et ne aliquis de eis ignorantiam praetendere possit, volumus pariter et mandamus, quod eaedem praesentes per aliquem seu aliquos ex cursoribus nostris ad ecclesiae Lateranensis, et basilicae Principis Apostolorum de Urbe, necnon cancellariae apostolicae valvas, ac in acie Campi Florae affigantur et publicentur, et, cum inde amovebuntur, earumdem exempla in eisdem locis affixa dimittantur: quae sic publicatae et affixae, post duos menses a die publicationis computandos, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant et arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificatae fuissent.

Transumptis credi mandat.

§ 8. Quodque illarum transumptis impressis, sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v iulii MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 5 iulii 1634, pontif. anno XI.

Anno MDCXXXIV, *indictione secundâ pontificatus Sanctissimi D. N. D. Urbani divinâ providentiâ Papae VIII, die vero quintâ septembris, supradictae litterae sive decretum affixum et publicatum fuit ad valvas basilicarum S. Ioannis in Laterano, et Principis Apostolorum Urbis, ac in acie Campi Florae, ut moris est, per me Alexandrum Latinum, praelibati SS. D. N. Papae cursorem.*

Pro domino mag. curs.
DOMINICUS MANG. curs.

CDXCII.

Designatio conventuum pro novitiatibus laicorum seu conversorum Ordinis fratrum B. Mariae de Monte Carmelo.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Instantia procuratoris generalis Ordinis.

§ 1. Nuper pro parte dilecti filii procuratoris generalis Ordinis fratrum B. Mariae de Monte Carmelo nobis expositum fuit, quod a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus negotiis regularium praepositis emanavit decretum, per dilectum filium nostrum Martium S. Angeli in Foro Piscium diaconum cardinalem Ginettum nuncupatum, dicti Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo protectorem exponi demandatum, infrascripto sub tenore, videlicet:

Eminentissimi e reverendissimi signori.

Causae huius Constitutionis referuntur, et decretum desuper emanatum.

§ 2. Il procuratore generale de' Carmelitani espone all'Eminenze Vostre, come nella sua religione è stato sempre solito, che i frati conversi, *seu* laici, facessero l'anno del noviziato in qualsivoglia convento in virtù sì delle loro constituzioni, come anco per concessione della bona memoria di Clemente VIII. Ma perchè forse tale concessione sarebbe troppo ampla, supplica che almeno si dia facoltà al padre generale, che in ogni provincia

1 Fratres Carmelitae suam regulam susceperunt ab Alberto patriarcha Hierosolymitano, quam Honorius III approbavit in sua Const. LXXVIII, *Ut vivendi*, tom. III, pag. 415. Cappis albis uti iussit Bonifacius VIII in Const. VII, *Iustis*, tom. IV, pag. 133.

d'Italia ed isole adiacenti possa designare quattro o cinque conventi de' principali, dove, sotto la cura di persona idonea, detti conversi, *seu* laici, facciano l'anno del noviziato, quale finito, possano poi fare la loro professione solennemente, non ostante li decreti di Clemente VIII bona memoria, ed altri in contrario, che si riceverà a grazia singolarissima.

Decretum Congregationis episcoporum regularium.

§ 3. S. Congregatio cardinalium negotiis regularium praeposita censuit, committendum esse eminentissimo cardinali Ginetto, Ordinis huiusmodi apud hanc Sanctam Sedem protectori, prout praesentis decreti virtute committit, ut, pro suo arbitrio et prudentiâ, et prout magis in Domino expedire abitrabitur, conventus praedictos in singulis provinciis ad novitios laicos seu conversos recipiendos designet, contrariis quibuscumque non obstantibus; dummodo in reliquis novitii conversi ad habitum et professionem in ipsis conventibus ut supra designandis admittantur servatâ formâ decreti Sanctissimi Domini nostri super receptione et educatione novitiorum ultimo loco editi, necnon felicis recordationis Sixti V, ac aliarum constitutionum apostolicarum, et decretorum pariter similis memoriae Clementis VIII, institutionumque generalium super receptione et educatione novitiorum, eiusdem Clementis necnon sanctae memoriae Pauli V auctoritate editarum.

Romae, die 10 februarii 1634.

Designatio conventuum pro novitiatibus laicorum.

§ 4. Nos Martius S. Angeli in Foro Piscium sanctae Romanae Ecclesiae diaconus cardinalis Ginettus, totius Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo protector, vigore retroscripti decreti instituimus, deputamus et designamus in singulis provinciis Italiae et insularum adiacentium conventus infrascriptos, videlicet:

In provinciâ S. Alberti in Siciliâ, conventus Placiae, Melatii, Scicli, Syracusae et Mazzarini;

In provinciâ Romanâ, conventus Transpontinae, S. Martini in Montibus, Praeneste, Velitrarum et Roncilionis;

In provinciâ Lombardiae, conventus Mediolani, Cremonae, Novariae, Montis Calerii et Novarum;

In provinciâ Venetiarum, conventus Vicentiae, Roboreti et Dezensani;

In provinciâ Tusciae, conventus Pisarum, Prati, Monti Politiani et Emporii;

In provinciâ Romandiolae, conventus Anconae, Caesenae, Arimini et Senogalliae;

In provinciâ Neapolis, conventus Capuae, Nuceriae, Apuliae, Beneventi, Salerni et Aversae;

In provinciâ Apuliae, conventus Licii, Bitunti, Neriti, Baruli et Monopolis;

In provinciâ S. Angeli in Siciliâ, conventus Marsalae, Alcami, S. Nicolai de Bononia, Calatanixetae et Racalbuti;

In provinciâ Calabriae, conventus Cosentiae, Rhegii, Caroleorum et Catanzarii;

In provinciâ Aprutii, conventus Terami, Ortonae et Bilantis;

In Granciis, conventus Neapolis, conventus Summae, Surrenti et Concordiae:

In quibus possint recipi et admitti ad habitum, et, expleto probationis anno, ad professionem fratres conversi, seu laici, servatâ formâ decreti Sanctissimi Domini nostri super receptione et educatione novitiorum ultimo loco editi, necnon felicis recordationis Sixti V, ac aliarum constitutionum apostolicarum, et decretorum pariter similis memoriae Clementis VIII, institutionumque generalium super receptione et educatione novitiorum, eiusdem Clementis necnon sanctae memoriae Pauli V auctoritate editarum. Et ita observari mandamus, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, die 4 iulii 1634.

Confirmatio apostolica.

§ 5. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus procurator generalis decretum praeinsertum, conventuum-

que praedictorum ad effectum supradictum designationem huiusmodi, ab eodem Martio cardinale eiusdem decreti vigore factam, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desideret: nos, eumdem procuratorem generalem spiritualibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praedictum et illius vigore factam conventuum huiusmodi designationem praeinserta[1], apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 6. Decernentes illa necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac domorum, seu conventuum, et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Posset legi *praeinsertam*; at bene etiam legitur *praeinserta*, nam adiectivum afficit tum *decretum* tum *designationem* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII augusti MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 12 augusti 1634, pontif. anno XII.

CDXCIII.

Declaratio circa praecedentias inter fratres sancti Francisci de Observantia Reformatos[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter gravissimas multiplicesque apostolicae servitutis curas, in eam peculiari sollicitudine incumbimus, ut religiosi viri, qui, obliti populum suum et domum patris sui, divini numinis obsequiis se manciparunt, vota sua reddant Domino abundanter in spiritu humilitatis ac sanctitate et iustitiâ coram ipso.

Dispositio praecedentiarum.

§ 1. Hinc est quod nos, felici dilectorum filiorum fratrum Ordinis sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum statui, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, et ex certa scientiâ nostrâ, harum serie statuimus, atque praecipimus et mandamus, quod de cetero inter eosdem fratres Minores sancti Francisci de Observantia Reformatos nuncupatos nulli illorum ius praecedendi sive honoratioris loci competat, nisi ministro, commissario, vicario et procuratori generalibus, ministris provincialibus, commissariis et vicariis provincialibus, si fuerint ex Reformatis, custodibus reformationum, commissariis, visitatoribus, guardianis, praesidentibus, seu commissaris et vicariis localibus: qui tamen, expletis eorum officiis, ad locum et praecedentiam Ordinis redibunt, tam ii, qui iam habitum per dictos fratres Refor-

1 De his fratribus vide signata ad Const. CLXIII (*al.* 150, nam erronee edit. Main. citat Const. LIX) *Sacrosanctum*, tom. XIII, pag. 373.

matos gestari solitum susceperunt et de cetero suscipient, quam ii, qui se a fratribus de Observantia ad fratres Reformatos huiusmodi canonice transtulerunt et transferent: exceptis tamen iis, qui officio ministri generalis, seu commissarii generalis cismontanae familiae functi sunt, vel fungentur, qui post superiores actuales immediate locum habeant.

Clausulae praeservativae et decretum irritans.

§ 2. Decernentes praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere; irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII augusti MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 23 augusti 1634, pontif. anno XII.

CDXCIV.

Quod fratres Ordinis beatae Mariae de Carmelo in collegio S. Theresiae Salamantinae, absolutis per eos cursu, lecturis vel exercitiis litterarum a regularibus dicti Ordinis requisitis, in eodem sacrae theologiae lauream suscipere possint absque expensis.

Dilecto filio Theodoro Stratio, moderno et pro tempore existenti priori generali fratrum Ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva

Cum, sicut nuper exponi fecisti, tu, iuxta regularia tui Ordinis instituta apostolicâ auctoritate confirmata, Ordinis praedicti professores, qui eos cursus, lecturas vel exercitia litterarum peregerunt, quae secundum eorumdem regularium institutorum formam et tenorem requiruntur, eiusdem Ordinis magistros in sacrâ theologiâ creandi et instituendi facultatem habeas, dummodo tamen iidem professores magisterii sive doctoratus in eâdem sacrâ theologiâ lauream in aliquâ approbatâ studii generalis universitate suscipiant; quia vero in suscipiendâ magisterii sive doctoratus in universitate generali huiusmodi laureâ intolerabiles pecuniarum summae expendendae sunt, in magnum pauperrimae inter Mendicantes religionis detrimentum, et collegium sanctae Theresiae Salamantinae eiusdem Ordinis semper habuit, et imposterum habiturum speratur regentes et in eâdem sacrâ theologiâ magistros doctos et in litterarum exercitiis maxime versatos, nobis propterea

(quod[1] debitus virtutis honos eiusdem Ordinis provinciarum Hispaniae et Lusitaniae professoribus, qui in artibus et sacrae theologiae huiusmodi studiis cursum perfecerunt, et aliàs digni et idonei sunt, sublatis expensis huiusmodi, habeatur) humiliter supplicari fecisti, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Indulget prout in rubrica.

§ 1. Nos igitur, te ac provinciarum praedictarum tui Ordinis huiusmodi professores specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, teque et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, tibi omnibus et singulis dicti Ordinis et provinciarum praedictarum professoribus (quos, absolutis per eos cursu, lecturis vel exercitiis litterarum a regularibus dicti Ordinis institutis ut praefertur requisitis, et servatis aliàs servandis, in eâdem sacrâ theologiâ creaveris et institueris), quod illi in praedicto collegio sanctae Theresiae Salamantinae cum rigoroso examine et approbatione regentium et aliorum magistrorum eiusdem collegii, ac servatis aliis conditionibus iuxta regularia instituta huiusmodi necessariis a superioribus eiusdem collegii magisterii sive doctoratus in eâdem sacrâ theologiâ lauream suscipere libere et licite possint et valeant, auctoritate nostrâ concedendi et indulgendi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus et impertimur. Decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§ 2. Non obstantibus costitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis et provinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI augusti MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 26 augusti 1634, pontif. anno XII.

CDXCV.

Nuncio apostolico apud Wladislaum IV Poloniae regem facta potestas ecclesiasticis regni eiusdem permittendi, ut regi subsidium praestare queant[1].

Venerabili fratri Honorato archiepiscopo Larissensi, apud charissimum in Christo filium nostrum Wladislaum Poloniae et Sveciae regem illustrem nostro et Apostolicae Sedis nuncio,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Ecclesiasticis regni Poloniae aliquod regi subsidium praestare cupientibus.

§ 1. Cum, sicut accepimus, dilecti filii clerus regni Poloniae, provide considerantes regnum ipsum gravibus ad praesens

1 Nempe *ut*, sed syntaxis non absoluta (R.T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

necessitatibus urgeri, et imminentia illi pericula tam ecclesiasticis quam laicis communia, regni vero praedicti vires adeo exhaustas esse, ut laicorum facultates sufficienti subsidio, quo eisdem necessitatibus subveniatur, et periculis praedictis occurratur, comparando nequaquam suppetant, ideoque[1] pro publicae salutis patriaeque defensione aliquam pecuniae summam subsidii nomine charissimo in Christo filio nostro Wladislao Poloniae et Sveciae regi illustri, nostrâ et Sedis Apostolicae ad id accedente licentiâ et consensu, sponte conferri desiderent:

Facultatem ad id concedit Urbanus

§ 2. Nos, praedicti Wladislai regis et dicti Poloniae regni necessitatibus huiusmodi consulere, periculisque praedictis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere volentes, tibi, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus et aliis personis ecclesiasticis eiusdem regni, ut pro necessitatibus et periculis huiusmodi subsidium praedicto Wladislao regi, sponte tamen, pro unâ vice et summâ quae eis videbitur dumtaxat, ipsi autem Wladislao regi, eiusque ministris, quod subsidium huiusmodi petere et recipere absque conscientiae scrupulo, censurarum et poenarum ecclesiasticarum incursu, libere et licite possint, dummodo tamen subsidium huiusmodi in praedictos et non alios usus convertatur et erogetur, apostolicâ auctoritate indulgendi et licentiam concedendi, ipsosque archiepiscopos, episcopos, abbates et alias personas ecclesiasticas, earumque singulas, quatenus dictam pecuniae summam absque Sedis praedictae licentiâ promiserint, aut solverint, necnon eumdem Wladislaum regem et suos ministros praedictos, si illam similiter absque licentiâ praedictâ iam receperint, ab omnibus et singulis censuris et poenis propterea quomodolibet incursis eâdem auctoritate absolvendi facultatem et auctoritatem, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

1 Ad syntaxim absolvend. lege *ideo* (R. T.).

§ 3. Tibique, ut ad exequutionem praedicti subsidii per personas ecclesiasticas tantum et non aliàs procedere debeas, eâdem auctoritate committimus et mandamus; contradictores ac solvere recusantes, per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, eâdem auctoritate compescendo.

Immo recusantes vult compelli.

§ 4. Non obstantibus concilii Lateranensis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ac exemptionibus aut[1] immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, quibusvis generaliter vel specialiter concessis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentio seu quaevis alia expressio habenda sit, et in eis caveatur expresse, quod per huiusmodi clausulas generales, etiam mentionem specialem importantes, eis derogatum esse non censeatur, nec derogari videatur nisi certis modo et formâ in illis expressis plene observatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Obstantia tollit.

1 Particut. *aut* nos addimus (R. T.).

§ 5. Volumus autem, ut pauperes clerici, qui in redditibus non habent nisi victum necessarium, ad contribuendum minime compellantur.

Pauperes autem clericos excipit.

§ 4. Praeterea volumus, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, sigilloque personae in dignitate ecclesiasticâ consti-

Praesentium-que transumptis credi iubet.

tutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XIX octobris MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 19 octobris 1634, pontif. anno XII.

CDXCVI.

Praefixio et approbatio caeremonialis pro electione magni magistri hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani [1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Aliàs hic Pontifex nonnullà constituit circa electionem magni magistri huius militiae.

Militantis Ecclesiae regimini, non meritis nostris sed inscrutabili divinae voluntatis providentiâ vocati, et attentâ mentis acie considerantes, hospitale sancti Ioannis Hierosolymitani in insulâ Melitae, Doctoris Gentium miraculis celebratâ, firmissimum, tutissimumque reipublicae christianae adversus impii Turcarum tyrannii invasiones propugnaculum existere, eiusque fratres milites, tamquam veros Christi athletas, pro fidei catholicae defensione, nullis vitae periculis parcendo, iugiter laborare, dignum, quin potius debitum reputamus, ut ea, quae per nostras litteras, motu proprio expeditas, aliàs statuimus et ordinavimus pro felici, rectâque magni magistri dicti hospitalis electione, suum debitum sortiantur effectum.

Pro cuius facilliori exequutione edidit caeremoniale hic subsequens.

§ 1. Cumque, pro faciliori ipsarum litterarum nostrarum exequutione, proprium caeremoniale per nonnullos Romanae curiae praelatos, religionis zelo, prudentiâ, fide, doctrinâ, rerum gerendarum usu, aliisque egregiis virtutibus conspicuos, quibus negotium huiusmodi commiseramus, diligenti, ut res postulabat, adhibito examine, confectum, et a nobis approbatum fuerit; ut illud cum omnibus et singulis in eo contentis inviolabiliter perpetuo observetur ex nostro pastoralis officii debito providendum, ac nostrae apostolicae confirmationis patrocinio muniendum censuimus.

Tenor autem illius est:

De congregando capitulo.

Magno magistro vitâ functo, congregetur, quam primum fieri poterit, consilium status, sive completum, a quo, inter ceteros, praecipue infrascripti [1] fiant:

De locumtenentis electione et facultate.

I. Deputet sive eligat locumtenentem iuxta formam statutorum seu stabilimentorum dicti hospitalis apostolicâ auctoritate confirmatorum, qui, iuxta litterarum Sanctissimi Domini nostri Urbani Papae VIII desuper emanatarum huiusmodi dispositionem, ea dumtaxat exercere valebit quae ad meram iustitiam pertinent; non autem cum quovis fratre milite dicti hospitalis, seu aliâ quavis personâ ad habitum fratrum dicti hospitalis admitti petente, super cuiuscumque generis impedimento vel defectu, etiam in vim quorumcumque privilegiorum seu facultatum dictâ auctoritate concessorum seu confirmatorum dispensare, neque cum eodem consilio status et quovis praetextu alias gratias etiam facere, ut sunt habitum dicti hospitalis concedere aut exhibere vel similia, minusque litteras apostolicas magno magistro praedefuncto directas exequutioni demandare, aut alios quosvis actus gratiam concernentes facere, sub poenâ, in omnibus vel singulis casibus praedictis, privationis vocis activae eo ipso incurrendâ, et per consilium praedictum, excluso ipso locumtenente, declarandâ; et nihilominus omnia et singula per eum contra praesentium tenorem quomodolibet gesta, irrita et inania, nulliusque roboris et momenti exi-

1 Alias leges ediderat pro huiusmodi electione hic idem Pontifex Const. CCXCVI (*al.* 269) *In specula*, tom. XIII, pag. 672.

1 Videretur legendum *a quo, inter cetera, praecipue infrascripta fiant* (R. T.).

stant: sicque dispensati et alii quicumque exequutionis litterarum praedictarum necnon gratiarum eis sic, ut praefertur, a locumtenente huiusmodi factarum usu et effectu careant, sed in eodem statu in quo antea erant, non secus ac si cum eis super suis impedimentis vel defectibus dispensatum gratiaeque eis concessae ac litterae apostolicae huiusmodi exequutioni demandatae non fuissent, remaneant.

De exactorum electione et auctoritate.

II. Locumtenens et consilium praedicti tres eiusdem hospitalis ac unius seu diversarum linguarum fratres milites fide et facultatibus idoneos, prout sibi videbitur, deputent, ut in ipsorum sic deputatorum manibus pecuniae per communis aerarii debitores, durante sedis magistralis vacatione, realiter et cum effectu solvantur et numerentur: solventes vero solutionum huiusmodi quietantias ab ipsis deputatis reportent. Qui quidem deputati, statim sequutâ magni magistri electione, pecuniarum per eos receptarum et exactarum rationem reddere, pecuniasque ipsas magno magistro canonice electo, seu thesaurario vel aliis ministris, ad quos de iure et ex formâ statutorum seu stabilimentorum huiusmodi spectabit, consignare et restituere teneantur; aliter factae solutiones nullatenus solventibus suffragentur; quin adhuc communis aerarii, ad effectum non ferendi suffragium, debitores censeantur.

De vocalibus.

III. Curabunt iidem locumtenens et consilium status, ut a qualibet linguâ (seu aliàs, prout eis celeri expeditioni magis expedire videbitur) eorum fratrum, qui iuxta earumdem litterarum praedictarum formam suffragium laturi sunt, nota sive catalogus conficiatur, cum eorum nominibus, cognominibus, patriis et denominationibus, necnon tempore susceptionis habitus ac residentiae et caravannarum per eorum quemlibet factarum; quae quidem nota sive catalogus edicto per eosdem locumtenentem et consilium status promulgando inseratur; edictumque huiusmodi in locis publicis et consuetis, ad hoc, ut si quis se gravatum senserit, aut contra aliquem etiam alterius linguae excipere voluerit, infra terminum ab eisdem in dicto termino[1] praefigendum, in actis cancellarii seu vicecancellarii, aut cuiusvis altérius ad hoc deputandi, iura sua exhibere et deducere possit; quo termino elapso, et nihil opposito, opponere volentes postea amplius non audiantur. Praeterea, iuxta litterarum praedictarum dispositionem (etiam vigore cuiuscumque privilegii seu concessionis etiam specialis a Sede Apostolicâ obtentae, sive consuetudinis etiam immemorabilis, aut quovis alio praetextu), in electione magni magistri, aut in quovis alio actu illam concernente, votum vel suffragium nec ferre nec passive habere, nec in eâ quomodolibet se intromittere vel immiscere poterit ullus eiusdem hospitalis frater aut cappellanus vel serviens armorum, extra omnium linguarum sive totius hospitalis limites natus, cum quo super defectu limitum dispensatum fuerit; nullusque frater cappellanus actu sacerdos non existens; minusque ullus frater serviens, ex merâ gratiâ et non factis probationibus receptus. Qui omnes propterea, seu eorum aliqui, in catalogo sive notâ huiusmodi poni non debebunt, exceptis tamen episcopo Melevitano[2] et priore ecclesiae conventualis dicti hospitalis nunc et pro tempore existentibus, necnon quovis alio magnae crucis fratre, qui, licet extra limites recepti, voto sive suffragio activo et passivo gaudebunt respectu electionis viginti quatuor dumtaxat, nec in hac prohibitionis parte ullatenus comprehendi, sed eiusdem episcopi, necnon linguae germanicae iura, privilegia et praerogativae,

1 Videtur potius legendum *in dicto edicto* vel simpliciter *in edicto* (R. T.).

2 Potius lege *Melitensi* (R. T.).

si quae[2] aliàs illis competunt, praeservata censeantur.

De impotentibus ferre votum in scriptis.

IV. Iidem locumtenens et consilium, ad nominationem cuiuslibet eligentium, qui, ex aliquâ infirmitatis vel alterius iustae et rationabilis impotentiae causâ, nomina, cognomina et denominationes praedicta scribere non poterit, personas deputabunt quae eaedem nomina, cognomina et denominationes pro iisdem sic impeditis scribant.

De causarum expeditionibus.

V. Insuper locumtenens et consilium praedicti decidant et terminent summarie, sine strepitu et figurâ iudicii, etiam manu regiâ (iuxta tamen statuta, stabilimenta et consuetudines dicti hospitalis), omni et quacumque appellatione, restitutione in integrum, et aliis quibuscumque exequutionem retardare valentibus remotis, omnes causas supradictorum gravaminum et exceptionum, et quamlibet aliam controversiam, etiam vigintiquatuor et sexdecim electorum, quas sede magistrali vacante oriri contigerit, donec ad magni magistri consummatam electionem deventum fuerit.

De modo eligendi.

Conventus vero et omnes fratres die et horâ solitis in ecclesiâ conventuali S. Ioannis congregentur; et missâ celebratâ, hymnoque *Veni Creator Spiritus* decantato, singuli fratres, ius suffragii vigore litterarum apostolicarum praedictarum habentes, ad cappellam, unicuique linguae ad id in eâdem ecclesiâ destinatam seu destinandam, accedant; exceptis tamen fratribus illius linguae, ex qua dictus locumtenens extiterit, qui in corpore eiusdem ecclesiae conventualis remaneat. Ili non unum, ut antea consueverant, sed tres fratres milites ex unaquâque linguâ capaces, ac iuxta earumdem litterarum apostolicarum, necnon statutorum seu stabilimentorum praedictorum formam qualificatos, in electores eligant, ita ut imposterum non octo tantum fratres milites, qui in electores deputabantur, sed vigintiquatuor eligantur. Ipsaque trium fratrum cuiuslibet linguae electio per secretas schedulas modo et formâ sequentibus fiat; videlicet, quod omnes schedulae vel impressae vel unâ et eâdem manu tantum conscriptae sint, cum expressione nominum et cognominum seu denominationum eligentium et eligendorum, iuxta exemplum infrascriptum.

Exemplum schedulae electionis.

Ego frater
Eligo fratrem in unum ex XXIV.

Eaedem schedulae super mensâ in cappellis et ecclesiâ conventuali praedictâ respective poni, singulique eligentes soli seorsim et separatim, aliis inde remotis, ad ipsam mensam accedere, et in superiori schedulae parte nomen, cognomen seu denominationem propriam ipsiusmet eligentis, et in inferiori schedulae parte nomen, cognomen seu denominationem eligendi, propriâ manu scribere debeant; ita ut certa tam eligentis quam electi persona habeatur; alioquin suffragium sit nullum; exceptis tamen votis illorum, quorum nomina, cognomina et denominationes iidem locumtenens et consilium, ob causas super expressas, per aliam personam scribi posse concesserint. Caveant etiam diligenter, ne in qualibet schedulâ plures, quam unum, nominent, iuxta exemplum inferius positum.

Exemplum schedulae.

Ego fr. Sylvester Scotus
Eligo fr. Nicolaum La Marra in unum ex XXIV.

1 Aptius legeretur *si qua* (R. T).

De scrutinio.

Ad novum scrutinium toties deveniatur, donec tres supradicti votis sive suffragiis sufficientibus iuxta earumdem litterarum apostolicarum formam et tenorem electi sint.

De schedulae complicatione et sigillo.

Quilibet vero eligentium huiusmodi ad mensam praedictam accedens, nominibus seu cognominibus aut denominationibus praedictis in suâ schedulâ ut praemittitur conscriptis, primo illam in superiori parte complicabit, et communi suae linguae sigillo, in eâdem mensâ ad hunc effectum praeparando, ita claudat, ut eligentis nomen nunquam videri possit, nec ullo umquam tempore publicetur: secundo eamdem schedulam ita totam complicabit, ut tunc temporis a nemine legi valeat: tertio schedulam ipsam sic complicatam et sigillo clausam summis digitis elevans et circumstantibus palam et publice, ad hoc ut unicam esse omnibus pateat, commonstrans, altâ et intelligibili voce iurabit iuxta sequentem formam: *Ego N. iuro, me eligere illum, quem secundum Deum eligendum iudico:* quod quidem iuramentum in omnibus aliis electionibus in vim litterarum apostolicarum huiusmodi faciendis praestari et renovari debebit.

Formula iuramenti.

De iuramenti necessitate.

De positione schedularum in urnam.

Praestito huiusmodi iuramento, schedulam praedictam in urnam, seu vas ad hunc effectum in mensâ appositum, immittat.

De numeratione schedularum.

Quo facto, tres fratres milites antiquiores, et magis antiani, nullâ habitâ praeeminentiae consideratione, ultra alios actus, sibi uti scrutatori[1] competentes, palam et publice, omnibus eligentibus videntibus et audientibus, schedulas in urnam seu vas immissas numerent; et ubi pauciores seu plures schedulae numero eligentium repertae fuerint, illico et publice comburantur; et toties scrutinium renovetur, donec schedularum numerus eligentium numero coaequetur, illique respondeat.

De publicatione schedularum et electione XXIV militum.

Comperto autem numerum schedularum parem esse numero eligentium, scrutatores praedicti legant altâ voce et publicent schedulas in parte sigillo non clausâ, publicando propterea personam quae in eis eligitur: factâque publicatione huiusmodi, censeantur electi tres fratres milites praedicti pro qualibet linguâ, qui maiorem suffragiorum numerum respectu minoris habuerint, dummodo singuli quartam saltem suffragiorum partem assequantur. Quod si nemo, sive duo, aut unus dumtaxat ex tribus eligendis hanc quartam suffragiorum partem reportaverit, ad novum scrutinium toties pariter deveniatur quoad alios, qui quartam partem non reportaverint, donec trium numerus cum dictâ saltem quartâ parte compleatur. In eventum, in quem aliquis necessariis dumtaxat votis eligatur, idem electus propriam schedulam agnoscet, ad hoc, ut videatur, an detractâ ipsius electi schedulâ, sufficiens pro electione schedularum numerus fuerit, et an electus sibimet (quod non potest) suffragium tulerit: et renuente electo propriae schedulae agnitionem sive manifestationem, ille eâ vice pro non electo habeatur.

De electo ad conclave se transferendo.

Qui vero, ut praemittitur, electus fuerit, a suffragio sive voto ferendo pro aliis duobus arceatur; statimque, atque electus fuerit, ab ipsâ cappellâ recedat et ad locum conclavis opportunum se conferat.

De subrogando in casu electionis locumtenentis.

Quod si locumtenens in dictorum trium numerum eligatur, statim alius locumtenens deputetur, seu magis antianus ipsius consilii ibi existens, omissâ qualibet praeeminentiae consideratione, locumtenentis loco praesideat, prout consilio expedire videbitur.

De subrogandis pro Anglicana lingua.

Quia vero lingua Anglicana non habet fratres milites, cappellanos, nec fratres servientes; ideo, donec illud regnum ad

1 Videretur legendum *uti scrutatoribus* (R.T.).

gremium sanctae Romanae Ecclesiae redierit, unaquaeque aliarum septem linguarum successive alium fratrem militem e proprià linguà per schedulam, ut supra, eligat: et septem sic electis viginti et unus supradicti, praeviâ dicti iuramenti praestatione, per secreta pillularum suffragia, pro maiori eligentium numero respectu minoris, tres diversarum nationum, Gallicae videlicet, Italicae, Hispanicae et Germanicae, eligant cum ballotatione cuiuslibet ipsorum septem: qui tres ut praemittitur electi linguam Anglicanam repraesentent, illiusque vice et nomine in istà electione dumtaxat suffragium ferant.

De electis ad conclave se transferendis pro eligendo magno magistro.

Factâ, ut praemittitur, eorumdem electione, illi ad locum conclavis se conferant, in quo electio magni magistri necessario facienda erit et ad infrascriptos actus deveniant, videlicet:

De praesidente electionis.

I. Eligant, praeviâ dicti iuramenti praestatione, praesidentem electionis per pillulas secretas, iuxta antiquam dicti hospitalis consuetudinem hactenus ibi observatam: qui sic electus loco dicti locumtenentis, cum prohibitionibus supradictis gratias et alia supradicta faciendi, praesideat, et ea, quae praesidentes electionis de iure, privilegio, usu, vel consuetudine facere et gerere possunt seu debent, gerat et faciat.

De electione triumviratus.

II. Praeviâ similiter eiusdem iuramenti praestatione, procedant ad electionem triumviratus, nempe unius militis, unius cappellani, et unius armorum servientis fratrum, qui sint diversarum linguarum, iuxta formam scrutinii pillularum superius descripti, usque ad perfectam electionem huiusmodi.

De electione quarti.

III. Celebratâ electione praedictâ, ipsi tres sic electi ad quarti electionem, diversae tamen linguae a suâ, unanimes deveniant: et, si infra unius horae a primo momento clausurae conclavis computandae spatium concordes non fuerint, tunc et eo casu illorum singuli alium fratrem militem eorum cuilibet benevisum, qui non sit ex eorum linguis, nominent; nominationeque huiusmodi ad vigintiquatuor electores relatâ, ipsi se in sacristiam (eis loco conclavis in hoc casu dumtaxat assignatam) recipientes, praeviâ pariter dicti iuramenti praestatione, ad secretum scrutinium pillularum pro electione unius ex dictis tribus nominatis deveniant; ita ut quilibet horum trium ballottetur, et ille pro quarto electus sit et esse censeatur, qui maiorem suffragiorum numerum respectu minoris numeri reportabit, etiam si sit de corpore dictorum vigintiquatuor.

De electione quinti et sic successive usque ad sexdecim.

IV. Iste quartus sic electus ad conclave accedat, et cum aliis tribus ad quinti, quintus vero similiter electus cum aliis quatuor ad sexti electionem procedat per maiorem suffragiorum, seu pillularum numerum; sicque successive usque ad sextidecimi electionem, videlicet duorum ex unâquaque linguâ iuxta eorum praeeminentias et praerogativas hactenus observatas, quibus praeiudicium inferre non censetur, deveniatur.

De praeferendis in paritate suffragiorum.

Occurrente autem in omnibus electionibus praedictis suffragiorum paritate, aliis praeferatur electusque sit et esse censeatur magis antianus, et, in antianitatis aequalitate is qui diuturniorem in conventu residentiam fecerit, seu in servitio dicti hospitalis magis occupatus fuerit (propter quod servitium pro residente in conventu habeatur ad praedictum effectum), et, in residentiae paritate, is qui plures caravannas fecerit.

De electione magni magistri.

Completâ tamdem sexdecim praedictorum electione, ipsi sexdecim sic electi, odio, amore et aliis quibuscumque humanis affectibus posthabitis, solumque Deum, illiusque religionis decus ac propagationem prae oculis habentes, praeviâque etiam iuramenti supradicti praesta-

tione, ad electionem magni magistri, quem capacem, et pro tanti Ordinis dignitate et utilitate idoneum iudicaverint, sicut hactenus observatum fuit, deveniant. Omnibus autem innotescat, electionem nullam et irritam fore eo ipso, nec ullum effectum sortiri debere, si aliter celebrata fuerit, quam in conclavi, et praeviâ electione trium fratrum militum uniuscuiusque linguae non receptorum ex gratiâ limitum, modo et formâ praemissis, tam respectu scrutinii et suffragiorum, quam respectu linguae Anglicanae faciendâ; et non electo prius uno fratre milite, uno fratre cappellano, et alio fratre serviente armorum, ut supra qualificatis, qui usque ad electionem decimisexti, duorum videlicet pro qualibet linguâ, iuxta earumdem litterarum tenorem procedant; et a sexdecim electis huiusmodi; demumque de alio quam uno ex fratribus mititibus ex eâdem limitum gratiâ nequaquam receptis.

Hucusque tenor caeremonialis.

Caeremoniale hic relatum approbat Urbanus, et revocat quodcumque aliud caeremoniale, seu electionarium.

§ 2. Motu itaque proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, quodcumque electionarium, sive caeremoniale, vel rituale electionis seu electionum huiusmodi, a quocumque desuper hactenus factum, compositum sive publicatum, etiam typis impressum, in primis et ante omnia revocantes et annullantes, omnia et singula in praesenti caeremoniali ordinata et quomodolibet contenta, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque omnibus et singulis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Omnia in eo contenta inviolabiliter observari mandat.

§ 3. Eaque ab omnibus et singulis dicti hospitalis fratribus, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari praecipimus et mandamus.

Ita iudicari decerunt.

§ 4. Decernentes sic, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et nuntios, quavis auctoritate et potestate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria removet.

§ 5. Non obstantibus omnibus illis, quae in litteris nostris praedictis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XXI octobris MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 21 octobris 1634, pontif. anno XII.

CDXCVII.

Episcopis regni Poloniae facultas conceditur consuetum pro communione paschali tempus prorogandi[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Ob sacerdotum defectum plures duodecim dierum spatio communionem paschalem sumere non poterant.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt venerabiles fratres archiepiscopi et episcopi regni Poloniae, quod in eodem regno progressu temporis usus invaluit, ut quilibet, ad id tamen aptus et idoneus, singulis annis, ad minus duodecim dierum spatio, nempe a feriâ quintâ in Coenâ Domini usque ad diem dominicam in Albis inclusive, confessus ac sacrâ communione refectus esse debeat: cuius quidem temporis brevitas in causâ fuit, ut ob numerosum dicti regni populum, ac sacerdotum ibidem, partim contagio, partim vero aliis infirmitatibus defunctorum, de-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

fectum, multi praemissa spatio duodecim dierum huiusmodi peragere non potuerint. Quare dicti archiepiscopi et episcopi nobis humiliter supplicari fecerunt, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Urbanus huiusmodi tempus prorogari posse fiat.

§ 2. Nos igitur, christifidelium eiusdem regni animarum saluti, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem archiepiscopis et episcopis per praesentes committimus et mandamus, ut eorum arbitrio, attentâ sacerdotum penuriâ huiusmodi, christifidelibus utriusque sexus dicti regni, ad id tamen aptis et idoneis, tempus a dominicâ Passionis usque ad hebdomadam post dominicam in Albis immediate sequentem inclusive, quo durante peccata sua confessi ac sacrâ communione refecti esse debeant et teneantur, auctoritate nostrâ concedant et respective prorogent.

Derogat obstantibus.

§ 3. Non obstantibus praedictâ consuetudine, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XXVI octobris MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 26 octobris 1634, pontif. anno XII.

CDXCVIII.

Fratribus Discalceatis Reformatis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum Hispaniarum prohibetur, quominus de cetero recipiant personas seculares ad habitum donatorum; iis vero, qui nunc existunt in dictâ Congregatione sub nomine donatorum, habitum, nomenque laicorum concedi posse permittitur[1].

1 Iis fratribus transitum ad alios Ordines praeter Carthusianum prohibuit hic Pontifex in Constit. LXXVIII (*al.* 69) *Commissi*, tom. XIII, pag. 190; privilegia aliorum Ordinum communicavit in Constit. *Redemptoris*, supra pag. 387; et de ministri generalis vacatione quaedam sancivit in Constit. CDLXIX (*al.* 437) *Iniuncti*, supra pag. 353.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, in Congregatione fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum, praeter religiosos clericos orationi et contemplationi ac aliis ecclesiae ministeriis vacantes, ad chorumque deputatos, duo sint genera religiosorum, sub nomine videlicet laicorum et donatorum, pro eleemosynis ad sustentationem fratrum quaerendis et colligendis, necnon pro aliis servitiis domorum regularium obeundis, cum habitu regulari ad id eis exhibito iuxta dicti Ordinis statuta (sine tamen caputio quoad fratres donatos), qui omnes, legitimo probationis tempore decurso, tria vota substantialia, obedientiae scilicet, paupertatis et castitatis, in manibus superiorum dictae Congregationis sponte emittunt, perpetuoque religionis servitio famulantur; experientiâ vero dicta Congregatio repererit ad suum spiritualem profectum, necnon ad maiorem suae regularis observantiae conservationem, magnopere convenire, quod in dictâ congregatione totaliter extinguantur fratres qui donati appellantur, quandoquidem in proprià huius Congregationis regulâ, a felicis recordationis Innocentio Papa III praedecessore nostro confirmatâ et a nobis reformatâ, nulla fiat mentio de fratribus donatis, sed tantum de clericis et laicis:

Prohibitio, de qua in rubricâ.

§ 2. Idcirco, felici ac prospero dictae Congregationis statui, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum, sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, te-

nore praesentium, praecipimus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus in praedictâ Congregatione nullo modo aliquae personae, tam regulares quam seculares, ad habitum fratrum donatorum recipiantur, sub poenâ privationis officiorum et perpetuae inhabilitatis superioribus contrafacientibus; et quod in dictâ Congregatione tantum sint duo genera religiosorum, unum videlicet clericorum ecclesiae ministeriis vacantium, et alterum laicorum ad eleemosynas colligendas et ad alia monasteriorum servitia attendentium.

Facultas, quod definitorium Congregationis possit concedere fratribus donatis modo existentibus nomen et habitum laicorum.

§ 3. Praeterea definitorio generali dictae Congregationis concedimus, ut libere et licite possit dare fratribus donatis nunc in dictâ Congregatione degentibus, tam professis quam novitiis, nomen et habitum quem deferunt fratres qui appellantur laici, virtute et meritis uniuscuiusque consideratis.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus litteris piae memoriae Pauli Papae V praedecessoris nostri, sub die XXVII augusti MDCXI motu proprio emanatis, incipientibus *Circumspecta Sedis Apostolicae providentia*[3], ac dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX octobris MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 29 octobris 1634, pontif. anno XII.

1 Quas non puto esse in *Bullario* (R. T.).

CDXCIX.

Ne de cetero fratres Ordinis Praedicatorum in partibus Indiarum existentes extra conventum vivant seu maneant absque Sedis Apostolicae et superiorum eiusdem Ordinis licentiâ[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Iniunctum nobis desuper apostolicae servitutis officium postulat, ut, religiosorum quorumlibet felici prosperoque regimini atque statui iugiter consulentes, ea libenter statuamus, quae ad regularis disciplinae observantiam in dies magis promovendam pertinere dignoscuntur. Proemium

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius procurator generalis fratrum Ordinis Praedicatorum nobis nuper exponi fecit, indecens admodum esse videatur, ut eiusdem Ordinis fratres, praesertim in partibus Indiarum, extra domorum regularium claustra absque suorum superiorum licentiâ vivant; nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, dicti procuratoris generalis votis quantum cum Domino possumus annuere, illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati: Causae huius Constitutionis.

§ 2. Ne de cetero dicti Ordinis fratres Praecipit, prout in rubrica.

1 Istorum fratrum materiam habes signatam ad Const. II, *Religiosam*, Honorii III, tom. III, pag. 309. Fratres Praedicatores sunt vere et proprie Mendicantes, prout in Const. LXVI, *Romanus*, Pii V, tom. VII, pag. 614.

in partibus Indiarum existentes extra conventuum, domorum et aliorum dicti Ordinis locorum regularium claustra absque huius Sanctae Sedis et superiorum eiusdem Ordinis licentiâ vivant seu maneant, sub censuris ecclesiasticis, ac privationis vocis activae et passivae poenis, per eosdem fratres extra claustra huiusmodi manentes seu viventes ut praefertur eo ipso incurrendis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, prohibemus.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII novembris MDCXXXIV, pontificatus nostri anni XII.

Dat. die 8 novembris 1634, pontif. anno XII.

D.

Confirmatio decreti congregationis rituum circa processiones quae fiunt a regularibus et confraternitatibus extra proprias ecclesias[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Decretum congregationis rituum.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum abbatis maioris et universitatis parochorum civitatis Hispalensis nobis expositum fuit, quod a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sacris ritibus praepositis emanavit decretum, tenoris subsequentis, videlicet:

§ 2. Die XXVI februarii MDCXXVIII,

Quo methodus regularibus et confraternitatibus processiones faciendi praescribitur.

Hispalensis abbas maior et universitas parochorum civitatis Hispalensis, citatis prioribus Ordinum, supplicaverunt definire[1]: An regulares possint facere processiones extra claustra monasteriorum: Item: An, stante consuetudine aliquâ faciendi processiones extra claustra per vias publicas sine consensu parochi, talis consuetudo regularibus suffragetur et sit attendenda:

Et sacra rituum congregatio, ad tollendas difficultates quae quotidie oriuntur circa processiones faciendas tam per regulares quam per confraternitates in ecclesiis regularium, inhaerendo decretis aliàs in similibus factis, et signanter in Caesaraugustanâ XXVII martii MDCXVII, censuit in processionibus faciendis tam per regulares quam per confraternitates ita in posterum servari debere, ut in ecclesiis habentibus claustrum facere non possint processiones, nisi intra claustra tantum et non extra; in ecclesiis vero carentibus claustro, fieri possint intra ambitum, hoc est prope muros ecclesiae; extra vero ambitum ecclesiae non licere regularibus neque confraternitatibus facere processiones, nisi de licentiâ, consensu, aut cum cruce parochi, exceptis tamen illis ecclesiis, quae habent in hoc speciale privilegium faciendi processiones per alia loca, quibus per hoc decretum sacra congregatio non intendit praeiudicare. Datum XIX septembris MDCXXXIV.

Petitur pontificia confirmatio.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes decretum praeinsertum apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desiderent:

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Aptius legerem *definiri* (B. T.).

Confirmatur. § 4. Nos, dictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, alisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae. § 5. Decernentes illud necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio. § 5. Non obstantibus constitutionibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV novembris MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 15 novembris 1634, pontif. anno XII.

DI.

Clerici regulares Congregationis pauperum Matris Dei Scholarum Piarum non comprehenduntur in decretis circa regularium reformationem editis[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Romanum decet Pontificem, si qua[2] circa constitutionum seu decretorum apostolicorum intelligentiam dubia oriuntur, declarationis suae ministerio de medio removere. Exordium.

§ 1. Cum itaque, sicut pro parte dilectorum filiorum clericorum regularium Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nobis expositum fuit, a nonnullis in dubium revocetur, an dicti exponentes sub decretis de novitiis nonnisi in certis monasteriis et locis a Sede Apostolicâ designatis recipiendis per felicis recordationis Clementem Papam VIII[3] praedecessorem nostrum editis, et a nobis confirmatis, comprehendantur: Causae huius Constitutionis.

§ 2. Nos, omnem in praemissis dubitandi materiam de medio tollere, dictosque exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiastis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore Declaratio, da qua in rubrica.

1 Haec decreta primum edidit Clemens VIII ut in Const. CCLIII (*al.* 242) *Nullus*, tom. X, p. 662. Quae postea confirmavit Urbanus VIII, in Constit. LXXXVI (*al.* 77) *Sacra congregatio*, tom. XIII, pag. 202. Vide etiam Const. CCLXXXVII (*al.* 268) *Ad ea*, Pauli V, tom. XII, pag. 382. Et Const. XLII Greg. XV, *In supremo*, ibid. pag. 627. Scholas autem sub huiusmodi denominatione erigi vetuit idem Urban. VIII Const. CCCLXXIII (*al.* 343) sup. pag. 154.

2 Edit. Main. legit *si quae* (R. T.).

3 Erronee edit. Main. legit *Clementis Papae Octavi* (R. T.).

censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, dictos clericos regulares dictae Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum non comprehendi in decretis praefatis dicti Clementis praedecessoris per nos approbatis et innovatis, quemadmodum non comprehenduntur ceteri clerici regulares, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus;

Clausula sublatâ.

§ 3. Sicque observari, et per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Clausula derogatoria.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII novembris MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 17 novembris 1634, pontif. anno XII.

DII.

Quod in familiâ ultramontanâ sicut in cismontanâ Ordinis fratrum Minorum de Observantiâ duo fratres germani definitoriis interesse non possint [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Didacus de Zea, commissarius generalis curiae fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ, quod, iuxta regularia eorum instituta apostolicâ auctoritate confirmata, ut factionibus obvietur, et aliâs pro bono gubernio, definitoriis eorumdem fratrum Italiae, quibus quatuor dumtaxat definitores, custos et provincialis intersunt, duo interesse non possunt qui sint fratres germani. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in divini cultus et religionis augmentum maxime cessurum sit, si idem in eorumdem fratrum definitoriis regnorum Hispaniarum observeur, nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat, prout in rubrica.

§ 2. Nos igitur, dicti Didaci commissarii generalis votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod etiam eorumdem fratrum definitoriis regnorum Hispaniarum duo interesse non possint qui sint fratres germani, idque quemadmodum in definitoriis Italiae omnino observari debeat, sub indignationis nostrae et censuris ecclesiasticis, necnon privationis vocis activae et passivae poenis ipso facto per contrafacientes incurrendis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus ac praecipimus et mandamus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes nihilominus irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis,

1 De huiusmodi fratribus, lege, quae notavi ad Const. CXVIII (*al.* 107) *Sacrosanctum*, tom. XIII, pag. 289.

iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII novembris MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 23 novembris 1634, pontif. anno XII.

DIII.

Mandat nuncio Poloniae, ut moneat episcopos illius regni quatenus vocati veniant ad synodum provincialem et comitia regni[1].

Venerabili fratri Honorato archiepiscopo Larissensi, nostro et S. Sedis Apostolicae in regno Poloniae nuncio,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Mandatum de quo in rubrica.

De iuribus ecclesiarum quarumlibet, praesertim cathedralium et metropolitanarum, iuxta creditum nobis desuper apostolicae servitutis officium iugiter solliciti, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut regni Poloniae episcopos horteris, et auctoritate nostrâ moneas, quatenus ad synodum provincialem et ad comitia regni praedicti, quoties vocati fuerint, accedant, aliàs si vocati ad synodum et comitia huiusmodi non venerint, tunc, ne propter eorum absentiam iura ecclesiarum praedictarum aliquod detrimentum patiantur, liceat venerabili fratri archiepiscopo Gnesnensi metropolitano et primati dicti regni uti potestate super negligentibus sibi a concilio Tridentino et sacris canonibus traditâ.

Contraria tolluntur.

§ 2. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXIV novembris MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 24 novembris 1634, pontif. anno XII.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

DIV.

Super residentiâ episcoporum, archiepiscoporum, metropolitanorum et aliorum ecclesiis cathedralibus praefectorum, etiam S. R. E. cardinalium, cum praefixione termini ad proficiscendum ad suas residentias, et determinatione poenarum, ac prohibitione ab ipsis non discedendi absque Sedis Apolicae licentiâ ex quibusvis etiam urgentissimis causis.

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Concilium Tridentinum multa statuit circa residentiam episcopalem sess. VI, cap. I de Ref.

§ 1. Sancta synodus Tridentina sub recolendae memoriae Paulo Papa III praedecessore nostro, ad disciplinam ecclesiasticam restaurandam, provide statuit, ut omnes, quacumque dignitate, gradu et praeeminentiâ fulgentes, patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis et cathedralibus ecclesiis quibuscumque, quovis nomine, titulo, praefecti, apud eas personaliter residere deberent; aliàs, si per sex menses continuos abessent, amissionis quartae partis fructuum unius anni poenam ipso iure incurrerent; quod si per alios sex menses in absentiâ perseverarent, tunc aliam quartam partem fructuum huiusmodi eo ipso amitterent; crescente vero contumaciâ, Romanus Pontifex supremâ eius auctoritate in ipsos absentes animadvertere, et ecclesiis ipsis de pastoribus utilioribus providere posset.

1 Praeter loca Concilii Tridentini indicata in apostillis huius Const. § 1 et 2, vide Const. XII, *De salute*, Pii IV, tom. VII, pag. 55. Ac eiusdem Const. CV (in h. n. ed. CVIII) *In suprema*, ibid. pag. 332.

Et sess. XXIII, c. I, et sess. XXIV, cap. XII, *De Ref.* sub Pio IV, qui etiam addidit Constitutionem hic indicatam.

§ 2. Deinde sub felicis recordationis Pio IV etiam praedecessore nostro eadem synodus declaravit, omnes eisdem patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis et cathedralibus ecclesiis praefectos, etiam si S. R. E. cardinales forent, obligari ad personalem residentiam in suâ ecclesiâ vel dioecesi faciendam; nec abesse posse, nisi ob legitimas causas, in scriptis approbandas. Et in eorumdem concilii decretorum exequutionem idem Pius IV praedecessor per suas sub plumbo sub datum VII kalendas decembris MDLXIV expeditas litteras[1] monuit eosdem praefatis ecclesiis praefectos, in virtute sanctae obedientiae, ac, ultra poenas in eodem concilio contentas, sub privationis eorum a regimine et administratione ipsarum ecclesiarum ac amissionis facultatum testandi et disponendi aliisque poenis suo et Romani Pontificis arbitrio imponendis, mandavit eisdem, ut in ecclesiis praefatis omnino personaliter residere deberent. Denique, certior factus quod multi eorumdem praefectorum erant inobedientes, motu suo proprio commisit camerae apostolicae auditori generali, ut contra illos usque ad sententiam procederet, et sibi deinde referret, ad effectum in eos privationis et depositionis sententiam in suo consistorio secreto pronuntiandi.

Et successive Gregorius XIII declaravit etiam afficere S. R. E. cardinales.

§ 3. Successive alii etiam Romani Pontifices contra non residentes diversa edicta publicari fecerunt; ac piae memoriae Gregorius XIII etiam praedecessor noster per suum decretum consistoriale[2] declaravit, decreta eiusdem concilii de personali residentiâ in ecclesiis praedictis faciendâ etiam in S. R. E. cardinalibus locum habere, quocumque titulo illis praeessent, ita ut a reatu et poenis in dicto concilio statutis non excusarentur, nisi absentiae causa in scriptis approbata fuerit; scientiaque vel tolerantia[1] non excusarel eosdem cardinales nec alios episcopos.

Clemens VIII poenas inhabilitatis ad maiores dignitates addidit.

§ 4. Similis quoque memoriae Clemens Papa VIII etiam praedecessor noster per simile consistoriale decretum[2] pro observantiâ residentiae personalis ab eodem concilio ordinatae addidit poenam inhabilitatis ad maiores dignitates et ecclesias obtinendas, prout in praefatis conciliis[3] ac litteris apostolicis, consistorialibusque decretis latius continetur.

Hic Pontifex edicta publicari unà cum poenis iussit contra non residentes, et eos monuit ut ad residentiam pergerent.

§ 5. Cumque etiam nos edicta contra non residentes saepius publicari fecerimus, et tamen praeteritis mensibus aliqui, etiam S. R. E. cardinales, metropolitanis seu cathedralibus ecclesiis ex concessione apostolicâ praefecti, suae obligationis ad personalem residentiam in eis faciendam immemores, in grave animarum suarum detrimentum ac ovium sibi creditarum praeiudicium, ab eisdem ecclesiis abesse continuarent (etiam sub praetextu suorum titulorum cardinalatus, praesertim episcopalium prope Urbem seu in Urbis districtu respective consistentium, et quod in eâdem Urbe in conspectu et praesentiâ nostrâ moram traherent), nos, pro nostro pastorali debito, nedum animarum praefatarum, sed etiam ecclesiarum indemnitati providere volentes, in consistorio nostro secreto declaravimus, eosdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, qui illis ecclesiis metropolitanis et cathedralibus praeerant, et apud eas non resederant nec residebant, non fecisse nec facere illarum fructus suos, etiam sub praetextu, quod alicui ex dictis ecclesiis episcopalibus, quibus cardinales in ordine priores esse[4] solent, praesideant, et ibi vel in Urbe commorentur, aut cuiusvis tolerantiae vel facultatis, praeterquam per Breve spe-

1 Vide loc. cit. tom. VII, pag. 332 (R. T.).
2 Quod non puto esse in *Bullario* (R. T.).

1 Subintellige *Romani Pontificis* (R. T.).
2 Istud quoque deest (R. T.).
3 Leg. *concilio* vel *concilii decretis* (R. T.).
4 Forsan legendum *praeesse* (R. T.).

ciale nostrum, vel Romani Pontificis pro tempore existentis, sibi concessae: ideoque eosdem cardinales monuimus pro primâ vice, ut ad residentiam huiusmodi statim se conferrent, sub amissionis fructuum eo ipso incurrendâ et aliis canonicis poenis, animo etiam procedendi ad ulteriora, si non paruissent, et prout in decreto nostro consistoriali plenius habetur[1].

Tamen quia omnes non obedierunt Concilio Tridentino et constitutionibus apostolicis contra ipsos editis, ea approbat et confirmat, ac adversus praetensum non usum innovat et restituit.

§ 6. Quia vero ab inde citra non omnes, prout tenebantur, paruerunt, sed aliqui adhuc contumaces existunt; nos, ut omnino debitum suum agnoscant, et animabus subiectis, quantum nobis ex alto conceditur, magis consultum sit, ulterius providere volentes, Concilii Tridentini decretis et litteris apostolicis, motuique proprio ac consistorialibus decretis praefatis inhaerentes, illorumque tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plene insertis et expressis habentes, motu simili et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praefata concilii decreta, litterasque apostolicas, ac primodictum motumproprium, decretaque consistorialia praefata, et in eis contenta quaecumque, hac nostrâ constitutione perpetuâ confirmamus et approbamus, et, quatenus foret opus, adversus quemcumque praetensum non usum vel contrarium usum innovamus et plenissime restituimus.

Ac praecipit singulis episcopis etiam S. R. E. cardinalibus sub gravissimis poenis, ut se conferant infra tempus hic assignatum ad residentiam.

§ 7. Insuperque omnes et singulos ecclesiis patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis, archiepiscopalibus et episcopalibus quocumque nomine seu titulo praefectos, etiam S. R. E. cardinales, a praefatis suis ecclesiis absentes, in virtute sanctae obedientiae (ac sub interdicti ingressus ecclesiae, amissionisque tam fructuum earumdem ecclesiarum pro tempore, quo absentia duraverit, quam facultatum testandi et disponendi de bonis suis a Sede Apostolicâ sibi aliàs concessarum, eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis, necnon privationis a regimine et administratione suarum ecclesiarum huiusmodi, aliisque poenis, nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio infligendis), districte praecipiendo monemus, ut omnibus postpositis, quantocitius, in Romanâ curiâ videlicet moram trahentes, intra unum, extra eum vero in Italiâ intra duos, extra vero Italiam existentes, intra quatuor menses, a die publicationis praesentium in locis infrascriptis faciendae computandos, quos pro tribus canonicis monitionibus peremptoriisque dilationibus et terminis respective eis assignamus et assignatos esse volumus, se itineri committere, et legitimis itineribus ad ecclesias seu dioeceses suas proficisci, et se personaliter conferre, ac ibidem, ut tenentur, residere debeant.

A qua non discedant, nisi de licentia Sedis Apostolicae.

§ 8. Eisdemque praefectis, postquam personaliter ad residendum se contulerint, necnon quibuscumque aliis, apud suas ecclesias quandocumque personaliter residentibus, sub eisdem poenis etiam eo ipso respective incurrendis, iniungimus, ne ab eorum ecclesiis discedant, nisi prius obtentâ nostrâ et Romani Pontificis pro tempore existentis per Breve seu litteras missivas licentiâ.

Diem servandum a promovendis ex nunc declarat.

§ 9. Illos etiam, qui imposterum per nos seu Romanos Pontifices successores nostros alicui praefatarum ecclesiarum patriarchalium, primatialium, metropolitanarum, archiepiscopalium et episcopalium quovis nomine vel titulo praefecti fuerint, etiam si S. R. E. cardinales quandocumque fuerint vel sint[1], sub eisdem poenis, etiam eo ipso respective incurrendis, debeant, et quilibet ipsorum debeat, infra praefatum tempus, a die eorum promotionis ad aliquam ecclesiarum praefatarum inchoandum, quod eis pro tribus

1 Istud quoque desideratur (R. T.).

1 Heic addenda videtur partic. *ut* (R. T.).

monitionibus et dilationibus ut praefertur ex nunc assignamus, pariter se itineri committere, et ad ecclesias sive dioeceses sibi commissas ad personaliter in eis residendum conferre; et respective, postquam residere inceperint, ab illis non discedere, nisi obtentâ prius a nobis et Romano Pontifice pro tempore existente licentiâ praefatâ.

Quodque non possint se excusare ex quarumque causa hic descripta, excipiendo nonnullos casus.

§ 10. A quarum poenarum incursu nolumus posse aliquem se excusare praetextu et ratione cuiuscumque servitii quomodolibet praestiti et praestandi pro gerendis et tractandis negotiis quorumcumque principum, etiam imperatoris, et regum aut rerumpublicarum, regnorum ac provinciarum; nec ratione cuiuslibet iussionis vel mandati eorum vel earum quandocumque facti vel faciendi; nec etiam ratione prosequutionis seu defensionis quarumcumque litium seu controversiarum, etiam ecclesiasticarum; vel ineundi foederis, aut cuiuscumque alterius negotii, etiam gravissimi et speciali mentione digni, tractandi, vel distantiae locorum, aut brevitatis temporis (ob quam non videatur expectanda Sedis Apostolicae licentia praefata, antequam a suis ecclesiis et dioecesibus discedant), aut ratione cuiuscumque alterius causae vel occasionis, etiam publicae, vel aliàs favorabilis et aeque piae, etiam cuiuslibet utilitatis sive necessitatis ecclesiarum et personarum (praeterquam personalis interessentiae in synodis provincialibus vel congregationibus seu assembleis generalibus, in quibus ecclesiastici intervenire solent, vel ratione muneris aut reipublicae officii episcopatibus vel ecclesiis maioribus praefatis adiuncti, cuius ratione ad certum tempus occupari solent, et tunc pro tempore quo illae synodus, congregationes et assembleae, exercitiumque muneris seu officii publici ipsis ecclesiis adiuncti, actu[1] duraverint; quibus finitis, recto tramite ad ecclesias praefatas sibi commissas se conferre debeant). Nec etiam a praedictâ residentiâ et poenarum praefatarum incursu volumus excusari S. R. E. cardinales nunc et pro tempore existentes alicui praefatarum ecclesiarum praefectos seu praeficiendos, etiamsi tamquam in ordine priores aliquem ex dictis titulis episcopalibus prope Urbem vel in eius districtu consistentibus obtineant et imposterum obtinuerint, et in praedictis episcopatibus titularibus Urbi proximis resederint, vel in Romanâ curiâ in suis titulis respective, etiam nobis ac Romanis Pontificibus successoribus nostris scientibus, videntibus et quomodolibet tolerantibus moram traxerint, ita ut nullâ nostrâ ac Romanorum Pontificum successorum nostrorum conniventiâ, taciturnitate, et ad quarumcumque functionum et actuum pontificalium etiam publicorum et solemnium celebrationem[1] receptione et admissione unquam tueri se possint.

1 Male edit. Main. legit *actus* (R. T.).

Exequutores deputat contra transgressores cum facultate procedendi usque ad sententiam exclusive.

§ 11. Et pro praemissorum et infrascriptorum inviolabili observatione committimus et mandamus dilecto filio camerae apostolicae generali auditori nunc et pro tempore existenti, quatenus contra omnes et singulos praedictos, tam in Urbe quam alibi commorantes, et in suis ecclesiis seu dioecesibus non residentes, per affixionem ad valvas basilicae S. Petri, ac in acie Campi Florae, et, quoad praesentes in Romanâ Curiâ, ad abundantiorem cautelam, etiam domi dimissâ copiâ, procedat; et, constito sibi, quantum sufficere videbitur, summarie, simpliciter et de plano, solâ veritate inspectâ, et manu regiâ, de contraventione et inobedientiâ praefatis, usque ad sententiam exclusive procedat; et deinde nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti referat, ut nos ac Romanus Pontifex pro tempore existens in consistorio ad sententiam decla-

1 Coniunctione *et* delemus ex Cherub. (R. T.).

rationis incursus poenarum, ac respective privationis seu depositionis aliarumque punitionum praefatorum inobedientium valeamus, et ipse Pontifex Romanus pro tempore existens valeat procedere.

Tempus statuit episcopis ultramontanis pro visitatione limina Apostolorum.

§ 12. Volumus tamen episcopos, archiepiscopos, metropolitanos, primates et patriarchas, etiam S. R. E. cardinales, citra montes vel mare existentes, per quatuor, alios vero ultra montes vel mare degentes, per septem menses continuos a residentiâ in praefatis ecclesiis faciendâ ad effectum visitandi limina Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli iuxta sacros canones ac apostolicas constitutiones pro qualibet visitatione excusari; ita tamen, ut tunc, illis durantibus, visitationis huiusmodi munus explere teneantur, nec ac alios actus se divertant.

Ac cardinalibus in vacatione Sedis Apostolicae.

§ 13. Cardinalibus vero nunc et pro tempore existentibus, qui in casu vacationis Sedis Apostolicae ad electionem Romani Pontificis faciendam accedere solent ad locum conclavis ad hoc designati, concedimus licentiam discedendi ab ecclesiis praefatis sibi commissis, habitâ tamen prius certâ notitiâ vacationis ipsius Sedis Apostolicae, et extra residentiam, in loco in quo electionem huiusmodi celebrari continget, commorandi et permanendi usque ad peractam electionem, ac etiam postea per duos menses, postquam Romanus Pontifex coronationis suae insignia susceperit: quo tempore elapso, praefati cardinales, nisi illico, ut praefertur, ad ecclesias praefatas, quibus praesidere eos contigerit, se contulerint, subiaceant poenis supradictis.

Clausulas huius constitutionis praeservativas addit.

§ 14. Praesentes quoque litteras, omniaque et singula in eis contenta, de subreptionis, obreptionis ac cuiuscumque nullitatis aut invaliditatis vitio, intentionisque nostrae ac quocumque alio defectu, quantumlibet substantiali (etiam ex eo quod in praemissis quomodolibet interesse habentes vel praetendentes, et praesertim iidem ecclesiis praedictis nunc et pro tempore praefecti, etiam eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, praemissis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, solemnitatesque et quaevis alia servanda et adimplenda nullatenus servata et adimpleta, et causae, propter quas praesentes emanaverint, adductae, verificatae, seu aliàs sufficienter aut etiam in aliquo iustificatae non fuerint), ac quocumque alio colore, praetextu, occasione, et causâ, etiam in corpore iuris clausis, et aliâ quacumque[1] quantumvis rationabili, iustâ et privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, a quoquam notari, impugnari, retractari, in ius, vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci non posse, nec sub quibuslibet similium vel dissimilium constitutionum sive dispositionum, etiam motu, scientiâ, et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, aut aliàs quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores et successores nostros, ac etiam per nos, factarum et faciendarum, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, pro tempore quomodolibet factis, comprehendi, sed semper ab illis excepta, perpetuoque valida, firmaque et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari;

Contra quam iudicari prohibet.

§ 15. Sicque, et non aliter, in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, nuntios et praedictae S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, ac quoscumque

1 Heic videretur legend. *ratione*, aut simile (R. T.).

alios quavis auctoritate et potestate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, declarandi, interpretandi et definiendi facultate, ubique iudicari, interpretari, declarari et definiri debere (ita ut, si umquam aliquod dubium seu haesitatio super praemissis, seu eorum aliquo, oriri vel suscitari contingat, nullus, praeter nos ac Romanos Pontifices successores nostros, possit praesentes litteras quovis modo interpretari et declarare), ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contraria removet.

§ 16. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis universalibus, generalibus, provincialibus et synodalibus editis et edendis, ac cancellariae apostolicae regulis, etiam primae et cuiuslibet secundae editionis, et, quatenus foret opus, de non tollendo iure quaesito, statutis quoque, etiam iuratis, et consuetudinibus, etiam diuturnis et immemorabilibus ecclesiarum praefatarum et cuiuslibet earum, et licentiis aliàs, ut praefertur, impetratis, ac privilegiis et indultis, etiam apostolicis, eisdem ecclesiis earumque praesulibus quomodolibet et ex quacumque causâ, hîc forsan de necessitate exprimendâ, concessis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, ac aliàs quomodolibet emanatis, ac quocumque iuramento per eosdem ecclesiis huiusmodi praefectos sub quovis praetextu vel causâ praestito et praestando (quod fuisse et fore nullum ac irritum, et minime obstare, neminique suffragari, quominus ab integrâ observatione praesentium in aliquo excusari possit, declaramus, et, quatenus opus sit, decernimus), necnon omnibus et singulis, quae praedecessores nostri praefati in suis litteris et decretis praefatis voluerunt non obstare; quibus omnibus et singulis, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, ad effectum praesentium, plenissime specialiterque et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Praefecti pluribus ecclesiis quomodo residere debeant, declarat.

§ 17. Volumus etiam, quod ii, qui duabus vel pluribus ecclesiis praefatis ex earum unione, vel aliàs ex concessione, seu dispensatione apostolicâ, quocumque nomine vel titulo praefecti sunt, vel pro tempore erunt, a residentiâ et poenis huiusmodi excusentur, dummodo in earum alterâ, in qua de iure residere debent, vere et personaliter resideant; exceptis tamen, ut praefertur, ecclesiis episcopalibus Urbi proximis, quibus cardinales in ordine priores praeesse solent: residentia enim, si qua[1] apud praefatas ecclesias titulorum cardinalium fieret, aliquam excusationem eisdem cardinalibus, ut praefertur, non praestaret, quominus ipsi in aliâ vel aliis ecclesiis praefatis, quibus eos etiam pro tempore praefici contigerit, residere omnino teneantur;

Publicationem in Urbe omnes afficere decernit.

§ 18. Quodque, ut praesentes et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam amplius deducantur, et ne aliquis de eis ignorantiam praetendere possit, eaedem praesentes per aliquem seu aliquos ex cursoribus nostris, ut praefertur, in valvis basilicarum[2] S. Petri ac acie Campi Florae affigantur et publicentur: quae sic affixae et publicatae omnes et singulos, quos concernunt, afficiant et arctent, ut praemittitur, perinde ac si unicuique eorum personaliter intimatae et notificatae fuissent.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII decembris MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 12 decembris 1634, pontif. anno XII.

1 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).
2 Vel legend. *basilicae*, vel aliquid deest (R.T).

DV.

Archiepiscopo Thessalonicensi committitur, ut deputet visitatorem in locis patriarchatus Aquileiensis Romano imperatori in temporalibus subiectis[1].

Vener. fratri archiepiscopo Thessalonicensi, Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Causae faciendae commissionis.

Cum, sicut accepimus, patriarchatus Aquileiensis civitatem et multa oppida, terras et loca sibi in spiritualibus subiecta comprehendat, quorum aliqua charissimo in Christo filio nostro Ferdinando Romanorum regi in imperatorem electo, aliqua vero dilectis filiis nobilibus viris duci et reipublicae Venetiarum in temporalibus subdita sunt, a multis autem annis ea, quae in Ferdinandi Romanorum regis in imperatorem electi supradicti ditione temporali existunt, ab ecclesiae Aquileiensis praesule visitata non fuerint, et venerabilis frater modernus patriarcha Aquileiensis certis ex causis nobis notis ea hactenus minime visitaverit:

Commissio, de qua in rubricâ.

§ 2. Nos, ne ecclesiae aliaque loca pia in praedictis locis existentia, eorumque habitatores et incolae, aliqua in spiritualibus et temporalibus detrimenta patiantur, ex debito nostri pastoralis officii providere volentes, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut venerabilem fratrem episcopum Seccoviensem in omnium et singulorum locorum praedictorum dicto Ferdinando regi in imperatorem electo in temporalibus subiectorum visitatorem auctoritate nostrâ deputes, ad effectum, ut, tamquam visitator apostolicus, easdem ecclesias, personas et loca praedicta visitet, et quo ad ea quae disciplinam ecclesiasticam concernunt et reformatione indigent, corrigat et reformet. Nos enim eidem per te deputando omnem iurisdictionem et potestatem necessariam et opportunam ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, et sine praeiudicio quorumcumque iurium ambarum partium, scilicet tam Ferdinandi regis in imperatorem electi quam reipublicae praedictorum, concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII ianuarii MDCXXXV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 12 ianuarii 1635, pontif. anno XII.

DVI.

Quod fratres Ordinis Praedicatorum professi in conventibus pro novitiatibus non designatis simpliciter emittant novam professionem sine novâ fratrum vocalium acceptatione[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Novitii in quibus locis sint recipiendi designavit Clemens VIII in Const. CCLXXIX (*al.* 268) *Regularis*, tom. X, pag. 709. Novitii fratrum Ordinis Praedicatorum in articulo mortis in manibus praelatorum ante tempus regulam profiteri possunt, ut in Const. CLXXI (*al.* 152) Pii V, *Summi*, tom. VII, pag. 849.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Quamplures regulares probationis annum in conventibus ad hoc designatis non faciebant.

§ 1. Aliàs per nos accepto, quod quamplures Ordinum, congregationum et institutorum regularium professores, ad habitum regularem recepti, probationis annum in monasteriis seu domibus regularibus ad id designatis vel ab Apostolicâ Sede approbatis minime fecerant, proindeque iuxta Constitutionem felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri desuper editam professio per eos subinde emissa invalida existebat:

Urbanus facultatem concessit Ordinariis locorum eos iterum ad professionem admittendi.

§ 2. Nos, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, bonae memoriae Scipioni episcopo Sabinensi cardinali Burghesio nuncupato maiori poenitentiario, vel venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ceterisque Ordinariis locorum, in quibus eorumdem religiosorum monasteria, domus, seu conventus, aliaque regularia loca consistebant, sive ipsorum religiosorum praefectis vel superioribus generalibus per nostras in simili formâ Brevis sub die II aprilis MDCXXXI expeditas litteras commisimus et mandavimus, quatenus omnes et singulos religiosos praedictos, qui ad habitum regularem aliàs canonice recepti annum probationis in monasteriis seu domibus regularibus ad id designatis minime fecerant, subindeque professionem nihilominus emiserant, ad professionem denuo servatis aliàs servandis emittendam, quae sic emissa illis et eorum cuilibet tam in foro interiori quam exteriori suffragari deberet, absque novo probationis anno, ex speciali huius Sanctae Sedis benignitate, auctoritate nostrâ apostolicâ reciperent et admitterent, eosdemque, postquam professionem denuo, ut praefertur, emisissent, ad omnes gradus, honores, dignitates, praeeminentias, atque habilitates, quas, si ab initio valide professi essent, legitime obtinerent, eâdem auctoritate restituerent, ac restitutos eo ipso esse et censeri declararent, ita ut haberent eumdem locum, sessionem et votum, prout haberent, si priores professiones validae fuissent, et nondum promoti ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, servatis aliàs servandis, promoveri, et tam ipsi quam alii ad eosdem ordines iam rite promoti in susceptis ordinibus huiusmodi, etiam in altaris ministerio, ministrare libere et licite valerent; necnon omnes actus sive contractus, quos contraxerant et legitime contraxissent, vel cum laicis, vel cum aliis monasteriis, seu alterius religionis viris, si nullum aliud paterentur vitium vel defectum nisi ex eo solum quia initi aut contracti erant invalide ab iis qui contra dictam Constitutionem in domibus non designatis sive ab eâdem Sede non approbatis professi erant, auctoritate nostrâ praedictâ confirmarent et approbarent, ac validos omnino declararent: super quibus omnibus et singulis plenam et amplam facultatem dictâ auctoritate tribuimus, et impartiti sumus, et aliàs, prout in dictis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[1].

Nunc declarat opus non esse pro fratribus Ordinis Praedicatoris novâ acceptatione vocalium.

§ 3. Cum autem, sicut dilectus filius procurator generalis fratrum Ordinis Praedicatorum nobis nuper exponi fecit, in nonnullis dicti Ordinis provinciis novae oriantur difficultates, quae conscientias multorum solicitas habent; nobis propterea humiliter supplicari fecit dictus procurator generalis, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, omnem in praemissis ambigendi seu haesitandi materiam e medio tollere, dictorumque fratrum quieti, quantum cum Domino possumus, consulere, ac procuratorem generalem praedictum specialibus favori-

1 Quas vide supra pag. 215 huius tomi (R. T.).

bus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, statuimus atque ordinamus, quod, in ratificationibus sive novis professionibus faciendis in manibus praelati, nova fratrum vocalium acceptatio nullatenus requiratur, sed statim professus intelligatur et filius eius conventus in quo professionem fecerat, supplendo cum simplici ratificatione, seu novâ professione, qualecumque requisitum, quod de iure requireretur, seu de facto occurreret, cum retentione eorum graduum, officiorum, bonorum, dignitatum vel praeeminentiarum, quibus ad praesens gaudent, ita tamen, ut, qui de facto habitum regularem dimiserint, recipiantur salvâ ordinis disciplinâ.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac omnibus et singulis, quos illae concernunt, plenissime suffragari, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac omnibus illis quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX ianuarii MDCXXXV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 30 ianuarii 1635, pontif. anno XII.

DVII.

Confirmatio litterarum Pauli III, Iulii III, Pauli IV, Pii IV et Pii V, Gregorii XIII, Sixti V et Clementis VIII, quibus familiae de Flisco marchionatus Masserani, necnon loca Crepacorii, Quirini, Flecchiae et Rino in feudum perpetuum masculinum conceduntur, cum onere censum annuum camerae apostolicae persolvendi[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Constantis et eximiae devotionis affectus, quo nos et Romanam dilectus filius nobilis vir Paulus Bessus Ferrerius Fliscus, modernus princeps Masserani et comes Crepacorii Vercellensis dioecesis, reveretur Ecclesiam, promeretur, ut his, quae pro eius utilitate, commodo et tranquillitate concessa fuerunt, quo firmius persistant, apostolici muniminis praesidium impartiamur.

Paulus III marchionatum Masserani et feuda Crepacorii, Flecchiae, etc., Philiberto Flisco, eiusque filiis in feudum masculinum concessit.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dictus Paulus Bessus, quod aliàs felicis recordationis Paulus Papa III praedecessor noster comitatum Masserani dictae dioecesis, quem quondam Philibertus etiam Ferrerius Fliscus ab eodem praedecessore et camerâ apostolicâ in feudum recognoscebat, in perpetuum et nobilem marchionatum, cum iurisdictione, imperio et gladii potestate, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, libertatibus, praeeminentiis, praerogativis, indultis, gratiis, signis quoque et insigniis aliis perpetuis nobilibus marchionibus, tam in specie quam in genere, concedi solitis, et quibus alii marchiones perpetui et nobiles eorum marchionatus de iure vel consuetudine aut aliàs quomodolibet utebantur, potiebantur et gaudebant, ac uti, potiri et gaudere poterant quomodolibet in futurum, pro ipso Philiberto,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

quamdiu in humanis ageret, et quondam Besso ipsius Philiberti primogenito, et sic de cetero, de primogenito in primogenitum, et illis deficientibus pro secundogenito et eius primogenito, ac successoribus primogenitis, motu proprio et ex eius certâ scientiâ erexit et instituit, ac perpetui et nobilis marchionatus nomine et titulo decoravit, Philibertumque et Bessum ac successores praefatos in perpetuos marchiones Masserani creavit, ac eis et pro tempore existenti marchioni huiusmodi, quod iurisdictione, imperio et gladii potestate, necnon privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, libertatibus, praeeminentiis, praerogativis, indultis et gratiis, signisque et insigniis praefatis, necnon facultate cudendi et cudi faciendi monetas, modis et formis tunc expressis, uti, potiri et gaudere, ac alia per alios marchiones in eorum marchionatibus fieri solita, ut praefertur, facere et exercere libere et licite valeret, concessit et indulsit; et deinde, et[1] certis aliis tunc expressis causis, Crepacorii, Quirini, Flecchiae et Rino castra, terras et loca dictae dioecesis, in feudum a dictâ Sede teneri solita, cum omnibus illorum territoriis, districtibus, villis, vassallis, hominibus, incolis et habitatoribus, fortalitiis, franchitiis et homagiis, aliisque iuribus et pertinentiis, ac omnimodâ, altâ, bassâ, civili et criminali iurisdictionibus, mero et mixto imperio, ac gladii, et necis[2] potestate, aliisque honoribus, oneribus, salariis et regalibus consuetis, quatenus ad praedecessorem et Sedem praefatam ac cameram apostolicam spectarent, Philiberto tunc marchioni, quamdiu in humanis ageret, et deinde Besso et dicto Francisco Philiberto eiusdem Bessi primogenito (ita quod ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus de primogenito in primogenitum, masculum tantum et de legitimo matrimonio procreatum, transiret, ac, primogenito deficiente, secundogenitus, ut praefertur, etiam in castris, terris et locis huiusmodi succederent) in feudum nobile, honorificum et antiquum pro annuo censu unius crateris argentei ponderis unius librae dictae camerae in vigiliâ seu festo beatorum Petri et Pauli apostolorum in Urbe solvendo, et aliàs editis[1] modo et formâ tunc expressis concessit et assignavit; ac terras et loca huiusmodi cum praedicto marchionatu, prout antea comitatus Masserani erat[2], reintegravit; illaque ad Philibertum et Bessum marchionem, eorumque futuros successores praefatos, transtulit, et de illis etiam investivit.

§ 2. Erectionemque, investituram, concessionem, reintegrationem et translationem huiusmodi piae memoriae Iulius III, Paulus IV, Pius etiam IV, Pius V, Gregorius XIII et Sixtus V Romani Pontifices etiam praedecessores nostri per suas desuper confectas litteras respective confirmaverunt et approbaverunt, ipsique Pius IV et Pius V potiori pro cautelâ castra, terras et loca praefata Besso marchioni, eiusque descendentibus masculis praefatis, et idem Sixtus V etiam quondam Francisco Philiberto, modo et formâ praemissis, concesserunt et assignaverunt.

Quod successores Pontifices confirmaverunt.

§ 3. Et, cum Crepacorii et comitatus pertinentiarum praefato[3] bonae memoriae Emanuel Philibertus Sabaudiae dux et Pedemontium princeps possessionem diu occupasset, iuribus ipsius Francisci Philiberti et suorum antecessorum praedictorum visis et cognitis, Gregorii XIII praedecessoris praefati assensu et beneplacitu accedente, illam dicto Besso marchioni dimisit et relaxavit.

Gregorius XIII restitutionem Crepacorii Francisco Philiberto Filisco a Sabaudiae duce factam ratam habuit.

1 Forsan legendum *ex* pro *et* (R. T.).
2 Perperam ed. M. legit *ne eis* pro *necis* (R. T).

1 Puto *certis* pro *editis* legendum (R. T.).
2 Forsan legendum *erant* (R. T.).
3 Legend. potius videretur *praefatarum* (R.T.).

Sixtus V censum accipitris in decem ducatos auri commutavit.

§ 4. Cumque ratione dicti marchionatus Masserani ipse Franciscus Philibertus censum unius accipitris singulo biennio camerae praefatae solvere solitus esset, idem Sixtus V praedecessor censum accipitris huiusmodi in decem ducatos auri dictae camerae singulis annis eidem camerae apostolicae per eumdem Franciscum Philibertum et successores praedictos persolvendos commutavit, illosque ab ulteriori solutione dicti accipitris perpetuo liberavit.

Quae omnia confirmavit Clemens VIII

§ 5. Omnia vero et singula praemissa felicis etiam recordationis Clemens Papa VIII similiter praedecessor noster approbavit et confirmavit, prout in singulis dictorum praedecessorum litteris continetur.

Paulus Bessus Ferrerius Fliscus praedictas apostolicas litteras confirmari petit ab Urbano.

§ 6. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Paulus Bessus annuum censum decem ducatorum auri de camerâ et crateris argentei ponderis unius librae camerae persolverit, et in futurum solvere paratus sit, ut firmiora illa existant, quae saepius a Sede praefatâ confirmantur, cupit propterea dictus Paulus Bessus Ferrerius Fliscus princeps singulis litteris Pauli III, ac Iulii III, Pauli IV, Pii V, Gregorii XIII et Sixti V, et Clementis VIII[1] huiusmodi praedecessorum, omnibusque aliis et singulis praemissis, nostrum et dictae apostolicae firmitatis robur adiici, sibique et successoribus praefatis in praemissis provideri. Quare nobis humiliter supplicari fecit dictus Paulus Bessus, quatenus sibi in eisdem praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat Pontifex.

§ 7. Nos igitur, singularum litterarum, investiturarum et praemissorum omnium et singulorum etiam veriores et totos tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, dictumque Paulum Bessum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, singulas praefatas litteras Pauli III, Iulii III, Pauli IV, Pii IV, Gregorii XIII, Sixti V et Clementis VIII praedecessorum praefatorum, ac omnia et singula in eisdem litteris contenta, et inde sequuta quaecumque, licita tamen et honesta, omnesque et singulas investituras praefatas, marchionatum Masserani et comitatum Crepacorii concernentia (sine tamen Sedis et camerae apostolicae praeiudicio, ita quod nullum novum ius dicto Paulo Besso Ferrerio Flisco moderno principi Masserani et comiti Crepacorii, nec eiusdem principis primogenito, aut cuicumque alteri, per praesentes accrescat, nec quicquam de iuribus Sedis et camerae earumdem etiam contra litteras piae memoriae Pii V de non infeudandis et alienandis rebus ecclesiae et aliorum Romanorum Pontificum ac etiam nostris decedat, verum omnia in statu, in quo erant ante praesentem confirmationem, remaneant), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, ac illis plenariae et inviolabilis firmitatis apostolicae robur adiicimus.

Contraria tollit.

§ 8. Non obstantibus praemissis, nec non camerae apostolicae, marchionatusque et principatus et comitatus, villarumque praedictarum, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, consuetudinibus, usibus et naturis, ac legibus etiam imperialibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illisque[1], eorumque superioribus et personis, ac quibusvis aliis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis et decretis, etiam vim contractus et statuti etiam perpetui seu legis inducentibus, etiam

1 Numerum *VIII* nos addimus (R. T.).

1 Aptius legeretur *illis* (R. T.).

motu proprio et ex certâ scientiâ, et de apostolicae potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, aut[1] imposterum concedendis et approbandis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x februarii MDCXXXV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 10 februarii 1635, pontif. anno XII.

DVIII.

Imponit in Portugalliae et Algarbiorum, ac Siciliae ultra pharum regnis, nec non in Indiis occidentalibus, unam decimam semel Philippo IV Hispaniarum regi persolvendam, ut opem Ferdinando II imperatori ferre possit[2].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Recenset concessam aliàs Philippo Hispaniarum regi decimam super beneficiis ecclesiasticis Hispaniae, ut opem Ferdinando imperatori ferre posset.

§ 1. Aliàs, ob[3] funestos haereticorum in Germania motus et intestina bella quibus provincia illa misere vexabatur, ut charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus charissimo in Christo filio nostro Ferdinando Romanorum regi in imperatorem electo, in illo calamitoso rerum statu, opem ferre posset, supplicationibus eiusdem Philippi regis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, unam decimam super ecclesiis et beneficiis ecclesiasticis regnorum Hispaniae et insularum illi adiacentium, ad effectum praedictum imposuimus[1], ipsique Ferdinando regi in imperatorem electo et religioni catholicae ibidem periclitanti, de propriis nostris et huius Sanctae Sedis pecuniis, quantum cum Domino potuimus, etiam opem tulimus.

Eisdem subsistentibus causis rex ad beneficia Portugalliae et Indiarum Occidentalium et Siciliae extendi petit.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Philippus rex nobis nuper exponi fecit, eadem causa defensionis fidei catholicae in dictâ provinciâ et auxilii eidem Ferdinando regi in imperatorem electo praestandi etiam ad praesens vigeat, nos, ut dictus Philippus rex in eodem Ferdinando rege in imperatorem electo adiuvando et communi reipublicae christianae causâ sustinendâ melius continuare possit, super aliorum eiusdem Philippi regis regnorum, nempe Indiarum occidentalium, ac Portugalliae et Algarbiorum, necnon Trinacriae, scilicet Siciliae ultra pharum, ecclesiis et beneficiis ecclesiasticis aliam decimam imponere deliberavimus.

Annuit Urbanus.

§ 3. Supplicationibus itaque ipsius Philippi regis nobis denuo humiliter porrectis inclinati, de attributae nobis a Domino apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, indicimus et imponimus, unam integram semel et in praesenti aut saltem proxime subsequenti anno exigendam et persolvendam decimam (iuxta ratam a nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuntio, quoad Indias praedictas, quo vero ad regna Portugalliae et Algarbiorum a iurium et spoliorum camerae apostolicae ibidem debitorum collectore generali, nunc et pro tempore existentibus, et quoad Siciliae regnum praefatum, respective, a personâ per nos deputandâ taxandam), fructuum, redditum, proventuum, obventionum, emolumentorum quorumcumque, ac distributionum

1 Partic. *aut* nos addimus (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

3 Male, ut puto, ed. Main. legit *ad* pro *ob* (R.T.).

1 Vide supra pag. 272 huius tomi (R. T.).

quotidianarum, omnium ecclesiarum archiepiscopalium, episcopalium, collegiatarum, parochialium, necnon monasteriorum et conventuum, ac etiam mensarum abbatialium, capitularium, tam cathedralium et metropolitanarum quam quarumcumque collegiatarum ecclesiarum praedictarum, necnon conventualium, prioratuum quoque, praeposituarum, praeceptoriarum, canonicatuum et praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, etiam fabricae et officiorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium ac S. Augustini, Cluniacensis et Cisterciensis, Praemonstratensis et quorumcumque aliorum Ordinum utriusque sexus, etiam Mendicantium annuos redditus habentium, tam virorum quam mulierum, necnon congregationum regularium, institutorum et societatum, etiam Societatis Iesu, et praeterea hospitalium, necnon S. Iacobi de Spata, Alcantara, Calatrava, de Avis et Montesia, necnon S. Lazari et aliarum quarumcumque militiarum, ac locorum piorum (exceptis fratribus militibus hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, qui pro sui tutelâ contra turcas et alios infideles alienis auxiliis quotidie indigent, necnon ecclesiis cathedralibus, quarum mille ducatos monetae Hispaniarum ad rationem undecim regalium pro quolibet ducato, ac parochialibus, etiam *doctrinis* in partibus Indiarum huiusmodi nuncupatis, quarum fructus centum ducatos similes annui redditus non excedunt, quos pro eorum congruâ sustentatione sufficere accepimus, et etiam illis ecclesiarum cathedralium praesulibus, seu antistitibus, aliisque personis ecclesiasticis, qui et quae, ratione ecclesiarum et beneficiorum per eos obtentorum et obtinendorum, ac pensionum sibi pro tempore reservatarum, fructus unius mensis earumdem ecclesiarum, beneficiorum et pensionum eidem Philippo regi, iuxta concessionem illi a nobis ad certum tempus nondum elapsum factam, altero dictorum duorum annorum persolverint, ita quod non eodem, quo solverint, sed immediate subsequenti anno duntaxat ad eiusdem decimae solutionem teneantur), ac similiter decimam omnium pensionum super praemissis assignatarum et assignandarum, percipiendam et exigendam a quibuscumque archiepiscopis, episcopis, primatibus, praepositis, decanis, capitulis, canonicis, rectoribus, abbatibus, prioribus, commendatariis, abbatissis, priorissis, fratribus, militibus et presbyteris ac clericis aliis, quocumque nomine nuncupatis, secularibus et regularibus, ceterisque, cuiuscumque dignitatis, status et conditionis existentibus, praefatas quocumque iure, modo, occasione et titulo obtinentibus seu detinentibus et obtenturis, necnon oeconomis et administratoribus perpetuis seu temporalibus, usufructuariis, ac fructus, pensiones et alia quaecumque huiusmodi iura et bona ex quacumque causâ, quavis auctoritate, in toto vel in parte sibi reservata aut concessa habentibus vel habituris, secularibus et regularibus Ordinum, congregationum, societatum, militiarum et hospitalium praefatorum, necnon ab ipsis ecclesiasticis[1], capitulis, conventibus, Ordinibus, congregationibus, collegiis, hospitalibus, militiis, mensis, massis et locis, quocumque privilegio et exemptione reali, personali et mixtâ, antiquâ et immemorabili, pacificâ et continuatâ suffultis, etiamsi quacumque praerogativâ gaudeant, et aliàs in generali dispositione non includantur, sed speciali ac individuâ mentione digni sint, quos omnes (exceptis supradictis) collectoribus ut supra deputandis volumus decimam praedictam iuxta taxam praedictam infra praesentem seu saltem immediate subsequentem annum

1 Ex loc. parall. cit. legendum *ecclesiis* (R.T.).

integre persolvisse; decernentes nullas omnino exemptiones et immunitates exactionem huiusmodi impedire posse;

Clausulae.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Quis modus in decima huiusmodi exigenda servari debeat.

§ 5. Ut autem supradicta diligenter et fideliter exequutioni demandentur, eosdem nuntium et collectorem, ac personam per nos, ut praefertur, deputandam in decimae praedictae collectores respective, cum omnibus iuribus, quae aliis huiusmodi collectoribus de iure vel consuetudine quomodolibet competunt, auctoritate et tenore praedictis constituimus et deputamus; mandantes, ut, quidquid inde per se et personas ecclesiasticas a quolibet illorum respective deputandas seu subcollectores ecclesiasticos suos exegerint, id omne et totum, integre et absque ullâ diminutione, retentione seu participatione, thesaurario ipsius Philippi regis, in supradictos defensionis fidei catholicae in Germaniâ et non alios usus convertendum, consignari faciant, receptis tamen a thesaurario in actu cuiuslibet consignationis attestationibus et quietantiis duplicatis eiusdem thesaurarii de iis pecuniarum summis, quas ipsi thesaurario collectores praedicti solverint; ac eisdem nuntio, collectori et personae per nos deputandae plenam, liberam et amplam ac absolutam potestatem, taxam et repartimentum huiusmodi, pro praedictâ decimâ dumtaxat exigendâ [1], omni et quacumque appellatione, recursu, nullitatis dictione ac in integrum restitutione prorsus remotis, faciendi et praescribendi; praefatos omnes ad decimam huiusmodi pro ratâ quemlibet iuxta praedictam taxam tangente persolvendum, etiam per edictum in locis publicis affigendum, et sub censuris et poenis ecclesiasticis, monendi et requirendi; non parentes, contumaces et fraudantes in censuras et poenas praedictas incidisse declarandi; proprietates, fructus, res et bona ipsorum apprehendendi, et usque ad satisfactionem retinendi; contradictores, perturbatores, molestatores et rebelles quoscumque, eisque auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte quovis quaesito colore praestantes, cuiuscumque dignitatis, gradus et ordinis fuerint, praefatis aliisque censuris et poenis ecclesiasticis, necnon pecuniariis, ceterisque iuris et facti remediis opportunis compellendi, illaque etiam iteratis vicibus aggravandi; eos vero, qui debite satisfecerint, ab omnibus censuris et poenis supradictis in formâ Ecclesiae consuetâ absolvendi, in delinquentes et contumaces, per se, vel alium, seu alios, etiam simpliciter, et de plano, ac sine strepitu et figurâ iudicii, inquirendi, ac meritis poenis puniendi, modos et formas in praefatis servandos praescribendi, concedimus et impertimur.

Obstantium derogatio.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in aliis conciliis generalibus editis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, ordinum, congregationum, societatum, hospitalium et locorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, usibus et naturis; quodque personis praedictis, eorumque ecclesiis, locis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommuni-

1 Aptius in loc. parall. legitur *conficiendâ* (R. T).

cari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto, necnon personis, eorumque nominibus, cognominibus, ecclesiis, monasteriis, ordinibus et locis huiusmodi mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, in genere vel in specie, etiam S. R. E. camerario, thesaurario et aliis camerae apostolicae ministris participantibus, etiam ex causâ onerosâ, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, et solutiones decimarum aliter quam secundum antiquam taxam et nonnisi in universali decimarum per orbem impositione fieri prohibentibus, necnon promissionibus, donationibus, obligationibus, iuramentis, renunciationibus, vinculis et cautelis in assignatione praedictarum pensionum factis (quibus per impositionem decimae huiusmodi minime teneri, neque eas quoad praemissa contra quemcumque locum habere declaramus), aliisque indultis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, cuiuscumque tenoris existant, per quae praesentibus non expressa aut totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus eorumque tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis (quae omnia contra praedicta nolumus cuiquam suffragari); ceterisque contrariis quibuscumque.

Aliae in exigenda decima conditiones praescribuntur.

§ 6. Volumus autem, quod in exigendâ et percipiendâ praedictâ decimâ in praesenti vel saltem sequenti anno, ut praefertur, unum regnum, unaque provincia, ac una ecclesia, necnon unum beneficium, domus seu locus respective non possit pro alio regno, provinciâ, ecclesiâ, beneficio, domo seu loco molestari nec gravari; quodque iuxta piae memoriae Clementis Papae V etiam praedecessoris nostri in concilio Viennensi editam constitutionem[1], et praesertim quod nec calices, nec libri, ceteraque ecclesiarum ornamenta divino cultui dicata, aliave suppellex ecclesiastica ex causâ pignoris capi, recipi vel distrahi, aut aliàs quomodolibet occupari debeant, et illam ubique praecipimus observari: quinimo volumus, quod praesulibus mille ducati huiusmodi ac respective curam animarum exercentibus centum etiam pro ipsorum congruâ, ut praefertur, sustentatione remaneant; quodque occasione istius decimae ecclesiae, monasteria, aliaque pia et sacra loca quaecumque debitis propterea non fraudentur obsequiis, ac divinus in iis cultus et solitus Altissimo famulantium et ministrorum numerus nullatenus minuatur, nec iis quoquo modo iniuncta onera, aut pia, quae exerceri solent, opera et officia ullo modo minuantur, seu negligantur, sed eorum congrue supportentur onera consueta: quodque praeter[1] praefatam decimae impositionem quibuscumque iuribus nostris et collegii S. R. E. cardinalium ac camerae nostrae apostolicae in aliquo minime praeiudicetur. Ac in eventum, in quem pax in Germania sequeretur, ita ut contra haereticos non sit opus bellum continuare, tunc decima per praesentes imposita quoad Indias, Portugalliam et Algarbiorum[2] expendatur pro Indiis orientalibus et occidentalibus contra haereticos et infideles, aliosque invasores catholicae fidei inimicos, et quoad Siciliam, contra turcas et alios infideles, aliosque eiusdem fidei catholicae hostes.

Praesentium transumptis danda fides.

§ 7. Praesentium vero litterarum exempla, etiam impressa, manu notarii publici subscripta, aut alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo obsignata, eamdem fidem in iudicio et extra illud ubique locorum facere, quam[3] ipsae

1 Syntaxis vult ut addas *procedatur*, aut simile (R. T.).

1 Forsau legend. *per* pro *praeter* (R. T.).

2 Deest *regnum* (R. T.).

3 Male edit. Main. legit *quae* (R. T.).

originales facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV martii MDCXXXV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 24 martii 1635, pontif. anno XII.

DIX.

Confirmatio praefinitionis habitus factae inter fratres Discalceatos sanctae Theresiae, et fratres Primi Instituti, vulgo de Monte Sancto nuncupatos [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Inter cetera apostolicae sollicitudinis curas, quibus iugiter premimur, ea nos potissimum urget, ut personae regulares in pacis amoenitate feliciter regantur et et gubernentur.

Causae huius constitutionis referuntur, ac decretum desuper emanatum. § 1. Nuper siquidem pro parte dilecti filii prioris generalis fratrum Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo nobis expositum fuit, quod aliàs, cum inter fratres Discalceatos S. Theresiae et fratres Primi Instituti seu seminarii de propagandâ fide, vulgo de Monte Sancto nuncupatos, aliqua dubia circa habitum suborta essent, ad removendam omnis controversiae et litis materiam, habitâ ratione eorum, quae ab utrâque parte coram dilecto filio nostro Martio S. Mariae Novae diacono cardinale Ginetto nuncupato, dicti Ordinis apud nos et Apostolicam Sedem protectore, allegata fuerunt, de eorum consensu, a se pro fratribus Primi Instituti decretum fuit, uti [2] ipsi calceati semper incedant, tunicamque deferant ex lanâ, quae in provinciis minori et viliori pretio emi poterit, coloris grisii, nigri, vel ad nigredinem tendentis, cum manicis strictis, scapulari aliquantulum breviori, tunicâ latitudinis sexdecim digitorum per transversum, necnon cum capucio, cuius anterior extremitas descendat ad octo digitos super pectus, et posterior usque ad cingulum, et decenter utrumque humerum cooperiat; ipsum vero capucii caput ad formam capitis rotundum erit et strictum, et illis iisdem mensuris correspondere debet capucium album; habebunt insuper cappam albam laneam ad collum crispatam cum plicis octo digitis tunicâ breviorem, et pallium (de quo fit mentio in constitutionibus Ordinis part. I, cap. XVI, § 2), sive in conventu, sive extra, talis erit formae, ut eius distinctio a cappâ Discalceatorum sit nota et evidens: utenturque galero nigro, si quando eius necessitas illis occurrerit. Ut autem praedictis religiosis imposterum ea retractandi vel dissidendi libera tollatur facultas; quin potius, ut in vinculo pacis Domino famulentur, nobis propterea dictus prior generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune, ut infra, providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Quod modo confirmat. § 2. Nos igitur, dictum priorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, decretum praedictum, apostolicâ auctoritate, te-

1 De fratribus Carmelitis vide in Const. LXXVII, *Ut vivendi*, Honor. III, tom. III, pag. 415. Et de Carmelitis Discalceatis vide in Costitit. CXXI, *Pia consideratione*, Greg. XIII, tom. VIII, pag. 350. Et in huius Pontificis ad Constit. CDXLVIII, *Romanus*, sup. pag. 304.

2 Aptius lege *ut* (R. T.).

nore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulas praeservativas addit.

§ 3. Decernentes decretum huiusmodi necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria removet.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v aprilis MDCXXXV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 5 aprilis 1635, pontif. anno XII.

DX.

Constitutiones, quibus revocantur vivae vocis oracula, non comprehendunt illos officiales, quibus ratione munerum suorum antea de Summi Pontificis oraculo fides haberi solebat [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Refert Constitutionem Gregorii XV indicatam.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Gregorius Papa XV praedecessor noster, ut subnascentibus iugiter variis difficultatibus et abusibus ex privilegiis a Sede Apostolicâ vivae vocis oraculo saepenumero concessis obviam iret, constitutionem edidit tenoris subsequentis, videlicet: *Gregorius Papa XV ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex, in speculâ militantis Ecclesiae,* etc. *(Omittitur haec constitutio quia eam habes loco in notâ ad rubricam citato).*

Ipsam Gregorius Constitutionem hic Pontifex ampliavit ad oracula etiam facta S. R. E. cardinalibus et eorum manu firmata.

§ 2. Et subinde, per nos accepto quod experientiâ rerum magistrâ compertum erat, concessiones et gratias vivae vocis oraculo etiam a S. R. E. cardinalibus obtentas, et ipsorum manu firmatas, saepe ab his, in quorum favorem emanarunt, minus canonicâ interpretatione extendi, et perperam in disciplinae ecclesiasticae detrimentum exequutioni demandari; idcirco, quantum cum Domino potuimus, his et aliis malis occurrere volentes, motu proprio, certâque scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, de consilio nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, quibus negotium huiusmodi mature discutiendum commisimus, omnia et singula privilegia, facultates, licentias et gratias quascumque per Summos Pontifices praedecessores nostros ac per nos vivae vocis oraculo, etiam S. R. E. praedictae cardinalium quorumcumque manu firmata, quibuscumque generalibus, provincialibus, ceterisque superioribus et personis cuiusvis Ordinis, congregationis, instituti et societatis, sive secularibus sive regularibus, vel etiam ipsis Ordinibus, congregationibus, insti-

1 Concessiones vivae vocis oraculo factas, exceptis oraculis factis sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus et eorum manu firmatis, revocavit Gregor. XV in Constitut. LXV (*al.* 63), *Romanus*, tom. XII, pag. 706.

tutis et societatibus, etiam Societati Iesu, aut eius clericis seu presbyteris, aliisque personis praedictis, quacumque de causâ, etiam de necessitate exprimendâ, occasione, praetextu vel colore, etiam intuitu et contemplatione, seu ad instantiam imperatoris, regum et principum quorumcumque, aut aliàs quomodolibet concessa (illorum tenores praesentibus pro expressis habentes) apostolicâ auctoritate revocavimus, cassavimus, sustulimus, abrogavimus et annullavimus, ac de cetero revocata, cassa, sublata, abrogata et annullata, viribusque et effectu vacua esse et fore, nullique deinceps suffragari posse nec debere declaravimus, prout in aliis nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur [1].

Nunc illam declarat non comprehendere illos officiales, quibus ratione munerum antea de Summi Pontificis oraculis fides haberi solebat.

§ 3. Cum autem pro tempore existentibus nonnullis nostris et Sedis Apostolicae officialibus seu ministris (qui, eorum officiorum seu munerum ratione, de gratiis, concessionibus et dispositionibus quibuscumque per nos faciendis, mandatisque et iussionibus nostris exequendis, aliisque rebus et negotiis gerendis nobiscum diversa tractant) per se seu de eorum mandato facienda, gerenda et exequutioni demandanda vivae vocis oraculo commiserimus, et in dies, circa ea quae ad cuiuslibet eorum officium seu munus quo funguntur pertinent, committamus: nos, firmiori gestorum de mandato nostro per eosdem officiales seu ministros validitati, eorundemque officialium seu ministrorum securitati consulere volentes, motu proprio, certàque scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, officiales seu ministros praedictos, quibus aliàs ante emanatas praedictas constitutiones ex officiorum suorum auctoritate et praerogativâ de oraculo per eos a Romanis Pontificibus pro tempore existentibus habito fides haberi solebat, quoad ea quae, ut praefertur, ad cuiuslibet eorum officium seu munus quo funguntur pertinent, in litteris etiam nostris praedictis super revocatione oraculorum huiusmodi emanatis minime comprehensos fuisse, nec esse, nec comprehendi debere, declaramus et decernimus; et ad abundantiorem cautelam eosdem officiales seu ministros adversus easdem constitutiones, quatenus opus sit, restituimus et plenarie reintegramus, in omnibus et per omnia, perinde ac si quoad illos praedictae constitutiones non emanassent.

Clausulas praeservativas apponit.

§ 4. Decernentes, praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus Gregorii praedecessoris huiusmodi, nostrisque litteris praefatis, ac omnibus illis, quae in dictis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI aprilis MDCXXXV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 11 aprilis 1635, pontif. anno XII.

1 Quas vide supra pag. 258 (R. T.).

DXI.

Commissio nuncio apostolico apud Poloniae regem, ut, petente metropolitâ Russiae, inhibeat, ne regularium cuiuscumque Ordinis domus aliqua Zyroviciis erigatur [1].

Dilecto filio nostro, et Apostolicae Sedis apud charissimum in Christo filium nostrum Vladislaum Poloniae et Sveciae regem illustrem nuntio,

Urbanus Papa VIII.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem

Commissio, de qua in rubrica.

Certis de causis animum nostrum moventibus de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotio Propagandae Fidei praepositorum consilio, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut, si id expedire et non subesse periculum alicuius scandali aut inconvenientis subsequuturi cognoveris, venerabili fratri metropolitae Russiae litteras inhibitiorales auctoritate nostrâ concedas, ne inconsultâ Sede Apostolicâ in pago Zyroviciae, eiusque districtu, novas domos sive conventus aut hospitia per religiosos cuiusvis instituti vel Ordinis erigantur, construantur aut aedificentur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII maii MDCXXXV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 18 maii 1635, pontif. anno XII.

DXII.

Regulares, qui, ultra vota solita, etiam votum emittunt de non petendâ aut non acceptandâ extra religionem dignitate, per quamcumque eorum translationem seu habitus privationem aut dimissionem a voto huiusmodi nullatenus liberantur[1].

1 Diversis Regularium Ordinibus ambitum prohibuerunt Pontifices et hoc videre poteris in repertorii verbis, ad singula eorum nomina. Addo, quod super professionibus per regulares emissis, non facto in locis designatis novitiatu, edidit hic Pontifex Constit. CCCXCIV (*al.* 363), *Religiosos*, sup. pag. 215. Qui subiectos declaravit ipsos regulares, quantumvis exemptos, constitutionibus apostolicis in concernentibus fidem catholicam et sanctae inquisitionis officium, ut in Constitutione CDXVII (*al.* 387), *Cum sicut accepimus*, sup. pag. 248. Et super missionibus ad Iapponiam nonnulla statuit in Const. CDLVII (*al.* 425), *Ex debito*, sup. pag. 320.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Quia multi regulares ultra alia vota emiserunt votum de non petendâ, procurandâ, vel acceptandâ dignitate, extra eorum religiones;

§ 1. Cum, sicut accepimus, diversorum Ordinum, congregationum, et institutorum, ac etiam Societatis Iesu, personae regulares, ultra alia vota, etiam votum, promissionem sive iuramentum solemniter sive simpliciter emittant aut praestent de non petendâ nec procurandâ minusve acceptandâ aliquâ dignitate neque aliquâ superioritate extra eorum religionem[1];

Et sub diversis rationibus praetendunt se liberatos a dicto voto;

§ 2. Quoniam vero, propter infirmitatem seu aliam legitimam causam, Sedes Apostolica aliquibus personis regularibus licentiam aliquando impertitur se de unâ ad aliam religionem, etiam speciali notâ et expressione dignam, etiam laxioris observantiae, transferendi, necnon aliqui etiam religionum supra expressarum et cuiuslibet earum generales vel alii superiores, vigore, ut asserunt, facultatum sibi per Sedem eamdem concessarum, translationem de unâ ad aliam religionem, aut strictiorem, vel laxiorem, regularibus suis, sive per viam expulsionis, sive alio quovis modo, concedunt, vel aliâs regularibus suis huiusmodi, ut se transferant, occasionem praebent, vel etiam ipsi regulares ex aliquibus causis licentiam manendi extra claustra, etiam in habitu clerici vel sacerdotis secularis, aliquando obtinere solent:

Ideo Pontifex declarat per quamcumque eorum translationem, seu habitus privationem, vel dimissionem, nullatenus a voto huiusmodi liberatos esse.

§ 3. Ideo, ne per praefatas et quascumque alias translationes, expulsiones et dimissiones habitus regularis eorumdem regularium, quavis auctoritate, licentiâ, occasione, ratione et causâ quantumlibet rationabili, favorabili, piâ et publicâ, etiam in corpore iuris clausâ, sive ratione maioris boni, ac aliâs quomodolibet, hactenus et pro tempore factas et faciendas, possint regulares huiusmodi, hactenus et pro tempore ut praefertur translati,

1 Quoad Societatem Iesu de hac re supra Constit. CDXXVII, *Vota*, pag. 270 (n. T.).

expulsi, etiam post habitum religionis dimissum, praetendere se a dicto voto, promissione, sive iuramento de non petendo nec obtinendo aliquam dignitatem, et de illam etiam motu proprio collatam non acceptando, fuisse vel esse liberatos, quantum cum Domino possumus, opportune providere volentes; necnon voti, promissionis seu iuramenti, ac facultatum, aliorumque etiam de necessitate exprimendorum veriores et totos tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes; motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ Constitutione declaramus et decernimus, quoscumque regulares praedictos cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, etiam quomodolibet exempti, etiam Societatis Iesu, per quamcumque translationem hactenus et imposterum quandocumque de suâ ad aliam religionem vel Ordinem, ut praefertur, seu aliàs quomodolibet, etiam pluries, et per quamcumque expulsionem, habitusque regularis dimissionem, pro tempore factas, non esse, nec fore, minusve dici aut censeri posse seu debere a praefato voto, promissione, seu iuramento liberatos; sed eos hactenus et pro tempore, ut praefertur, translatos, expulsos, ac a delatione habitus regularis absolutos vel privatos, quarumcumque dignitatum huiusmodi proinde incapaces, et ad illas petendas, acceptandas et obtinendas inhabiles remanere, in omnibus et per omnia, perinde ac si translati, expulsi seu a delatione habitus liberati seu privati non fuissent;

Huic constitutioni clausulas praeservativas apponit.

§ 4. Praesentes vero litteras, omniaque et singula in eis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis, seu eorum aliquo, interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, ad ea vocati et auditi, minusque causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenus iustificatae fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali, sive etiam ex eo, quod in praemissis, seu eorum aliquo, solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite, a iure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliquâ resultante, seu etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore iuris clauso, seu occasione vel causâ etiam quantumvis iusta, rationabili et privilegiatâ, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato vel concesso quempiam uti, seu se iuvare in iudicio vel extra posse; neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis et faciendis comprehendi; sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari;

Aliter indicandi facultatem tollit.

§ 5. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et nun-

cios, ac alios quavis auctoritate et potestate fungentes, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac cancellariae nostrae regulis, et, quatenus opus fuerit, etiam illâ de iure quaesito non tollendo, ac cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praedictum effectum specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicationem in Urbe omnes afficere decernit.

§ 7. Ut autem praesentes et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam deducantur, et ne aliquis de eis ignorantiam praetendere possit, volumus pariter et mandamus, quod eaedem praesentes per aliquem seu aliquos ex cursoribus nostris ad ecclesiae Lateranensis, basilicae Principis Apostolorum de Urbe, necnon cancellariae apostolicae valvas, ac in acie Campi Florae affigantur et publicentur, et, cum inde amovebuntur, earum exempla in eisdem locis affixa dimittantur; quae sic publicatae et affixae omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant et arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificatae fuissent.

Transumptis fidem dari iubet.

§ 8. Quodque illarum transumptis, impressis, sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI maii MDCXXXV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 21 maii 1635, pontif. anno XII.

Anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXXXVI[1], *die vero* XX *mensis novembris, retroscriptae litterae apostolicae affixae et publicatae fuerunt ad valvas ecclesiae Lateranensis, basilicae Principis Apostolorum de Urbe, necnon cancellariae apostolicae, et in acie Campi Florae, per nos Antonium Bardum et Iulium Marzitellium Sanctissimi Domini nostri Papae cursores.*

HIERONYMUS VECCHIONUS, mag. curs.

DXIII.

Facultas nuntio apostolico in regno Neapolis examinandi testes et procedendi contra episcopos non residentes suis in ecclesiis[2].

1 Forsan legendum MDCXXXV (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev. — Constitutionem ab hoc Pontifice editam contra episcopos

Dilecto filio magistro Nicolao de Herrera in utraque signatura nostra referendario, nostro et Apostolicae Sedis in regno Neapolitano nuntio,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset editam a se constitutionem super residentia episcoporum.

§ 1. Cum residentia a sacris canonibus et concilii Tridentini decretis ordinata, praecipue in ecclesiis cathedralibus et maioribus, in praeiudicium servitii earumdem ecclesiarum ac curae animarum praefectis eisdem ecclesiis commissarum negligeretur, nos, pro nostri pastoralis officii debito, ac Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, constitutionem et decretum consistoriale sub die XII et XVIII decembris MDCXXXIV respective super eâdem residentiâ sub certis tunc expressis censuris et poenis faciendâ edidimus, prout in constitutione et decreto huiusmodi, quorum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Facultas nuncio Neapolitano de qua in rubricâ.

§ 2. Quoniam vero, sicut accepimus, nonnulli ex praefectis ecclesiis huiusmodi, postposito Dei timore, in diversis civitatibus et locis extra loca debitae ab eis residentiae moram trahant; alii vero post plures annos a die eorum provisionis et praefectionis eisdem ecclesiis decursos hactenus ad residendum apud ecclesias suas praedictas se conferre de facto distulerunt et differunt, et ab eisdem ecclesiis suis contumaciter absque nostrâ et huius Sanctae Sedis licentiâ absunt; parum vero foret constitutiones apostolicas edere, nisi exequutioni demandarentur: idcirco, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, te ad omnes et quascumque diligentias necessarias et opportunas, et aliàs quomodolibet tibi benevisas, per te, vel alium, seu alios a te subdelegandos, faciendas, ac testes, aliasque probationes recipiendas et examinandas, tenore praesentium constituimus et deputamus, cum facultate quoscumque processus circa praemissa, ac eorum et cuiuslibet[1] illorum occasione, necessarios et opportunos tibi benevisos contra omnes et singulos episcopos, archiepiscopos et alios quoscumque ecclesiis cathedralibus et maioribus praefectos, quacumque dignitate praeditos, etiam S. R. E. cardinales, cuiuscumque qualitatis, status, gradus et conditionis, etiam speciali notâ et expressione dignos, apud suas ecclesias quacumque de causâ, ratione, vel praetextu non residentes, seu ad residendum in eis non se conferentes, vel aliàs extra residentiam suam quomodolibet moram contra aut praeter eiusdem constitutionis et decreti consistorialis tenorem trahentes, faciendi, ac eosdem processus ad nos et Sedem Apostolicam transmittendi, aliaque in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna dicendi, gerendi et exequendi. Non obstantibus omnibus illis quae in praedictâ constitutione voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX maii MDCXXXV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 30 maii 1635, pontif. anno XII.

DXIV.

Quod assertiones et enunciationes scriptorum et aliorum quorumcumque circa acta Sedis Apostolicae non faciant fidem, nisi servatâ formâ in hac constitutione praescriptâ.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

In supremo iustitiae solio et apostolicae potestatis plenitudine a Domino con-

non residentes, vide superius Constitut. DIV, pag. 457 huius tomi.

1 Male edit. Main. legit *cuilibet* (R. T.).

stituti, inter ceteras pastoralis officii nostri curas, in eam[1] boni patrisfamilias exemplo libenter incumbimus, ut non modo unicuique quod suum est aequâ lance tribuatur, verum etiam camerae apostolicae, ecclesiarumque omnium et personarum eis in divinis inservientium iura sarta tectaque opportunis rationibus praeserventur, nec litterarum ab hac Sanctâ Sede emanatarum, ob sinistram et malitiosam quorumdam interpretationem, sive enunciationem, effectus eludatur.

Quia nonnulli scriptores, glossatores et commentatores scripto vel impressione aut enunciatione asserunt editas nonnullas Constitutiones a Sede Apostolicâ in praeiudicium ipsius Sedis, ecclesiarum, seu aliorum locorum piorum.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, ocularique inspectione cognovimus, nonnulli scriptores, glossatores, expositores, interpretes et commentatores, tam historiarum, etiam antiquarum, repetitionum, tractatuum et allegationum seu consiliorum, glossarum et annotationum, collectanearum, seu quaestionum, vel, ut vocant, decisionum, ac resolutionum, disceptationum, expositionum, declarationum, controversiarum, et aliarum quovis nomine nuncupatarum scripturarum, etiam typis impressarum, ac compositionum, et librorum etiam impressorum, etiam super interpretatione sacrae scripturae, sacrorum canonum et conciliorum, ac legum, etiam imperialium, et pragmaticarum, sive decretorum et statutorum, etiam regnorum et provinciarum, quam quarumcumque aliarum materiarum, etiam pactionum, etiam mutuarum, concordatorum, compactorum, capitulationum, articulorum, seu conditionum, etiam pacis, seu foederis, etiam generalis, seu treguae, ac quorumcumque contractuum, conventionum, donationum, dationum, emphyteuticationum, infeudationum, investiturarum, etiam de terris, castris, civitatibus, regnis, seu provinciis, ac facultatum, licentiarum, indultorum, privilegiorum, gratiarum, commissionum, delegationum, constitutionum, sanctionum et dispositionum quarumcumque, ac cuiusque generis et speciei[1], etiam speciali notâ seu expressione dignarum, quascumque artes liberales et alias quascumque materias tam profanas quam ecclesiasticas et spirituales tractantium, seu continentium, et quae quomodolibet praeeminentias, dignitates, iurisdictiones, superioritates, confinia ditionum, resque et iura etiam Sedis Apostolicae, et quorumcumque principum, cuiuscumque qualitatis, conditionis, status, dignitatis, etiam ecclesiasticae, et cuiuslibet alterius praerogativae et praeeminentiae etiam quarumcumque rerumpublicarum, universitatum, civitatum, communitatum, nationum, et quorumcumque aliorum aliis praeesidentium, etiam ecclesiarum et ecclesiasticorum, etiam cuiuslibet Ordinis et militiae regularium concernunt, et aliàs quomodolibet interesse sanctae Romanae Ecclesiae et Sedis praedictae ac ecclesiarum et ecclesiasticorum tangunt, ausi fuerint et audeant asserere et affirmare, seu enunciare, a nobis Romanisque Pontificibus praedecessoribus nostris emanasse diversas concessiones, gratias, indulta, privilegia, aliasque diversas dispositiones, cum tales et talia non emanaverint, vel saltem aliter quam ipsi, sive malitiose, sive erronee, suis commentis sive compositionibus tam calamo exaratis quam typis impressis hactenus etiam antiquitus dixerint et publicaverint, dicantque et publicent, etiam ratione monumentorum et aliorum quomodolibet in publico expositorum; imo, quod peius est, etiam non erubuerint nec erubescant in suis scriptis ac tractatibus etiam impressis ponere assertos tenores praetensarum litterarum apostolicarum, tam sub plumbo, quam sub annulo Piscatoris, ut dicunt, ab hac sanctâ Sede expeditarum, et illos vel falsos vel valde diminutos ac truncos inserere, omittendo restrictiones seu

1 Male edit. Main. legit *eadem* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *speeie* (R. T.).

limitationes temporum, et alias substantiales, ac diversa et plura alterata inserendo, ponendo, referendo seu enunciando, ita fingendo concessiones, quae factae non fuerunt; vel concessionem esse perpetuam, et unius tenoris, cum fuerit[1] ad certum etiam modicum tempus, seu etiam alterius tenoris, ac aliter multis modis unum pro alio asserere, affirmare, vel enunciare voluerint et velint, suasque assertiones et scripta ediderint et impresserint, edantque et imprimant, publicentque in praeiudicium ecclesiarum et locorum piorum, cameraeque et Sedis Apostolicae:

Declarat huiusmodi assertiones, enunciationes, etc, scriptas vel impressas, nullam fidem facere in iudicio nec extra in praeiudicium Sedis Apostolicae, ecclesiarum, seu piorum locorum et personarum, etiam in favorem alterius ecclesiae, loci pii, etc., nisi prius constiterit de ipsarum originalibus recognitis, seu extractis a datario, secretario brevium, praefectis archiviorum, vel aliis Sedis Apostolicae officialibus.

§ 2. Quapropter nos, his fraudibus et malitiis, ac etiam erroribus et praeiudiciis, quae etiam defectu imprimentium multoties occurrunt, quantum nobis ex alto conceditur, obviare volentes, ipsarumque historiarum, traclatuum, repetitionum, allegationum, compositionum, interpretationum et assertionum, ac insertionum et enunciativarum quarumcumque, aliorumque praefatorum, cuiuscumque generis et speciei sint, ac super qualibet re, et ex quacumque occasione vel causâ, et a quibuscumque personis facta fuerint, etiamsi speciali mentione et expressione, immo etiam de verbo ad verbum insertione vel relatione indigerent, tenores etiam maiores et veriores pro insertis et expressis habentes, motu proprio, certâque scientiâ, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione declaramus et decernimus, omnes et singulas praefatas assertiones, narrativas, insertiones, expositiones, declarationes et enunciativas, ac quascumque expressiones quarumcumque gratiarum, concessionum, indultorum, privilegiorum, ac dispositionum apostolicarum, et quorumcumque aliorum, ut praemittitur, ac aliàs quomodolibet a praefatis et aliis quibuscumque scriptoribus et auctoribus, etiam quoad alia receptis forsan et approbatis, etiam antiquis, antiquioribus et antiquissimis, factas scriptisque exaratas et typis impressas, nullam fidem, nec indicium, aut probationis speciem, seu adminiculum fecisse, nec facere in iudicio, nec extra iudicium, in damnum, laesionem, seu praeiudicium Sedis Apostolicae, ecclesiarum et locorum piorum, eaque obtinentium, eiusque et eorum iurium quorumcumque, ac dignitatum et iurisdictionum, etiam in favorem cuiuscumque alterius ecclesiae, loci pii, et ecclesiasticae personae, nisi si et postquam constiterit de originalibus litterarum apostolicarum, etiam in formâ Brevis, chirographorum, supplicationum, vel motuum propriorum, seu, in defectum originalium, nisi prius ipsae gratiae, indulta, concessiones, privilegia et quaecumque aliae dispositiones, quae, ut praefertur, per nos ac Romanos Pontifices asseruntur factae, fuerint recognitae seu extractae a datario, secretario Brevium, et praefectis archiviorum, ac magistris registrorum, aliisque eiusdem Sedis Apostolicae officialibus respective, et per eosdem officiales cum earum originalibus auscultatae, collatae, et concordare inventae seu respective recognitae, ita ut quibuscumque scriptorum aliorumque praefatorum assertionibus, narrativis, insertionibus, relationibus, enunciativis et expressionibus gestorum, concessorum et dispositorum, ut dicunt vel pro tempore dicent, per nos, seu Romanos Pontifices praedecessores et successores nostros, nulla fides umquam adhibeatur, nec adhiberi possit, nisi constito prius de narrato, relato, inserto, asserto et enunciato authentico, videlicet per originale exhibendum, vel per sumptum, ut praefertur, extrahendum et respective recognoscendum;

Vult insuper,

§ 3. Et, quoad ea in quibus agitur quo-

1 Male, ut puto, ed. Main. legit *fuerint* (R. T.).

quod ubi agitur de interesse Sedis Apostolicae, vel camerae, praedicta extractio fiat citato et audito camerae apostolicae commissario et in subscriptione extractionum fiat mentio de huiusmodi citatione.

modolibet de aliquo interesse vel praeiudicio camerae et Sedis Apostolicae, nisi, ultra praefata, etiam concurrat, quod praedicta extractio, collatio et auscultatio, ac respective recognitio factae fuerint, citato et audito camerae apostolicae commissario pro tempore existente, et nisi officiales huiusmodi in eorum et earum extractione et subscriptione attestentur de citatione, auscultatione, collatione et concordiâ ac respective recognitione praedictis; et idem statuimus et decernimus esse observandum respectu gratiarum, concessionum, indultorum, privilegiorum, ac quarumcumque aliarum dispositionum, quae imposterum a nobis seu a Romanis Pontificibus successoribus nostris canonice intrantibus emanasse assererentur, ut illarum assertiones, insertiones et enunciativae, aliaque praemissa, et quodlibet eorum, a quibuscumque scriptoribus et auctoribus, ut praefertur; pro tempore faciendae et facienda, nullam fidem, indicium, vel probationem faciant in praeiudicium Sedis Apostolicae, et aliorum praefatorum in iudicio et extra iudicium, nisi si et postquam auscultatio et respective citatio aliaque praemissa omnia et singula pariter intervenerint;

Clausulas praeservativas apponit.

§ 4. Praesentes quoque litteras omniaque et singula in eis contenta, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, ad ea vocati et auditi, et causae, propter quas eaedem praesentes emanarint, adductae, verificatae, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenus iustificatae fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali, sive etiam ex eo quod in praemissis, seu eorum aliquo, solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda adimpleta et servata non fuerint, aut ex quovis alio capite, a iure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliquâ resultante, seu etiam praetextu enormis, enormissimae, et totalis laesionis, aut aliâ quacumque causâ etiam in corpore iuris clausâ, etiam quantumvis rationabili et privilegiatâ, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae, vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato vel concesso quempiam uti, seu se iuvare in iudicio vel extra posse; neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi; sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; ac per omnes et singulos, ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari;

Decretum irritans superaddit.

§ 5. Sicque, et non aliter, in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et nuncios, ac alios, quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, interpretari, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria removet.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus aposto-

licis, ac, quatenus opus foret[1], nostrâ de non tollendo iure quaesito, ac quibusvis aliis nostris et cancellariae apostolicae regulis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praedictum effectum specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Mandat praesentem Constitutionem publicari in Urbe et publicatam omnes afficere.

§ 7. Ut autem praesentes et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam deducantur, et ne aliquis de eis ignorantiam praetendere possit, volumus pariter et mandamus, quod eaedem praesentes per aliquem seu aliquos ex cursoribus nostris ad ecclesiae Lateranensis, basilicae Principis Apostolorum de Urbe valvas, ac in acie Campi Florae affigantur et publicentur; quae sic publicatae et affixae omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant et arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificatae fuissent;

Et eiusdem transumptis credi.

§ 8. Quodque illarum transumptis, impressis, sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I iunii MDCXXXV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 1 iunii 1635, pontif. anno XII.

Anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXXXVI, *die vero* XX *mensis novembris, retroscriptae litterae apostolicae affixae et publicatae fuerunt ad valvas Ecclesiae Lateranensis, basilicae Principis apostolorum de Urbe, necnon cancellariae apostolicae et in acie Campi Florae, per nos Antonium Bardum et Iulium Marzitellum Sanctissimi Domini Nostri Papae cursores.*

HIERONIMUS VECCHIONUS, mag. curs.

1 Male edit. Main. legit *feret* (R. T.).

DXV.

Facultas nuncio Neapolitano permittendi civibus Neapolitanis, ut cum clero transigere possint super novo quodam imposito vectigali[1].

Dilecto filio, nostro et Sedis Apostolicae in regno Neapolis nuncio, Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Cives Neapolitani cum clero transigere cupiunt super novo quodam imposito vectigali.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii communitas et homines civitatis Neapolitanae, quod, cum summam unius millionis scutorum per eos charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico, qui etiam rex Neapolis existit, oblatam nullâ aliâ faciliori, quam infrascriptâ ratione, congerere possent, gabellam duorum granorum pro quolibet rotulo ad aliud granum auxerunt super

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

iis omnibus rebus comestibilibus exigendam super quibus dicta duo grana exiguntur, excepto tamen pisce recente, saracchis et *baccalà*, ac ulterius gabellam unius caroleni pro quolibet staro olei imposuerunt. Quod quidem augmentum novi grani pro rotulo, et gabellam unius caroleni pro quolibet staro olei, in eâdem civitate Neapolitanâ, eiusque suburbiis, districtu et casalibus a die VI ianuarii praesentis anni MDCXXXV, accedente nostrâ et Apostolicae Sedis licentiâ, etiam a dilectis filiis clero et personis ecclesiasticis civitatis, suburbiorum ac districtus et casalium praedictorum, ad evitandas fraudes, exigere, eisdemque clero et personis ecclesiasticis certam ratam restituere intendunt.

Et licentiam ad id a Sancta Sede expostulant.

§ 2. Unde cum eosdem communitates et homines ad aliquam super hoc transactionem cum clero et personis ecclesiasticis praedictis devenire necesse sit, nobis propterea communitas et homines praedicti humiliter supplicari fecerunt, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Pontifex facultatem nuncio apostolico concedit.

§ 3. Nos igitur, cleri et personarum ecclesiasticarum huiusmodi indemnitati, pro nostri pastoralis officii debito, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, ac de tuis singulari fide, prudentiâ, integritate et religionis zelo plurimum in Domino confisi, tibi, ut tam super augmento novi grani pro rotulo, quam impositione gabellae unius caroleni pro quolibet staro olei, ut praefertur, factis, illorumque exactione in vim licentiae per te illis concedendae faciendâ, cum eisdem communitate et hominibus ratione ratae per eos dictis clero et personis ecclesiasticis, ad evitandas fraudes[1] ut praefertur a dictâ die VI ianuarii proxime praeteriti et in futurum restituendae, transigere et concordare, ac quascumque scripturas desuper necessarias et opportunas contici facere libere et licite possis et valeas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus et impertimur.

1 Forsan deest *exigendae* (R. T.).

Derogatio contrariis.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX iunii MDCXXXV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 19 iunii 1635, pontif. anno XII.

DXVI.

Sequitur applicatio pecuniae, quae ex supradicto vectigali clero esset restituenda, fabricae basilicae S. Petri de Urbe[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Praecedentes litteras recenset.

§ 1. Hodie, pro parte dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis Neapolitanae nobis exposito, quod, cum summam unius millionis scutorum per eos charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico, qui etiam rex Neapolis existit, oblatam, nulla aliâ faciliori quam infrascriptâ ratione congerere possent, gabellam duorum granorum pro quolibet rotulo ad aliud granum auxerant super iis omnibus rebus comestibilibus exigendam, super quibus dicta duo grana exiguntur, excepto tamen pisce recente, saracchis et *baccalà*, et ulterius gabellam unius caroleni, pro quâlibet mensurâ staro nuncupatâ olei imposuerant, et augmentum novi grani pro rotulo et gabellam unius caroleni pro quolibet staro olei in eâdem civitate Neapolitanâ, eiusque suburbiis, districtu et casalibus a die VI ianuarii praesentis anni MDCXXXV, accedente nostrâ et Sedis Apostolicae licentiâ, etiam a dilectis filiis clero et personis ecclesiasticis,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

civitatis, suburbiorum, ac districtus et casalium praefatorum, ad evitandas fraudes, exigere, eisdemque clero et personis ecclesiasticis ratam eis debitam restituere intendebant, et propterea eosdem communitatem et homines ad aliquam super hoc transactionem cum clero et personis ecclesiasticis praedictis devenire necesse erat, dilecto filio nostro et Apostolicae Sedis in regno Neapolitano commoranti nuncio per alias nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras commisimus, ut tam super augmento novi grani pro rotulo, quam impositione gabellae unius caroleni pro quolibet staro olei, ut praefertur, factis, illorumque exactione in vim licentiae a dicto nuncio illis concedendae faciendâ, cum eisdem communitate et hominibus ratione ratae per eos dictis clero et personis ecclesiasticis, ad evitandas fraudes, ut praefertur, a dictâ die VI ianuarii proxime praeteriti et in futurum restituendae transigere et concordare, ac quascumque scripturas desuper necessarias et opportunas confici facere libere et licite posset et valeret, apostolicâ auctoritate facultatem concessimus et impertiti sumus, et aliàs, prout in praedictis aliis nostris in formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Nunc vero pecunias ad clerum inde spectantes fabricae basilicae S. Petri addicit.

§ 2. Nos, fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe iamdiu coeptae exructionem, quae multis subsidiis ob ingentes sumptus indiget, aliquando consummari cupientes, praedecessorum nostrorum, qui ratam praedictae gabellae grani ad rotulum, quae ab eisdem clero et personis ecclesiasticis exigitur, et iisdem redditur, variis Apostolicae Sedis sublevandis necessitatibus attribuerunt, vestigiis inhaerentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et quascumque pecuniarum summas, quae ex ratâ augmenti gabellae duorum granorum pro rotulo ad aliud granum, ac impositione alterius gabellae unius caroleni pro quolibet staro olei, ab ecclesiasticis personis secularibus et cuiusvis Ordinis quantumvis exempti regularibus in vim litterarum nostrarum huiusmodi exigentur et eis reddentur, seu exigi et reddi debebunt, quarum quantitatem, quantacumque sit, praesentibus etiam pro sufficienter expressâ haberi volumus, praefatae fabricae, tenore praesentium, applicamus, ac pecuniarum summas huiusmodi ad usum dictae fabricae exigi, et in eum converti volumus.

Idque, ut exequatur, nuncio apostolico committit.

§ 3. Quapropter eidem nuncio nostro per praesentes committimus et mandamus, ut praedictas pecuniarum summas, et ratam augmenti gabellae duorum granorum pro rotulo ad aliud granum, et impositionem alterius gabellae praedicta[1] exigat, et summas huiusmodi personis a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus eidem fabricae praefectis declarandis pro dictae fabricae sumptibus consignet. Nos enim illa praemissa faciendi, et quasvis personas ad easdem summas illi persolvendas, omnibus iuris et facti remediis, ac censuris et poenis ecclesiasticis, si opus fuerit, cogendi et compellendi, auxiliumque brachii secularis, si opus fuerit, invocandi, plenam et liberam facultatem, earumdem tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Obstantia tollit.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, necnon omnibus illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX iunii MDCXXXV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 19 iunii 1635, pontif. anno XII.

1 Legend. foret *praedictae* vel *praedictarum* (R. T.).

DXVII.

Nuncio apostolico in Belgio committitur, ut detentum ab Hispaniarum regis militibus archiepiscopum Trevirensem in sui custodiam recipiat[2].

Venerabili fratri Lelio archiepiscopo Thebano, nostro et Apostolicae Sedis in Belgicis ditionibus nuncio,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Detentum ab Hispaniae regis militibus Trevirensem archiepiscopum

§ 1. Cum superioribus mensibus venerabilis frater Philippus Christophorus archiepiscopus Trevirensis sacri romani imperii princeps elector et episcopus Spirensis, ob nonnullas praetensas causas, in eius civitate Trevirensi per milites charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici in eam irrumpentes detentus fuerit et adhuc detineatur, nos pro nostro pastoralis officii debito desuper opportune providere volentes, et ut personae, pontificali dignitati et libertati ecclesiasticae, ac iustitiae, quantum cum Domino poterit, consulatur, necnon de tuâ prudentiâ, doctrinâ et experientiâ, ac sincerâ in nos et Apostolicam Sedem fide et devotione plurimam in Domino fiduciam habentes, sperantesque te gravissimum hoc negocium ita gesturum, ut nostrae de te opinioni respondeas, et in iis, quae res postulat et a nobis tibi demandata fuerint, ex animi nostri sententiâ munus tuum cumulate adimpleas,

Apostolico in Belgio nuncio committitur, ut Sanctae Sedis nomine accipiat.

§ 2. Quamobrem, ut hoc praestare possis, tibi ut praedictus Philippus Christophorus archiepiscopus libere tradatur et cum effectu consignetur curandi, eumque nostro et Apostolicae Sedis nomine recipiendi et detinendi, seu detineri faciendi, eumdemque personae seu personis minime suspectis, sed quibus confidere posse iudicaveris, committendi, ab eisque de eo tuto et fideliter nomine praedicto tenendo et custodiendo iuramentum recipiendi, necnon eumdem Philippum Christophorum archiepiscopum de loco ad locum, prout tibi videbitur et expedire iudicaveris, transferendi, necnon omnia et singula alia, quae in praemissis et circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna, etiamsi talia essent quae specificam et expressam requirerent mentionem, faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem concedimus et impertimur.

Contraria tolluntur.

§ 3. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, ac aliis apostolicis, necnon in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die ultimâ iunii MDCXXXV, pontificatus nostri anno XII[1].

Dat. die 30 iunii 1635, pontif. anno XII.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

DXVIII.

Facultas nuncio apostolico in urbe Neapolis permittendi ut populus cum clero transigat super solutione cuiusdam vectigalis, ac restitutione solutae pecuniae, eamque exigendi nomine fabricae S. Petri[2].

1 Eiusdem exempli litterae hac die datae quoque sunt ad apostolicos nuncios apud Imperatorem, apud Poloniae regem, atque etiam ad nuncium in partibus inferioris Germaniae; quod ad rerum hoc in negocio gestarum notitiam necesse erat a nobis innui. Frustra siquidem eiusdem exempli monumenta retulissemus a collectionis huius fine aliquo modo divertentes, quo tandem aliquando accedere videmur.

2 Ex Regest. in Secret. Brev. — Vide hac de re supra Const. DXV et DXVI.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Refert commissum a se nuncio apostolico ut facultatem urbi Neapolitanae concederet transigendi cum clero super novo quodam vectigali.

§ 1. Nuper (pro parte dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis Neapolitanae nobis exposito, quod, cum summam unius millionis scutorum, per eos charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico, qui etiam rex Neapolis existit, oblatam, nullâ aliâ faciliori quam infrascriptâ ratione congerere possent, gabellam duorum granorum pro quolibet rotulo ad aliud granum auxerant super iis omnibus rebus comestibilibus exigendam super quibus dicta duo grana exiguntur, excepto tamen pisce recente, saracchis et *baccalâ*, et ulterius gabellam unius caroleni pro qualibet mensurâ staro nuncupatâ olei imposuerant, et augmentum novi grani pro rotulo, et gabellam unius caroleni pro quolibet staro olei, in eâdem civitate Neapolitanâ, eiusque suburbiis, districtu et casalibus a die VI ianuarii praesentis anni MDCXXXV, accedente nostrâ et Apostolicae Sedis licentiâ, etiam a dilectis filiis clero et personis ecclesiasticis civitatis, suburbiorum, ac districtus et casalium praedictorum, ad evitandas fraudes, exigere, eisdemque clero et personis ecclesiasticis ratam eis debitam restituere intendebant, et propterea eosdem communitatem et homines ad aliquam super hoc transactionem cum clero et personis ecclesiasticis praedictis devenire necesse erat) dilecto filio nostro et Apostolicae Sedis in regno Neapolitano commoranti nuncio per alias nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras commisimus, ut tam super augmento novi grani pro rotulo, quam impositione gabellae unius caroleni pro quolibet staro olei, ut praefertur, factis, illorumque exactione in vim licentiae a dicto nuncio illis concedendae faciendâ, cum eisdem communitate et hominibus ratione ratae per eos dictis clero et personis ecclesiasticis, ad evitandas fraudes, ut praefertur, a dictâ die sextâ ianuarii proxime praeteriti et in futurum restituendae, transigere et concordare, ac quascumque scripturas desuper necessarias et opportunas confici facere, libere et licite posset et valeret[1], apostolicâ auctoritate, facultatem concessimus et impertiti sumus.

Atque etiam pecunias huiusmodi, quae eidem clero reddendae erant, fabricae basilicae S. Petri fuisse addictas.

§ 2. Et per alias nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et quascumque pecuniarum summas, quae ex ratâ augmenti gabellae duorum granorum pro rotulo ad aliud granum, ac impositione alterius[2] gabellae unius caroleni pro quolibet staro olei, ab ecclesiasticis personis secularibus et cuiusvis Ordinis quantumvis exempti regularibus in vim litterarum nostrarum huiusmodi exigerentur et eis redderentur, seu exigi et reddi deberent, quarum quantitatem, quantacumque esset, pro sufficienter expressâ haberi voluimus, fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe applicavimus, et pecuniarum summas huiusmodi ad usum dictae fabricae exigi et in eum converti voluimus, et aliàs prout in diversis nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus etiam pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Renovat nuncio praedictam facultatem transigendi;

§ 3. Quocirca, applicationem summarum pecuniarum huiusmodi ex ratâ augmenti gabellae et impositionis alterius gabellae per nos, ut supra, factam approbantes et confirmantes, eidem nostro et Sedis Apostolicae in regno Neapolis nuncio per praesentes committimus et mandamus, ut eisdem communitati et hominibus gabellas huiusmodi, ut praefertur, augendi et respective imponendi, sicque auctam et impositam a quibusvis personis ecclesia-

1 Male ed. Main. legit *possent et valerent* (R.T).
2 Edit. Main. legit *ulterius* (R. T.).

sticis secularibus et regularibus quantumvis exemptis exigendi et habendi licentiam concedat.

Pecuniasque pro fabrica exigendi.

§ 4. Insuper eidem nuncio nostro per praesentes committimus et mandamus, ut praedictas pecuniarum summas, per nos eidem fabricae ut praefertur applicatas, ex ratâ augmenti dictae gabellae et impositione alterius gabellae huiusmodi integre exigat, et summas huiusmodi personis a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus eidem fabricae praefectis declarandis, pro dictae fabricae sumptibus, consignet.

Opportunasque ad id concedit facultates.

§ 5. Nos enim praemissa faciendi, et quasvis personas ad easdem summas eisdem persolvendas omnibus iuris et facti remediis, ac censuris et poenis ecclesiasticis, si opus fuerit, cogendi et compellendi, auxiliumque brachii secularis, si etiam opus fuerit, invocandi, plenam et liberam facultatem, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et impertimur.

Derogat contrarius.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII iulii MDCXXXV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 12 iulii 1635, pontif. anno XII.

CXIX.

Archiepiscopo Senonensi et episcopis Lexoviensi et Antissiodorensi mandat, ut circa quamdam causam ipsis commissam, vertentem inter promotorem fiscalem curiae archiepiscopalis Rothomagensis et regulares eiusdem civitatis super iurisdictione archiepiscopi seu exemptione regularium, suam moderentur inhibitionem[1].

Venerabilibus fratribus, archiepiscopo Senonensi ac Lexoviensi et Antissiodorensi episcopis, sive dilectis filiis eorum officialibus, et eorum cuilibet,

Urbanus Papa VIII.

Venerabiles fratres, sive dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Alias Urbanus ad petitionem promotoris fiscalis curiae Rothomagensis causam commiserat, prout in rubrica.

§ 1. Exhibita nobis[2] nuper pro parte dilectorum filiorum regularium civitatis Rothomagensis petitio continebat, quod aliàs (pro parte dilecti filii promotoris fiscalis curiae archiepiscopalis Rothomagensis nobis humiliter supplicato, quatenus causam et causas appellationis et appellationum praedictorum regularium, exemptionem ab ordinariâ iurisdictione praetendentium, interpositae et interpositarum, et non commissae[3], quia lapsi erant sex menses, a sententiis et decretis venerabilis fratris archiepiscopi Rothomagensis ad favorem et instantiam dicti promotoris fiscalis pro interesse mensae archiepiscopalis Rothomagensis, et contra dictos regulares adversarios condemnatos in diversis poenis latius in sententiis latis desuper contentis, ad effectum ut praedictus archiepiscopus exequutioni demandaret iubilaeum a nobis de anno Domini MDCXXXIV pro christifidelibus impertitum[4] latis seu factis, ac nullitatis et nullitatum ex causâ iniquitatis et iniustitiae, ac quam et quas dictus promotor fiscalis contra regulares praedictos omnesque alios sua interesse putantes habebat et movebat, habereque et movere volebat et intendebat, audiendas et decidendas committere, aliàsque ei in praemissis de opportuno iuris remedio subvenire paternâ sollicitudine curaremus)

1 Ex regest. in Secret. Brev.
2 Ista in ed. Main. legitur inserta in seq. (R.T.).
3 Videretur legendum *commissas* (R. T.).
4 Iubilaei indictionem habes sup. p. 348 (R.T.).

nos, eiusdem promotoris fiscalis precibus tunc annuentes, vobis per alias nostras, sub datum videlicet nonâ maii pontificatus nostri anno XII [1], in simili formâ Brevis desuper expeditas litteras dedimus in mandatis, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, vocatis ad id qui fuerint evocandi, causam et causas praedictas, cum omnibus et singulis suis incidentiis, dependentiis, annexis et connexis, totoque negotio principali, etiam summarie prout in beneficialibus, auctoritate nostrâ audiretis, cognosceretis, fineque debito terminaretis et decideretis, et aliàs, prout in dictis litteris plenius continetur.

Regulares recursum promotoris fiscalis subreptitium dicunt.

§ 1. Cum autem, sicut dicta petitio subiungebat, tacuerit dictus promotor fiscalis, quod regulares praedicti causam appellationis a decretis seu sententiis dicti archiepiscopi Rothomagensis, sive dilecti filii eius officialis, contra eos latis super praetensis eorumdem regularium privilegiis et exemptione, iam ante obtentas per dictum promotorem fiscalem litteras praedictas coram nobis introduxerant; quodque mandaveramus, examinari eorum iura ad effectum desuper deinde providendi; quod quidem si expressisset, utique dictas litteras [2] vobis committi non obtinuisset: ideo nobis humiliter supplicari fecerunt regulares praedicti, ut eis in praemissis etiam opportune providere de simili benignitate dignaremur.

Hinc Pontifex mandat commissariis, prout in rubricâ.

§ 3. Nos igitur, eosdem regulares et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus dictorum regularium etiam inclinati, eidem fraternitati vestrae, fratres archiepiscopi et episcopi, seu discretioni vestrae, filii officiales, per praesentes committimus et mandamus, quatenus is vestrum, qui huiusmodi causae cognitionem assumpserit, vocatis ad id qui fuerint vocandi, suam moderetur inhibitionem, perinde ac si dictae litterae non emanassent. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX augusti [1] MDCXXXV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 9 augusti 1635, pontif. anno XII.

1 Quae in *Bullario* datae non fuerunt (R.T.).

2 Forsan *causas* legend. non *litteras* (R. T.).

1 Forsan legendum IX *halendas augusti*, idest *24 iulii*, nam sequitur *pontif. an.* XII; alioquin die 9 augusti iam foret an. XIII.

DXX.

Avocat ad se causam de qua in constitutione praecedenti [2].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Refert litteras praecedentes.

§ 1. Nuper a nobis emanarunt litterae tenores subsequentis, videlicet: *Venerabilib. fratribus archiepiscopo Senonensi*, etc., [3].

Nunc eamdem causam ad se avocat.

§ 2. Nos, paci et quieti inter partes praedictas pro pastoralis officii nostri debito, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, litem sive causas in praeinsertis litteris expressas, quarum statum et merita, aliaque etiam de necessitate exprimenda, praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, in statu et terminis in quibus reperiuntur, ad nos harum serie avocamus; eisdemque archiepiscopo Senonensi, ac Lexoviensi et Antissiodorensi episcopis, sive dilectis filiis eorum officia-

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

3 Reliqua habes in Const. praeced. (R. T.).

libus, et eorum cuilibet, sub interdicti ingressus ecclesiae, ac excommunicationis, aliisque arbitrio nostro infligendis poenis, per contrafacientes ipso facto incurrendis, inhibemus, ne in causâ et causis, ad nos ut praefertur avocatis, ulterius procedere, seu aliàs se in eis ingerere audeant vel praesumant.

Clausulae. § 3. Decernentes nihilominus irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari; sublatâ praedictis et quibusvis aliis iudicibus, etiam ab hac Sanctâ Sede delegatis, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate. Non obstantibus praemissis, ac omnibus illis quae in litteris praefatis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV augusti MDCXXXV, pontificatus nostri anno XIII[1].

Dat. die 14 augusti 1635, pontif. anno XIII.

DXXI.

Clerum Leodiensem hortatur, ut Ferdinando archiepiscopo Coloniensi, S. R. I. electori, aliquod subsidium conferre possit[2].

Dilectis filiis decanis et capitulis maioris et collegiatarum ecclesiarum, ac universo clero, necnon regularibus cuiuscumque Ordinis utriusque sexus, civitatis et dioecesis Leodiensis,

Urbanus Papa VIII.

Dilecti filii,

salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium ex ipsa re desumptum. In quantis eorum[3] angustiis atque difficultatibus, ob concitatos dudum a fidei catholicae hostibus in Germaniâ bellorum motus, versetur venerabilis frater Ferdinandus archiepiscopus Coloniensis sacri romani imperii princeps elector et praesul vester (quamquam ingentes pro sibi credito ecclesiarum regimine et earum bonis ac subditis tuendis sumptus fecerit, ideoque praecipuâ facultatum sibi a Deo concessarum parte sit exutus, reliquâ ad sumptus necessarios, sicut accepimus, minime sufficiente), quemadmodum vobis apprime notum esse existimamus, sic etiam non dubitamus fore ut vos singulari tanti praesulis zelo non respondeatis, ac urgentibus illius indigentiis gratiose non subveniatis, praeclaramque de illo benemerendi occasionem prompte non accipiatis.

Clerum PP. hortatur, ut aliquod subsidium Ferdinando archiepiscopo praestet. § 1. Quapropter, cum ipse Ferdinandus archiepiscopus, ad sublevandas ex parte praesentium temporum calamitates, aliquo subventionis auxilio summopere indigeat, nos, pro eâ sollicitudine, quam universali Ecclesiae debemus, officii nostri partes praetermittere nolentes, vos, qui in sortem Domini, cuius causa agitur, vocati estis, paterne in Domino attente hortamur, ut aliquod subsidium erga praesulem et principem vestrum, observantiâ et pietate, quam acrioribus stimulis non indigere nobis persuademus, vestris denique personis dignum et tempori opportunum, eidem Ferdinando archiepiscopo et principi vestro hac vice concedatis. Non frustrabitur, ut speramus, opinio nostra, ut in diebus peregrinationis vestrae et in aeternâ beatorum retributione inter hilares datores, quos diligit Dominus, merito connumeremini; et apostolicam benedictionem vobis iterum impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII augusti MDCXXXV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 18 augusti 1635, pontif. anno XIII.

---

1 Parum probabile est quod ista Constitutio sit solum quinque diebus posterior praecedente; inde nostra firmatur coniectura pag. 488 *b* nota 1 (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

3 Quid legendum pro *eorum* nescio; forsan legendum *rerum* vel *temporum* (R. T.).

DXXII.

Prohibetur fratribus Carmelitanis Discalceatis in Monte Carmelo, sub poenâ excommunicationis latae sententiae, ne id, quod a christifidelibus pro conservandâ possessione dicti Montis donatum fuerit, in alios usus convertant[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Refert litteras pridem a se editas quibus montem Carmelum solis Carmelitis adiudicaverat.

§ 1. Aliàs a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Circumspecta Sedis Apostolicae providentia religiosorum, qui[2], obliti populum suum et domum patris sui, divini numinis obsequiis se manciparunt, votis catholicae fidei propagationem et divini cultus augmentum concernentibus libenter annuit, eaque favoribus prosequitur opportunis. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii praepositus generalis et fratres Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo Discalceati nuncupati, quod dicti fratres in legitimâ possessione montis Carmeli praedicti existunt. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praepositus generalis et fratres praedicti possessionem huiusmodi suae religioni, ita ut, sine speciali nostrâ seu huius Sanctae Sedis licentiâ, nulli alterius religionis religioso in eodem monte habitare vel locum habere liceat, apostolicâ auctoritate confirmari summopere desiderent, nobis propterea iidem praepositus generalis et fratres humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, dictos praepositum generalem et fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium propagandae in universum mundum fidei catholicae praepositorum consilio, possessionem praedictam eisdem praeposito et fratribus, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, ita quod nulli religioso cuiuscumque alterius religionis, aut congregationis, seu instituti liceat in dictum montem se recipere, ibique habitare, vel locum habere, sine speciali Sedis praedictae licentiâ, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, praedictaeque religioni plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III decembris MDCXXXIII, pontificatus nostri anno XI.

Prohibitio, de qua in rubricâ.

§ 2. Nunc autem conservationi possessionis huiusmodi ac observantiae regularis in eumdem montem introductae manutentioni, quantum cum Domino possumus, consulere, praepositumque generalem et fratres praedictos amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Perperam edit. Main. legit *quibus* (R. T.).

poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, praeposito et fratribus Discalceatis dicti Ordinis congregationis S. Eliae nunc et pro tempore existentibus in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut ea, quae christifideles, ad effectum praemissorum pro tempore donaverint et erogaverint, in praedictos et non in alios usus convertant.

Fulminatio censurarum in contrafacientes.

§ 3. Quod si secus fecerint, excommunicationis maioris latae sententiae poenam, a quâ non ab alio quam a Romano Pontifice praeterquam in mortis articulo absolvi possint, incurrant eo ipso. Et nihilominus teneantur, quae consumpserint, ad praedictum opus restituere et ex bonis aliorum conventuum reintegrare; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides exhibenda transumptis.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII augusti MDCXXXV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 22 augusti 1635, pontif. anno XIII.

DXXIII.

Committitur auditori camerae, ut contra non parentes constitutioni et decreto consistoriali super residentiâ in ecclesiis et beneficiis ecclesiasticis ad omnium censurarum et poenarum in illis contentarum declarationem et exequutionem procedat[1].

Dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori nunc et pro tempore existenti,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Decretum super eâdem re aliâs emanatum.

§ 1. Cum residentia a sacris canonibus et concilii Tridentini decretis ordinata praecipue in ecclesiis cathedralibus et maioribus in praeiudicium servitii earumdem ecclesiarum ac curae animarum praefectis eisdem ecclesiis commissarum negligeretur, nos, pro nostri pastoralis officii debito, et Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, constitutionem et decretum consistoriale sub die XII et XVIII decembris MDCXXXIV respective super eâdem residentiâ faciendâ sub interdicti ingressus ecclesiae amissionisque tam fructuum suarum ecclesiarum, pro tempore quo absentia duraverit, quam facultatum testandi et disponendi de bonis suis a Sede Apostolicâ sibi aliâs concessarum, ac excommunicationis, eo ipso incurrendis, necnon privationis a regimine et administratione suarum ecclesiarum praedictarum, aliisque poenis, nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio infligendis, edidimus, in qua constitutione cognitionem et exequutionem praemissorum contra inobedientes tibi commisimus sub certis modo et formâ, prout in constitutione et decreto huiusmodi, quorum tenores praesentibus pro expressis et insertis haberi volumus, plenius continetur.

Contrafacientibus tamen huic decreto ar-

§ 2. Quoniam vero, sicut accepimus, nonnulli ex praefectis ecclesiis huiusmodi,

1 Ex Regest. in Secret. Brev. — Vide Constitutionem ab Urbano hac super re editam superius pag. 457 h. tomi.

chiepiscopis, episcopis, etc.

postposito Dei timore, in diversis civitatibus et locis extra loca debitae ab eis residentiae moram trahant, alii vero, post plures annos a die eorum provisionis et praefectionis eisdem ecclesiis decursos, hactenus ad residendum apud ecclesias suas praedictas se conferre de facto distulerunt et differunt, et ab eisdem ecclesiis suis contumaciter absque nostrâ et huius Sanctae Sedis licentiâ absunt, parum vero foret constitutiones apostolicas edi et publicari, nisi exequutioni demanderentur:

Facultatem auditori camerae ad illius exequutionem procedendi concedit.

§ 3. Idcirco, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi per praesentes committimus et mandamus, quatenus contra omnes et singulos episcopos, archiepiscopos et alios quoscumque ecclesiis cathedralibus, archiepiscopalibus, metropolitanis et primatialibus ac etiam maioribus praefectos quacumque dignitate praeditos, etiam S. R. E. cardinales, cuiuscumque qualitatis, status, gradus et conditionis, etiam speciali notâ et expressione dignos, apud suas ecclesias quacumque de causâ, ratione vel praetextu nunc et pro tempore non residentes, seu ad residendum in eis non se conferentes, vel aliàs extra residentiam suam quomodolibet moram contra aut praeter eiusdem constitutionis et decreti consistorialis tenorem trahentes, tam in Urbe quam alibi et ubique locorum quandocumque commorantes, ad omnium et singularum censurarum et poenarum in eisdem constitutione et decreto expressarum declarationem et exequutionem, auctoritate nostrâ (exceptâ tamen poenâ depositionis seu privationis ecclesiarum

Poenas autem inflictas ipsimet auditori et Romano Pontifici reservatas declarat.

praedictarum, quam poenam et quascumque alias in eâdem constitutione nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio reservatas, etiam privationis cuiuscumque vocis activae et passivae, si quas nos duxerimus vel ille duxerit infligendas, nobis et illi reservamus), procedas iuxta formam in eâdem constitutione praescriptam, et quoad illos, qui nunc sunt et pro tempore erunt a residentiâ suarum ecclesiarum absentes et extra Romanam curiam degentes, etiam per edictum publicum, constito tibi summarie de non tuto accessu. Nos enim tibi nedum praemissa omnia et singula, verum etiam quaecumque alia desuper quomodolibet necessaria et opportuna, etiamsi specialem et expressam ac individuam requirerent mentionem, faciendi, gerendi, exercendi et exequendi, ut praemittitur, plenam, liberam et amplam facultatem, eâdem auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Obstantia tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, necnon omnibus aliis, quae in praedictis constitutione et decreto consistoriali voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV septembris MDCXXXV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 15 septembris 1635, pontif. anno XIII.

DXXIV.

Confirmatio laudi in causis inter episcopum Burgi S. Sepulchri et abbatem monasterii S. Mariae in Balneo congregationis Camaldulensis vertentibus super praetensâ per episcopum subiectione castri S. Mariae in Balneo, exercitio iurisdictionis, necnon iure conferendi ecclesias in illius territorio existentes[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Causae status. § 1. Nuper pro parte venerabilium fratris Zenobii episcopi civitatis Burgi S. Sepulchri necnon abbatis monasterii S. Mariae in Balneo congregationis Camaldulensis nobis expositum fuit, quod a dilectis filiis nostris Iulio S. Susannae Sachetto et Ioanne Baptista S. Eusebii titulorum presbyteris cardinalibus Pamphylio respective nuncupatis, arbitris communiter electis in causâ et causis seu controversiis inter ipsas partes vertentibus de et super diversis differentiis occasione praetensae subiectionis castri S. Mariae in Balneo cum suis annexis eidem episcopo ac praetenso exercitio iurisdictionis in dicto territorio necnon super praetenso iure conferendi ecclesias in eodem territorio existentes, inter eos in congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum seu in quovis alio tribunali indecisis pendentibus, emanavit laudum tenoris sequentis, videlicet:

Laudum § 2. Christi nomine invocato. Nos Iulius Sachettus et Ioannes Baptista Pamphylius S. R. E. cardinales, arbitri, arbitratores et amicabiles compositores electi pro parte reverendissimi fratris Zenobii Medices episcopi civitatis Burgi S. Sepulchri ex unâ et abbatis monasterii S. Mariae in Balneo congregationis Camaldulensis ex alterâ partibus, de et super diversis differentiis occasione praetensae subiectionis castri S. Mariae in Balneo cum suis annexis eidem episcopo, ac praetenso exercitio iurisdictionis in dicto territorio, necnon super praetenso iure conferendi ecclesias in eodem territorio existentes inter eos in sacrâ congregatione eminentissimorum cardinalium Concilii Tridentini interpretum seu in quovis alio tribunali indecisis pendentibus, rebusque aliis, etc., visis iuribus et scripturis ac informationibus ambarum partium, dictisque partibus saepius oretenus auditis, ac etiam consideratis considerandis, per hanc nostram sententiam, laudum seu arbitramentum, aut amicabilem compositionem, quam et quod in his scriptis ferimus in causâ et causis seu controversiâ et controversiis supradictis, dicimus, laudamus et amicabiliter componentes pronunciamus et declaramus prout infra, videlicet:

I. Quod deinceps perpetuis futuris temporibus castrum S. Mariae in Balneo cum monasterio inibi existente unâ cum castro S. Petri totoque eius territorio et omnibus illi annexis sit et esse censeatur in dioecesi Burgi S. Sepulchri, et consequenter episcopus dictae civitatis, uti proprius ordinarius, possit dictum territorium visitare, sacros ordines conferre, ecclesias consecrare, illasque et illarum coemeteria reconciliare, chrisma, oleum sanctum et cathecumenorum tradere, litterasque dimissorias clericis secularibus eiusdem territorii ad ordines promovendis concedere (absque tamen praeiudicio abbatis quoad eius familiam regularem), necnon confessarios approbare et omnia alia munia pontificalia facere, quae episcopi in eorum propriis dioecesibus soliti sunt exercere;

II. Quod abbas supradictus, vel per se, vel per alium, nec non alii clerici dicti territorii teneantur accedere ad synodum dioecesanam civitatis, quotiescumque ab episcopo vocati fuerint, nisi legitimo impedimento detineantur, et quod in primâ synodo celebrandâ, et successive, perpetuis futuris temporibus, inter alios examinatores synodales debeat semper eligi unus de dicto territorio Balnei, dummodo in toto dicto territorio adsit aliquis idoneus;

III. Quod omnimoda collatio ecclesiarum et beneficiorum tam cum curâ quam sine curâ in dicto territorio existentium, cessantibus reservationibus et affectioni-

bus apostolicis, spectet et pertineat ad abbates pro tempore existentes monasterii S. Mariae in Balneo uti inferiores collatores, hac tamen conditione et declaratione, quod vacantibus ecclesiis parochialibus, quae solitae sunt conferri in titulum per abbates, conferantur praevio concursu ad praescriptum sacri Concilii Tridentini et constitutionum apostolicarum coram Domino episcopo Burgi S. Sepulchri seu eius vicario generali faciendo; et illo peracto, dominus episcopus, vel eius vicarius generalis, ac etiam cancellarius, pro tempore existentes, teneantur et obligati sint tradere et consignare litteras testimoniales de magis idoneo, et aliis approbatis, et aliis etiam interesse habentibus, solutâ tamen mercede cancellario; vacantibus autem vicariis perpetuis, qui absque concursu provideri possunt, neque hactenus super illis factus fuit concursus, abbas, ut supra, per se solus absque alio consensu providere possit dictis ecclesiis de idoneo vicario perpetuo a se vel eius vicario examinando; insuper laudamus et definimus quod rectores seu vicarii perpetui ecclesiarum dicti territorii teneantur et obligati sint solvere abbati pro tempore existentis monasterii S. Mariae in Balneo solitum cathedraticum, seu annuam recognitionem, prout hactenus consueverunt, nec episoopus dictae civitatis pro tempore possit dictos rectores et vicarios pro aliquâ aliâ solutione, hac de causâ, ullo unquam tempore molestare, nec abbates in dictâ exactione cathedratici seu annuae recognitionis impedire;

IV. Quod deinceps futuris temporibus iurisdictio et potestas in audiendis, cognoscendis, iudicandis et exequendis causis criminalibus et mixtis inter personas eiusdem territorii spectet et pertineat cumulative ad dictos episcopum Burgi S. Sepulchri et abbatem pro tempore praedicti monasterii, ita ut sit locus praeventioni; in civitatibus autem iurisdictio praedicta spectet et pertineat ad eumdem dominum abbatem privative quoad dictum dominum episcopum in causis non excedentibus libras ducentas monetae Florentiae; in causis autem civilibus praefatam summam librarum ducentarum similium excedentibus, iurisdictio praedicta ad abbatem cumulative, ita ut in procedendo et eas cognoscendo locus sit praeventioni; hac tamen declaratione, quod, tam in dictis causis criminalibus et mixtis, quam in civilibus summam praedictam excedentibus, non possit episcopus, nec per se, nec per alium, procedere, et dictas causas cognoscere, nisi in suo proprio tribunali civitatis Burgi S. Sepulchri, et non alibi; quatenus autem dictus episcopus in territorio dictae abbatiae, vel occasione visitationis, vel aliâ de causâ praesens existat, tunc idem episcopus possit per se ipsum causas omnes tam civiles quam criminales et mixtas cuiuscumque generis et summae cognoscere, dummodo tamen causae potuerint expediri et expediantur, adeo quod illis non expeditis earum cognitio et terminatio ipso iure ad abbatem praedictum, in statu et terminis in quibus reperiuntur, devoluta censeatur;

V. Quod abbates pro tempore existentes S. Mariae in Balneo deinceps teneantur et obligati sint solvere episcopis dictae civitatis pro tempore existentibus, vel illorum vicariis, aut alteri ab eis deputato, duas libras cerae albae annis singulis in kalendis septembris iuxta formam infrascriptae concordiae aliàs initae de anno MDLXXXI.

Volumus etiam, quod de et super praesenti laudo, seu declaratione, debeat obtineri a Sanctissimo Domino nostro confirmatio apostolica per Breve expensis communibus utriusque partis.

In reliquis autem controversiis, de quibus supra non esset facta specialis men-

tio, volumus quod deinceps servetur in omnibus et per omnia transactio et concordia aliàs de anno MDLXXXI inita inter Nicolaum Tornaborum tunc episcopum civitatis praedictae ex unâ, et dominum Deodatum abbatem dicti monasterii ex alterâ.

Et ita dicimus, arbitramur, laudamus et declaramus, non solum praedicto sed etiam omni alio meliori modo, etc. Ita pronunciamus nos arbitri et arbitratores. Iulius cardinalis Sachettus. Ioannes Baptista cardinalis Pamphilius. Ego Angelus Picus utriusque signaturae referendarius, et maioris praesidentiae abbreviator, nomine reverendissimi domini episcopi Burgi S. Sepulchri approbo, emologo et accepto in omnibus et per omnia supradictum laudum. Ego Don Thaddaeus de Pisauro, abbas et procurator generalis Camaldulensis, nomine abbatis S. Mariae in Balneo et totius Ordinis Camaldulensis, approbo, emologo et accepto in omnibus et per omnia laudum subscriptum. Ego Ioseph de Benedictis procurator congregationis Camaldulensis approbo, emologo et accepto in omnibus et per omnia laudum supracriptum.

Petitur laudi huiusmodi confirmatio.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, tam Zenobius episcopus, sub die XXV maii, et abbas monasterii S. Mariae in Balneo praedicti, dictique monasterii S. Mariae in Balneo monachi, sub die XXX eiusdem mensis maii, quam Gregorius de Pisauro abbas abbatiae Ss. Hyppoliti et Laurentii Faventinae, ac abbas generalis totius Congregationis Camaldulensis, sub die XV iunii, necnon Maurus de abbatia Policinii, et Odoardus de Burgo in Brixia dilecti filii abbates et visitatores eiusdem Congregationis, sub die XXII eiusdem mensis iunii praesentis anni MDCXXXV, laudum praedictum, omniaque et singula in eo contenta approbaverint, ratificaverint et emologaverint, et propterea Zenobius episcopus et abbas praefati S. Mariae de Balneo laudum huiusmodi pro firmiori illius subsistentiâ apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desiderent:

Confirmatur.

§ 4. Nos, exponentes praefatos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, laudum praeinsertum per dictos cardinales super dictis differentiis, ut praefertur, latum, ac omnia et singula in eo contenta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes illud necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque exponentibus in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem,

die XVII septembris MDCXXXV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 17 septembris 1635, pontif. anno XIII.

DXXV

Confirmatio statuti collegii S. Crucis Vallisoletaneae, quo cavetur, ne ullus collegialis ibi ultra novem annos et duos menses permaneat[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Expositio rectoris et collegialium.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum rectoris et collegialium collegii S. Crucis Vallisoletanae nobis expositum fuit, quod quadam dicti collegii constitutione, seu statuto, inter alia caveatur expresse, ut nullus collegialis per longius quam novem annorum et duorum mensium tempus, computato tempore quo quis collegialis huiusmodi durantibus dictis novem annis et duobus mensibus aberit, in dicto collegio permanere possit, pro cuius statuti firmiori subsistentiâ illud a nobis, apostolicae confirmationis robore communiri, et desuper, ut infra, opportune providere summopere desiderant.

Confirmatio, de qua in rubrica.

§ 2. Nos, rectorem et collegiales huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, constitutionem, sive statutum huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus;

Clausulae.

§ 3. Decernentes, quod nullus collegialis huiusmodi, sub praetextu quod rectoris aut aliud dicti collegii officium exerceat, in eo ultra dictos novem annos et duos menses praedictos permanere, ac, qui octo annos et duos menses inibi permanserit, ad rectoris aut aliud dicti collegii officium nullatenus eligi valeat; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti collegii, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI septembris MDCXXXV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 26 septembris 1635, pontif. anno XIII.

DXXVI.

Quod ecclesiae regni Hungariae missali et breviario iuxta ritum Romanae Ecclesiae uti debeant[2].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Cardinalis Pasmani expositio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius noster Petrus tituli S. Hieronymi Illyricorum presbyter cardinalis Pasmanus ecclesiae Strigoniensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesul, quod, licet iteratis synodis, et cum assensu, nedum suffraganeorum suorum, verum e-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

tiam venerabilis fratris archiepiscopi Colocensis, eiusque pariter suffraganeorum, in omnibus ecclesiis ad coronam regni Hungariae spectantibus ritum Ecclesiae Romanae introduxerit, nihilominus capitulum ecclesiae Zagrabiensis duntaxat, post lapsum quatuordecim mensium ab ultimâ synodo Hungaricâ, in unâ synodo anno proxime praeterito congregatâ assensui universali se opposuit, oppugnando et renuendo ritum praedictum, ac protestando de habendo ad hanc Sanctam Sedem recursu. Quapropter, cum missale et breviarium ecclesiae Zagrabiensis operâ dilecti filii nostri Francisci S. Laurentii in Damaso diaconi cardinalis Barberini nuncupati S. R. E. vicecancellarii, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, ad Romanam curiam transportata, et a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus contra haereticam pravitatem inquisitoribus generalibus recognita, eaque variis defectibus obnoxia reperta fuerint, et venerabilis frater episcopus Zagrabiensis litteris eius ad venerabiles etiam fratrem episcopum Bosnensem eius coadiutorem datis pro introductione dicti ritus Ecclesiae Romanae instet; nobis propterea dictus Petrus cardinalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Pontifex mandat, ut ecclesiae regni Hungariae missali et breviario iuxta ritum Ecclesiae Romanae uti debeant.

§ 2. Nos igitur, dicti Petri cardinalis votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod ecclesiae regni Hungariae praedictae, illarumque praesules, canonici et aliae quaevis personae ecclesiasticae illarum servitiis adscriptae, missali et breviario iuxta ritum Ecclesiae Romanae uti omnino debeant et teneantur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

Zagrabiensem synodum irritat.

§ 3. Synodumque dioecesanam Zagrabiensem, ut praefertur, celebratam, auctoritate et tenore praedictis cassamus, irritamus et annullamus, ac pro cassatâ, irritâ et annullatâ haberi volumus et mandamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictarum ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII septembris MDCXXXV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 27 septembris 1635, pontif. anno XIII.

DXXVII.

Quod procurator generalis Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Conventualium possit supprimere parvos conventus, in quibus non potest substentari numerus sufficiens fratrum pro regulari observantiâ.

Dilecto filio, ministro generali Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius frater Blasius a Cherso, procurator generalis Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum nobis nuper exponi fecit, quod[1] in eodem Ordine nonnulli parvi conventus reperiantur, ac in eis fratrum numerus observantiae regulari sufficiens nequaquam manuteneri pos-

1 Vocula *quod* redundare videtur (R. T.).

sit, et propterea illos supprimi, eorumque res et bona, necnon onera eis incumbentia in maiores ipsius Ordinis conventus transferri posse plurimum desideret; nobis ideirco humiliter supplicari fecit, ut sibi de infrascriptâ facultate providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio facultatis prout in rubrica.

§ 2. Nos, prospero eiusdem Ordinis, illiusque domorum statui, regularisque disciplinae incremento consultum esse cupientes, supplicationibus eiusdem Blasii procuratoris nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi parvos conventus praedictos, illorumque statum et essentiam regularem in eis, auctoritate nostrâ apostolicâ, perpetuo supprimendi et extinguendi, eorumque res et bona, ac onera quaecumque eis incumbentia in maiores eiusdem Ordinis conventus etiam perpetuo transferendi, facultatem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Decretum irritans

§ 3. Decernentes praesentes litteras et illarum vigore faciendas suppressiones, extinctiones et translationes praedictas, postquam factae fuerint, validas, firmas et efficaces existere et fore, ac maioribus conventibus huiusmodi plenissime in omnibus et per omnia suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et commissarios, quavis auctoritate fungentes, iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III octobris MDCXXXV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 3 octobris 1635, pontif. anno XIII.

DXXVIII.

Revocatio litterarum concordiae initae inter provinciam S. Ioannis Baptistae fratrum Minorum Discalceatorum, ex unâ, et fratrem Onuphrium Legazam, ex aliâ, eiusdem Ordinis, cum perpetuo silentio[2].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam

Recenset concordiam initam et dissensiones inde exortas.

§ 1. Cum, sicut accepimus, ob causam et causas vertentes inter provinciam sancti Ioannis Baptistae fratrum Minorum sancti Francisci Discalceatorum nuncupatorum in regnis Hispaniarum, seu Ioannem Baptistam Beruegal illius procuratorem, ex unâ, ac Onuphrium Legazam eiusdem Ordinis et provinciae, professores, dilectos filios, et illi adhaerentes, partibus ex alterâ, de et super controversiis ortis causâ et occasione assertarum inobedientiarum, ut dicebatur, praestitarum dilecto etiam filio Petro Logroño in generali visitatione dictae provinciae, ac decretorum a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus negotiis regularium praepositis de anno MDCXXVI emanatorum, nec non de et super praetensâ nullitate seu revocatione trium capitulorum provincialium, seu electionum inde sequutarum, ac de et super praetensâ nullitate et revocatione confirmationum apostolicarum desuper emanatarum (ut in litteris apostolicis in formâ Brevis sub datâ XXII aprilis MDCXXX desuper expeditis plenius continetur), necnon super praetensâ apostasiâ dicti Onuphrii Legazae, ac aliorum dicti Ordinis fratrum forsan a dictâ provinciâ occasione praemissorum absque superiorum licentiâ absentium, ac de et super quibuscumque etiam speciali notâ dignis in causâ et causis praedictis ap-

1 De huiusmodi fratrum concordiâ lege Constit. CCCLIX (*al.* 331) *Regis pacifici*, tom. VI, supra pag. 127.

positis seu praetensis delictis contra eumdem Onuphrium Legazam, rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi latius deductis, habita fuerit congregatio die XVIII aprilis praesentis anni coram dilectis filiis nostris Desiderio S. Caroli de Cremona, ac Berlingerio S. Augustini Gypsio, et Laudivio S. Petri ad Vincula titulorum S. Sixti presbyteris, necnon Martio S. Angeli in foro Piscium diacono, cardinalibus Ginetto respective nuncupatis, ac dilectis filiis Ioanne Baptista Coccino et Alexandro Buccabella, cappellanis nostris et causarum palatii apostolici auditoribus, a nobis super praemissis specialiter deputatis; et in eâdem congregatione Ioannnes Baptista ac Onuphrius praedicti, eorumque procuratores et advocati pluries prius etiam in contradictorio auditi, scripturaeque quamplurimae, hinc inde exhibitae, visae, ac negotium, diu matureque, diligentissime perpensum ac examinatum respective fuerint: nos, auditâ plenâ relatione meritorum ac status causae et causarum huiusmodi per eosdem Desiderium, Berlingerium ac Laudivium et Martium cardinales praedictos nobis factâ;

Avocando ad se causas, omnes controversiam penitus extinguit.

§ 2. Ad tollendas discordias, lites et controversias, quae in praemissis ortae fuerint et in dies oriri possunt, non sine maximâ inquietudine, perturbatione et detrimento dictae provinciae, et eorumdem religiosorum paci et quieti, felicique ac prosperae eiusdem provinciae gubernationi consulere volentes, ac statum et merita causae et causarum huiusmodi, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium, aliaque etiam hic de necessitate exprimenda, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et quascumque controversiarum huiusmodi causas et molestias super praemissis et illarum occasione civiliter vel criminaliter hactenus quomodolibet motas et pendentes, seu quae desuper moveri possent, cum omnibus suis annexis et dependentibus, ad nos harum serie avocantes, illa penitus extinguimus, ac fratribus praedictis et quibuscumque aliis interesse habentibus, seu praetendentibus, perpetuum super praemissis silentium imponimus, necnon omnibus et singulis fratribus Discalceatis praedictis, cuiuscumque conditionis seu gradus existant, sub praecepto sanctae obedientiae et sub excommunicationis, ac privationis vocis activae et passivae necnon quorumcumque officiorum quae obtinent, ac perpetuae inhabilitatis ad illa et alia imposterum obtinenda, poenis eo ipso incurrendis, praecipimus et mandamus, ne de cetero dictae provinciae fratres huiusmodi lites et controversias, quavis occasione, causâ, seu praetextu, directe vel indirecte, civiliter vel criminaliter, per se, vel alios quoscumque, movere vel prosequi possint, nec inter se molestari, affligi, aliquâ poenâ affici, seu molestare facere quomodolibet audeant seu praesumant praemissorum occasione; ipsique Onuphrio et aliis illi adhaerentibus (si qui sint absentes) pariter mandamus, ut infra tres menses a datâ praesentium (nisi dilecto filio nostro Francisco S. Laurentii in Damaso diacono cardinali Barberino nuncupato, S. R. E. vicecancellario, nostro secundum carnem ex fratre germano nepoti, dicti Ordinis apud nos et Apostolicam Sedem protectori aliter videbitur) ut[1] ad suam debeant remeare provinciam, districte praecipiendo eiusdem provinciae superioribus et fratribus, ut illum seu illos recipiant ac eum aliosque fratres, qui ei adhaeserunt, etiamsi poenis aliquibus occasione praemissorum possent affici, seu conde-

1 Particula *ut* male repetita (R. T.).

mnari, aut affecti, vel condemnati fuerint, bene et benigne tractent, neque illos in futuris capitulis, vel alibi, occasione praemissorum, ab officiis et muneribus religionis excludant, imo eos ad ipsa, nullâ de praemissis habitâ consideratione, si aliàs habiles sint, absque ullâ differentiâ, ac pariformiter, prout et alios fratres, eligant seu admittant; facultatemque tribuimus confessariis ordinariis eiusdem provinciae absolvendi et dispensandi respective, tam praedictos quam quoscumque alios fratres eiusdem provinciae, vel aliquos illorum, si id petierint, etiam ad cautelam, seu aliàs, a censuris, seu irregularitatibus, et aliis poenis forsan incursis praemissorum occasione.

Inhibitio iudicibus, quominus hac in re se ingerant.

§ 3. Insuper quibusvis iudicibus et personis quibuslibet, quavis auctoritate fungentibus, districtius inhibemus, ne fratres huiusmodi, seu alios pro eis, super praemissis ulterius audire, seu aliàs se desuper ingerere quomodolibet audeant seu praesumant.

Clausulae et decretum irritans.

§ 4. Decernentes praesentes litteras et in eis contenta quaecumque nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari, seu invalidari posse, sed semper valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, quos illa concernunt, in futurum inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstante regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x octobris MDCXXXV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 10 octobris 1635, pontif. an. XIII.

DXXIX.

De praestatione alimentorum hebraeis pauperibus ad instantiam christianorum creditorum carceratis[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, licet aliàs congregatio visitationis carcerum almae Urbis nostrae, tempore felicis recordationis Pauli Papae V praedecessoris nostri, visis litteris reformationis tam ab eodem Paulo praedecessore quam felicis recordationis Pio Papa V similiter praedecessore nostro emanatis, decreverit, alimenta sive victualia hebraeis pauperibus, ad in-

1 De haebreis habes Pauli IV Const. IV, *Cum nimis* tom. VI, pag. 498, et Pii V Const. X, *Romanus*, tom. VII, pag. 438.

stantiam creditorum christianorum carceratis, per eosdem creditores christianos non esse subministranda; decretumque huiusmodi idem Paulus praedecessor approbaverit et ab omnibus eiusdem Urbis tribunalibus servari mandaverit: quoniam tamen in rotae auditorio, proponente bonae memoriae Alphonso patriarcha Hierosolymitano eiusdem rotae locumtenente, decisum fuit et iudicatum, hebraeis pauperibus carceratis alimenta sive victualia, attentâ iuris communis dispositione, esse a creditoribus etiam christianis praestanda; decretum vero visitatorum praedictorum locum dumtaxat habere, quando alimenta praedicta coram visitatoribus carcerum huiusmodi petuntur:

Hebraeis ad instantiam christianorum carceratis alimenta praestari mandat.

§ 1. Idcirco, ad contentiones inter diversa eiusdem Urbis tribunalia evitandas, utque pauperibus hebraeis huiusmodi aliquo modo, ne pereant, subveniatur, providere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, onus solvendi praedicta alimenta pauperibus hebraeis, ad christianorum instantiam carceratis, communitati eorumdem hebraeorum de Urbe, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, imponimus; ipsamque communitatem ad praestanda realiter et cum effectu[1] alimenta sive victualia pauperibus hebraeis carceratis huiusmodi per eosdem visitatores, aliorum quorumcumque ipsius Urbis tribunalium iudices, viâ exequutivâ et manu regiâ cogi posse volumus: reservato tamen iure eidem communitati hebraeorum, pro alimentorum sive victualium praedictorum recuperatione, contra eorumdem hebraeorum carceratorum bona res et iura agendi.

Clausula stati.

§ 3. Decernentes sic, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII octobris MDCXXXV, pontificatus nostri anno XIII

Dat. die 18 octobris 1635, pontif. anno XIII.

1 Male edit. Main. legit *effectum* (R. T.).

DXXX.

Declaratio nullitatis venditionis et emptionis officiorum cruciatae regnorum Castellae et Legionis[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam

Urbanus VIII ne notariatus officia cruciatae vendi possint, mandavit.

§ 1. Aliâs nos, dilectorum filiorum cleri regnorum Castellae et Legionis indemnitati iuxta creditum nobis desuper apostolicae servitutis officium consulere volentes, venerabili fratri Laurentio episcopo Senogalliensi, nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio, per nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras commissimus et mandavimus, ut, inter alia, commissarium cruciatae auctoritate nostrâ moneret, ne notariatus officia cruciatae, subsidii et primae decimae excusati nuncupati, cum ecclesiastica officia sint, a ministris regiis vendi seu alienari quoquo modo permitteret, minusque cogeret clerum ad solutionem aliquam faciendam eis, qui officia huiusmodi, seu alterum eorum, emisset[2] sive tunc temporis forsan de facto emissent; nosque, sub excommunicationis latae sententiae poenâ per con-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Puto legendum *emerent* (R. T.).

trafacientes ipso facto incurrendâ serio prohibere, ne officia et alia praedicta emerentur, vel venderentur, sed circa haec debere servari omnia, quae eatenus servari consueverant; et aliàs, prout in dictis litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis haberi volumus, plenius continetur[1].

Cum tamen aliqua ex praedictis officiis vendita fuissent.

§ 2. Cum autem, sicut ex iteratâ et gravi eorumdem cleri querimoniâ accepimus, aliqua ex praedictis officiis tempore dictarum litterarum nostrarum huiusmodi vendita et alienata essent, dictique clerus ad solutionem illis faciendam, qui officia huiusmodi seu eorum alterum emerunt, compellantur et cogantur, et a ministris, per ecclesiarum dictorum regnorum capitula ad huiusmodi officia exercenda deputatis, suorum officiorum scripturae et instrumenta ipsis invitis extorqueantur, ne illis pro suorum officiorum exercitio et ratione uti aut se praemunire ullo pacto valeant:

Ipse venditiones huiusmodi nullas atque irritas declarat.

§ 3. Nos, praemissis, quantum cum Domino possumus, obviare volentes, quascumque venditiones et emptiones de dictis officiis factas, cum omnibus et singulis inde sequutis, nullas, irritas et inanes, nulliusque roboris vel momenti esse et fore, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus.

Clausulas apponit.

§ 4. Decernentes omnes et singulas venditiones et emptiones de dictis officiis hactenus factas, et si quas de cetero contra litterarum nostrarum praedictarum formam et tenorem fieri contigerit, nullum ius vel coloratum titulum possidendi cuiquam emptori vel venditori huiusmodi tribuisse vel tribuere, nec aliquem effectum sortiri potuisse nec posse, non secus ac si factae non fuissent; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et nuncios, quavis auctoritate et potestate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Publicationemque harum litterarum mandat.

§ 5. Quocirca eidem Laurentio episcopo moderno et pro tempore existenti in dictis regnis nuncio per praesentes etiam committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque solemniter publicet, dictisque clero in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens faciat auctoritate nostrâ praesentes litteras, ac in eis contenta huiusmodi, ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Obstantia tollit.

§ 6. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III novembris MDCXXXV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 3 novembris 1635, pontif. anno XIII.

1 Vide de hac re Const. CDLXXXI supra pag. 375 (R. T.).

DXXXI.

Extensio gabellae super vino et carne exigendae ab ecclesiasticis in Portugalliae et Algarbiorum regnis ad aliud sexennium[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Venerabili fratri Alexandro episcopo Neocastrensi, moderno et pro tempore existenti iurium et spoliorum camerae apostolicae in Portugalliae et Algarbierum regnis debitorum collectori generali.

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Refert litteras aliàs emanatas.

§ 1. Aliàs a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: *Venerabili fratri Laurentio episcopo Hieracensi*, etc. *(Reliqua invenies in suo ordine sub datum* XXXI *ianuarii* MDCXXIX, *pontificatus anno* VI, *supra pag. 43).*

Causae imponendae gabellae.

§ 2. Et subinde, pro parte dicti Philippi regis denuo nobis exposito maximas necessitates christifidelium et ecclesiarum illarum partium maiori indigere subsidio, personasque aliarum civitatum, oppidorum et locorum eorumdem Portugalliae et Algarbiorum regnorum numero valde excedere personas dictae civitatis Ulyssiponensis, emolumentaque dictae gabellae, si illam pro maiori subsidio eidem regi ad praefatum effectum praestandum praefatae civitates, oppida et loca praedictorum regnorum Portugalliae et Algarbiorum, exceptâ civitate Ulyssiponensi, imposuissent vel imponere voluissent, spatio praefati sexennii dictam summam ducentorum millium cruciatorum, a nobis per praeinsertas litteras et quoad ecclesiasticos approbatam, longe excedere, et ad summam quadringentorum millium cruciatorum, et ultra, ascendere, facultatesque laicorum eorumdem regnorum non suppetere,

Aliàs facultatem praedictam gabellam imponendi concessit Pontifex.

§ 3. Nos, supplicationibus dicti Philippi regis nobis super hoc iterum humiliter porrectis inclinati, venerabili fratri Laurentio episcopo Hieracensi, tunc iurium et spoliorum camerae apostolicae in eisdem Portugalliae et Algarbiorum regnis debitorum collectori generali, per alias in simili formâ Brevis sub die XII decembris eiusdem anni MDCXXIX expeditas litteras, commisimus et mandavimus, quatenus, exceptâ dictâ civitate Ulyssiponensi, reliquarum aliarum civitatum, oppidorum et locorum dictorum regnorum, quae gabellam huiusmodi imposuissent vel imponere voluissent, praesidentibus, officialibus et ministris, quovis nomine nuncupatis, eamdem gabellam etiam a personis ecclesiasticis tam secularibus quam regularibus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existant, etiam exemptis et quomodolibet qualificatis, vinum et carnem ut praefertur publice ementibus, usque ad aliam summam aliorum ducentorum millium cruciatorum, et sic in totum usque ad summam quadringentorum millium cruciatorum, exceptâ dictâ civitate Ulyssiponensi, intra tamen sexennium a die impositionis dictae gabellae, si illam, ut praefertur, imposuissent vel imponere voluissent, computandum dumtaxat, et non ultra, modo et formâ in praeinsertis litteris expressis contribuendam, persolvendam, exigendam et convertendam absque ullo conscientiae scrupulo aut censurarum et poenarum ecclesiasticarum incursu, exigendi, pecuniasque inde provenientes ad effectum praemissum et in alios usus quoscumque convertendi et erogandi licentiam et facultatem, auctoritate nostrâ, cum omnibus tamen conditionibus, decretis, clausulis et cautelis in praeinsertis litteris expressis, concederet et impertiretur, et aliàs, prout in dictis litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur [1].

Quam nunc extendi rex petit.

§ 4. Cum autem, sicut dictus Philippus rex iterum nobis nuper exponi fecit, necessitates, propter quas gratiae praefatae a nobis eidem Philippo regi concessae sunt, non modo vigeant, verum etiam ad praesens multum excreverint, etiam quoad provinciam Brasiliae ad coronam Portu-

1 Hae secundae litterae desunt (R. T.).

galliae spectantem, et propterea dictus Philippus rex nobis humiliter supplicari fecerit, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Urbanus ad aliud sexennium prorogat.

§ 5. Nos, piis dicti Philippi regis votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illumque amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, clerumque et ecclesiasticos regnorum praefatorum Portugalliae et Algarbiorum, sub quorum dominio Indiae praedictae consistunt, pro necessariâ dictorum locorum recuperatione, ac christifidelium ibi existentium salute, catholicaeque religionis defensione et augmento, de patrimonio Christi, cuius causa maxime agitur, etiam eorum ratam gabellae huiusmodi, pro carne et vino publice emendo, solvendam pro alio sexennio, si eamdem gabellam ad aliud sexennium huiusmodi per civitates, oppida et loca eorumque communitates ac universitates et homines modo et formâ praemissis imponi contigerit, libenter suppeditaturos nobis persuadentes; praefatasque necessitates omnino attendentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut, si per civitatem Ulyssiponensem pro summâ ducentorum millium, per reliquas vero civitates, oppida et loca eorumdem regnorum pro summâ quadringentorum millium cruciatorum huiusmodi gabellam eamdem super carne et vino publice emendis, ut praefertur, ac modo et formâ in praeinsertis litteris expressis, ad aliud sexennium a fine sexennii supra expressi computandum de novo imponi contigerit, vel forsan imposita sit, pro recuperatione et manutentione locorum Indiarum praefatarum, ita ut praedicta gabella tam civitatis Ulyssiponensis quam etiam quarumcumque aliarum civitatum, terrarum et locorum Portugalliae et Algarbiorum regnorum huiusmodi insimul in totum summam sexcentorum millium cruciatorum seu scutorum monetae Romanae non excedat, earumdem civitatum et oppidorum ac locorum praesidentibus, officialibus, ministris, communitatibus ac universitatibus et hominibus respective licentiam, auctoritate nostrâ praedictâ, concedas et impartiaris gabellam praedictam etiam a personis ecclesiasticis tam secularibus quam regularibus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existant, etiam exemptis et quomodolibet qualificatis, vinum et carnem, ut praefertur, publice ementibus, absque ullo conscientiae scrupulo aut censurarum et poenarum ecclesiasticarum incursu, et durante sexennio per praesentes concesso, et ut praefertur computando, dumtaxat, exigendi, pecuniasque inde provenientes ad effectum praemissum et non in alios usus quocumque convertendi et erogandi; et respective, quatenus iam ad ultimodictum sexennium huiusmodi imposita sit, confirmes et approbes.

Deputat personas ad dictam gabellam exigendam.

§ 6. Volumus similiter, quod pecuniae ratione gabellarum huiusmodi exigendae penes datas personas fide et facultatibus idoneas, unam videlicet ab eodem Philippo rege seu eius ministris in eodem regno existentibus, aliam vero a dicto clero, seu a te eiusdem cleri nomine, deputandas et respective approbandas, omnino deponantur, et per easdem personas coniunctim procedentes dictis Philippi regis ministris, ad effectum illas in supradictos Indiarum et Brasiliae, et non in alios usus, sub infrascriptis censuris et poenis eo ipso incurrendis, expendendae consignentur; quodque personae sic deputatae et approbatae de pecunias huiusmodi nonnisi ad effectum eadem subsidia in praefatos et non alios usus praestandi eisdem Philippi regis ministris numerando, ministri vero praedicti pecunias ex dictis gabellis provenientes, sibi ut praefertur numerandas, nonnisi in istos et non alios

usus erogando, sub excommunicationis maioris ac privationis dignitatum, officiorum et beneficiorum etiam ecclesiasticorum ipso facto incurrendis poenis[1], a quibus nonnisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente specialiter, non autem vigore cruciatae seu alterius cuiusvis concessionis aut privilegii ab eâdem Sede pro tempore emanati et emanandi, absolvi posse declaramus, solitum praestent in manibus tuis iuramentum.

Pecuniam ex dictâ gabellâ provenientem in alios usus converti vetat.

§ 7. Insuper etiam volumus, quod quicumque alii ministri et officiales regii, cuiuscumque conditionis, qualitatis, status et praeeminentiae, specialique notâ digni sint, easdem pecunias in toto vel in parte in alios, quam praefatos usus, sub eisdem censuris et poenis ipso facto incurrendis convertere non possint; quodque in eventum contraventionis seu inobservantiae omnium et singulorum praemissorum vel cuiuslibet eorum praesens gratia nulla sit, prout illam ex nunc, tenore praesentium, nullam fuisse et esse, contravenientesque ad restitutionem teneri, et nonnisi factâ actuali restitutione absolvi posse, similiter declaramus ac etiam decernimus; quodque, sexennio per praesentes concesso et ut praefertur computando elapso, et interim si praefatae summae erunt solutae seu exactae, eaedem praesentes expirent similiter eo ipso, nec, sub eiusdem censuris et poenis ipso facto incurrendis, gabellae praefatae ulterius exigi, minusve super eis aliquod onus, praesertim ultra praefatum tempus duraturum, imponi unquam possit.

Praedictam gabellam aliis non praeiudicare declarat.

§ 8. Per praesentes autem non intendimus impositioni aliàs per eamdem civitatem Ulyssiponensem pro derivandâ aquâ factae et per nos confirmatae in aliquo praeiudicare.

Clausulae.

§ 9. Decernentes, sic et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et nuntios, quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat obstantibus.

§ 10. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus, provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac quorumvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis[1], in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, omnibusque illis, quae in litteris praefatis voluimus non obstare; quibus omnibus et singulis, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx novembris MDCXXXV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 20 novembris 1635, pontif. anno XIII.

1 Vocem *poenis* nos addimus (R. T.).

1 Nempe *clausulis et decretis* (R. T.).

DXXXII.

Prohibet, quominus maiorem post pontificalem in cathedralibus et principales in collegiatis ecclesiis dignitates obtinentes, ac canonici magistrales, doctorales, lectores, poenitentiarii et parochialium ecclesiarum rectores in regnis Castellae et Legionis episcoporum familiares esse possint[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Refert nonnullas a Gregorio XV emanatas litteras.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Gregorio Papa XV praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Aliàs a felicis recordationis Paulo Papa V praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris[2], videlicet:

Quibus referuntur aliae similes Pauli V litterae.

§ 2. *Paulus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.* Ecclesiae universae per abundantiam divinae gratiae, meritis licet insufficientibus, praepositi, vigilantiae nostrae nostrae partes, sicut ex incumbentis nobis officii debito tenemur, sedulo intendimus, ne personae, ad ecclesiarum servitium et curam assumptae et deputatae, a servitio et curâ huiusmodi cum ecclesiarum earumdem detrimento distrahantur. Sane, sicut nobis nomine dilectorum filiorum deputatorum et congregationis cleri regnorum Castellae et Legionis expositum nuper fuit, in penultimo consilio provinciali Toletano provide statutum et ordinatum fuit, ut canonicus, qui praebendam doctoralem, aut magistralem, vel illam obtinet, cui munus legendi sacram scripturam incumbit, necnon et poenitentiarius metropolitanae, vel episcopi vicarius, provisor, aut visitator, non possit esse iudex ordinarius vel delegatus universalis appellationum; quod etiam in presbyteris parochiales ecclesias obtinentibus omnino servari voluit, ne ab ecclesiis, quarum cura pastoralis ipsis est commissa, eos abesse contingat. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in regnis praedictis, aliarum ecclesiasticarum personarum doctrinâ et virtutibus insignium, qui praedicta munia obire possint, magna benedicente Domino copia reperiatur, ac firmiora sint ea, quae apostolicae confirmationis robore muniuntur, et propterea deputati et congregatio huiusmodi plurimum cupiant dictum statutum apostolicâ auctoritate approbari et confirmari: nos, iustis et laudabilibus deputatorum ac congregationis huiusmodi petitionibus per dilectum filium Ioannem de Salazar canonicum ecclesiae Compostellanae dicti cleri negotiorum in Romanâ curiâ gestorem nobis exhibitis benigne annuere, ipsosque deputatos ac congregationem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, statutum, in dicto concilio provinciali ut praefertur factum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti, etiam substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes statutum huiusmodi ab omnibus et singulis, ad quos spectat

Paulus V confirmavit statutum concilii Toletani, quo cavetur, quominus nonnullae dignitates sint iudices appellationum.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Excidit vox *subsequentis* (R. T.).

et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca venerabili fratri Antonio archiepiscopo moderno et pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncio ac dilecto filio curiae causarum camerae apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte deputatorum et congregationis huiusmodi necnon interesse habentium fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostrâ easdem praesentes, et in illis contenta huiusmodi, ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii, secularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum dictorum regnorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ecclesiarum dictorum regnorum praesulibus, et aliis quibuscumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore persuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII augusti MDCXV, pontificatus nostri anno XI.

Gregorius XV praedictum statutum extendit ad omnes ecclesias regnorum Castellae et Legionis.

§ 3. Cum autem, sicut dilectorum filiorum deputatorum et congregationis cleri regnorum Castellae et Legionis praedictorum nomine nobis nuper expositum fuit, ipsi provide considerantes, quod, si statutum per praeinsertas litteras approbatum et confirmatum huiusmodi ad ecclesias omnes metropolitanas, cathedrales, collegiatas et parochiales totius regni Castellae et Legionis extenderetur et ampliaretur, ex hoc profecto earumdem ecclesiarum utilitati maxime consuleretur; nobis propterea deputati et congregatio huiusmodi per dilectum filium Ludovicum de las Infantas et Saavedra archidiaconum de Antequera nuncupatum et canonicum ecclesiae Malacitanae dicti cleri negotiorum in Romanâ Curiâ gestorem humiliter supplicari fecerunt, ut super praemissis opportune providere de benignitate nostrâ dignaremur. Nos igitur, piis et laudabilibus deputatorum et congregationis huiusmodi votis, quantum cum Domino possumus, annuere, ipsosque deputatos et congregationem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum prae-

sentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium dicti Concili Tridentini interprètum consilio, statutum, in provinciali synodo Toletanâ editum, atque a dicto Paulo praedecessore confirmatum ut praefertur, ad ecclesias omnes metropolitanas, cathedrales, collegiatas et parochiales totius regni Castellae et Legionis huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, extendimus, illudque in eisdem ecclesiis perinde observari atque in aliis ecclesiis provinciae Toletanae praecipimus et mandamus; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus. Quocirca venerabili fratri Alexandro patriarchae Alexandrino moderno et pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncio ac dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum deputatorum et congregationis necnon interesse habentium fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes litteras et in eis contenta ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus omnibus illis, quae dictus Paulus praedecessor in praeinsertis litteris huiusmodi voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX maii MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Idem clerus petit decerni prout in rubricâ.

§ 4. Cum autem, sicut dilectus filius Lucas Gonzales de Leon canonicus magistralis ecclesiae Cordubensis ecclesiarum praedictarum, quorum negotiorum in Romanâ curiâ gestor existit, nomine nobis nuper exponi fecit, ipse nos decerni summopere desideret, ut nec maiorem post pontificalem in cathedralibus, nec principalem in collegiatis ecclesiis dignitates obtinentes, nec canonici magistrales, doctorales, lectores, poenitentiarii et parochialium ecclesiarum rectores, episcoporum familiares seu commensales esse possint, quandoquidem eademmet prorsus inconvenientia sive incommoda oriantur, ex eo quod praedicti eorumdem archiepiscoporum seu episcoporum officiales seu visitatores existentes necessario cogantur deesse suarum praebendarum obligationi, ac muneri et gubernio, necnon ecclesiarum ipsarum regimini, ad quem unum, seu solum, vel praecipuum effectum praebendae praedictae apostolicâ auctoritate erectae et institutae sunt; nobis propterea dictus Lucas, tam suo, quam ecclesiarum praedictarum nominibus, humiliter supplicari fecit, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Decretum.

§ 5. Nos igitur, tam deputatorum et congregationis quam Lucae praedictorum votis hac in parte annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel

causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus, ne de cetero perpetuis futuris temporibus maiorem post pontificalem in cathedralibus ac principalem in collegiatis ecclesiis dignitates obtinentes, nec canonici magistrales, doctorales, lectores, poenitentiarii et parochialium ecclesiarum rectores, episcoporum familiares seu commensales esse possint;

Clausulae praeservativae.

§ 6. Praesentes vero litteras, et in eis contenta quaecumque, ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum deputatio.

§ 7. Quocirca dilecto filio moderno et pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncio ac dilecto filio curiae causarum camerae apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum deputatorum et congregationis necnon interesse habentium fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes litteras, et in eis contenta huiusmodi, ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus omnibus illis, quae in litteris praedictis concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI novembris MDCXXXV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 21 novembris 1635, pontif. anno XIII.

DXXXIII.

Quod nullus fratrum Ordinis Praedicatorum, per se, vel alium, negotium aliquod tractare audeat in Romanâ curiâ, inconsulto procuratore generali dicti Ordinis.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Galassinus Ordinis Praedicatorum procurator generalis, quod, licet per decreta capitulorum generalium dicti Ordinis prohibeatur eiusdem Ordinis professoribus, sub certis inibi expressis poenis, ne, per se, vel per alium, pro se, vel pro alio, etiam praetextu procurationis vel commissionis sibi datae a proprià provinciâ vel domo regulari, negotium aliquod, cuiuscumque illud generis sit, quomodolibet tractare, procurare, inchoare, aut attentare audeant, nisi per pro tempore existentem dicti Ordinis procuratorem generalem, vel de eius scitu, et expressâ in scriptis licentiâ, et aliàs, prout in dictis decretis latius continetur tenoris subsequentis, videlicet:

Ex actibus capituli generalis Romae MDCXII.

Admonemus omnes ac singulos nostri Ordinis patres ac fratres, cuiuscumque gradus, status et conditionis existant, eisdemque iustis de causis, et ad tollenda evitandaque incommoda multa quae in dies oriri cognoscimus, in virtute Spiritus Sancti et sanctae obedientiae, et sub for-

mali praecepto, necnon sub poenâ[1] excommunicationis latae sententiae, hac unâ pro trinâ canonicâ monitione praemissâ, a qua nonnisi per magistrum Ordinis vel eius vicarium generalem, praeterquam in mortis articulo, possint absolvi, et, si praelati fuerint, sub poenâ etiam absolutionis a suis officiis ipso facto incurrendâ, praecipimus et mandamus, ne in Romanâ curiâ negotium aliquod, cuiuscumque illud generis sit, per se, vel per alium, pro se, vel pro alio, etiam pratextu procurationis vel commissionis sibi datae a proprià provinciâ vel conventu, quomodolibet tractare, procurare, inchoare, aut attentare audeant, nisi per praedictum admodum reverendum patrem procuratorem Ordinis, vel de eius scitu et expressâ licentiâ in scriptis. Revocantes, praesentium tenore, omnes facultates hactenus in contrarium datas, et si quas imposterum his contrarias dari contingat.

Ex actibus capituli generalis Bononiae MDCXV.

Confirmamus et renovamus ordinationem Romae factam MDCXII, et sub poenis in eodem capitulo taxatis praecipimus omnibus et singulis nostri Ordinis patribus ac fratribus, ut nemo, sive per se, sive per alium, sive secularis, sive nostri Ordinis frater fuerit, et cuiuscumque gradus et conditionis existat, in curiâ Romanâ quicquam sine scitu reverendi admodum patris procuratoris Ordinis tractare vel procurare audeat;

§ 2. Nihilominus, cum experientiâ compertum sit, quod, aut sub praetextu ignorantiae dictorum decretorum, aut quod illa non sint in usu, parum aut nihil observantur, in grave dicti Ordinis praeiudicium, necnon officii procuratoris generalis, et in illius spretum; ideirco, ne provisio observantiae regulari adeo salutaris et Ordini praedicto proficua in desuetudinem abeat, praedictus Franciscus, procurator generalis, nobis humiliter supplicari fecit, ut decreta huiusmodi apostolicae nostrae confirmationis robore communire de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, dictum Franciscum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decreta praeinserta cum omnibus et singulis in eis contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatur prout in rubrica.

§ 3. Decernentes illa, necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis dicti Ordinis et fratribus inviolabiliter observari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III decembris MDCXXXV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 3 decembris 1635, pontif. anno XIII.

1 Edit. Main. legit *poenis* (R. T.).

DXXXIV.

Quod in provinciis Hispaniarum et Indiarum fratrum sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum amplius non sint neque habeantur tituli lectorum iubilatorum, neque ullus exemptione patris gaudeat, nisi qui minister provincialis fuerit.

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Religiosos viros, qui, abiectis huius seculi vanitatibus, humilitati et paupertati sub arctioris vitae instituto se per omnia tradiderunt, et abnegantes semetipsos, ut facerent voluntatem Domini, suam fregerunt, sicut peculiaribus Sanctae Sedis favoribus et gratiis dignos existimamus, ita ad circumspectam illius providentiam pertinere dignoscimus ea sedulo statuere atque ordinare, quibus religiosi ipsi in eâ, quam singulari divinae benedictionis praesidio ingressi sunt, viâ de cetero ambulent, et vota sua reddant Domino in sanctitate et iustitiâ coram ipso.

De titolo lectoris iubilati.

§ 1. Hinc est quod nos, dilectis filiis fratribus Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia Discalceatis nuncupatis Hispaniarum et Indiarum, quos in visceribus gerimus charitatis, omnem ambitionis honorumque et titulorum consequendorum viam praecludere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione, statuimus atque ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus in ullâ eorumdem fratrum provinciâ tam Hispaniarum quam Indiarum tituli lectoris iubilati nullatenus sint neque habeantur;

Et exemptione patris non amplius habendis.

§ 2. Quodque nullus eorumdem fratrum Discalceatorum, qui minister provinciallis non fuerit, titulo ac exemptione patris gaudeat, etiamsi fuerit vel pro tempore sit vicarius provincialis.

Poenisque contra eos, qui illis utentur.

§ 3. Nos enim ex nunc quoscumque titulos lectorum iubilatorum, qui ad praesens in eisdem provinciis reperiuntur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, revocamus, cassamus et abrogamus, ac pro revocatis, cassis et abrogatis haberi volumus; mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub arbitrii nostri poenis, omnibus et singulis dictarum provinciarum fratribus, ad quos spectat, ne titulis iubilatorum sibi aliàs quomodolibet concessis, seu per eos quavis occasione vel causâ obtentis, de cetero uti, seu se illis iuvare audeant vel praesumant, ac in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis ac privationis officii poenis ipso facto incurrendis, dilectis filiis eorumdem fratrum ministro et commissario generalibus respective praecipimus et mandamus, ut statim, receptis praesentibus litteris, illis pareant et obediant, deque illis ministros provinciales, vicarios praedictos, et fratres in numerum lectorum iubilatorum relatos certiores faciant, ac ministri provinciales, vicarii praedicti, et lectores iubilati huiusmodi omnia et singula in eisdem litteris contenta, sub eisdem poenis ut praefertur incurrendis, adimpleant.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes, praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciarum praedictarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ,

vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ contitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III decembris MDCXXXV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 3 decembris 1635, pontif. anno XIII.

DXXV.

Decretum editum a sacrâ Tridentini Concilii congregatione quoad novitios receptos et professos contra formam decretorum[1].

Sanctissimus D. N. Urbanus, divinâ providentiâ Papa VIII,

Ratio tenor decreti.

Ad occurrendum motibus, qui possent in religionibus oriri occasione receptionis novitiorum et professionis per eos emissae in conventibus non designatis, contra formam decretorum sanctae memoriae Clementis VIII de novitiis ad habitum regularem et professionom non admittendis nisi in conventibus designatis, auditâ super hoc sententiâ sacrae Congregationis concilii, declaravit ac decrevit, huiusmodi receptos et professos contra formam dictorum decretorum, allegantes propterea nullitatem receptionis et professionis, non posse super huiusmodi nullitate post lapsum quinquenii quoquomodo audiri.

Quod si aliqui contra formam praefatorum decretorum recepti et professi e religione infra quinquennium exire, vel superiores extra eam respective illos eiicere voluerint, eadem Sanctitas Sua decrevit, ut tam ipsi professi quam superiores respective teneantur iura, quae sibi favere visa fuerint, prius deducere coram eâdem sacrâ Congregatione, quae, ex speciali etiam Suae Sanctitatis facultate super hoc concessâ providebit. Inhibendo propterea primatibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et praelatis inferioribus iurisdictionem exercentibus, ac quibuscumque iudicibus ordinariis et delegatis, etiam causarum palatii apostolici auditoribus, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, etiam de latere legatis, Sedisque Apostolicae nuntiis, ne in posterum in hoc quoquomodo se ingerant absque speciali eiusdem Sanctitatis commissione, sub poenâ ipso facto incurrendâ quoad episcopos, archiepiscopos, patriarchas et primates, interdicti ab ingressu ecclesiae; quoad abbates, praelatos inferiores, ac alios iudices praedictos, excommunicationis latae sententiae; quo vero ad nuntios, et ad sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, indignationis Suae Sanctitatis et poenarum arbitrio eiusdem ponendarum.

Si vero iidem, ut supra recepti et professi, iuribus suis minime deductis coram sacrâ Congregatione Concilii, et sine illius expressâ licentiâ, e religione exire, vel superiores religionis eos eiicere ausi fuerint, ipsi recepti et professi tamquam apostatae puniantur, et pro talibus habeantur, necnon contra eosdem, iuxta formam decreti de regularibus apostatis et eiectis eiusdem Sanctitatis Suae iussu ab eâdem sacrâ Congregatione sub die XXI septembris MDCXXXIV editi, procedatur; et superiores, qui eiecerint, poenam suspensionis a divinis, necnon privationis omnium officiorum quae tunc obtinebunt, ac perpetuae inhabilitatis ad ea in posterum obtinenda, vocisque activae et pas-

1 Decretum istud in edit. Main. adiectum ad Const. CCCXCIV, supra pag. 215 (R. T.).

sivae, ipso facto, absque aliâ declaratione, incurrant.

Datum Romae, die v ianuarii MDCXXXVI.

F. Card. Verospius.

Franciscus Paulutius, S. C. C. *Secret.*

DXXXVI.

Oppida Castri Durantis et S. Angeli in civitates, et eorum collegiatae in cathedrales eriguntur sub titulo episcopatus Urbaniae[1].

Urbanus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Fundatio. Pro excellenti praeeminentiâ[2] Sedis Apostolicae, in quâ, post beatum Petrum apostolorum principem, quamquam imparibus meritis, pari tamen auctoritate, constituti fuimus[3], in irriguo militantis Ecclesiae agro Romanum Pontificem novas episcopales sedes ecclesiasque plantare dignum arbitramur, ut per huiusmodi novam plantationem populorum augeatur devotio, divinus cultus efflorcat, et animarum salus subsequatur, oppidaque et loca insignia, nostrae praesertim et sanctae Romanae Ecclesiae ditioni subdita, dignioribus titulis attollantur et maioribus honoribus decorentur, ut propagatione[4] novae sedis, honoratique praesulis assistentiâ et regimine cum decenti ministrorum numero[1] fideliter ipsi in devotione persistentes, ac etiam devotionis huiusmodi augmentum suscipientes, aeternae felicitatis praemium facilius valeant adipisci, dignaque[2] eorum veteribus aliis cadere possint in exemplum.

Supplicatio universitatis et terrarum seu oppidorum Castri Durantis et S. Angeli in Vado.

§ 1. Sane, cum nobis aliàs pro parte universitatum et hominum terrarum seu oppidorum Castri Durantis et S. Angeli in Vado, nullius[3] dioecesis, provinciae Urbinatensis, iurisdictionis pro tempore existentis abbatis monasterii S. Christophori terrae seu oppidi Castri Durantis huiusmodi, sancti Benedicti seu alterius Ordinis, humiliter supplicatum fuisset, ut utramque terram, seu alterutrum oppidum huiusmodi, in civitatem, ac monasterium praedictum[4] et matricem seu maiorem, archipresbyteratum nuncupatum S. Michaëlis Archangeli, terrae seu oppidi S. Angeli in Vado huiusmodi ecclesias, alioquin ad id capaces et idoneas, earumque alterutram, in cathedrales ecclesias erigere, aliaque in praedicta[5] facere et exequi de benignitate apostolicâ dignaremur;

Negocium examini Congregationis Consistorialis fuit remissum.

§ 2. Nos vero negotium huiusmodi congregationi venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consultationibus et rebus consistorialibus praepositorum examinandum demandavissemus; et ipsi, captâ desuper

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Bulla ista refertur etiam ab Ughellio in sua *Italia sacra*, tom. II, col. 884 seq., edit. Venet., ubi etiam legitur altera persimilis data sub eodem die et anno pro erectione sedis episcopalis S. Angeli in Vado, ibid. col. 896. Utramque consuluimus ad lectionem emendandam (R. T.).

3 Aptius in utroque diplomate Ughellius legit *sumus* (R. T.).

4 Ita etiam legit Ughellius, sed nescio an vox *propagatione* conveniat; forsan legendum *erectione* aut *plantatione*, sicut antea dixit *novas episcopales sedes ecclesiasque plantare* (R. T.).

1 Ita etiam in hoc loco legit Ughellius; at ex altero apud Ughellium diplomate et ex contextus exigentia heic addendum videtur *suffulti* (R. T.).

2 Sic habet Ughellius quoque; sed vel legendum *dignâque eorum veteribus vitâ* vel *dignequc eorum veteribus viventes*: paulo post Ughellius legit *possit* pro *possint* (R. T.).

3 Perperam Ughellius legit *nullatenus* pro *nullius* (R. T.).

4 Omnino ex Ughellio et contextus ratione legendum *monasterii praedicti*, idest *ecclesiam*, nam postea sequitur pluraliter *ecclesias* (R. T.).

5 Sic in hoc loco legit etiam Ughellius, sed in loco parallelo alterius Bullae ab ipso editae legitur *infrascripta* pro *in praedicta* (R. T.).

Quae fuit in voto devenire posse ad petitam erectionem.

diligenti ac sufficienti informatione, utramque ecclesiam talem esse, ut earum quaelibet in ecclesiam cathedralem erigi mereretur, retulissent:

Dimissâ itaque per cardinalem Barberinum huiusmodi ecclesiarum commendâ,

§ 3. Nos (in quorum manibus dilectus filius noster Franciscus S. Laurentii in Damaso diaconus cardinalis Barberinus nuncupatus, eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellarius, noster secundum carnem ex fratre germano nepos, qui monasterium praedictum, cuius fructus ad centum florenos auri in libris camerae apostolicae taxati reperiuntur, ut commendam ad sui vitam ex concessione et dispositione apostolicâ obtinebat, commendae huiusmodi, ac omni cuicunque iuri, sibi in dicto monasterio, illiusque regimine et administratione, vel ad illa quomodolibet competenti, sponte et libere cessit, et Andreas Lazarus praepositus nuncupatus S. Alexandri, ac Fabius Picolpassus S. Mariae de Burgo etiam nuncupatus, parochialium ecclesiarum ipsius oppidi Castri Durantis rectores, dilecti etiam filii, parochiales ecclesias praedictas, quas etiam super obtinebant, ad effectum praedictum sponte et libere resignarunt, quique cessionem et resignationem huiusmodi duximus admittendas), auditâ cardinalium huiusmodi relatione, exhibitâ [1] super his cum eis [2] et aliis sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus maturâ deliberatione, ac de illorum consilio et assensu, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ad Dei omnipotentis laudem, ac gloriosissimae Virginis Mariae et sancti Christophori ac totius curiae caelestis honorem, fideique catholicae exaltationem, et incolarum oppidi Castri Durantis praedicti spiritualem consolationem, animarumque salutem, ac dicti oppidi Castri Durantis decus huiusmodi, quod, sicut accepimus, tam ob numerum nobilium virorum habitatorum, doctorum, militum et aliorum in dignitate constitutorum, quam aedificiorum insigne existit, ac in quo, uti inter cetera ducatus olim Urbini primario et capite provinciae Massae Trebariae, resideant [1] commissarius, fiscalis et officiales dictae provinciae; quodque aliâs, ad instar aliarum civitatum ducatus huiusmodi, pro consistorio ducali octo virorum pro totâ provinciâ unum ex suis incolis pluries obtinuit et deputavit, illudque duces olim Urbini pro eorum residentiâ elegerunt, et praesertim clarae memoriae Franciscus Maria sextus et ultimus dux, qui idem oppidum suâ insigni bibliothecâ et sepulturâ corporis sui tandem decoravit, [praeviâ perpetuâ abbatiâ [2] regularis tituli et denominationis in ipso monasterio, ac, tam in illo quam in illius membris et dependentiis et eius ecclesiâ huiusmodi, ipsius Ordinis ac omnis status, essentiae et dependentiae universalium [3], singulorumque illius officiorum (quae pridem felicis recordationis Paulus Papa V, in litteris mandati erectionis ipsius ecclesiae S. Christophori in collegiatam, ac unius dignitatis primordialis, ac certi canonicatuum et praebendarum et aliorum forsan beneficiorum numeri, perpetuo sub certis modo et formâ tunc expressis supprimi et extingui mandaverat), et in S. Alexandri ac S. Mariae de Burgo parochialibus ecclesiis praedictis, ac earum singulis, rectorum tituli

Pontifex, attentâ oppidi Castri Durantis qualitate,

1 Ughellius ipse in hoc loco sic legit; sed ex altero apud ipsum diplomate patet esse legendum: *et habitâ* (vel *adhibitâ*) (R. T.).

2 Improbe ed. M. h. *cunctis* pro *cum eis* (R.T.).

1 Ughellius legit *resideat*; sed videtor potius legendum *resident* (R. T.).

2 Ita etiam Ughellius, sed legendum potius *praeviâ* (vel *praeviis*) *praedictae abbatiae* (vel *in praedictâ abbatiâ*) *regularis tituli*, ut postea sequitur, *perpetuâ suppressione et extinctione*. Perperam porro in loco parallelo alterius diplomatis Ughellius habet *praediis* pro *praeviis* (R.T).

3 Ita legit Ughellius quoque in hoc loco; sed forsan legendum *regularium* pro *universalium* (R. T.).

Illud in civitatem et ecclesiam parochialem S. Christophori in cathedralem erit.

et denominationis perpetuâ suppressione et extinctione], in civitatem Urbaniam nuncupandam, ac ecclesiam S. Christophori huiusmodi, antea insignis abbatiae particulare ac separatum territorium habentis ac iura pontificalia et iurisdictionem quasi episcopalem in terrâ seu oppido Castri Durantis huiusmodi exercentis dignitate praefulgentem, multisque aliis nominibus insignitam[1], in cathedralem ecclesiam, archiepiscopo Urbinatensi, nunc et pro tempore existenti, iure metropolitico subiectam atque suppositam, pro uno episcopo Urbaniensi et S. Angeli in Vado nuncupando, eiusdem archiepiscopi[2] perpetuo suffraganeo, qui praedictis Urbaniensi et S. Angeli in Vado, etiam per nos hodie in cathedralem erigi concessis[3], ecclesiis ex nunc invicem perpetuo unitis, et utrique illarum aequo iure et pari dignitate praesit, ac in illis et utrâque earundem omnia et singula, quae ordinationis, iurisdictionis ac dignitatis episcopalis et pontificalis exercitii sunt, et ad illa atque ad utriusque ecclesiae synodi dioecesanae convocationem et celebrationem spectant, exerceat, cum omnibus et singulis privilegiis, honoribus, iuribus, insignibus, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, favoribus et gratiis, ac indultis, quibus alii episcopi de iure et consuetudine, aut aliàs quomodolibet, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt;

Cui praesit episcopus Urbinatensis archiepiscopi suffraganeus.

Et praeterea.

§ 3. Et praeterea in eâdem ecclesiâ Urbaniensi unam dignitatem, praeposituram nuncupandam, primam post pontificalem, pro uno clerico seu presbytero seculari, magistro in theologiâ, seu iuris utriusque vel saltem in decretis vel altero iurium doctore aut licentiato, futuro ipsius ecclesiae Urbaniensi praeposito, qui, tam in choro quam in capitulo, processionibus et aliis actibus per obtinentes similium cathedralium ecclesiarum dignitates et alios canonicos et alios beneficiatos habitus gestari solitos (ac quibus aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt) gestare libere et licite valeant[1];

Unam in eadem ecclesia erigit.

Nec non etiam.

§ 4. Necnon etiam in ipsâ ecclesiâ Urbaniensi octo canonicatus ac totidem praebendas pro octo canonicis et praebendatis, ac quinque perpetuos mansionarios[2] personalem residentiam requirentes pro totidem aliis actu presbyteris secularibus, aut in eâ saltem aetate constitutis qui infra annum proximum ad sacrum presbyteratus ordinem promoveri possint, et quibus cura animarum, a dictis parochialibus ecclesiis abdicanda et ab illis ad dictam ecclesiam Urbaniensem transferenda, alternis hebdomadis incumbat, et qui praevio examine per examinatores in synodo dioecesanâ iuxta formam Concilii Tridentini pro tempore deputatos examinari et approbari debeant, et omnes apud dictam ecclesiam Urbaniensem constituere[3], ac in eâ singulis diebus horas ea

1 Male Ughellius in hoc loco habet *insignitum* (R. T.).

2 Erronee tum ed. Main. tum Ughellius in hoc loco legunt *archiepiscopo*; legendum esse *archiepiscopi* patet ex ratione contextus et ex loco parallelo alterius apud Ughellium diplomatis (R. T.).

3 Quamvis et Ughellius legat *concessis*, tamen numero singulari videtur legendum *concessae*, ut proposito incidens, et adiectivum referatur ad solam ecclesiam S. Angeli in Vado, et id arguitur ex loco parallelo alterius diplomatis (R. T.).

1 Potius lege *valeat*, prout legitur in altera Bulla apud Ughellium, nam de solo *praeposito* sermo est; sed in praemissis quae inclusi parenthesi forsan desunt quaedam; ex. g. *ac privilegiis*, quibus aliàs quomodolibet, etc., *et ipse gaudere possit*, aut simile (R. T.).

2 Ita etiam legit Ughellius in hoc loco; sed legendum esse potius *perpetuas mansionarias*, prout legitur in loco parallelo alterius diplomatis, non dubito (R. T.).

3 Ex Ughello lege: *residere, ac una cum dignitatem* (male Ughellius h. *dignitate obtinente*

nonicas tam diurnas quam nocturnas, necnon conventualem, aliasque missas, servatâ ecclesiasticâ disciplinâ, celebrare et decantare seu recitare, aliisque[1] interesse, ac aliàs praedictae ecclesiae Urbaniensi laudabiliter in divinis deservire, ceteraque onera et officia eis pro tempore praescribenda, ac singulis confraternitatum cappellanis[2] et parochialibus ac sine curâ S. Barbarae ecclesiis, mensae capitulari Urbaniensi unitis, incumbentia subire, curamque animarum, tam ipsius cathedralis ecclesiae Urbaniensis, quam ab aliis parochialibus ecclesiis unitis praedictis abdicatam et ad dictam ecclesiam Urbaniensem translatam, per se, vel mansionarios praedictos, aliaque parochialia onera et officia per turnum alternis hebdomadis, vel prout melius videbitur, debite supportare, ac parochianis ipsis sacramenta ecclesiastica ministrare teneantur, motu proprio et ex certâ scientiâ nostrâ, et de apostolicae potestatis plenitudine, perpetuo erigimus et instituimus.

Urbaniae et S. Angeli in Vado ecclesias unit.

§ 5. Ipsamque Urbaniensem sic erectam et institutam ac S. Angeli in Vado ecclesias huiusmodi insimul aeque principaliter unimus.

Ædes episcopo assignat,

§ 6. Necnon praedicto episcopo pro illius residentiâ aedes suppressi monasterii, dum in ipsâ Urbaniensi, ac, cum in praedictâ S. Angeli in Vado, civitatibus, resederit, aedes rectorales ecclesiae S. Michaëlis Archangeli, in cathedralem ut praemittitur erigi concessae, pro perpetuis illius usu et habitatione; ac ulterius ipsi episcopo ipsammet[3] Urbaniensem et S. Angeli in Vado civitates pro eius civitatibus, et pro Urbaniensi dioecesi terras antea iurisdictioni

Et dioecesim.

abbatis suppressi monasterii subiectas, non tamen praedictam S. Angeli in Vado, quae, unâ cum suo territorio et districtu, eo ipso ab omni et quacumque aliâ iurisdictione, praeterquam ipsius episcopi S. Angeli in Vado, libera, immunis et exempta sit et esse censeatur, et pro S. Angeli in Vado dioecesi remaneat, earumdemque civitatum communitates, et terrarum praedictarum universitates et homines, habitatores et incolas pro suis populis et dioecesanis, earumdemque clericos pro suis clericis, ac ecclesiarum praedictarum sic in cathedrales erectarum vassallos pro vassallis, dictâ auctoritate concedimus et assignamus.

Mensam episcopalem constituit.

§ 7. Et insuper eidem mensae episcopali Urbaniensi omnia et singula[1] in instrumentis fundationum praebendarum et canonicatuum huiusmodi respective contenta pro illius, ac praepositurae, canonicatuum et praebendarum huiusmodi dote, et tam a nonnullis confraternitatibus laicalibus dictarum civitatum seu ex piorum dispositionibus aut aliàs quomodolibet respective tam assignata quam assignanda, et pro collegii quinque mansionariorum in eâdem Urbaniensi ecclesiâ erectorum huiusmodi dote, onerumque illis incumbentium supportatione, decimas et quarteria antea cappellanis solvi solita, ac trecenta scuta annua monetae illarum partium, solvenda per communitatem Urbaniae per annos viginti dumtaxat, et non ultra, et postea per episcopum Urbaniensem pro tempore existentem in perpetuum assignanda et solvenda, perpetuo applicamus et appropriamus: ita quod liceat episcopo tam suppressi monasterii et S. Angeli in Vado huiusmodi quam aliorum, et praeposito dictae praepositurae, et singulis canonicis Urbaniae, ac singulis eorum canonicatibus et praebendis particulariter, eis et eorum cuilibet in specie et tam illis quam capitulo Urbaniensi respective

et canonicis capitulum dictae ecclesiae Urbiniensis constituere (R. T.).

1 Ita etiam Ughellius in hoc loco; sed in altero diplomate aptius legit *illisque* (R. T.).

2 Aptius Ughell. in h. l. leg. *cappellaniis* (R.T).

3 Legerem *ipsasmet* (R. T.).

1 Forsan deest *bona* vel *iura* (R. T.).

unitorum, applicatorum, assignatorum, prout ad eos et eorum quemlibet respective spectat et pertinet, ac pro tempore spectabit et pertinebit, illorum omnium et[1] singulorum veram, realem, actualem et corporalem possessionem, per se, vel alium, seu alios, proprià auctoritate, et absque iudicis vel curiae decreto aut ministerio, apprehendere et apprehensam perpetuo retinere.

Episcopo et capitulo potestatem fiat condendi statuta pro servitio ecclesiae, etc.

§ 8. Insuper episcopo unà cum capitulo huiusmodi quaecumque statuta, ordinationes, capitula, licita tamen et honesta, sacrisque canonibus et concilii Tridentini decretis, constitutionibusque apostolicis non contraria, super celebratione divinorum officiorum, administratione sacramentorum, ac personali residentià, divisione et participatione distributionum quotidianarum, edendi et condendi, ac edita et condita pro temporum et rerum varietate et qualitate, quoties opportunum et expediens videbitur, limitandi, corrigendi, declarandi et interpretandi, atque in meliorem formam redigendi, plenam et omnimodam liberamque facultatem, motu et apostolicae potestatis plenitudine similibus, concedimus et impertimur.

Privilegia eisdem concedit.

§ 9. Denique episcopo, praeposito, capitulo et canonicis ecclesiae Urbaniensis huiusmodi, aliisque eiusdem capituli[2] et ecclesiae Urbaniensis personis atque ministris pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, praeeminentiis, praerogativis, concessionibus, facultatibus, indultis, favoribus et gratiis, quibus alii episcopi, et aliarum ecclesiarum cathedralium capitula, aliaeque civitates et dioeceses, ac earum clerus, incolae et habitatores, ac eorum res et bona, de iure, usu et consuetudine, aut privilegio, vel aliàs quomodolibet, utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum,[1] quoad habitus delationem, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, motu, auctoritate et de potestatis plenitudine similibus, concedimus et indulgemus.

Communicat Castri Durantis ius praesentationis ad canonicatus, etc. tribuit.

§ 10. Postremo communitati et hominibus oppidi Castri Durantis sic in civitatem Urbaniensem erecti, ac confraternitatibus montis in ipsà seu alià Urbaniensi ecclesià canonice institutis, aliisque, iuxta formam fundationum factarum earumque instrumentorum, ius praesentandi, ad canonicatus et praebendas vacantes, personas idoneas, a Romano Pontifice seu loci Ordinario pro tempore existentibus ad praesentationem huiusmodi instituendas, et quacumque ex causà illos et illas vacare contigerit, ipso Pontifici seu Ordinario loci respective praesentandas, ac per ipsum Pontificem seu episcopum respective instituendas, cum oneribus in instrumentis fundationum et erectionum contentis, motu simili reservamus, concedimus et assignamus.

Clausulae irritantes.

§ 11. Decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac nostrà de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, exprimendoque vero valore, et Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi ex cessionis vel alià probabili causà fieri prohibentis, ac, quatenus opus sit, felicis recordationis Pauli Papae II, aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiae non alienandis, et singularum cappellaniarum aliorumque beneficiorum praedictorum fundationibus, si in aliquo obstent, ut[2] in specie beneficiorum, cappellaniarum et

1 Partic. *et* nos addimus (R. T.).
2 Male edit. Main legit *capitulo* (R. T.).

1 Adde ex Ughello *et* vel *etiam* (R. T.).
2 Forsan legendum *et* loco *ut* (R. T.).

ecclesiarum in exequutione supradictorum omnium et singulorum destinatorum, applicatorum, unitorum et assignatorum (quorum omnium, ac fundationum, ac fundatorum testamentorum et dispositionum tenores, necnon singularum ecclesiarum, cappellaniarum et aliorum beneficiorum, aliarumque rerum et praediorum, apothecae, censuum et aliorum bonorum praedictorum situationes, confines, vocabula, denominationes, qualitates et quantitates, verosque annuos valores, praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, ac fundatorum voluntates, si in aliquo obstent, et in quoad[1] supradicta omnia et singula, sufficienter, specialiter et expresse, motu, auctoritate et potestate supradictis, commutamus), aliisque quibusvis apostolicis, ac in synodalibus, provincialibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, ac monasterii et Ordinis praedictorum, et singularum confraternitatum praedictarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, illorumque omnium superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et efficacissimis clausulis et etiam irritantibus decretis, in genere vel in specie, aut aliàs quomodolibet, concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaevis alia expressio habenda seu quomodolibet alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse, motu, auctoritate et potestatis plenitudine similibus, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Ughellius heic legit *in et quoad* (B. T.).

Potestas data episcopo cogendi quos spectat ad fundos assignandos pro dote capitularium.

§ 12. Volumus autem, et eâdem apostolicâ auctoritate decernimus, quod si praediorum, censuum, apothecae et aliorum bonorum mensae capitulari praedictae pro dote seu in partem dotis assignatorum valores et redditus assignati non sint iuxta eorum assignationes bonorum correspondentes assignationes[1] ad supplementum ratae deficientis de suo proprio omnibus iuris et facti remediis necessariis et opportunis ab Ordinario loci pro tempore existente, sive ab auditore camerae apostolicae, manu regiâ cogi et compelli possint et debeant.

Clausulae poenales.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, unionis, concessionum, assignationum, incorporationum, applicationum, reservationis, indulti, impartitionis, derogationis, commutationis, voluntatis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXXVI[2], XII kalendas martii, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 18 februarii 1636, pontif. anno XIII

DXXXVII.

Exemptio fratrum Reformatorum Discalceatorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum congre-

1 Sic legit etiam Ughellius in hoc loco, sed in loco parallelo alterius diplomatis aptius legit *assignatores*, de quibus vide supra § 7 (B. T.).

2 Tum ed. Main. tum Ughellius in utroque diplomate legunt an. MDCXXXV, sed incohaerenter postea tum Ughellius tum ed. Main. notant pontif. an. XIII, nam mensis februarii anni XIII requirit an. MDCXXXVI (B. T.).

gationis Hispaniarum a iurisdictione, obedientia et superioritate ministri generalis fratrum Calceatorum eiusdem Ordinis[1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex quo regimen universalis Ecclesiae nobis a Domino commissum, meritis licet imparibus, suscepimus, primas esse officii nostri partes semper reputavimus, si pro multiplicibus ministeriis, quae in Ecclesiâ militanti ab illius fidelibus sedulo convenit exerceri, singulos operarios susceptis oneribus insistentes opportunis confoveremus praesidiis et aliis auxiliis. Proindeque curae nobis semper fuit, viros religiosos, eosque praecipue, qui, remoti a turbis, divinae vacantes contemplationi, in altum primaevi instituti montem iuxta normam a Sede Apostolicâ peculiariter illis praescriptam[2], et non solum privatae sed publicae animarum saluti invigilantes, durâ servitute apud barbaros detentorum libertati et spiritualibus periculis fructuose insudant et consulunt, pro pastoralis officii nostri sollicitudine firmissimis munire praesidiis. Quod ut plenius nobis eveniat, illos pleni sui iuris efficimus, ac ab omnimodâ subordinatione et subiectione libenter emancipamus, atque etiam sub inviolabili Sedis Apostolicae protectione, paternâ benevolentiâ, recipimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Innocentius III approbavit Ordinem.

§ 1. Cum pridem felicis recordationis Innocentius Papa III, praedecessor noster, Ordinem fratrum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum sub propriâ regulâ, nutu divino sanctis patriarchis Ioanni et Felici illius fundatoribus tradità, et ab eodem praedecessore confirmatâ, instituisset[1];

Clemens VIII instituit Congregationem fratrum Reformatorum et eiusdem Ordinis, ac superioritatem ministri generalis totius Ordinis.

§ 2. Postmodum vero, cum, vel temporum iniuriâ, aut fervore remisso, vel certe hominum tepiditate, antiqua inolevisset observantia, laxiori modo vivendi paulatim invalescente, piae memoriae Clemens Papa VIII, praedecessor noster, motu suo proprio, in regnis Hispaniarum unam provinciam, seu Congregationem fratrum Reformatorum et Discalceatorum eiusdem Ordinis, in qua primitiva regula cum antiquo et pristino illo rigore et spiritus fervore observaretur, et quae per unum ministrum provincialem, ex eisdem Discalceatis eligendum, regeretur, erexerit et instituerit; ipsamque Congregationem ac provinciam Discalceatorum huiusmodi ab aliis provinciis praedicti Ordinis fratrum seu Calceatorum, modificatae regulae, perpetuo seiunxerit et dismembraverit; ipsosque fratres Reformatos et eorum monasteria, tam erecta, quam imposterum erigenda, ab omni et quacumque iurisdictione, visitatione et superioritate, tam commissarii generalis, quam aliorum ministrorum provincialium, et aliorum quorumcumque superiorum Calceatorum seu modificatae regulae eiusdem Ordinis (excepto ministro generali totius Ordinis praefati, sub cuius obedientiâ et superioritate provincia ipsa illiusque domus et monasteria praesentia et futura semper manerent) perpetuo exemerit et liberaverit[2];

Paulus V Congregationem Reformatorum in duas provincias divisit.

§ 3. Et postmodum recolendae memoriae Paulus Papa V, similiter praedecessor noster, considerans, ipsam Congregationem fratrum Discalceatorum non mediocriter, benedicente Domino, in diversis dictorum regnorum partibus iam

1 De his fratribus vide Const. CXCII ipsius Urbani VIII, in tom. XIII, pag. 427 (R. T.).

2 Forsan deest aliquid ex g. *contendentes* vel *consecendentes* (R. T.).

1 Vide Innoc. III, Constitut. XVII, *Operante*, tom. III, pag. 133 (R. T.).

2 Vide Clemens VIII, Constit. CCXIII, (*al.* 203), *Ad militantis*, tom. X, pag. 529 (T. R.).

tunc esse propagatam cum bonae famae odore, nec non spiritualium operum incremento, eique plura illius monasteria per unum ministrum provincialem commode regi et gubernari non posse innotescens, etiam motu suo proprio ex omnibus monasteriis et regularibus domibus dictae Congregationis duas provincias separatas, quarum quaelibet per unum ministrum provincialem ex praedictis fratribus Discalceatis eligendum gubernaretur, instituerit; et deinde idem Paulus praedecessor facultatem concesserit eligendi ex ipsis Discalceatis unum praelatum, vicarium generalem nuncupandum, cuius officium et potestas per sex annos durare, quique Congregationis praedictae, illiusque provinciarum et ministrorum, tam provincialium quam conventualium, superior existeret, atque plenam potestatem gubernandi dictam Congregationem, dicto durante tempore, haberet, ministroque generali totius Ordinis subesset, et confirmationem suae electionis ab ipso obtineret [1]:

Urbanus concessit facultatem eligendi ex Discalceatis ministrum generalem.

§ 4. Subinde, cum rationi consentaneum non esset, ut qui arctioris regulae sectantur observantiam, superioribus, qui in laxiori degunt, subiaceant, sed superiores habeant proprii sui instituti, nos propterea motu nostro proprio et ex certâ scientiâ nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, Congregationi fratrum Discalceatorum huiusmodi concessimus facultatem eligendi unum ministrum generalem ex ipsis Discalceatis; statuentes, inter alia, quod electio huiusmodi maioris ac generalis ministri de sexennio in sexennium in capitulo generali per secreta suffragia iuxta concilium Tridentinum fieret [2];

1 Vide Pauli V, Const. CL, *Ex debito* et adiectam, *In supremo*, tom. XI, pag. 612 et 614 (R. T.).

2 Litterae Urbani VIII huiusmodi desunt (R.T.).

Auctoritatemque dedit confirmandi electionem praedicti ministri generalis ipsi capitulo generali.

§ 5. Cumque, post concessionem nostram huiusmodi, minister generalis ex ipsis Reformatis noviter electus confirmationem suae canonicae electionis, tamquam praelatus dicti Ordinis a Sede Apostolicâ immediate dependens, a nobis obtinuisset, postremo etiam nos eidem Congregationi, ut capitulum generale Discalceatorum Ordinis et Congregationis huiusmodi, pro illius ministri generalis electione faciendâ legitime congregatum, de cetero, perpetuis futuris temporibus, electionem ministri generalis in dicto capitulo generali factam confirmare libere et licite posset et valeret (ita quod minister generalis Discalceatorum huiusmodi noviter electus, et a capitulo generali confirmatus, nullâ aliâ confirmatione unquam indigeret), apostolicâ auctoritate concessimus [1], prout in diversis litteris apostolicis desuper expeditis plenius continetur.

Modo eximit hanc Congregationem a superioritate ministri generalis fratrum Calceatorum.

§ 6. Cum autem, sicut accepimus, quamvis praedicta Discalceatorum Congregatio vigore litterarum nostrarum huiusmodi facultatem habeat eligendi suum generalem ministrum totius Congregationis praedictae, et iam, cessante nomine vicarii generalis, satis appareat cessasse illam subordinationem vicarii generalis ministro generali totius Ordinis, cuius vices gerebat, et ad quem illius confirmatio pertinebat, nec par in parem habeat imperium; nihilominus, pro maiori quiete et spirituali progressu eiusdem Congregationis Reformatorum huiusmodi, nos, dilectum filium fratrem Ioannem de Annunciatione procuratorem generalem dictae Congregationis amplioris gratiae favore prosequi volentes, ipsumque Ioannem necnon singulares personas Congregationis praedictae a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a

1 Etiam secundae Urbani VIII litterae desiderantur (R. T.).

iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon singularum litterarum praefatarum tenores, etiam veriores, ac datas praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, non ad alicuius nobis desuper factae petitionis instantiam, sed de merâ nostrâ liberalitate, ex voto tamen venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum, quod de cetero praedicta Congregatio, aut illius religiosi, vel minister generalis, aliique praelati, superiores, officiales et personae, perpetuis futuris temporibus, ministro generali fratrum Calceatorum totius Ordinis praedicti, nunc et pro tempore existenti, in spiritualibus vel temporalibus minime subiaceant, aut subiecti et suppositi esse minime debeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus; ipsosque fratres Discalceatos, illiusque ministrum generalem, ipsiusque personas, conventus, domos, collegia, provincias, tam praesentia quam futura, res et bona, ab omni et quacumque iurisdictione, superioritate, subordinatione, obedientiâ, correctione, visitatione, gubernio, aut aliâ quavis iurisdictione, tam ministri generalis fratrum Calceatorum huiusmodi, quam aliorum praelatorum et superiorum quacumque auctoritate fungentium et functorum, et quantumvis amplissimis privilegiis et facultatibus utentium et utorum, etiam quandocumque reformandorum, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo eximimus, liberamus et dismembramus; illosque sic exemptos, liberatos et dismembratos, uti Sedi Apostolicae immediate subiectos, sub nostrâ et Sedis Apostolicae tutelâ et protectione recipimus et admittimus.

§ 7. Omniaque et singula privilegia eidem Congregationi Reformatorum, circa exemptionem huiusmodi, aut aliâs, per Sedem Apostolicam concessa, eâdem auctoritate etiam perpetuo approbamus et confirmamus, eisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, quantumvis substantiales, si qui desuper quomodolibet invervenerint in eisdem, supplemus. Approbat et confirmat privilegia.

§ 8. Decernentes praesentes, etiam ex eo quod interesse habentes ad hoc vocati non fuerint, aut praemissis non consenserint, sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, aut Sedem Apostolicam, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, ac cum quibusvis clausulis et decretis, pro tempore factis, nullatenus comprehendi, sed semper et perpetuo validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo, etiam sub quacumque posteriori datâ, per superiores Congregationis Reformatorum huiusmodi quandocumque eligendâ, concessas esse et fore; Clausulae.

§ 9. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et vicelegatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et defi- Clausula sublatâ.

niri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 10. Non obstantibus praemissis, ac praefatis litteris Clementis et Pauli praedecessorum nostrorum huiusmodi, necnon in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam ministro generali fratrum non Reformatorum huiusmodi, illiusque provincialibus ministris, aliisque officialibus et superioribus ac personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu simili, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac aliâs in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad haec servanda foret, eorum tenores pro plene et integre expressis habentes, motu pari de eâdem potestatis plenitudine, harum serie specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 11. Volumus autem, quod praesentium transumptis, vel earum copiis impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo generalis vel procuratoris generalis huiusmodi, vel alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent publicatae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis, indulti, exemptionis, liberationis, dismembrationis, receptionis, admissionis, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beati Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXXV, pridie[1] kalendas martii, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 28 februarii 1636, pontif. anno XIII.

DXXXVIII.

Declaratio super facultatibus transferendi pensiones, seu, illarum loco, fructus, ac translationibus novisque reservationibus pensionum, seu fructuum antea translatorum[2].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter gravissimas[3] multiplicesque apostolicae servitutis curas, quibus iugiter premimur, illa etiam est, ne ecclesiae et beneficia ecclesiastica indebite contra aut praeter mentem Romani Pontificis praegraventur.

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Cum igitur ex translatione pensio-

1 Vocem *pridie* addimus ex Cherub. (R. T.).

2 Quoad pensiones obtinendas, seu transferendas, vide in Const. CXII (*al.* 98) Pii V, *Sacrosanctum*, tom. VII, pag. 709. Reservationes autem pensionum perpetuarum super beneficiis ecclesiasticis et indulta imponendi pensiones etiam temporales revocavit Urbanus VIII Const. CCLIII (*al.* 233), *Sanctissimus*, tom. XIII, pag. 573.

3 Constit. istam bis relatam in ed. Main., nempe sub num. *503* et *517*, nos semel damus (R. T.).

num onus illarum prorogetur seu extendatur de personâ ad personam, et saepe de infirmo ad sanum, et de sene ad iuvenem, in non modicum praeiudicium ecclesiarum et beneficiorum ecclesiasticorum ac illa pro tempore obtinentium, et propterea difficilius concedatur facultas transferendi illas pensiones quae aliàs translatae fuerunt:

Declaratio, de qua in rubrica.

§ 2. Ideireo, ecclesiarum ac beneficiorum et illa obtinentium praedictorum detrimentis et incommodis, quantum nobis ex alto conceditur, obviare volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ Constitutione declaramus, omnes et singulas per Romanos Pontifices praedecessores et successores nostros, ac etiam per nos, ex quacumque causâ, etiam onerosâ, etiam ratione quorumcumque officiorum, etiam motu et scientiâ potestatisque plenitudine similibus, ac consistorialiter, etiam iteratis vicibus, et cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, et aliis decretis, concessas et concedendas facultates transferendi quascumque pensiones seu fructus ecclesiasticos earum loco pro tempore reservatas et reservatos, aut, mediante earundem pensionum antiquarum cassatione, de novo illas reservandi, necnon pensionum et fructuum huiusmodi translationes, seu novas reservationes, super quibuscumque ecclesiis, etiam cathedralibus et maioribus, ac monasteriis, etiam consistorialibus, ceterisque beneficiis, tam secularibus quam quorumvis Ordinum regularibus, et hospitalibus quomodolibet qualificatis, etiam cumscumque iurispatronatus, etiam laicorum, etiam quorumcumque regum et principum, illorumque fructibus, etiam incertis, et distributionibus, etiam quotidianis, nunc et pro tempore factas et concessas quibuscumque personis, cuiuscumque gradus, dignitatis et conditionis fuerint, etiamsi cardinalatus honore praefulgeant, etiamsi super facultatibus, translationibus, seu novis reservationibus huiusmodi lis seu lites in quocumque gradu, instantiâ vel tribunali pendeant indecisae, non potuisse nec posse cuiquam suffragari quoad pensiones seu fructus aliàs translatos, nisi in eis consensus pensiones aut fructus huiusmodi solvere debentium accesserit; aut, quod aliàs pensiones seu fructus huiusmodi translati seu de novo reservati fuerint, expressum sit seu exprimatur, vel clausula *etiamsi pensiones seu fructus huiusmodi forsan aliàs translatae seu translati vel de novo reservatae vel reservati fuerint* apposita sit vel apponatur.

Exemptio nonnullorum casuum.

§ 3. Non intendimus autem praesenti constitutione comprehendere facultates, translationes et novas reservationes huiusmodi, pro quarum validitate hactenus lata esset sententia, quae in rem iudicatam transivit, vel pro quarum exequutione mandatum relaxatum et exequutioni demandatum fuerit.

Clausula sublatâ cum decreto irritanti.

§ 3. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, ac etiam camerae apostolicae clericos praesidentes, necnon causarum palatii apostolici et curiae eiusdem camerae generalem auditorem, ac S. R. E. camerarium, et alios cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri ac interpretari debere, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus indultis, privilegiis et facultatibus, aliisque praemissis ac constitutionibus et ordinationibus quo-

stolicis, ac cancellariae apostolicae regulis, etiam individuam mentionem requirentibus, ceterisque contrariis quibuscumque, illorum omnium et singulorum tenores pro plene expressis et insertis habentes.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII martii MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 8 martii 1636, pontif. anno XIII.

Anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXXXVI, *die vero* XIV *maii, supradicta Bulla, sive declaratio affixa et publicata fuit ad valvas basilicae Principis Apostolorum de Urbe in acie Campi Floraе, ac aliis locis solitis et consuetis Urbis, per nos Paulum Bartoccium et Franciscum de Paulis Sanctissimi Domini Nostri Papae cursores.*

ANTONIUS BARDUS, mag. curs.

DXXXIX.

Hebraeorum synagogae in ducatibus Ferrariae et Urbini et earum quaelibet tenentur singulis annis decem ducatos auri de camerâ solvere collegio neophytorum et cathecumenorum de Urbe[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Nonnulli Pontifices a qualibet hebraeorum synagoga decem ducatos auri de camera collegio neophytorum solvi decreverunt.

§ 1. Cum aliàs piae memoriae Iulius Papa III, praedecessor noster, in subventionem et alimoniam pauperis domus neophytorum ad fidem catholicam conversorum seu cathecumenorum Urbis nuncupatorum decreverit, quamlibet synagogam, adunantiam, seu universitatem hebraeorum Urbis et aliarum civitatum, terrarum et locorum mediate ditioni Sedis Apostolicae subiectorum, teneri solvere eidem domui neophytorum ducatos decem auri de camerâ quolibet anno; quam concessionem nedum confirmavit, sed ampliavit felicis recordationis Paulus Papa IV, etiam praedecessor noster, qui decrevit, ad eamdem annuam solutionem cogendas esse omnes synagogas et adunantias hebraeorum etiam pro synagogis et adunantiis extinctis, quae omnia fuerunt quoque a recolendae memoriae Pio Papa IV confirmata;

Cum tamen Pius V haebreos a toto statu ecclesiastico eiici mandaverit.

§ 2. Verum, quia sanctae memoriae Pius Papa V etiam praedecessor noster eiici mandavit hebraeos a toto Statu Ecclesiastico, exceptâ almâ Urbe nostrâ et civitate Anconae, et emolumentum gabellae, aliàs per similis memoriae Clementem Papam VIII, etiam praedecessorem nostrum, impositae super universitate hebraeorum eiusdem Urbis ad favorem praedictae domus seu collegii neophytorum vel cathecumenorum usque ad summam annuam scutorum duo mille quingentorum monetae, fuit ab eodem Clemente praedecessore reductum ad scuta octingenta annua ex quibus etiam trecenta fuerunt a praedictâ domo seu collegio dismembrata, et monasterio S. Mariae Magdalenae convertitarum Urbis perpetuo applicata; propterea praedicta domus seu collegium valde in suis annuis redditibus laesum et damnificatum remansit et remanet:

Et ideo praedictum collegium plurimum damni passum fuerit,

§ 3. Quapropter nos, indemnitati praefatae domus seu collegii consulere volentes, omnium praedictarum omnium et singularum concessionum et dispositionum, cum inde sequutis quibuscumque, ac aliorum quorumcumque hic forsan de necessitate exprimendorum seu inserendorum tenores etiam veriores pro plene et sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, motu proprio, certâque scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, etiam ex voto congregationis

Urbanus dictam pecuniam a qualibet hebraeorum synagoga, etc., ducatuum Ferrariae et Urbini, solvi mandat.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

nonnullorum praelatorum per nos ad id deputatorum, tenore praesentium, declaramus et decernimus quaslibet synagogas, universitates seu adunantias hebraeorum commorantium in civitatibus, terris et locis Status sive ducatus tam Ferrariae quam Urbini nunc et pro tempore existentes teneri et obligatas fuisse et esse solvere praefatam summam decem ducatorum auri de camerà singulo quoque anno tam decurrendo imposterum, quam antea a die devolutionis ipsorum Statuum, sive ducatuum ad ipsam Sedem Apostolicam decurso.

Cardinalis collegii protector facultatem habet ad id cogendi.

§ 4. Idcirco committimus dilecto filio nostro Antonio tituli S. Honuphrii presbytero cardinali nuncupato, eiusdem domus seu collegii ac pro tempore existenti apud nos et Sedem apostolicam protectori, quatenus, iuris et facti remediis, etiam viâ exequutivâ, ac omni et quacumque appellatione, nullitate, etiam ex tribus, ac in integrum restitutione remotis, easdem universitates, synagogas, seu adunantias hebraeorum in praedictis Statibus seu ducatibus ad Sedem Apostolicam aliàs devolutis, nunc et pro tempore habentium[1] existentes, et earum quamlibet, ad praefatam annuam praestationem ducatorum decem auri de camerà pro earum qualibet in die festo Omnium Sanctorum solvendam et exbursandam cum effectu eidem domui seu collegio neophytorum seu catechumenorum, cogat et compellat.

Clausulae.

§ 5. Decernentes praesentes litteras et in ei contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, vocati et auditi non fuerint, aut praemissis non consenserint, seu causae, propter quas praesentes emanarint, adductae, verificatae, seu aliàs iustificatae non fuerint, aut aliâ quavis de causâ, quantumvis legitimâ, iuridicâ et privilegiatâ, de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas restitutionem in integrum, aperitionem oris, aut quodcumque aliud, iuris vel facti, gratiae vel iustitiae, remedium impetrari, seu eo impetrato quemquam uti, seu se iuvare in iudicio et extra nullatenus posse, sed eas semper validas, firmas et efficaces existere et fore, et dicto collegio plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, et consistorialiter, et aliàs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio

1 Paulo ante al principium pag. dictum fuit *commorantium*; heic forsan leg. *habitantium* (R. T.).

habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII martii MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 17 martii 1636, pontif. anno XIII.

DXL.

Prohibet Consilio Centum virorum civitatis Barchinonensis, quominus pro officiis, quae gratis concedi solent, conferendis aut obtinendis quidquam accipiant [1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam

Exponi communitatis et hominum civitatis Barchinonensis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Beltrandus de Suall, nomine dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis Barchionensis, quod aliàs, sub die XIII novembris anni MDCXXXIV, a sapiente Centum virorum gubernis [2] dictae civitatis consilio statutum fuit, ut officia, quae gratis concedi solent, vendi non possent, nullusque consiliariorum huiusmodi quidquam directe vel indirecte, etiam ratione imbussulationis, a quoquam recipere posset pro concedendo, seu ut concedatur procurando, quovis ex dictis officiis. Quare, ut fraudibus et abusibus, qui forsan circa praemissa orti sunt, seu oriri possent, [3] dictus Beltrandus nomine eorumdem communitatis et hominum humiliter supplicari fecit, ut desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

1 Ex Regest. in Secret. Prev.

2 Forsan legendum *gubernii* (R. T.).

3 Desunt verba *obviam iretur* (R. T.).

Prohibitio, de qua in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, eosdem communitatem [1] et homines specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, consiliariis praedictis praesentibus et futuris, ac quibusvis aliis personis, etiam ecclesiasticis secularibus et quorumcumque Ordinum ac militiarum regularibus, dictae civitatis cuiuscumque dignitatis, gradus et conditionis existant, sub excommunicationis latae sententiae poenâ, a qua nisi a nobis aut Romano Pontifice pro tempore existente praeterquam in mortis articulo absolvi nequeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, districte prohibemus, ne pro dictorum officiorum et cuiuslibet illorum, gratis ut praefertur concedi solitorum, concessione seu collatione aut imbussulatione, pecunias vel aliam rem aequivalentem per se seu interpositas personas directe vel indirecte, ac sub quovis quaesito colore, ingenio seu praetextu offerre, dare aut promittere vel exigere, sive etiam sponte oblatum recipere audeant seu praesumant.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac civitatis, Ordinum et militiarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX aprilis MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 9 aprilis 1636, pontif. anno XIII.

1 Male edit. Main. legit *communitates* (R. T.).

DXLI.

Commissio auditori camerae, ut contra Scalensem et Revellensem ac alios quoscumque episcopos in suis ecclesiis non residentes procedat, et ad residendum compellat [1].

Dilecto filio, moderno et pro temporo existenti causarum curiae camerae apostolicae generali auditori,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Cum episcopus Scalensis et Revellensis non paruerit decretis sacri Concilii Tridentini.

§ 1. Exposuit nobis nuper dilectus filius commissarius generalis camerae apostolicae, quod, cum Honuphrius episcopus Scalensis et Revellensis contravenerit decretis sacri Concilii Tridentini, et litteris apostolicis praesertim a nobis super residentiâ editis [2], ecclesiam Scalensem et Revellensem praefatam deserens, in partibus Lombardiae multo temporis spatio se detinuerit et detineat; propterea fuit personaliter coram dilecto filio auditore camerae, per nos etiam specialiter pro exequutione praefatarum litterarum deputato [3], monitus ad docendum se paruisse litteris apostolicis praefatis super residentiâ, aliàs videndum se declarari incidisse in poenas in eisdem litteris expressas; et deinde, servatis servandis, lata fuit contra ipsum sententia declaratoria incursus praefatarum poenarum, quae sententia eidem intimata fuit; et licet ipse debuisset praemissis reverenter parere, tamen mala malis addendo contumaciter in non residendo apud suam ecclesiam et non parendo praemissis continuavit et continuat in praeiudicium animae suae ac praefatae ecclesiae et animarum sibi commissarum.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Vide supra pag. 457 (R. T.).

3 Litteras speciales deputationis auditori camerae directas vide supra pag. 491 (R. T.).

Commissarius facultates necessarias contra ipsum procedendi petit.

§ 2. Quapropter idem commissarius, ne tot defectus et excessus et transgressiones impuniti et impunitae remaneant, nobis humiliter supplicavit, quatenus facultatem opportunam promulgandi et infligendi contra ipsum episcopum contumacem excommunicationis maioris, aliarumque censurarum poenas tibi concedamus.

Omnes actus contra ipsum episcopum factos validat Urbanus.

§ 3. Nos igitur, omnium et singulorum actorum ac processus contra praefatum episcopum fabricati, citationumque, intimationum, oppositionum, aliorumque praemissorum ac ceterorum quorumcumque hic de necessitate forsan exprimendorum tenores ac [1] statum litis seu iudicii praefatorum pro expressis habentes, volentesque indemnitati animarum et ecclesiarum consulere, et omnibus remediis iuris, ut episcopi, quantum nobis ex alto conceditur, apud suas ecclesias resideant, providere, contumaciaque et canonum transgressio fomitem non recipiant, sed in non parentes et inobedientes debitis poenis in aliorum exemplum animadvertere, motu proprio, certâque scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi et pro tempore existenti auditori camerae per praesentes committimus et mandamus, ut tam contra praefatum episcopum Scalensem et Revellensem, quam contra quoscumque alios episcopos in suis ecclesiis, prout tenentur, non residentes, cuiuscumque qualitatis, status, conditionis et dignitatis, etiam specialem expressionem requirentes, in quocumque loco et ubique terrarum commorantes procedas et procedat, illosque ad residendum iuris remediis opportunis, etiam promulgando et infligendo contra ipsos et quemlibet eorum excommunicationis maioris aliasque censuras et poenas etiam eisdem ecclesiis ex eorum absentiâ

Facultates quas auditori camerae concedit contra eum, aliosque episcopos non residentes procedendi.

1 Coniunct. *ac* nos addimus (R. T.).

gravatis[1] applicando, cogas et compellas, cum facultate procedendi contra ipsos etiam per edictum publicum, constito tibi summarie, et aliàs, quantum sufficere tibi videbitur, de non tuto accessu, aliisque omnibus et singulis facultatibus necessariis et opportunis.

Clausulas apponit.

§ 3. Praesentes quoque litteras de subreptionis vel obreptionis aut intentionis nostrae et quovis alio defectu impugnari non posse; sicque et non aliàs per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contrariis derogat.

§ 9. Non obstantibus praemissis, ac costitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac cancellariae apostolicae regulis et conciliis generalibus[2], etiam de duabus dietis, omnibusque et singulis, etiam individuam et specialem mentionem seu expressionem vel insertionem requirentibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x iunii MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 10 iunii 1636, pontif. anno XIII.

DXLII.

Poenitentiaria Lauretana eiusque poenitentiarii maiori poenitentiario subiiciuntur, cum nonnullis aliis decretis.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Attendentes universo gregi, in quo Spiritus Sanctus nos Episcopum posuit ad Ecclesiam Dei regendam, quam pretiosissimo sanguine suo Christus redemit, inter ceteras pastoralis officii nostri sollicitudines ac curas, eam praecipue vigiliam mentis nostrae oculis anticipatam experimur, qua et creditas nobis oves prospicimus et animarum consulimus saluti.

Urbanus tollit omnes facultates et privilegia minoribus poenitentiariis Domus Lauretanae,

§ 1. Hinc, cum plura circa poenitentiariae nostrae officium ordinaverimus, aliquid etiam circa rectorem et poenitentiarios, ut vocant, minores sanctae Domus Lauretanae providere, illisque novam facultatum formam, qua deinceps utantur, praescribere duximus[1] opportunum, motu[2] proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, per praesentes, omnem potestatem et auctoritatem quamlibet tam ordinariam quam delegatam, nec non omnia privilegia, facultates ac indulta praefatis rectori et poenitentiariis hactenus quomodolibet concessa a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, et praesertim a Clemente VIII (infrascriptis dumtaxat exceptis), omnino adimentes, revocantes et annullantes,

Illosque maiori poenitentiario subiicit.

§ 2. Statuimus et ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus dictus rector et poenitentiarii auctoritati, potestati ac regimini maioris nunc et pro tempore existentis poenitentiarii, non tamen quoad observantiam suorum regularium institutorum, subiaceant quoad forum poenitentiale, prout supponimus et submittimus: ita ut deinceps nullus in praefatae sacrae Domus Lauretanae rectorem et poenitentiarium, ac poenitentiarii munus, illiusque administrationem aut exercitium, assumatur vel admittatur, nisi praevio examine per ipsummet maiorem poenitentiarium in signaturâ poenitentiariae hic in Urbe faciendo, aut alibi, si magis ipsi visum fuerit expedire, committendo, fuerit approbatus, et praefatae

1 Nescio an error aliquis irrepserit (R. T.).
2 Forsan legendum *concilii generalis* (R. T.).

1 Videretur legendum *duxerimus* (R. T.).
2 Videretur deesse *itaque* (R. T.).

approbationis litteras patentes ab eodem maiori poenitentiario obtinuerit; declarantes nostrae mentis ac intentionis esse, ut praefati rector et poenitentiarii sint et esse censeantur deputati, ac imposterum deputentur, ad nutum et voluntatem praedicti maioris nunc et pro tempore existentis poenitentiarii.

Nonnullas facultates ipse maiori poenitentiario Lauretano communicandas.

§ 3. Indulgemus vero, ut idem maior poenitentiarius praefatis rectori et poenitentiariis pro tempore existentibus concedere possit (salvâ tamen facultate addendi et minuendi quotiescumque eidem maiori poenitentiario nunc et pro tempore existenti placuerit, iuxta tamen formam et tenorem litterarum nostrarum super facultatibus eiusdem maioris poenitentiarii per nos editarum, ut praefertur) usum virgarum [1] valeant in foro conscientiae tantum, et in ipsâ duntaxat ecclesiâ Lauretanâ, per se ipsos solos, absolvere, auditâ prius sacramentali et in actu ipsius sacramentalis confessionis, quascumque personas sibi confitentes, etiam regulares, cuiuscumque sint Ordinis, congregationis, aut instituti, etiamsi ex praecepto superiorum, vel eorum constitutionibus, etiam a Sede Apostolicâ approbatis, vel aliàs ex indulto apostolico, extra propriam religionem peccata sua confiteri prohibeantur.

Et quidem absolvendi a casibus reservatis, exceptis aliquibus.

§ 4. Item maior poenitentiarius illis etiam concedere possit facultatem ut praefertur absolvendi a quibuscumque casibus, etiam Sedi Apostolicae, ac etiam in Bullâ Coenae Domini reservatis, iniunctis tamen salutaribus poenitentiis, aliisque de iure iniungendis, infrascriptis tamen exceptis:

I. Haereticis, vel schismaticis manifestis, aut condemnatis, seu in iudicio delatis, ac denunciatis, necnon iis, qui habent complices, fautores vel receptatores, etiamsi mortui fuerint, vel etiamsi habeant solos conscios;

II. Iis, qui scienter legerunt vel retinuerunt libros haereticos vel sortilegos sive nêgromanticos, aliosque libros contra fidem catholicam vel christianam religionem, si ipsi in iudicio delati sint, aut si habeant complices vel fautores, qui non degant aut nati non sint in regionibus palam infectis, seu in quibus haereses impune grassantur;

III. Apostatis a fide christianâ, qui palam habitu vel actu se iudaeos, turcas, mahometanos, vel infideles professi sunt, aut habent complices, fautores, seu conscios;

IV. Iis, qui officium sanctae inquisitionis, aut locorum Ordinarios illud exercentes, ac vicarios, seu eorum officiales in concernentibus ipsorum officium, aut exequutionem, vel testes in huiusmodi causis impediverint, seu respective facto aut verbo offenderint;

V. Principibus et aliis personis iurisdictionem et ius imperii vicario etiam nomine habentibus necnon personis dominiorum, seu rerumpublicarum administrationem, gubernium vel regimen habentibus, vel habere solitis, necnon magistratibus, ac etiam episcopis, aliisque praelatis superioribus et inferioribus, ordinariam iurisdictionem habentibus in publicis [1] casibus, etiamsi tunc Sedes Apostolica vacaret, aut Summus Pontifex propter infirmitatem, aliamve causam ita foret impeditus, ut celeriter consuli non posset;

VI. Iis, qui per se, vel per alium, aut alios, de rebus christianae reipublicae et catholicae religionis statum concernentibus in christifidelium aut catholicorum perniciem et damnum mahometanos, tur-

1 Verba praecedentia *usum virgarum* non intelligo; et praeter syntaxim sunt; iis praetermissis heic videtur deesse particula *ut* (R. T.).

1 Nescio an legendum *praedictis* pro *publicis* (R. T.).

eas vel alios infideles sive haereticos, eorumve principes, duces, vel capitaneos certiores fecerint;

VII. Interficientibus, mutilantibus, vulnerantibus, incarcerantibus, vel hostiliter insequentibus, ac retinentibus invitos, ac aliàs offendentibus S. R. E. cardinales patriarchas, archiepiscopos, episcopos et Sedis Apostolicae legatos vel nuncios, aut eosdem reiicientibus a suis dioecesibus, terris, dominiis, aut territoriis, eaque mandantibus seu rata habentibus, vel praestantibus auxilium, consilium et favorem;

VIII. Conspirantibus in personam vel Statum Summi Pontificis, seu in sanctam Apostolicam Sedem:

IX. Iis, qui nostrae constitutioni[1] inquirendo de statu reipublicae christianae, vel Sedis Apostolicae, vel de vitâ aut morte Summi Pontificis, eiusque consanguineorum usque ad tertium gradum inclusive, contravenerint;

X. Cardinalibus, aliisque, qui, Sede Apostolicâ vacante, in censuras et poenas contentas in constitutionibus felicis recordationis Gregorii XV et nostrâ super Romani Pontificis electione emanatis inciderint;

XI. Cardinalibus, aliisve, qui, vivente Romano Pontifice, de quopiam eligendo vel excludendo tractaverint, aut suffragia inierint;

XII. Iis, qui presbyteros publice occiderint;

XIII. Apostatis ab Ordinibus seu religionibus approbatis, quamdiu extra Ordinem permanserint, nisi post reditum ad religionem, vel saltem post reassumptum habitum regularem, cum firmo proposito et brevi termino ad[2] praesentandum intra claustra suis superioribus aut religioni, aut[3] nisi ultramontani sint, vel aliàs longe distent, et propter inopiam habitum reassumere nequeant, quibus assignari poterit congruum tempus ad id faciendum, quo elapso, sciant, se ratione morae relapsuros in eamdem excommunicationis sententiam et censuras, quibus erant antea innodati, de quo etiam poenitentiarii debeant ipsos poenitentes monere;

XIV. Regularibus intra claustra mulieres introducentibus ad usus inhonestos;

XV. Regularibus vel secularibus, qui munera a regularibus acceperint, ante factam per eos restitutionem, si dicta munera valorem decem scutorum excesserint, exceptis tamen rebus medicinalibus et devotionis, ac aliis, iuxta constitutionem Clementis VIII, sed hoc nonnisi factâ eleemosyna arbitrio confessarii;

XVI. Iis, quorum absolutiones ita immediate reservatae sunt Summo Pontifici, ut nec maior poenitentiarius possit absolvere iuxta tamen tenorem litterarum a nobis expeditarum, etc.;

XVII. Omnibus ab homine nominatim excommunicatis, interdictis vel suspensis, aut pro talibus declaratis sive denunciatis.

Aliae facultates commutandae.

§ 5. Similiter possit maior poenitentiarius illis concedere, ut, per se ipsos tantum ut praefertur, omnia vota dispensando, etiam commutare possint in alia pietatis opera; castitatis, religionis, subsidii Terrae Sanctae et S. Iacobi in Compostella dumtaxat exceptis.

Clausulae.

§ 6. Decernentes, praesentes litteras, omniaque in illis contenta, etiam ex eo quod generalis praepositus Societatis Iesu, rector et poenitentiarii praefati, aliique quicumque in praemissis quomodolibet interesse habentes, seu habere praetendentes, praedictis[1] non consenserint, aut vocati vel auditi non fuerint, aliàque quavis de causâ quantumvis legitimâ et iuridicâ, de subreptionis, vel obreptionis

1 Videtur deesse *de non* (R. T.).

2 Videtur deesse *se* (R. T.).

3 Partic. *aut* praeter rem esse videtur (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *praedicti* (R. T.).

seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu, notari, impugnari, redargui, retractari, in ius vel controversiam revocari nullatenus posse, sed eas semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere, et a dicto generali, rectore et poenitentiariis praedictis, aliisque, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios, etiam causarum palatii apostolici auditores et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus cancellariae apostolicae regulis, et, quatenus opus sit, illâ de iure quaesito non tollendo, aliisque quibuscumque constitutionibus apostolicis, ac dictae poenitentiariae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis, indultis et litteris apostolicis, vivaeque vocis oraculis dictis generali, religioni, rectori et poenitentiariis praedictis, et quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, etiam cum clausulâ *quod numquam sub istis revocatoriis comprehendantur*, et etiam quod addita fuerit clausula *quod dicta privilegia, indulta et alia supradicta semper censeantur concessa sub posteriori datâ*, et aliis decretis et clausulis, etiam insolitis, etiam speciali mentione dignis, etiam derogatoriarum derogatoriis, in genere et in specie, etiam motu pari et consistorialiter, ac aliâs in contrarium, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque tenoribus specialis, specifica et expressa ac individua et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad effectum praemissum plenissime derogamus.

Transumptis danda fides.

§ 8. Volumus autem, quod transumptum istarum litterarum manu et sigillo maioris poenitentiarii munitum, et praefato generali Societatis Iesu, rectori et poenitentiariis praedictis nunc existentibus extraiudicialiter etiam intimatum, vim habeat solemnis publicationis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX iunii MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 20 iunii 1636, pontif. anno XIII.

DXLIII.

Extensio constitutionis Gregorii XIII, ne subcollectorum et commissariorum spoliorum crimina possint cognosci nisi a nunciis et collectoribus apostolicis in regno Neapolitano, ad excessus et crimina patrata in aliis regnis et provinciis, etiam expletis eorum officiis[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Gregorii XIII refertur Constitutio.

Aliâs recolendae memoriae Gregorius Papa XIII praedecessor noster indemnitati ministrorum camerae apostolicae, ne ullis molestiis, litibus vel incommodis fatiga-

1 Gregorius XIII edidit sanctionem solum pro regno Neapolis, quam habes inter ipsius Constit. num. XI, *Cupientes*, tom. VIII, pag. 105.

rentur, opportune providere cupiens, quod omnes et singulae causae tunc motae et pro tempore movendae quorumvis praetensorum excessuum, criminum et delictorum, per quoscumque subcollectores et commissarios, tam generales quam particulares, in quibuslibet provinciis, civitatibus et dioecesibus regni Neapolitani, per tunc et pro tempore existentem nuncium apostolicum et collectorem generalem deputatos, commissorum, a tunc et pro tempore existente nuncio apostolico in eodem regno commorante solum, non autem a quibusvis aliis iudicibus, etiam locorum Ordinariis, non modo durante eorum officio, sed etiam post ipsum dimissum, donec viverent, audiri, cognosci et decidi possent et deberent, statuit et ordinavit, praedictisque iudicibus et locorum Ordinariis, ne in illis sese quovis praetextu seu quaesito colore intromittere quoquo modo ullâtenus auderent, vel praesumerent, districtius inhibuit, prout in suis litteris in simili formâ Brevis, sub datum die IV ianuarii MDLXV, pontificatus sui anno III expeditis plenius continetur [1].

Dubium postea exortum.

§ 1. Cumque [2] postea, ut accepimus, fuerit a nonnullis pluries dubitatum, an praedictae litterae Gregorii praedecessoris praedicti de praetensis excessibus, criminibus et delictis, durante officio dumtaxat, an vero etiam de aliis post finitum eorum officium, ut praemittitur, donec viverent, commissis intelligi deberent, et desuper diversas resolutiones etiam ad invicem contrarias emanasse asseratur:

Causae faciendae declarationis.

§ 2. Nos, volentes finem huic dubitationi imponere, et attendentes, quod iidem subcollectores et commissarii in concernentibus servitium Camerae et Sedis Apostolicae timidiores ac negligentiores fierent, si sub praedictorum iudicum et Ordinariorum iurisdictione post finitum eorum officium se relictum iri timerent, et propterea iusto metu retraherentur a gerendo, ut debent, eorum officio, dubitantes, ne, illo finito, praedicti iudices et locorum Ordinarii in illos, etiam ex causis mendicatis saevirent, quod in non modicum praeiudicium Camerae et Sedis Apostolicae redundaret;

Declaratio et extensio de qua in rubrica.

§ 3. Idcirco, motu proprio et ex certâ scientiâ nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ constitutione perpetuo valiturâ cognitionem et decisionem causarum praetensorum excessuum, criminum et delictorum per praedictos subcollectores et commissarios a nunciis et collectoribus apostolicis, tam in regno Neapolitano, quam in aliis provinciis, regnis et locis, etiam speciali notâ dignis, et ubique terrarum et locorum, per nuncios sive collectores apostolicos [1] hactenus deputatos, et pro tempore deputandos quomodocumque, etiam post finitum officium commissorum, ut praetenditur, et patratorum, spectasse et spectare ad nuncios et collectores apostolicos pro tempore existentes, privative quoad quoscumque alios iudices, etiam locorum Ordinarios praedictos, declaramus, et, quatenus opus foret, decernimus, statuimusque et ordinamus.

Praecavetur ne maiora hinc crimina patrentur.

§ 4. Ne autem inde maior libertas delinquendi et excessus committendi eisdem subcollectoribus et commissariis nascatur, et ne eorum delicta, si qua [2] patrata essent, vel patrarentur imposterum, impunita remaneant, volumus, quod collectores camerae apostolicae nunc et pro tempore existentes, inter statuta per eorum subcollectores et commissarios observanda, tamquam ab ipsis collectoribus iam edita, etiam impressa, addant comminationem de eosdem subcollectores et commissarios

1 Quas vide in l. cit. in notâ ad rubr. (R. T.).
2 Aptius legeretur *Cum vero* (R. T.).

1 Verba *per nuncios sive collectores apostolicos* redundant (R. T.).
2 Edit. Main. habet *quae* (R. T.).

privando huiusmodi privilegio, et illos ordinariae iurisdictioni submittendo, quatenus post dimissum officium ab excessibus et delictis committendis non se abstineant, quodque praedicta statuta in cancellariis episcoporum et aliorum Ordinariorum retineantur et stent affixa.

Clausulae praeservativae.

§ 5. Decernentes, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, vocati et auditi non fuerint, aut praemissis non consenserint, seu causae, propter quas praesentes emanarint, adductae, verificatae, seu aliàs iustificatae non fuerint, aut aliâ quavis de causâ, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas restitutionem in integrum, aperitionem oris, aut quodcumque aliud, iuris vel facti, gratiae vel iustitiae, remedium impetrari, seu eo impetrato quemquam uti, seu se iuvare in iudicio vel extra nullatenus posse, sed eas semper validas, firmas et efficaces existere et fore;

Clausula subiuncta.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ de iure quaesito non tollendo, ac quibusvis aliis cancellariae apostolicae regulis, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II iulii MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 2 iulii 1636, pontif. anno XIII.

Anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXXXVI, *die vero* XIII *mensis septembris, tempore pontificatus Sanctissimi Domini nostri Urbani, divinâ providentiâ Papae VIII, anno eius* XIII, *supradicta Bulla publicata fuit per Urbem in locis solitis et consuetis, per me Silverium Pontirorum Sanctissimi Domini nostri Papae cursor.*

IOAN. BAPT. RICCIUS, mag. curs.

DXLIV.

Facultas collectori spoliorum Portugalliae procedendi ad promulgationem censurarum contra violatores immunitatis ecclesiasticae in regnis Portugalliae et Algarbiorum [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Venerabili fratri Alexandro episcopo olim Neocastrensi, iurium et spoliorum camerae nostrae apostolicae in Portugalliae et Algarbiorum regnis debitorum collectori generali,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Facultas, de qua in rubrica.

§ 1. Licet vigore tuarum facultatum generalium, in quibus tibi tribuuntur illae quae competunt nunciis apostolicis, potueris et possis ad monitionem et declarationem ac promulgationem censurarum, etiam in litteris in die Coenae Domini legi solitis, aliisque constitutionibus et decretis apostolicis, etiam conciliaribus contentarum, procedere, ac quascumque censuras et poenas etiam pecuniarias infligere et promulgare contra quoscumque eiusdem regni Portugalliae habitatores et indigenas, et praesertim contra illos, qui immunitatem ecclesiasticam violantes audent spoliare vel turbare ecclesias et loca pia quaecumque in suis bonis etiam stabilibus et iuribus, etiam in dote, seu augmento, et aliàs, per christifideles, etiam onere missarum, anniversariorum, seu aliorum operum piorum, donatis etiam inter vivos, seu relictis, vel aliàs ab ipsis ecclesiis et locis piis hactenus possessis; nihilominus, ad maiorem cautelam, ac iura iuribus, facultatesque facultatibus addendo, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi ad monitionem et declarationem ac promulgationem quarumcumque censurarum, etiam in litteris in die Coenae Domini legi solitis, aliisque constitutionibus et decretis apostolicis, etiam conciliaribus contentarum, procedendi, ac quascumque censuras et poenas etiam pecuniarias infligendi et promulgandi contra quoscumque regnorum Portugalliae et Algarbiorum habitatores et indigenas, ac quoscumque quaecumque officia et munia etiam temporalia obtinentes et exercentes, cuiuscumque qualitatis, status, ordinis, conditionis, dignitatis et praeeminentiae, etiam speciali expressione et notâ dignae, et praesertim contra illos, qui, ut praefertur, immunitatem ecclesiasticam violantes, audent spoliare vel turbare ecclesias et loca pia quaecumque in suis bonis etiam stabilibus et iuribus per ecclesias et loca pia possessis, etiam in dote, seu augmento, et aliàs, per christifideles, etiam cum onere missarum, anniversariorum, seu aliorum piorum operum, ut supra donatis vel relictis, necnon quos, quibus, ubi et quando opus fuerit, etiam per edictum publicum, constito de non tuto accessu, ac sub praefatis et aliis censuris et poenis ecclesiastistis, etiam pecuniariis, arbitrio tuo applicandis, ipsasque censuras et poenas infligendo, declarando, aggravando, reaggravando, et moderando, citandi et inhibendi, omniaque alia et singula in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna, etiamsi talia sint vel fuerint, quae magis specialem, specificam et expressam requirerent mentionem, faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, necnon quaecumque per immunitatis ecclesiasticae violatores huiusmodi in eiusdem immunitatis ecclesiasticae praeiudicium pro tempore quomodolibet attentata et innovata revocandi, cassandi, irritandi et annullandi, nulliusque roboris et momenti fuisse et fore decernendi et declarandi, plenam, liberam, amplam et absolutam facultatem et auctoritatem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Contrariorum derogatio.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis dictorum regnorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetu-

dinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, alisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II iulii MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 2 iulii 1636, pontif. anno XIII.

DXLV.

Confirmatio decretorum pro reformatione provinciae Turoniae Ordinis sancti Francisci Reformatorum seu Recollectorum in Franciâ[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Confirmatio decretorum reformationis in provincia Turoniae.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Cherubinus a Marcigniaco Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia professor, et provinciae sancti Francisci eiusdem Ordinis pater, quod, cum, pro restitutione regularis observantiae et reformatione in provinciâ Turoniae dicti Ordinis introducendâ, nonnulli articuli sive decreta a dilecto filio Ioanne Baptista a Campanea dicti Ordinis ministro generali sub die XXIV maii praesentis anni facta fuissent tenoris subsequentis, videlicet:

Decreta a ministro generali Ordinis pro huiusmodi reformatione edita.

§ 2. Pro restitutione regularis observantiae et reformatione in provinciâ Turoniae introducendâ efficaciter, necnon secure promovendâ, destinetur in primis a reverendissimo patre ministro generali pius, probus et prudens commissarius ex provinciis reformatis, eidem reformationi ex corde addictissimus, qui, plenariâ eiusdem reverendissimi patris auctoritate fultus, a Sanctissimo Domino nostro ad certiorem intentae reformationis exequutionem et promotionem confirmandus, singulos dictae provinciae conventus pedester visitet, abusus tollat, depravatos mores evellat, et quaecumque proprietatem aliquam, sive in communi, sive in particulari, seu regulae transgressionem redolere videbuntur, iuxta declarationes DD. Nicolai III et Clementis V procul exterminet, purum seraphici nostri instituti cultum sine ullâ dispensatione stabiliat, atque in capitulo proxime celebrando, pro reformatione amplexandâ, haec sequentia instituat:

Primo, quod dictus commissarius, tempore suae visitationis, fratres dictae provinciae ad reformationem sectandam moneat, alliciat et exhortetur; eorum vero, qui reformationi sectandae se dederint, nomina diligenter sumat, et (iuxta peculiare statutum, ad postulationem et in favorem novem provinciarum de familiâ nationis Gallorum in capitulo Romano anno MDCXXV editum, a dicto Domino nostro confirmatum, et rursus in ultimo generali capitulo Toletano renovatum, et ut supra confirmatum anno MDCXXXIII) tres aut quatuor conventus recollectionis deputet, prout dictae recollectioni seu reformationi commodiores et aptiores iudicaverit, ad quos dictos fratres reformationi

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

addictos de familiâ transferre, et in iisdem collocare curet;

Ex iisdem fratribus tres, aut quatuor inter ceteros pietate et religione conspicui assumantur et dictorum conventuum reformatorum guardiani instituantur. Nec ullus deinceps in conventibus reformatis superior esse possit, qui in aliquo ex ipsis per biennium saltem communem vitam reformatam non duxerit et ducere possit, praehabito in scriptis patrum guardianorum antecessorum simul et discretorum reformatorum conventuum probato testimonio;

In conventibus autem ad reformationem destinatis, reformati novitios recipiant, et ipsos in eisdem ad strictioris et purioris observantiae nostrae praescriptum sedulo instruant et informent;

Et, ne extra dictos conventus reformationis, studiorum causâ, fratribus reformatis egresssus[1], artium et sacrae theologiae studia in eisdem conventibus designentur;

Quod fratres non reformati ad reformationem transire volentes a patre ministro provinciali licentiam petant, qui nullis petentibus illam deneget, sub poenâ privationis sui officii ipso facto incurrendâ, nisi, qui eam postulaverint, guardiano et discretis conventuum reformatorum inhabiles ad reformationem videantur, aut iudicii vel poenarum sibi iniunctarum subterfugiendarum causâ reformationem praetendant, iuxta decretum Sacrae Congregationis Romae XIV iunii anni MDCXXVIII.

Quod professi in familiâ ad dictos reformatos transeuntes habeant annum continuum a die sui ingressus in reformationem ad deliberandum, an manere in hac strictiori observantiâ voluerint; post annum autem completum praedicti professi extra reformatos habeantur ut professi in reformatione, nec ipsi, sicut nec professi in reformatione, ab eâdem, reformatorumque ipsorum obedientiâ, quocumque praetextu aut colore quaesito, recedere posse[1], aut ab ullo superiore dictae provinciae, sub dictâ poenâ privationis suorum officiorum ipso facto pariter incurrendâ, educi et ad conventus de familiâ transferri valeant;

Quod per visitatores aut commissarios dictae provinciae in quolibet capitulo provinciali aut congregatione capitulari, crescente numero reformatorum, statim, ubi duodecim aut sexdecim fratres de novo reformationem amplexati fuerint, unum aut alterum conventum dictae reformationi commodum, praedictis quantum fieri poterit contiguum, iuxta dictorum reformatorum numerum, non plures, assignare et dare teneantur minister et definitores dictae provinciae sub dictis poenis;

Quod insuper, iuxta statuta generalia et decretum dicti DD. N. anni MDCXXV, unus ex definitoribus dictae provinciae eligatur et assumatur ex reformatis, qui rerum omnium ad dictam reformationem spectantium curam accuratam habeat;

Ac tandem, quod in modo vestiendi, mendicandi, ac vivendi ceteris Galliae recollectis omnino dicti reformati conformes existant; nec ullis dictae provinciae statutis teneantur, nisi in quantum generalibus constitutionibus Ordinis, et maxime pro strictiori observantiâ factis, conformia reperientur.

Datum Florentiae in conventu nostro Omnium Sanctorum die XXIV maii MDCXXXVI.

Fr. Io. Baptista a Campanea,
minister generalis.

Frater a Marcigniaco deputatur visitator provinciae eiusdem.

§ 3. Idem Ioannes Baptista minister generalis te dictae provinciae Turoniae commissarium visitatorem constituit et deputavit, cum nonnullis tunc expressis fa-

1 Deesse videtur *pateat*, aut simile (R. T.).

1 Legendum foret *possint* (R. T.).

cultatibus, prout plenius continetur in patentibus eius litteris desuper expeditis tenoris pariter subsequentis, videlicet:

Fr. Ioannes Baptista a Campanea, strictioris observantiae, totius Ordinis fratrum Minorum generalis minister et servus, dilecto nobis in Christo patri fratri Cherubino a Marcigniaco eiusdem Ordinis et instituti, nostrae vero provinciae sancti Francisci patri, salutem in Domino sempiternam.

Monet nos nostri muneris ratio, ut gravioribus obeundis negotiis eos Ordinis nostri deputemus et destinemus alumnos, quos vitâ commendabiliores, pietati addictiores, et intentae reformationi propensiores esse noverimus. Cum igitur tempus advenerit, quo provinciae nostrae Turoniae capitulum celebrandum occurrit, ne id absque praevià visitatione praestetur, iuxta laudabilem et antiquam patrum nostrorum consuetudinem, memoratae provinciae nostrae visitationi incundae et absolvendae discretum, probum et prudentem deputandum duximus virum. Unde de tuae vitae probitate, morum gravitate, doctrinae idoneitate, prudentiâ, regularis observantiae zelo, rerumque agendarum dexteritate plurimum in Domino confisi, praesentium exemplo atque vigore, te dictae provinciae Turoniae commissarium visitatorem nominamus, instituimus et deputamus, plenariam tibi concedentes in hac parte auctoritatem nostram, qua, ad apostolicarum et generalium nostri Ordinis constitutionum necnon privatarum nostrarum instructionum praescriptum, conventus et monasteria, fratres et moniales, tam in capite quam in membris, visitare, processus conficere, carceribus mancipare, sententiare, monere, corrigere, punire, absolvere, depravatos mores evellere, virtutes inducere, et cetera omnia praestare possis et valeas, quae puriori instituti seraphici cultum strictioris observantiae nostrae conservationem concernunt; ac denique qua possis, praedictâ visitatione absolutâ, et ceteris omnibus, ut moris est, expletis, capitulum celebrare, ministrum provincialem, definitores et guardianos, ceterosque officiales canonice electos confirmare. Verum, ut facilius, opportunius, exactius et commodius iniunctum tibi munus absolvere quaeas, praecipimus omnibus et singulis eiusdem provinciae fratribus et monialibus, superioribus et subditis, in virtute sanctae obedientiae, et sub poenâ privationis propriorum officiorum, necnon excommunicationis latae sententiae, quatenus te velut commissarium nostrum ut supra institutum recipere, recognoscere et revereri velint et debeant, tibi in omnibus, quae nec animae suae, nec regulae nostrae contrariae sint, prompte et hilariter obtemperaturi; monentes te demum et in Domino exhortantes, ut in eiusmodi muneris exequutione nihil aliud penitus, nisi Dei gloriam, veritatem, institiam, fratrum nostrorum pacem, nostraeque tandem seraphicae religionis decorem prae oculis habeas. Vale, Deumque pro nobis exora.

Datum Florentiae, in nostro conventu Omnium Sanctorum, VI kalendas iunii anno MDCXXXVI.

Fr. IOANNES BAPTISTA a Campanea, minister generalis:

Et infra: De mandato suae reverendissimae paternitatis frater FRANCISCUS GUERRA, secretarius generalis.

Locus ✝ sigilli totius dicti Ordinis.

§ 4. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praemissa dilecto filio nostro Francisco S. Laurentii in Damaso diacono cardinali Barberino nuncupato sanctae Romanae Ecclesiae vice cancellario, nostro secundum carnem ex fratre germano nepoti, dictique Ordinis apud

Quae omnia petit confirmari.

nos et Sedem Apostolicam protectori, necessaria visa fuerint, dictusque Cherubinus illa omnia, pro maiori illorum firmitate, apostolicae confirmationis robore communiri plurimum desideret:

Urbanus confirmat.

§ 5. Nos, dictum Cherubinum de religionis zelo, aliisque laudabilibus virtutibus suis apud nos fide dignorum testimonio plurimum commendatum, horum intuitu specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, articulos, sive decreta huiusmodi, necnon constitutionem et deputationem de personâ dicti Cherubini in commissarium visitatorem dictae provinciae Turoniae, ut praefertur, facta et factas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiiciimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; necnon articulos et decreta, ac constitutionem et deputationem de personâ dicti Cherubini, ut praefertur facta et factas, suum plenarium et integrum sortiri debere effectum, etiamsi capitulum dictae provinciae celebratum fuerit; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Eidemque Cherubino aliqua mandata dat.

§ 6. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae eidem Cherubino, ad praefata ut praefertur destinato, ut convocet patres dictae provinciae Turoniae et definitores, ac per annum, a suâ receptione et admissione in dictâ provinciâ computandum, maneat visitando conventus eiusdem provinciae, ac cetera omnia, prout in dictis litteris ac articulis seu decretis ordinata continentur, exequendo, ac volentes, ut tam minister quam singuli fratres dictae provinciae subditi in omnibus praefatis eidem Cherubino obediant.

Obstantia tollit.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ordinis et provinciae praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II iulii MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 2 iulii 1636, pontif. anno XIII.

DXLVI.

Facultates collegii doctorum civitatis Urbini super cognitione causarum[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Expositio incolarum civitatis Urbinatensis necnon collegii doctorum.

§ 1. Cum (sicut pro parte dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis nostrae Urbinatensis, necnon collegialium collegii doctorum eiusdem civitatis, nobis nuper expositum fuit) collegium praedictum, in quo admittuntur omnes ii, qui, ex patre cive nati, ad doctoratus gradum Urbini promoventur, praetextu litterarum felicis recordationis Iulii II super erectione dicti collegii, et Pii V, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, super confirmatione certae concordiae inter eosdem doctores, et tunc existentem archiepiscopum Urbinatensem super causarum cognitione in primâ, secundâ et tertiâ instantiis initae emanatarum, facultatem iudicandi in causis appellationum tam in foro seculari quam

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

ecclesiastico Status ac ducatus Urbini, aliarumque civitatum, terrarum et locorum per obitum quondam Francisci Mariae ultimi ducis Urbini ad Sedem Apostolicam devolutorum, et nostro incorporationis decreto comprehensorum, sibi competere praetendant[1]:

Tredecim eiusdem civitatis doctores, qui causas appellationum cognoscant, eligantur.

§ 2. Nos, eiusdem civitatis communitatem et homines, necnon doctores praedictos, ob praecipuum quo illos amplectimur paternae charitatis affectum, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne dubitari contingat, an dicta privilegia Iulii II et Pii V adhuc durent vel expiraverint per mortem dicti ultimi ducis, tredecim eiusdem collegii doctoribus, ut infra eligendis et pro tempore existentibus, facultatem de cetero iudicandi in causis appellationum Status praefati, aliarumque civitatum, terrarum et locorum supranarratorum, tam in foro seculari quam ecclesiastico, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et impertimur; ita tamen, quod ex dicto collegio dicti tredecim votantes, et quatuor vel quinque sopranumerarii si opus fuerit, eligantur; qui eorumdem votantium, si abfuerint vel si suspecti allegati fuerint, vices in iudicando supplere valeant, sed, existente necessario votantium numero ut infra dicetur, a dando vel ferendo voto se abstinere debeant nec iudicare possint.

Horum doctorum nominatio.

§ 3. Porro tam vacantium quam supranumerariorum electio pro primâ vice dilecto filio nostro Francisco S. Laurentii in Damaso diacono cardinali Barberino nuncupato, sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellario, nostro secundum carnem ex fratre germano nepoti, et in Statu ac ducatu Urbini et praefatis aliis terris et locis huiusmodi nostro et Apostolicae Sedis de latere legato, reservata sit et censeatur. De cetero autem, deficiente aliquo ex supradictis, tres a praedicto collegio doctores nominabuntur, quorum unus ab ipso Francisco cardinali moderno seu pro tempore existente legato, vel ab hac Sede eligetur.

Pro prima vice Francisco cardinali Barberino conceditur.

Ac deinde a collegio eligendi erunt.

§ 4. Inter hos tredecim doctores votantes, quinque ad minus erunt ecclesiastici non uxorati, sed incedentes in habitu et tonsurâ clericalibus, ad quos solos dumtaxat causarum ecclesiasticarum cognitio pertinebit, in quibus laici se aliâs ingerere non valeant nec possint, quam in dando eorum voto consultivo. In causis vero laicalibus ipsi votum dabunt et ferent promiscue cum laicis, et eas prout iuris erit terminabunt, non tamen votis secretis, sicut in praefatis Iulii II praedecessoris nostri litteris concessum fuit, sed votis apertis et in iure fundatis, et sententiae, ad minus in causis ecclesiasticis, a iudice sive ponente subscribentur, non obstante stylo in contrarium faciente.

Ex quibus tredecim votantibus quinque debeant esse ecclesiastici;

Ad quos solos ecclesiasticarum causarum cognitio pertineat.

§ 5. Habebit collegium mediante distinctione praedictam auctoritatem cognoscendi causas appellationum tam ecclesiasticas quam laicales omnium et quorumcunque iudicum legationis supradictae (exceptis tamen beneficialibus, et iis, quae, iuxta dispositionem sacri Concilii Tridentini, vel aliâs de iure, sunt inappellabiles) in secundis seu tertiis instantiis, et in omnibus illis in quibus dabitur appellatio, postquam iudicatae fuerint a iudicibus ordinariis appellationum, ubi dicti iudices appellationum existunt, quibus nullum censeatur illatum praeiudicium. Verum, in

Pro causarum appellationum cognitione nonnulla statuuntur.

1 Aptius legeretur *praetendat* (R. T.).

causis ecclesiasticis, pro earum definitione, ad minus tres iudices, et in laicis ad minus quinque interveniant; et in illorum defectu, ut praefertur, supplebunt supranumerarii, et etiam in horum defectu poterunt subrogari alii iudices ad electionem, et de consensu partium, dummodo in causis ecclesiasticis pro earum definitione semper sint iudices ecclesiastici. In causis appellationum, spectantibus, ut supradictum est, ad collegium, tam ecclesiasticis quam laicalibus, appellari non possit omisso medio; et, si appellari contigerit, in iis nullus iudex se ingerere debeat, nisi in vim commissionis expressae manu nostrâ signatae; aliàs licitum sit eidem collegio ad ulteriora procedere, non obstante quacumque inhibitione, et absque alicuius poenae incursu, ipsumque collegium reassumere inhiberi et exequi possit, prout iuris erit. Ubi vero collegium iudicaverit in casu, quo dari debeat appellatio, eius cognitio seu commissio ad vicelegatum spectabit.

Facultas collegio sua condendi statuta.

§ 6. Praeterea eidem collegio statuta super modo cognoscendi causas et pro felici ipsius gubernio necessaria et opportuna condendi, illaque, toties et quoties sibi videbitur et placuerit, alterandi, immutandi et innovandi, salvâ tamen semper approbatione dicti legati sive eius vicelegati, facultatem concedimus et impertimur, necnon doctorandi, et alia privilegia eidem collegio competentia, dummodo sint in usu, nec sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis constitutionibusque apostolicis[1] non adversentur, auctoritate et tenore praedictis approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

A legato approbanda.

Necnon etiam lauream concedendi.

Clausulae.

§ 7. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictoque collegio in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 8. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice duntaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Obstantium derogatio.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII iulii MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 8 iulii 1636, pontif. anno XIII.

1 Male edit. Main. legit *apostolici* (R. T.).

DXLVII.

Iubilaeum universale ad divinam opem implorandam[1].

Urbanus Papa VIII,

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolatus nobis desuper creditum ministerium nos impulit assidue, ut, diremptis inter catholicos principes dissidiis, animos illorum conciliare satagerimus, pro comperto habentes, hinc populorum tranquillitatem oriri, qua magis sarta ac tecta religio catholica conservatur.

Prooemium.

§ 1. Nostris igitur hortationibus et monitis per nuncios ordinarios et extraordinarios charissimum in Christo filium no-

Ea refert, quae pro concilianda inter principes pace gesserat.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

strum Ferdinandum Romanorum regem in imperatorem electum atque utrumque regem ad opportunam aliquam rationem ineundam inducere curavimus, qua pax inter ipsos et publica quies coalesceret, nullum officii genus praetermittentes, omnemque operam et conatum, qui paternae nostrae charitati erga catholicos principes retinendae congruens, et propterea tam proficuo operi facilius perficiendo magis conducere visus sit, indesinenter adhibentes, ut voti compotes efficeremur. Tandem, propitio Dei numine, res eo pervenit, ut dilectum filium nostrum Martium S. Angeli in Foro Piscium diaconum cardinalem Ginettum nuncupatum, nostrum in almâ Urbe vicarium in spiritualibus generalem, ad praefatos Ferdinandum in imperatorem electum, ac reges et respublicas, aliosque principes maioris potentiae, nostrum et Apostolicae Sedis de latere legatum esse mittendum decrevimus, qui ad suum iam munus obeundum, mandatorum nostrorum idoneo commeatu munitus, se commisit itineri.

Ut publicas preces adimplendas esse putat.

§ 2. Quoniam vero sperare possumus fore ut consilia actionesque humanae quantumvis piae provideque[1] susceptae eum ad quem diriguntur scopum securius attingant, si illas dextera Domini faciens virtutem auxilii sui vi provehat ac tueatur, ideirco, ut immensa Dei omnipotentis bonitas humilitatis nostrae pia studia et vigilias necnon legationem ipsam felici secundet exitu, et quam mundus dare non potest optatam populo suo supplicanti pacem benigne largiatur, ad communes quoque totius populi christiani preces recurrendum censuimus, ut saluberrimis poenitentiae charitatisque operibus orationes sociatae, ad conspectum divinae maiestatis ascendentes, caelestium miserationum et cupitae pacis dona nobis efficaciter impetrent.

1 Male edit. Main. legit *providaeque* B. T.).

Iubilaeum indicit.

§ 3. Hoc autem, ut fructuosius et maiori cum spiritus ardore peragatur, ex veteri Ecclesiae Romanae omnium matris et magistrae more, in praesentibus necessitatibus eiusdem Ecclesiae thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus, proferre et largissime erogare decrevimus. Itaque, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, omnes et singulos utriusque sexus christifideles, tam in almâ Urbe nostrâ quam alibi ubicumque locorum constitutos, apostolicâ auctoritate paterne enixeque requirimus, monemus et in Domino hortamur ad infrascripta devote peragendum et adimplendum, et ad Deum Salvatorem nostrum orandum, ut per viscera misericordiae suae fidem catholicam protegere et ab hostium conatibus et insidiis defendere, haeresim extirpare, principibus christianis pacem et veram concordiam donare, ac praecipue praesentibus Ecclesiae necessitatibus subvenire dignetur.

Indulgentiam quae hic praescribuntur peragentibus concedit.

§ 4. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate quam nobis Dominus meritis minime suffragantibus contulit, universis et singulis christifidelibus in almâ Urbe praedictâ degentibus, qui solemni processioni, quam ab ecclesiâ B. Mariae Angelorum nuncupatâ, Chartusiensis Ordinis, ad basilicam eiusdem B. Mariae Maioris etiam nuncupatam de Urbe feriâ quartâ sequentis hebdomadae, quae erit decimasexta praesentis mensis iulii, unâ cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, christianorumque regum et principum apud nos et Apostolicam Sedem oratoribus, omnibusque praelatis et proceribus, ac universo clero et populo agemus, interfuerint, vel qui in eâdem, seu immediate sequenti hebdomadâ, basilicam et ecclesias praedictas saltem semel

visitaverint, ibique devote, ut supra, Deum oraverint, necnon ferià quartà et sextâ ac sabbato eiusdem vel sequentis hebdomadae ieiunaverint, atque peccata sua confessi sequenti saltem die dominico sanctissimum Eucharistiae sacramentum reverenter sumpserint, et eleemosynas ad libitum prout charitas singulis suggesserit fecerint; ceteris vero omnibus et singulis fidelibus extra Urbem existentibus, in quibusvis civitatibus, terris et locis, qui processioni ab Ordinariis locorum vel eorum vicariis, seu officialibus, vel de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos, qui inibi curam animarum exercent, primâ vel secundâ hebdomadâ postquam ad eorum notitiam hae nostrae litterae devenerint indicendae et agendae interfuerint, vel ecclesiam seu ecclesias per eosdem designandas saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, Deum oraverint, ac ferià quartà, sextâ et sabbato alterius[1] ex duabus hebdomadis ab eisdem deputandis ieiunaverint, pariterque peccata sua confessi ac sanctissimâ communione refecti fuerint, et eleemosynas similiter pro arbitrio suo fecerint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium, concedimus et elargimur.

Impediti quo pacto supplere possint, declarat.

§ 5. Navigantes vero, aut iter agentes, ut, cum primum ad sua se se domicilia receperint, suprascriptis peractis, et, loco interventus in processione, visitatâ ecclesiâ cathedrali, vel maiore, aut parochiali loci eiusdem domicilii, eandem indulgentiam consequi possint et valeant, regularibus autem personis utriusque sexus etiam in claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque tam laicis quam ecclesiasticis secularibus vel regularibus, etiam in carcere, aut in captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, scilicet ieiunium, eleemosynam, ecclesiaeque seu ecclesiarum visitationem, ac interventum in processione et orationem, vel eorum aliqua, praestare nequiverint, ut illa confessarius, quem, ut infra, elegerint, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

Facultates confessariis elargitur.

§ 6. Cupientes autem omnes christifideles participes fieri huius pretiossimi thesauri, universis et singulis utriusque sexus tam laicis quam ecclesiasticis secularibus et regularibus cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, licentiam concedimus et facultatem damus, ut sibi ad hunc effetum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium tam secularem quam cuiusvis Ordinis regularem, ex approbatis a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis sive nobis et Sedi Apostolicae etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliàs per quascumque nostras aut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae, et hac vice tantum, non tamen a crimine haeresis, absolvere et liberare valeant; et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis.

1 Nempe *alterutrius* (R. T.).

Iubilaeum ubique locorum indicendum statuit

§ 7. Quapropter tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, et aliis ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum, eorumque vicariis et officialibus, vel iis, deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ullâ morâ, retardatione vel impedimento per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, ac clericis et populis sibi subiectis solemnes processiones et supplicationes, ut praefertur, indicant et celebrent, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae, neque etiam easdem praesentes iis, qui a nobis et Apostolicâ Sede, vel ab aliquo praelato, seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus celebrationis iubilaei satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Contrariis vel.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec[1] etiam similes vel dissimiles iubilaei indulgentiarum, et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et congregationum sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliqua alià firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, congregationibus, institutis, illorumque personis, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac formam eorum traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter nominatim et expresse ad effectum praesentium derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 9. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem praesentium transumptis vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, ubicumque locorum et gentium, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI iulii MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 11 iulii 1636, pontif. anno XIII.

DXLVIII.

Confirmatio decreti Congregationis de Propaganda Fide, quo declaratur collegium Hybernorum Lillae in Belgio

1 Perperam ed. Main. *nec non* legit, pro *ut nec* (B. T.).

non esse commune omnibus regni Hyberniae provinciis, sed pro solis duabus provinciis, Lagenia scilicet et media erectum fuisse[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Refert decretum Congregationis de Propaganda Fide.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum collegialium collegii Hybernorum, oppidi Insulensis, Tornacensis dioecesis, nobis expositum fuit, quod a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus negocio Propagandae Fidei praepositis emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Decretum sacrae Congregationis de Propaganda Fide habitae die IV martii MDCXXXVI.

Referente eminentissimo domino cardinale Antonio Barberino instantiam Hybernorum, ut collegium Lillae in Belgio erectum mediante fratre Francisco Cappuccino declararetur esse commune omnibus regni Hyberniae provinciis, sacra Congregatio, visâ visitatione[2] dicti collegii, in qua dicitur collegium praedictum fuisse erectum pro solis duabus provinciis, Lageniâ scilicet et mediâ, instantiam praedictam, utpote contra fundationem, reiecit.

FRANCISCUS INGOLUS, secretarius.

Apostolica petitur confirmatio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefati collegiales decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et validitate, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desiderent:

Urbanus confirmat.

§ 3. Nos, illos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, decretum praeinsertum cum omnibus et singulis in eo contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus.

Clausulas apponit.

§ 4. Decernentes illud necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantia tollit.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XX iulii MDCXXXVI, pontificatus nostri, anno XIII.

Dat. die 20 iulii 1636, pontif. anno XIII.

DXLIX.

Quod officium sanctae Theresiae virginis recitari possit iuxta lectiones a sacrâ rituum congregatione approbatas[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Legerem *supplicatione* pro *visitatione* (R.T.).

1 Huius Sanctae canonizationem vide in Constit. LIII (*al.* 52) Gregorii XV, *Omnipotens sermo*, tom. XII, pag. 673; confirmatio vero praefinitionis factae circa habitum inter fratres Discalceatos S. Theresiae et fratres Primi Instituti de Monte Carmelo legitur in Const. DIX huius Pontificis, *Inter ceteras*, ut supra pag. 472.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Pauli V litteras refert.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Paulo Papa V praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Paulus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

In supremo apostolatus solio, meritis licet insufficientibus, divinâ dispensatione constituti, ad ea, per quae servorum et ancillarum Christi honos et veneratio in terris promoventur, iuxta creditum nobis desuper apostolicae servitutis officium, libenter intendimus, et christifidelium praesertim catholicorum regum id exoptantium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Aliàs siquidem nomine dilectorum filiorum omnium religiosorum totius Ordinis fratrum Carmelitarum Discalceatorum Beatae Mariae de Monte Carmelo nobis exposito, quod bonae memoriae Theresia a Iesu, dicti Ordinis fratrum Carmelitarum Discalceatorum fundatrix, tam multis et eximiis virtutum et gratiarum ac miraculorum donis a Domino illustrata fuerat, ut magna idcirco erga eius nomen et memoriam christifidelium devotio vigeret, et propterea non solum universus Ordo praedictus, sed etiam charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, ac omnium fere Hispaniarum regnorum archiepiscopi, episcopi, principes, necnon communitates, universitates et omnes nobis iteratis precibus humiliter supplicari fecerant, ut, donec canonizationis honor ab Apostolicâ Sede dictae Theresiae haberetur, sacrosanctum Missae sacrificium et officium ab omnibus et singulis dicti Ordinis utriusque sexus religiosis personis de dictâ Theresia, tamquam de unâ beatâ virgine, agi et recitari respective posset: nos, re prius per venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales sacris ritibus praefectos, quibus eam examinandam mandaveramus, mature discussâ, de eorumdem cardinalium consilio huiusmodi supplicationibus inclinati, ut singulis annis in die depositionis dictae beatae Theresiae, videlicet die v mensis octobris, in omnibus monasteriis et ecclesiis dicti Ordinis fratrum Carmelitarum Discalceatorum ab omnibus eiusdem Ordinis religiosis utriusque sexus officium et missa de beatâ Theresiâ praedictâ tamquam de unâ virgine, necnon in oppido Alvae Salmantinae dioecesis in monasterio et ecclesiâ, in qua corpus dictae beatae Theresiae asservari asseritur, ab omnibus presbyteris tam secularibus quam regularibus cuiuscumque Ordinis in dictâ die v octobris tantum, missa in in honorem eiusdem beatae Theresiae pro eorum devotione iuxta regulas breviarii et missalis romani recitari et celebrari respective posset, concessimus et indulsimus. Et subinde, de simili eorumdem fratrum consilio, ut ex tunc in futurum in omnibus ecclesiis quarumcumque civitatum et dioecesum regni Castellae veteris tantum missa et officium de eâdem beatâ Theresia in die eius depositionis praedictâ duntaxat, iuxta rubricas breviarii romani, a quibuscumque utriusque sexus personis ecclesiasticis, servatâ aliàs in omnibus et per omnia nostrarum super prioris gratiae concessione expeditarum litterarum formâ et tenore, celebrari et recitari respective libere posset et valeret, concessimus et indulsimus, aliàsque, prout in diversis nostris in simili formâ Brevis desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur[1]. Cum autem, sicut nomine dictorum religiosorum nobis nuper iterum expositum fuit, tam Philippus rex, quam etiam Ordo praedicti, attentâ universali devotione erga

Paulus V officium de beata Theresia non nullis in locis recitari posse concesserat,

Quod deinde ad totum regnum Castellae veteris extendit.

Ideoque ad omnia regnum Hispaniarum, etc.

1 Quae in *Bullario* non sunt (R. T.).

dictam beatam Theresiam omnium populorum non solum regni Castellae veteris, sed etiam omnium aliorum regnorum Hispaniarum, necnon Portugalliae et Algarbiorum, concessionem et indultum praedicta ad universa Hispaniarum necnon Portugalliae et Algarbiorum regna per nos apostolicâ auctoritate extendi summopere desiderent: nos, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc iterum humiliter porrectis inclinati, de eorumdem fratrum consilio, quod de cetero perpetuis futuris temporibus in omnibus Hispaniarum ac etiam Portugalliae et Algarbiorum regnis dictâ die v mensis octobris ab omnibus utriusque sexus personis ecclesiasticis, secularibus et regularibus, officium, et a quibuscumque presbyteris, tam secularibus, quam cuiusvis Ordinis regularibus, etiam missa de eâdem beatâ Theresia, servatis aliâs in omnibus et per omnia litterarum praedictarum formâ et tenore, celebrari et recitari libere et licite possit et valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis nostris litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae seu procuratoris generalis dicti Ordinis munitis eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III augusti MDCXVII, pontificatus nostri anno XIII.

Nova petitio Carmelitarum.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte religiosorum dicti Ordinis fratrum Carmelitarum Discalceatorum Beatae Mariae de Monte Carmelo nobis nuper expositum fuit, approbatis per venerabiles fratres nostros sanctaeRomanae Ecclesiae cardinales sacris ritibus praepositos tribus lectionibus, duobus hymnis et oratione pro festo santae Theresiae praedictae, aliqui ex iis, qui praedictam habent facultatem, dubitaverint, an dictas lectiones, hymnos et orationem recitare possint, et propterea eisdem cardinalibus pro parte dictorum religiosorum supplicato pro habendâ desuper opportunâ declaratione, iidem cardinales responderint, tuto posse tam a secularibus quam a regularibus qui recitant officium sanctae Therêsiae in die eius festo recitari cum lectionibus, hymnis et oratione propriis approbatis ab eisdem cardinalibus pro religione Carmelitarum, prout in decreto desuper sub die XVIII augusti MDCXXIX emanato plenius dicitur contineri: nobis propterea religiosi praedicti humiliter supplicari fecerunt, ut pro firmiori dicto decreti validitate et subsistentiâ illud apostolicae confirmationis robore communire de benignitate apostolicâ dignaremus.

Concessio, de qua in rubrica.

§ 3. Nos igitur, piis dictae religiosorum votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praedictum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes praesentes litteras va-

lidas, firmas et efficaces existere et fore, dictisque religiosis in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus omnibus illis, quae dictus Paulus praedecessor in litteris praedictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae seu procuratoris generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII iulii MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 23 iulii 1636, pontif. anno XIII.

DL.

Cardinali ab Auriâ committitur publicatio Brevis in Siciliâ, quo regi conceditur decima ab ecclesiasticis persolvenda [1].

Dilecto filio nostro, Ioannettino tituli S. Petri in Monte Aureo presbytero cardinali ab Auriâ nuncupato, ecclesiae Panormitanae ex concessione et dispensatione apostolicâ praesuli,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset Brevia citatum in rubrica.

§ 1. Aliàs a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: *Urbanus*, etc. [1].

Cardinali ab Auria, ut decretum huiusmodi in Siciliae regno publicari faciat, mandat.

§ 2. Quare, cupientes praeinsertas litteras nostras huiusmodi etiam quoad regnum Siciliae ultra pharum exequutioni demandari, circumspectioni tuae per praesentes iniungimus, ut, praeinsertas litteras nostras praedictas omniaque et singula in eis contenta, respectu regni Siciliae ultra pharum huiusmodi dumtaxat, publicans, ad omnimodam illarum exequutionem cum omnibus et singulis facultatibus in eis contentis, et servatâ in omnibus et per omnia illarum formâ, auctoritate nostrâ devenias.

Cum facultate ad censuras etiam procedendi.

§ 3. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus omnibus illis quae in praeinsertis litteris huiusmodi voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII iulii MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 28 iulii 1636, pontif. anno XIII.

DLI.

Erectio montis communitatum Status Ecclesiastici tertiae erectionis *nuncupati.*

Urbanus Papa VIII,
motu proprio, etc.

Recenset similes erectiones a Clemente VIII et Paulo V factas.

Licet aliàs felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster, ut communitates et universitates Status Ecclesiastici ab aere alieno per eas diversimode contracto gravioribus interusuriis sublevaret, montem non vacabilem communi-

1 Ex regest. in Secret. Brev. — Breve cuius hic fit mentio, vide supra in Const. DVIII, p. 468.

1 Reliquum omittitur quia est in loc. cit. in notâ ad rubricam (R. T.).

tatum Status Ecclesiastici nuncupatum, ad rationem scutorum quinque et infiorum duorum monetae pro quolibet centenario et anno, in quo postea dictae communitates et universitates dicti Status pro censibus extinguendis aliisque earum necessitatibus reparandis admissae fuerunt, erexerit et instituerit; deindeque similis memoriae Paulus V etiam praedecessor noster pro servitio et commodo earumdem communitatum alium montem non vacabilem communitatum et universitatum Status Ecclesiastici *secundae erectionis* nuncupatum, ad rationem scutorum quatuor cum dimidio eiusdem monetae pro quolibet centenario et anno, erexerit pariter et instituerit, in quo etiam communitates praedictae pro diversis summis pro earum necessitatibus participarunt:

Causasque novi montis erigendi.

§ 1. Nos nihilominus (quia, sicut accepimus, nonnullae communitates dicti nostri Status adhuc non solum remanent debitrices pro diversis summis in primodicto monte communitatum et aliis montibus cameralibus, verum etiam diversis aliis debitis, pro quibus maiora interusuria sustinent, gravatae reperiuntur), eisdem communitatibus et universitatibus, quantum possumus, prodesse cupientes, alium montem non vacabilem communitatum et universitatum dicti nostri Status Ecclesiastici *tertiae erectionis* nuncupandum ad eamdem rationem scutorum quatuor cum dimidio monetae pro quolibet centenario et anno, ex quo omnes communitates dicti nostri Status non solum pro extinctione censuum, sed etiam dictorum locorum montis communitatum et aliorum locorum montium et debitorum, pro quibus maiora interusuria solvunt, pro eorum extinctione et redemptione, ac pro aliis pro tempore occurrentibus necessitatibus, pecunias in promptu habere valeant, erigere et instituere deliberamus.

Erigit montem communitatem.

§ 2. Motu igitur simili, ac ex certâ scientiâ et deliberatione nostris, deque apostolicae nobis attributae potestatis plenitudine, montem non vacabilem communitatum ac universitatum Status nostri Ecclesiastici *tertiae erectionis* nuncupandum pretio scutorum centum monetae pro quolibet loco redimibilem, pro beneficio et commodo omnium communitatum et universitatum dicti nostri Status Ecclesiastici, locorum quatuor millium, et pro eâ summâ et quantitate locorum, quae pro censibus, locis montium et aere cuiusvis generis alieno, legitime tamen et debitis cautelis et solemnitatibus contracto, pro quibus maius interesse scutorum quatuor cum dimidio pro singulo centenario et anno quolibet persolvitur, redimendis et penitus extinguendis sufficiens fuerit, et cuius singulorum locorum pretia scuta centum monetae, fructus autem annui (quos illius creditoribus pro ratâ pecuniarum in eo expositarum singulis annis de bimestri in bimestre in fine proportionabiliter libere et sine aliquo impedimento hic Romae solvi volumus) annua scuta quatuor cum dimidio pro quolibet loco non excedant, et cum amplissimis privilegiis, facultatibus, libertatibus, indultis, immunitatibus, exemptionibus, gratiis, praerogativis, assignationibus, cautelis, modoque et formâ infra latius dicendis et exprimendis, sine tamen omnium et quorumcumque iurium camerae nostrae apostolicae aliquo praeiudicio, et citra eiusdem camerae suorumque bonorum aliquam obligationem, tenore praesentium creamus, erigimus et instituimus. In quo quidem monte sic a nobis erecto et instituto volumus, et nostrâ auctoritate decernimus et ordinamus, omnes et singulas communitates et universitates dicti Status nostri Ecclesiastici pro eâ ratâ et summâ et quantitate censuum ac locorum montium et quorumcumque debitorum pro quibus dictis scutis quatuor cum di-

midio pro quolibet centenario et anno maius interesse, ut supra, persolvitur, ad effectum aes alienum praedictum extinguendi, etiamsi super eorumdem censuum, locorum montium et debitorum solutione et extinctione cum mercatoribus aut quibusvis aliis personis aliter pacta fuerint[1] seu quomodolibet contraxerint, et pro aliis eorum occurrentibus indigentiis, de nostrâ successorumque nostrorum Romanorum Pontificum licentiâ et mandato, et non aliâs, participare et contribuere, fructusque ad rationem praedictam, modo et formâ ac in terminis infra dicendis, persolvere omnino posse et debere.

Conditiones nonnullas praescribit.

§ 3. Et insuper, ad tollendas difficultates, quae in his possent suboriri, et tam communitatum quam montistarum indemnitati ac potiori securitati consulendum, volumus pariter et ordinamus, quod censuum praedictorum creditores, praeviâ disdictâ et intimatione per duos menses antea iuxta bullam felicis recordationis Pii V praedecessoris nostri super formâ creandi census, ac ipsorum censuum instrumentorum formam et dispositionem) faciendâ, sortes principales dictorum censuum unâ cum fructibus ex tunc decursis et non solutis recipere, ac de illis quietantiam facere, et eorum iura et actiones quaecumque translative et non extinctive, ac talia qualia habent contra easdem communitates et universitates et quoscumque alios eis quomodolibet occasione dictorum censuum obligatos, ad favorem dicti montis illiusque emptoris et emptorum et futurorum creditorum ac montistarum, ad maiorem eorum cautelam, cedere teneantur. Alioquin, si statuto termino notificationis et intimationis praedictae, ut praefertur faciendae, pecunias supradictas recipere recusaverint, aut aliâs quomodolibet distulerint seu neglexerint, tunc pecuniae praedictae a die lapsi termini in depositum stare intelligantur, et stent, eorumdem creditorum risico, periculo, fortunâ, sumptibus et expensis, fructusque ulterius non currant, et quietantiae et cessiones praedictae habeantur pro factis, dictaque iura et actiones, ut supra, cessa et translata esse censeantur, et nihilominus, quandocumque postea illa receperint, quietantias et cessiones praedictas ad maiorem cautelam, ut supra, facere teneantur; ita tamen, quod iura praedicta pro cedularum bancariarum seu fideiussorum[1] renovatione vel praestatione, ad quam, seu quas, communitates seu universitates praedictae se obligarunt, minusque pro fructibus ultra rationem praedictam pro quolibet centenario et anno exigendis ullatenus experiri aut aliâs exercere non possint. Ceterum, ut etiam mons, sic a nobis, ut praemittitur, erectus et institutus, suas habeat debitas cautelas et assignationes, et illius creditoribus et montistis in fine cuiuslibet bimestris debito tempore hic Romae fructuum solutio fiat, volumus atque statuimus, quod communitates et universitates praedictae ratam partem fructuum unamquamque ipsarum tangentem, pro illis locis et portionibus pro quibus ratione et causâ censuum, locorum montium et debitorum praedictorum in eodem monte erunt participes factae, ut supra, contribuant integram, sine ullâ diminutione, et ab omnibus et singulis oneribus, impositionibus, contributionibus, collationibus, tributis, subsidiis et collectis, ex quavis causâ, etiam urgenti et urgentissimâ, etiam Sedis et Camerae Apostolicae, aut etiam communitatum et universitatum praedictarum, necessitate etiam publicâ et pro fide orthodoxâ tuendâ, et quavis aliâ quantumvis necessariâ, cogitatâ et incogitatâ causâ hactenus etiam per quosvis praedecessores nostros Romanos Pontifices et nos impositis, et per

1 Legendum *pacti fuerint* (R. T.).

1 Forsan legendum *fideiussionum* (R. T.).

nos seu successores nostros forsitan imponendis quibuscumque, liberam, immunem et exemptam, unà cum portu ad hanc almam Urbem, quotannis in perpetuum durante huiusmodi monte, et proportionabiliter pro ratâ, videlicet de quadrimestri in quadrimestre anticipatis solutionibus in manibus seu banco depositarii huius montis vel thesaurarii illius provinciae, cui unaquaeque communitas et universitas subiecta est vel erit. Qui quidem provinciae thesaurarius et thesaurarii, volumus atque decernimus, quod, ad instar onerum cameralium, facultatem habeant exigendi dictos fructus, quodque illos de bimestri in bimestre in fine cuiuslibet bimestris proportionabiliter et pro ratâ libere et integre, sive exegerint sive non, persolvere teneantur depositario huius montis in Urbe ut infra constituendo, modis, formis, obligationibus et cautelis in solutionibus onerum cameralium ipsi camerae faciendis fieri, servari et adhiberi solitis, et ad hoc etiam in formâ camerae nostrae apostolicae sese obligare teneantur. Communitates vero et universitates in manibus praedictorum thesaurariorum seu aliorum exactorum persolvere et exbursare, ac tam pro huiusmodi solutionibus, ut supra, faciendis, quam omni et quacumque evictione et defensione generali et particulari illorum locorum omnium, pro quibus in hoc monte erunt ut supra participes, per suos certos procuratores in publico et generali consilio ad id deputatos et approbatos, promittere, praesentesque nostras litteras ratificare, ac sese et eorum bona, introitus et iura quaecumque, etiam in ampliori eiusdem camerae apostolicae formâ, et sub[1] iuramento, obligare, seu ratificationum, promissionum et obligationum praedictarum huiusmodi publica et authentica instrumenta in eisdem actis exhibere teneantur. Nos enim earum ratificationes et obligationes, et desuper confecta instrumenta huiusmodi, ex nunc, prout ex tunc, approbamus et confirmamus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus. Ac easdem communitates et universitates omnes et singulas supradidictas, quae ut supra in hoc monte admissae fuerint, ac ratificabunt et obligabunt earum bona, introitus et iura quaecumque praesentia et futura ubilibet existentia, pro omnibus et singulis praemissis et praemissorum occasione, etiam in formâ camerae nostrae apostolicae ampliori et pleniori generaliterque et specialiter et expresse obligamus et hypothecamus, et obligata et hypothecata esse volumus et declaramus: annuamque summam pro fructibus illorum locorum, pro quibus in dicto monte erunt ut supra participes, modo et formâ ac terminis et locis quibus supra persolvendis necessariam, illam sic ut supra integram, liberamque, immunem et exemptam, ex quibuscumque eorum introitibus, redditibus et proventibus ordinariis et extraordinariis, certis et incertis, dismembrantes et separantes, eidem monti eiusque collegio et futuris creditoribus et montistis praedictis perpetuo assignamus, applicamus et appropriamus, et, quoad illam illiusque liberam perceptionem, exactionem et consignationem, in omne ius, locum et privilegium earumdem communitatum et universitatum ponimus, substituimus et subrogamus. Deficientibus autem communitatibus et universitatibus supradictis in solutionibus de quadrimestri in quadrimestre ut supra faciendis, possint thesaurarii et eorum exactores contra eos[1] procedere cum eisdem privilegiis, facultatibus et praerogativis, quibus in exactionibus cameralibus fieri et procedi so-

[1] Perperam ut puto ed. Main. legit *suo* (R. T.).

[1] Legendum foret *eas* (R. T.).

let. Thesaurarii tamen praedicti, cum ad exactionem rigorosam procedi contigerit, illam cum exactione onerum cameralium sine augmento impensae facere debeant. Communitates et universitates vero praedictae, factâ per eas in manibus thesaurarii, et exactorum ut supra ab eis deputatorum, fructuum solutione, pro fructibus sic ab eis solutis ulterius nec etiam a montistis molestentur, nec molestari possint.

Ac privilegia monti, ac montistis concedit.

§ 4. Et insuper, volentes montem praedictum specialibus privilegiis et gratiis decorare, motu, scientiâ et potestate similibus perpetuo statuimus, decernimus, ordinamus et declaramus, quod huius montis loca ad instar aliorum montium non vacabilium Romanae Curiae resignabilia sint et non vacent. Et quicumque etiam laici utriusque sexus, ac presbyteri et alii clerici, necnon ecclesiarum, aut alii quicumque praelati, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, ac ceteri cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis, seculares et quorumcumque Ordinum, etiam in communi Mendicantium, ac militiarum vel hospitalium regulares, et aliae quaecumque personae cuiusvis aetatis, etiam minores et pupilli, ac etiam spurii, illegitimi, aut aliâs quomodolibet inhabiles et incapaces, necnon communia, universitates, ecclesiae, capitula, collegia, congregationes, conventus, societates, hospitalia, cappellae et alia quaevis tam profana quam pia et religiosa loca tam intus quam extra ditionem nostram temporalem, et etiam in qualibet mundi parte, nunc et pro tempore existentes (infidelibus tamen semper exceptis), nihilominus in monte huiusmodi communitatum et universitatum, *tertiae erectionis* nuncupando, quascumque pecuniarum summas et quantitates semel et pluries, ac quoties eis visum fuerit, ponere et erogare, ac pro singulis locis et portionibus praeditis annua scuta quatuor cum dimidio monetae similis in fine cuiuslibet bimestris pro illorum ratâ sine aliquo conscientiae scrupulo, seu sortis principalis restitutione, aut quovis alio restitutionis onere, ac omni prorsus impedimento cessante, percipere, consequi, et in eorum usum et utilitatem convertere, libere et licite possint. Quin etiam loca praedicta quocumque modo obtinentes, si illa in alios cedere et transferre, ac etiam qui loca huiusmodi aliis acquirere voluerint, tales in huiusmodi cessionibus, translationibus, vel acquisitionibus sibi ipsis vel aliis, etiam quoad vixerint, omnimodam dictorum locorum sic cessorum vel acquisitorum administrationem, eorumque fructuum et emolumentorum perceptionem, necnon plenam, liberam et absolutam potestatem illa quocumque voluerint, nullâ etiam subsistente causâ, ad se recipiendi et revocandi, seu alii vel aliis vendendi, alienandi, donandi, relinquendi, obligandi et pignorandi, super eis paciscendi et contrahendi, et prorsus omnem aliam ipsorum dispositionem, ius et facultatem, nullo obtinentium consensu desuper requisito, aut aliâ solemnitate servatâ, ac etiam cum prohibitione huiusmodi administrationis, fructuum perceptionis, cessionis, venditionis, obligationis, fideiussionis per ipsos obtinentes faciendae, necnon decreto irritante adiecto his quae secus facta fuerint ab eisdem, reservare et obtinere libere et licite valeant; montemque ipsum, illiusque loca et portiones, etiam respectu fructuum et emolumentorum ad rationem praedictam illi assignatorum, nullis omnino reductionibus, diminutionibus, aut mensium, seu mensatarum quarumcumque, retentionibus et quibusvis aliis contrariis dispositionibus, etiam praetextu urgentis necessitatis, seu etiam evidentis utilitatis, tam Sedis et Camerae Apostolicae, quam ipsarum communitatum et uni-

versitatum praedictarum, et pro ecclesiasticae ditionis et catholicae fidei defensione, vel ex quavis aliâ cogitatâ, vel incogitatâ causâ, etiam necessario exprimendâ, subiecta vel quomodolibet obnoxia fore vel esse, sed firma et valida semper persistere, et ab illis fore et esse semper excepta, nec quemcumque ex ipsius montis futuris creditoribus, illorumque haeredes et successores quoscumque, seu causam et ius ab eis quomodolibet habentes et habituros super locis et portionibus ac illorum integris fructibus et emolumentis praedictis, quoquo modo contra praesentium formam turbari vel impediri nec eos ad pecunias in ipso monte positas et erogatas, aut illorum partem aliquam, in solutionem et extinctionem censuum et debitorum praedictorum aut aliam quamvis earumdem communitatum et universitatum necessitatem, causam vel utilitatem conversas fuisse et esse, aut aliqua alia etiam necessaria et requisita in iudicio vel extra probanda, deducenda, seu quomodolibet veriticanda ullo unquam tempore teneri, nec probationem contrariam in his obesse, ac, pro praemissis, omnibus et singulis, ac quacumque evictione et defensione generali et particulari dicti montis et illius locorum et portionum quorumcumque, communitates et universitates praedictas, et earum et cuiusque ipsarum bona mobilia, stabilia et se moventia, introitus, effectus et proventus, ac res, actiones et iura quaecumque, praesentia et futura, ubique locorum existentia, generaliter, specialiter et expresse, ita tamen, quod specialitas generalitati non deroget, nec e contra, in ampliori eiusdem camerae apostolicae formâ teneri et obligata et hypotecata fore et esse, prout obligamus et hypotecamus: praesentesque vim validi ac solemniter et legitime initi et stipulati contractus, et utrinque iurati, inter dictas communitates et universitates ex nunâ et eiusdem montis emptores et futuros creditores, illorumque haeredes et successores quoscumque[1], habere et obtinere pariter statuimus, decernimus et ordinamus. Volumus etiam, quod dictus mons, ut supra a nobis erectus et institutus, extingui non possit, nisi ceteris aliis earumdem communitatum debitis extinguibilibus, tam hucusque contractis, quam contrahendis in futurum quibuscumque, pro quibus maius vel aequale interesse dictorum scutorum quatuor cum dimidio pro quolibet centenario et anno persolvunt, ac etiam dicto monte communitatum *secundae erectionis* per felicis recordationis Paulum V, ut praemittitur, erecto, penitus extinctis, ita ut mons hic *tertiae erectionis* post cetera debita hucusque contracta extingui possit, et non antea. In casu vero extinctionis montis praedicti, communitates et universitates praedictae non ultra scuta centum monetae pro quolibet loco restituere, creditores vero et montistae ita recipere teneantur. Extinctio autem montis et locorum illius quando fieri contigerit, tunc pretium seu pecuniae ad hunc effectum destinatae in banco depositarii generalis communitatum Status nostri Ecclesiastici deponantur, prout hactenus fieri consuevit.

Thesaurarium generalem romanae camerae apostolicae huius montis protectorem deputat.

§ 5. Et, ut praemissa omnia et singula facilius et rectius gerantur et exequantur, dilectum filium magistrum Petrum Donatum Caesium, thesaurarium nostrum generalem aliosque pro tempore existentes thesaurarios generales dicti montis protectores eligimus et deputamus, cum potestate litteras patentes sub eorum nominibus et sigillis expediendi et concedendi, necnon omnes et quascumque causas super dicto monte, illiusque causâ et occasione, et ab eo, quomodolibet dependendas et movendas, privative quoad omnes alios iudices cognoscendi et terminandi,

1 Desunt verba *ex alterâ partibus* (B. T.).

ac omnia alia, quae ad eiusdem montis utilitatem providamque directionem pertinere cognoverint, peragendi, cum facultate etiam secretarium et ratiocinatorem seu computistam dicti montis, cum emolumentis per secretarium et computistam montis communitatum *secundae erectionis* exigi solitis, ad eorum vitam, et donec vixerint, et prout ipsis melius placuerit et videbitur, eligendi et deputandi: depositarium vero dicti montis dilectum filium Ioannem Franciscum Sacchettum, donec vixerit, eius vitâ durante, qui tamen de solvendo montistis dicti montis debitis terminis et temporibus fructus locorum quae obtinebit, exactis vel non exactis assignationibus, et quocumque impedimento cessante et non obstante, se obligare teneatur et debeat, eliginus et deputamus.

Clausulas praeservativas superadd.

§ 6. Decernentes, praesentes litteras ad omnia et singula necessaria et requisita legitime sufficientes esse tam in iudicio quam extra plene et probandum et veriticandum, nec alterius probationis adminiculum requiri, easdemque praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae vel alio quovis defectu (etiam ex eo quod communitates et universitates praedictae, aut alii quicumque in praemissis ius et interesse forsan habentes, seu habere praetendentes, vocati seu auditi, aut quod ipsae litterae in eâdem camerâ apostolicâ admissae, et in eius libris registratae minime fuerint, vel ex aliâ quavis causâ quantumvis legitimâ, urgenti et iuridicâ, etiam necessario exprimendâ), notari, impugnari, invalidari, ad terminos iuris reduci, in ius vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu etiam intentari posse, vel debere, minusque sub similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, reductionibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illa emanabunt, toties in pristinum et eum in quo erant statum restitutas, repositas et plenarie, etiam sub quacumque posteriori datâ, reintegratas, ac de novo concessas, ac semper maiorem vim, robur et efficaciam habere et obtinere, ac si de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu, et in nostro consistorio secreto editae, factae et emanatae fuissent;

Sic iudicari vult.

§ 7. Sicque et non aliter per camerarium, necnon vice camerarium, ac eiusdem camerae thesaurarium et clericos praesidentes, et quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrarius derogat.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ regulâ de non tollendo iure quaesito, necnon etiam super bono regimine redditiuum communitatum et universitatum praedictarum, ac Pii IV nostri praedecessoris de registrandis, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam de bonis earumdem communitatum et universitatum non alienandis nec obligandis, aut quod in illorum alienationibus et obligationibus certae solemnitates servandae sint, necnon earumdem communitatum et universitatum statutis, ordinationibus, reformationibus, necnon instrumentis, seu scripturis quibuscumque, inter praedictas communitates et universitates ex unâ et quosvis mercatores seu alias personas quascumque parte ex alterâ, super extin-

ctione debitorum dictarum communitatum seu universitatum quomodolibet factis, initis, exequutioni demandari coeptis, etiam obligatione camerali seu guarantigiâ aut aliâ etiam strictiori formâ vallatis, necnon iuramento, et quavis aliâ cautelâ roboratis atque firmatis, privilegiis quoque, indultis, concessionibus et facultatibus, etiam pluries aut etiam auctoritate apostolicâ concessis, factis, innovatis, confirmatis et approbatis, necnon stylis, usibus, regulis, consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Quae omnia et singula, etiamsi de illis specialis, expressa et individua mentio habenda esset, illorum tenores hîc pro expressis et sufficienter ac de verbo ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, si obstent, tollimus et abrogamus.

Camerae apostolicae iura ab obligatione reservat.

§ 9. Volumus autem, et nostrâ auctoritate decernimus et declaramus, quod praemissa omnia et singula intelligantur et sint facta et concessa sine omnium et quorumcumque iurium camerae nostrae apostolicae aliquo praeiudicio, et citra aliquam eiusdem camerae, bonorumque suorum obligationem, ita ut iuribus camerae nequaquam praeiudicetur, neque de suo in aliquo proprio ipsa camera teneatur vel obligetur;

Signatura sufficit.

§ 10. Quodque praesentis nostri motus proprii cedulae sola signatura sufficiat, absque eo quod declaretur vel registretur, regulâ quacumque, et aliis contrariis non obstantibus;

Exemplis stari iubet.

§ 11. Quodque eiusdem cedulae transumptis, etiam impressis, et per unum ex dictae camerae notariis subscriptis, et eiusdem thesaurarii sigillo signatis, stetur et credatur, illaque plenam fidem faciant, tam in iudicio quam extra, ac si ipsa cedula foret exhibita vel ostensa.

Placet motu proprio M.

DLII.

Committitur auditori camerae, ut, ad instantiam commissarii camerae apostolicae, contra Ioannem Andream ab Auria et alios invasores et occupatores Burgi Vallis Tari, ad sanctam Romanam Ecclesiam pertinentis, procedat[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Ioannes Andrea ab Auria oppidum Tari occupat.

§ 1. Cum, sicut accepimus, princeps Ioannes Andreas ab Auria, nescitur quo spiritu ductus, terram, seu oppidum Burgi Vallis Tari Placentini districtus ad S. R. E. ratione directi dominii spectans, illiusque territorium et membra, annexaque et connexa ac dependentia occupare ausus fuerit, sive occupata detinuerit vel detineat:

Urbanus auditori camerae committit, ut contra illum procedat.

§ 2. Propterea nos, volentes, ut contra praedictum Ioannem Andream ab Auria, omnesque alios invasores, occupatores et detentores, iuris remediis opportunis, et praesertim declarationis incursus excommunicationis maioris, aliarumque censurarum et poenarum a sacris canonibus et conciliis universalibus, constitutionibusque apostolicis, etiam in Bullâ Coenae Domini, adversus talia perpetrantes inflictarum et promulgatarum, per auditorem camerae, qui quarumcumque litterarum apostolicarum est generalis exequutor, procedatur; ne umquam de eius iurisdictione et facultate in praemissis quomodolibet necessariâ et opportunâ dubitari contingat, motu proprio, certâque scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, salvo tamen et reservato nobis et Sedi Apostolicae iure agendi ad quaecumque alia nunc et imposterum quomodolibet et quandocumque competentia et competitura, ac praeviâ, quatenus sit opus, avo-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

cationc a quibuscumque iudicibus, etiam per Romanos Pontifices praedecessores nostros quomodolibet datis, tenore praesentium eidem auditori camerae nunc et pro tempore existenti committimus et mandamus, ut, nedum vigore suarum generalium facultatum, sed etiam vigore praesentium, ad instantiam commissarii generalis camerae apostolicae pro tempore existentis, ad praedictam declarationem incursus excommunicationis, aliarumque censurarum et poenarum quarumcumque, etiam caducitatis et devolutionis feudorum et bonorum emphyteuticorum, si qua[1] praedictus Ioannes Andreas ab Auria, omnesque alii, tam proprio quam cuiuscumque alterius nomine, invadentes et occupantes, sibique assistentes, auxiliumque et favorem praestantes, et qui praestiterunt ad invadendam seu occupandam vel detinendam praedictam terram, eiusque arcem et territorium, aliaque bona, iura, membra, annexa et dependentia quaecumque ad praedictam Romanam Ecclesiam, Sedemque et Cameram Apostolicam, et respective quamlibet aliam inferiorem ecclesiam, ratione directi dominii et aliàs quomodolibet spectantia, obtinent, necnon amissionis et privationis quarumcumque dignitatum, honorum, privilegiorum et indultorum, si qua[2] ab ipsâ Ecclesiâ Romanâ, aliâque ecclesiâ inferiori quomodolibet habent, procedat, omniaque alia et singula in praemissis necessaria et quomodolibet opportuna gerat, faciat et exequatur, etiam omni et quacumque appellatione, reclamatione, recursu, nullitate, etiam ex tribus, aliisque remediis ordinariis penitus et omnino remotis, cum facultate praedictum Ioannem Andream ab Auria, omnesque alios in exequutione praesentium nominandos et cognominandos, cuiuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis et dignitatis, etiam ecclesiasticae, etiam speciali notâ et expressione dignos, quicumque et quotcumque sint et fuerint, citandi etiam per edictum publicum, constito etiam summarie et extraiudicialiter et quantum sibi sufficere videbitur de non tuto accessu

§ 3. (Volumus autem, ut, factâ per affixionem saltem semel intimatione monitorii desuper expediendi in valvis ecclesiarum Bononiensis et Ferrariensis, ac in valvis basilicae Principis Apostolorum, et in acie Campi Florae de Urbe, omnia acta deinde contra praedictum Ioannem Andream ab Auria, omnesque alios ut praefertur nominandos, facienda valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, prout ex nunc valida decernimus et declaramus, perinde ac si ipsi et quilibet illorum in quolibet actu personaliter citati, moniti et intimati fuissent), illisque, quoties et quando opus fuerit, etiam sub sententiis, censuris et poenis sibi benevisis, inhibendi et praecipiendi, aliisque facultatibus necessariis et opportunis. Intimationi Romae factae citationis vim addit.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis generalibus editis, et praesertim Bonifacii Papae VIII de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, ac quacumque commissione aliis iudicibus seu tribunalibus Urbis, etiam per Breve apostolicum, vel per supplicationem, sive decretum, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestate similibus, ac aliàs quomodolibet etiam consistorialiter expeditum, factâ, partibusque intimatâ, ceterisque contrariis quibuscumque, statum litis et litium quarumcumque, ac nomina et cognomina iudicum et litigantium, aliorumque contrariorum, et hîc etiam de necessitate exprimendorum et inserendorum, tenores et compendia pro plene expressis et insertis habentes. Quibus omnibus et singulis plenissime derogamus. Obstantibus derogat.

1 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI augusti MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 11 augusti 1636, pontif. anno XIV.

DLIII.

Litterae ad S. R. I. electores de necessitate ac formâ eligendi regem Romanorum[1].

Venerabili fratri archiepiscopo Moguntino, sacri Romani imperii principi electori,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Ob Germaniae calamitates Romanorum regem eligendum esse putat Pontifex.

§ 1. Cum ob praesentium temporum qualitatem inclyta Germaniae provincia in tantis tum haereticorum tum etiam infidelium periculis versetur, operae pretium esse censuimus, ut modo ad electionem regis Romanorum deveniatur. Speramus etenim, ob bonitatem praecipue virtutemque vestram, quod optatur, eâ qua potissimum convenit ratione, divinâ praecipue favente clementiâ, feliciter successurum.

Praevenit, suppletque defectus, quos intercessuros praevidet.

§ 2. Quamobrem, cum aperte videamus, in huiusmodi electione complures defectus necessario intercessuros, praesertim quia duo electores haeretici ei intervenire debent, quodque ad electionem novi regis Romanorum procedetur, imperatore ipso adhuc non coronato, quod quidem expresse contra veteres leges est et consuetudines antiquas, decrevimus, ut electio ipsa valida sit atque firma, nec ei quicquam obiici, opponive possit, his nostris litteris, ac de nobis attributae potestatis plenitudine, super ea a nobis dictos defectus omnifariam supplere. Declarantes electionem huiusmodi, quae rite a te et aliis facta fuerit, eamdem vim, eumdemque vigorem habere, perinde ac si ab omnibus sex electoribus unâ cum rege Bohemiae, et ipsis omnibus catholicis, et in huius sanctae Sedis unione existentibus, facta celebrataque fuisset: pariterque huic novi Romanorum regis creationi minime obstare volumus, quod charissimus in Christo filius noster Ferdinandus, alter rex Romanorum in imperatorem electus, nondum fuerit coronatus; nam, attentâ temporum necessitate, hac tantum vice, id fieri posse permittimus. Cetera vero nuncius iste noster vobis diffusius explicabit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX augusti MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIV[1].

Dat. die 21 augusti 1636, pontif. anno XIV.

DLIV.

Committitur congregationi confinium, ut contra Marianum Alidosium, qui absque Sedis Apostolicae licentiâ vendidit, et Iacobum ducem Salviatum, qui emit castrum del Rio in provinciâ Romandiolae, procedat[2].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Paulus Alidosius contra constitutionem apostolicam Castrum del Rio Iacobo Salviato vendit, non obtenta a Sancta Sede Apostolica licentia.

§ 1. Quamvis, tam de iure, quam ex constitutionibus apostolicis, praesertim felicis recordationis Sixti V, Clementis VIII et Pauli V praedecessorum nostrorum, ac nostris, feudatarii, vassalli seu subditi, qui possident iurisdictiones et castra, praesertim fortalitia, in Statu temporali S. R. E. consistentia, non possint illa alienare in quamcumque personam, nisi prius licentiâ etiam in scriptis obtentâ a Romano Pontifice pro tempore existente, et illâ in actu contractus exhibitâ, aliàs in eventum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Eiusdem exempli litterae datae sunt ad arcchiepiscopos Colonienses et Treverenses et ad Maximilianum Bavariae ducem S. R. I. electores.

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

contraventionis incidant in diversas poenas in eis impositas; tamen, ut accepimus, Marianus Alidosius Imolensis, temerario spiritu ductus, cum possideret oppidum seu castrum del Rio nuncupatum, intra fines ditionis temporalis S. R. E. in provincià Romandiolae situm, ausus fuit, nullà a nobis obtentà licentià, alienare et vendere praefatum castrum Iacobo duci Salviato, qui etiam, non attentis praefatis prohibitionibus, temere illud emit, etiam simulato praetextu, quod castrum huiusmodi non esset de directo et supremo dominio sanctae Sedis Apostolicae, ita ut multo magis, tam ex praemissis, quam ex aliis per commissarium camerae apostolicae generalem nunc et pro tempore existentem deducendis, nedum praedictum castrum in eo ipso devolutum ad Sedem Apostolicam, sed etiam ipsi contrahentes in poenas a iure et a praefatis constitutionibus, et aliàs quomodolibet contra non observantes praemissas, ac dominium directum et supremum Sedis Apostolicae negantes, et illud ac possessionem eiusdem Sanctae Sedis intervertere nitentes, impositas inciderunt.

Pontifex Congregationem confinium committit, ut contra illos procedat.

§ 2. Ideirco, ne, tam praefati excessus et transgressiones, quam praedicta crimina aliaque delicta, super praemissis et illorum occasione ab eis et quibuscumque aliis cuiuscumque status, gradus, conditionis et dignitatis etiam ecclesiasticae existentibus, etiam speciali expressione dignis, etiam auxilium, consilium, vel favorem eis quomodolibet praestantibus, in praeiudicium Sedis Apostolicae quomodolibet commissa et patrata, impunita remaneant, illorum cognitionem, declarationem et punitionem dilectis filiis nostro Bernardino tituli S. Stephani in Coelio monte presbytero cardinali Spadae nuncupato, ac praelatis nunc et pro tempore existentibus congregationis confinium aliàs per nos erectae committenda duximus.

Ad quem effectum peculiares quoque addit facultates.

§ 3. Quapropter nos, praefatorum tractatuum, conventionum, contractus et aliorum ab ipsis contrahentibus, et aliis desuper quomodolibet gestorum, et inde sequutorum, si qua[1] sint, ac aliorum forsan hic exprimendorum et inserendorum tenores pro plene insertis et expressis habentes, motu proprio, certaque scientià ac maturà deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, causam et causas declarationis incursus praefatarum et quarumcumque aliarum poenarum, etiam excommunicationis maioris, aliarumque censurarum, necnon rebellionis ac criminis laesae maiestatis, confiscationisque bonorum, ac etiam devolutionis et caducitatis praefati castri, aliorumque castrorum et bonorum feudalium, seu emphyteuticorum ecclesiasticorum, si qua[2] praefatus Marianus, ac Iacobus, aliique praefati, et eorum quilibet, habet et obtinet a Sede Apostolicà, vel ab alià ecclesià inferiori, ac amissionis et privationis illorum, ac quarumcumque dignitatum, titulorum, honorum, indultorum et privilegiorum quorumcumque per Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam per nos, et a quacumque ecclesià inferiori eidem Mariano et Iacobo, aliisque praefatis, sive eorum antecessoribus, vel auctoribus, concessorum, necnon impositionis et inflictionis praedictarum, et aliarum quarumcumque poenarum in declarationibus per Romanos Pontifices praedecessores nostros quoscumque ac etiam per nos quomodolibet desuper factis contentarum, necnon causam et causas, quam et quas idem camerae commissarius habet et movet, habereque et movere vult et intendit contra praedictos Marianum et Iacobum, omnesque alios quotcumque et quoscumque, ac cuiuscumque qualitatis, conditionis, gradus, status et dignitatis,

1 Edit. Main. habet *si quae* (R. T.).
2 Edit. Main. habet *si quae* (R. T.).

ut praefertur, sint vel fuerint, super praemissis, rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi latius deductis et deducendis, cum suis et illarum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexisque et connexis, totoque negocio principali, eidem congregationi confinium nunc et pro tempore existenti committimus et mandamus, ut, tam suarum facultatum generalium, quam praesentium vigore, illam et illas cognoscat, termine, et prout iuris fuerit decidat, omni et quacumque appellatione, reclamatione, recursu, nullitate, etiam ex tribus, aliisque remediis ordinariis et extraordinariis penitus et omnino remotis, cum facultate praefatos Marianum et Iacobum, omnesque alios in exequutione praesentium nominandos et cognominandos, cuiuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis et dignitatis, etiam ecclesiasticae, etiam speciali notâ et expressione dignos, ut praefertur, quicumque et quotcumque sint et fuerint, citandi, etiam per edictum publicum, constito etiam summarie et extraiudicialiter, et quantum sibi sufficere videbitur, de non tuto accessu

Intimationi per publicationem monitorii faciendae citationis personalis vim addit.

§ 4. (Volumus autem, ut, factâ per affixionem saltem semel intimatione monitorii desuper expediendi in valvis ecclesiarum cathedralium Imolensis et Faventinensis, ac in valvis basilicae Principis Apostolorum, et in acie Campi Florae de Urbe, omnia acta deinde contra praefatos Marianum et Iacobum, omnesque alios ut praefertur nominandos, facienda, valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, prout ex nunc valida decernimus et declaramus, perinde ac si ipsi et quilibet illorum in quolibet actu personaliter citati, moniti et intimati fuissent), illisque quoties et quando opus fuerit, etiam sub sententiis, censuris et poenis sibi benevisis, inhibendi et praecipiendi, aliisque facultatibus necessariis et opportunis.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac etiam in conciliis generalibus editis, et praesertim Bonifacii Papae VIII de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, ceterisque contrariis quibuscumque, statum litis et litium quarumcumque, ac nomina et cognomina iudicum, litigantium, aliorumque contrariorum et hîc etiam de necessitate exprimendorum et inserendorum tenores et compendia pro plene expressis et insertis habentes, quibus omnibus et singulis plenissime derogamus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x septembris MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 10 septembris 1636, pontif. anno XIV.

DLV.

Committitur rotae decano absolutio quatuor portionariorum et duorum beneficiatorum ecclesiae Caesaraugustanae a censuris et poenis incursis, eo quod recurrerint ad iudices laicos pro exequutione mandati rotalis [1].

Dilecto filio Ioanni Baptistae Coccino, causarum sacri palatii auditori decano, Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Facti series.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Ludovicus Pueio, Hieronymus de Funes, Thomas de Zaumada et Ioannes Michaël Crospo, portionarii, ac Hiacynthus Perez et Ioannes Mercado, beneficiati integrae distributionis ecclesiae Caesaraugustanae, quod in Bulla felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri, qua dicta ecclesia Caesaraugustana e statu regulari redacta est ad secularem, fuerant praeservatae cuilibet portionario et beneficiato huiusmodi quo-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

tidianae distributiones solvendae pro ratâ eorum servitii, quas deinde particulari statuto eiusdem ecclesiae, apostolicâ auctoritate confirmato et ab illius capitulo et canonicis acceptato, declaratum fuit debere ascendere ad tria regalia monetae illarum partium qualibet die pro horis canonicis diurnis, atque iisdem portionariis tamquam existentibus in possessione percipiendi huiusmodi summam fuit aliàs resolutum in sacro istius rotae Romanae auditorio dandam esse manutentionem. Cum autem postea in expeditione mandati de manutenendo fuissent omissi praedicti exponentes, eo quia tunc deerat in Romanâ Curiâ eorum legitimus procurator; propterea ipsi, considerantes praedictam quantitatem aeque sibi ac ceteris deberi, illamque a praedictis capitulo et canonicis in sui detrimentum retineri contra formam dictae Bullae et statuti ac resolutionis rotalis, diversos actus fecisse dicuntur pro consequutione dictarum distributionum, et plenariâ dictorum Bullae, statuti et resolutionis rotalis huiusmodi exequutione; propter quos[1], dum et ipsi nuper misso ad almam Urbem nostram eorum legitimo procuratore peterent in eâdem rotâ manutentionem, fuit ipsis ex parte dictorum capituli et caconicorum oppositum, eos incidisse in poenas et censuras ecclesiasticas, eo quia aliquos ex dictis actibus fecerint coram iudicibus laicis, ad quos asseruntur habuisse recursus.

Petunt Papa facta.

§ 2. Quamvis autem huiusmodi asserti recursus tendant non ad impediendam, sed ad obtinendam et coadiuvandam exequutionem litterarum apostolicarum et iurisdictionis ecclesiasticae, nihilominus ad tollendam omnem dubitandi materiam praedicti exponentes nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eis in praemissis de absolutionis beneficio, et aliàs, ut infra, providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Commissio, de qua in rubrica.

§ 3. Nos igitur, dictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, coram quo lis inter ipsos exponentes, ut asserunt, et praedictos capitulum et canonicos super praemissis adhuc indecisa pendet, per praesentes committimus et mandamus, quatenus, constito tibi legitime de praemissis, praedictos exponentes et eorum quemlibet, si hoc a te humiliter petierint, et parito prius per eos, si quod sit, iudicato, nec non renunciato attentatis coram quibuscumque iudicibus laicis factis, ac impositâ dictis exponentibus et eorum cuilibet arbitrio tuo poenitentiâ salutari, a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis, per eos praemissorum occasione quomodolibet incursis, auctoritate nostrâ absolvas et totaliter liberes, dictasque poenas illis gratiose remittas et condones, eosdemque in pristinum et eum in quo antea quomodolibet erant statum restituas, reponas et reintegres.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae ecclesiae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv septembris MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIV.

1 Forsan legendum *propter quod* (R. T.).

Dat. die 15 septembris 1636, pontif. anno XIV.

DLVI.

Fratres Ordinis Eremitarum sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum possunt erigere crucem in publicis processionibus.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Causae huius Constitutionis.

Cum, sicut dilectus filius modernus vicarius generalis fratrum Ordinis Eremitarum sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum congregationis Italiae nobis nuper exponi fecit, aliàs, postquam ipse venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus sacris ritibus praepositis exposuisset praedictos fratres Discalceatos incedere in processionibus publicis sub cruce fratrum Eremitarum eiusdem sancti Augustini, petiissetque fratribus Discalceatis huiusmodi concedi licentiam erigendi propriam crucem et sub eâ in processionibus incedendi, iidem venerabiles fratres licentiam praedictam fratribus Discalceatis huiusmodi sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito concesserint, dummodo digniorem locum omnibus aliis regularibus, qui hactenus crucem erexerunt, concederent, prout in decreto desuper emanato plenius dicitur contineri; cupiatque propterea dictus vicarius generalis praemissa omnia pro illorum validitate et subsistentiâ firmioribus apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri:

Confirmatur, prout in rubrica.

§ 1. Nos, dictum vicarium generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praedictum, ac omnia et singula in eo contenta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 2. Decernentes illa, necnon praesentes litteras, valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque fratribus Discalceatis huiusmodi in omnibus et per omnia suffragari debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigeri[1] attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I octobris MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 1 octobris 1636, pontif. anno XIV.

DLVII.

Regis catholici zelus excitatur, ne permittat a suis ministris nonnulla ecclesiarum bona in Portugalliae regno occupari[1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Portugalliae et Algarbiorum regi catholico,
Urbanus Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem

Exordium.

Pastoralis officii nostri debitum et honoris domus Dei zelus, quo in tuendis ac sarctis tectisque conservandis ecclesiarum iuribus assidue solliciti sumus, non patitur, ut ea conniventibus oculis praetercea-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

mus, quae in ecclesiarum ipsarum damnum praeiudiciumque temerariis ausibus committuntur.

Ministri regis bonis nonnullis ecclesias privare tentant.

§ 1. Cum itaque, sicut non sine gravi animi nostri molestiâ accepimus, nonnulli maiestatis tuae in Portugalliae regno ministri, indebito legis laicalis (aliàs per felicis recordationis Gregorium Papam IX praedecessorem nostrum abrogatae) praetextu, conati sint et conentur ecclesias seu cappellas ac perpetua beneficia ecclesiastica et alia loca pia suis bonis, etiam ab antiquissimo tempore possessis et acquisitis etiam ex legatis seu dispositionibus piorum christifidelium pro suarum animarum refrigerio factis et relictis, privare et spoliare, indeque oriri possit nedum iniusta privatio et spoliatio in earumdem ecclesiarum et beneficiorum detrimentum, ac revocatio legatorum, fundationumque piarum, et subtractio suffragiorum animabus fundatorum perpetuo assignatorum, sed etiam extinctio titulorum ecclesiarum et beneficiorum huiusmodi, etiam contra modernam et antiquam regni Portugalliae observantiam; et, licet annis praeteritis eadem praetensio fuerit suscitata, tuâ tamen ac regum Portugalliae maiorum tuorum pietate hactenus semper sopita fuerit in favorem ecclesiarum, beneficiorum et locorum piorum huiusmodi:

Pontifex regem hortatur, ne huiusmodi attentata permittat.

§ 2. Nos certe, quamquam egregius et a maioribus tuis acceptus maiestatis tuae religionis zelus nobis abunde polliceatur[1], se[2] circa praemissa eas rationes initurum, quibus ecclesiarum, beneficiorum ecclesiasticorum, locorumque piorum indemnitati et animarum christifidelium refrigerio opportunis rationibus consulatur; ob curam tamen universalis Ecclesiae humilitati nostrae divinitus commissam Pontificiaeque nostrae in maiestatem tuam charitatis viscera facere non possumus, quin eam paterne in Domino hortemur, ut, avitae virtutis emulator, ecclesias, beneficia et loca pia huiusmodi suis immunitatibus, bonisque ac iuribus pacifice frui et gaudere faciat, nec illa per ministros praedictos desuper molestari seu ullo modo inquietari permittat, nobis ipsi persuadentes eamdem illam gloriam, quae[1] pietatis in Deum et propensae in res sacras voluntatis aliisque laudabilibus meritis maiestas tua hucusque adepta est, ad ampliorem parandam tibi stimulos addituram; alia enim adiicere consuevit Dominus regnum suum primo quaerentibus. Nobis profecto, quidquid ad ecclesiarum, beneficiorum ac piorum locorum favorem in praemissis gesseris et iusseris, tam gratum erit, quam quae gratissima accidere possunt, et hac super re cum maiestate tuâ fusius disseret nuncius noster episcopus Senogalliensis. Dum vero apostolicam benedictionem tibi iterum impertimur, fusis ad Deum precibus enixe postulamus, ut caelestium gratiarum dona tibi iugiter impertiatur.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XVIII octobris MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 18 octobris 1636, pontif. anno XIV.

DLVIII.

Oppidum Mercatelli Urbaniae episcopatui, Lamolae autem oppidum ecclesiae S. Angeli quoad iurisdictionem ecclesiasticam addicuntur[2].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Erectos a se nuper Urbaniae et S. Angeli episcopatus refert.

§ 1. Cum nuper nos ad omnipotentis Dei laudem et cultus divini augmentum

1 Male edit. Main. legit *polliccantur* (R. T.).
2 Aptius videretur legendum *te* (R. T.).

1 Legendum *quam* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev. — Erectum ab ipso hoc Pontifice Urbaniae episcopatum vide in praecedenti anno, num. DXXXV, supra pag. 513.

ecclesiam cathedralem Urbaniam nuncupatam ex ecclesiâ S. Christophori abbatiae nuncupatae Castri Durantis, et ecclesiam cathedralem S. Angeli nuncupatam ex ecclesiâ archipresbyteratus nuncupati oppidi S. Angeli in Vado in provinciâ Massae Trabariae provinciae Urbinatensis erexerimus, et pro dioecesi episcopatus Urbaniae districtum ecclesiasticum dictae abbatiae nunc suppressae S. Christophori assignaverimus (excepto territorio seu districtu S. Angeli, quod pro dioecesi eiusdem episcopatus S. Angeli assignavimus) easdemque ecclesias cathedrales Urbaniae et S. Angeli ad invicem aeque principaliter erectas univerimus, pro uno episcopo qui verbo et exemplo disciplinâque ecclesiasticâ populos praedictarum civitatum invicem unitarum pasceret et instrueret, prout in litteris apostolicis desuper expeditis latius continetur[1]:

Nunc oppidum Mercatelli Urbaniae,

§ 2. Verum, quia, ut accepimus, praedictae dioeceses non multum amplae sunt, et prope illas extant terrae seu oppida Mercatelli et Lamolae, quae, cum sint, ut praetenditur, nullius dioecesis, melius in spiritualibus ab episcopo quam ab alio inferiori poterunt gubernari: ideo nos, volentes dioeceses praedictas ampliare, et subditis praefatarum terrarum seu oppidorum Mercatelli et Lamolae, eorumque gubernio et regimini quoad spiritualia consulere, tenoresque et compendia indultorum et privilegiorum, etiam apostolicorum, eisdem terris seu oppidis, tam per Romanos Pontifices praedecessores nostros, quam per quoscumque alios cuiuscumque dignitatis, etiam ecclesiasticae, status, gradus, conditionis et qualitatis, etiam speciali notâ dignos, quomodolibet et quandocumque, causâ quantumlibet rationabili, favorabili, publicâ et piâ, etiam in corpore iuris clausâ, etiam hîc specialiter exprimendâ et inserendâ, concessorum et emanatorum, ac etiam pluries approbatorum et confirmatorum, ac usu etiam antiquissimo receptorum, pro plene expressis et insertis habentes, motu proprio, certâque scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eamdem terram seu oppidum Mercatelli, eiusdemque districtum, quoad iurisdictionem ecclesiasticam, per archipresbyterum ecclesiae collegiatae dictae terrae hactenus exerceri solitam, eidem dioecesi ecclesiae Urbaniae perpetuo sine alicuius praeiudicio annectimus et incorporamus, eamdem iurisdictionem ecclesiasticam super ecclesiis et personis quibuscumque eiusdem terrae seu oppidi Mercatelli eiusque districtus exerceri solitam, et aliàs quomodolibet praedicto archipresbytero competentem, eidem episcopatui ecclesiae Urbaniae et episcopo praefatae ecclesiae nunc et pro tempore existenti etiam perpetuo damus et concedimus, statumque et essentiam nullius dioecesis etiam perpetuo tollimus, extinguimus et abrogamus, eamdemque terram seu oppidum Mercatelli, quoad spiritualia et alia ad forum ecclesiasticum spectantia, eidem episcopatui Urbaniae pro suae dioecesis ampliatione subiicimus, exceptis tamen illis sex ecclesiis parochialibus, quae sitae[1] sunt in temporali territorio, olim terrae seu oppidi, nunc autem praefatae civitatis S. Angeli, quas ecclesias, earumque parochias et parochianos, necnon praedictam terram seu oppidum Lamolae, eiusdem[2] districtum ecclesiasticum, ac iurisdictionem ecclesiasticam in illius et illarum ecclesias et personas per abbatem seu commendatarium exerceri solitam[3], eidemque[4] dioecesi ecclesiae ca-

Et terram Lamolae episcopatui S. Angeli quoad iurisdictionem ecclesiasticam addicit.

1 Quas vide in loc. cit. in notâ ad rubric. (R.T).

1 Male edit. Main. legit *sita* (R. T.).
2 Forsan legendum *eiusque* (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *solitum* (R. T.).
4 Simplicet legendum *eidem* (R. T.).

thedralis S. Angeli, quoad spiritualia, pro ipsius dioecesis ampliatione, etiam perpetuo sine alicuius praeiudicio annectimus et incorporamus, statumque et essentiam nullius dioecesis etiam perpetuo tollimus et extinguimus et abrogamus, eamque terram seu oppidum Lamolae quoad spiritualia, et alia ad forum ecclesiasticum spectantia, eidem episcopatui S. Angeli subiicimus et supponimus.

Clausulas apponit.

§ 3. Decernentes praesentes litteras, omniaque et singula in eis contenta, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, ad ea minime vocati et auditi, minusque causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae seu iustificatae fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis et nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis horis, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcunque iuris, facti, gratiae vel institiae remedium impetrari seu quomodolibet concedi, et aut impetrato vel concesso quempiam uti, seu se iuvare in iudicio vel extra [1], sed illas semper validas, firmas et efficaces extare et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios, quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super, etc., attentari. Non obstantibus praemissis, ac nostrâ de non tollendo iure quaesito, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, etc., et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque, etc., derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XX octobris MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIV;

Dat. die 20 octobris 1636, pontif. an. XIV.

1 Heic deest verbum *posse* (R. T.).

DLIX.

Quod de cetero nullus fratrum de Observantia in guardianum aut magistrum novitiorum in conventibus Recollectorum provinciae Granatensis deputari possit, quin prius habitum per eosdem Recollectos gestari solitum susceperit [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Motiva huius Constitutionis.

Cum, sicut accepimus, dilecti filii fratres Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia Recollectorum nuncupatorum provinciae Granatensis in regnis Hispaniarum, dum a provincialibus non Recollectis, sed de Observantia duntaxat, gubernantur, diversa inconvenientia sive incommoda experti sint, quoniam provinciales praedicti conventibus Recollectorum guardianos praeficiunt similiter de Observantia, qui rigorosae exactaeque regularis disciplinae observantiae, sub cuius regulis ipsi Recollecti vivunt, minus assueti, modorumque et coeremoniarum eorumdem Recollectorum nescii, multis relaxationibus abusibusque ansam praebent, non sine regulae et normae vivendi

1 Ne iam indicata otiose repetam fas sit recensere Clement. VII Const. XLIII, *In suprema*, tom. VI, pag. 155.

arctioris eorumdem recollectorum praeiudicio; praeterea iidem fratres de Observantia Ordinis sui professores ad eosdem fratres Recollectos facile mittere consueverint, qui quidem fratres de Observantia, ad eosdem Recollectos ut praefertur missi, ad pristinum eorum vitae institutum saepe saepius redire volunt, non sine scandalo et eorumdem Recollectorum perturbatione:

Decretum, de quo in rubrica.

§ 1. Nos, felici eorumdem Recollectorum regimini et gubernio, eorumque quieti, quantum cum Domino possumus, consulere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium statuimus et ordinamus; quod de cetero nullus in guardianum, definitorem, nec magistrum novitiorum in conventibus eorumdem fratrum Recollectorum deputari, eligi, seu aliàs assumi aut constitui possit, quin prius habitum per eosdem Recollectos gestari solitum susceperit, et inter eosdem Recollectos per sexennium ad minus vixerit, iuxta eorumdem Recollectorum constitutiones, quas in hac parte ex certâ scientiâ nostrâ, quo autem ad reliqua illarum capitula dummodo sint in usu et non sint revocata neque sub aliquibus revocationibus comprehensa sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis ac constitutionibus apostolicis regularibusque eorumdem Recollectorum institutis non adversentur, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio statutorum fratrum Recollectorum.

§ 2. Insuper, quod etiam de cetero fratres de Observantiâ praedicti ad Recollectos huiusmodi transire non possint absque eorumdem Recollectorum consensu, seu maioris partis eius conventus, ad quem transire quilibet voluerit; quodque ii ex Observantibus praedictis, qui ultra tres vices transitum huiusmodi fecerint, inter eosdem Recollectores amplius admitti nullo modo valeant, apostolicâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, pariter statuimus et ordinamus.

Transitus ad Recollectos.

§ 3. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis dicti Ordinis superioribus quocumque nomine nuncupatis, sub privationis officiorum, ac excommunicationis, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis ipso facto incurrendis, ne constitutiones, ordinationes et statuta eorumdem fratrum Recollectorum quovis praetextu alterare, mutare seu abrogare audeant vel praesumant, ac decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Poenae contra inobedientes.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomo-

Derogatio contrariorum.

dolibet concessis confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XXV octobris MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 3 decembris 1636, pontif. anno XIV

DLX.

Declarat ministrum generalem fratrum Reformatorum Discalceatorum congregationis Hispaniarum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum post sui electionem nulli indigere confirmatione.

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Causae faciendae declarationis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes de Annunciatione, fratrum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum Discalceatorum nuncupatorum congregationis Hispaniarum procurator generalis, quod aliàs, postquam nos per nostras sub plumbo de anno MDCXXXI expeditas litteras incipientes: *Salutaribus Apostoli monitis*, fratribus Discalceatis huiusmodi facultatem eligendi ex ipsis fratribus Discalceatis in suo generali capitulo unum ministrum generalem, iuxta formam in dictis litteris praescriptam, a superioritate ministri generalis fratrum eiusdem Ordinis Calceatorum penitus et omnino exemptum concessimus, ipse minister generalis congregationis huiusmodi in dicto capitulo noviter electus confirmationem suae canonicae electionis a nobis, tanquam praelati a Summo Pontifice immediate dependentis, obtinuit. Sed ne imposterum dicta congregatio in illius regimine interim, dum litterae confirmationis sui ministri generalis a Sede Apostolicâ impetrantur, detrimentum aliquod patiatur, nobis propterea dictus Ioannes procurator generalis huiusmodi humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Declaratio de qua in rubrica.

§ 2. Nos igitur, prospero felicique dictae congregationis regimini et gubernio, quantum cum Domino possumus, consulere, dictumque Ioannem procuratorem huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, quod de cetero perpetuis futuris temporibus capitulum generale fratrum Discalceatorum Ordinis et congregationis huiusmodi, pro illius ministri generalis electione faciendâ legitime congregatum, electionem ministri generalis huiusmodi in dicto capitulo generali factam iuxta formam in dictis litteris praescriptam confirmare libere et licite possit et valeat, ita quod minister generalis huiusmodi noviter electus et a capitulo generali confir-

matus, nullâ aliâ confirmatione unquam indigeat sed statim possit exercere officium ministri generalis totius congregationis fratrum Discalceatorum huiusmodi, cum ipsismet auctoritate, facultatibus et praeeminentiis aliis superioribus generalibus aliorum Ordinum ex privilegio apostolico vel aliàs quomodolibet competentibus et concessis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae. § 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III decembris MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 3 decembris 1636, pontif. anno XIV.

DLXI.

Licentia erigendi Romae ecclesiam, hospitium et collegium pro nationibus provinciae Marchiae [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecto filio nostro in almâ Urbe vicario in spiritualibus generali,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Piceni Romae collegium, ecclesiam, etc., erigendi petunt facultatem.

§ 1. Exposuit nobis nuper dilectus filius noster Ioannes Baptista tituli sancti Sylvestri presbyter cardinalis Pallottus nuncupatus, tam suo proprio quam nomine ceterorum nationalium provinciae Picenae in almâ Urbe nostrâ commorantium, quod ipse cardinalis, ceterique nationales, pro eximio atque singulari quem erga beatissimam Virginem Mariam Lauretanam gerunt devotionis affectum [1], et ad promovendum peramplius eiusdem beatissimae Virginis Mariae cultum, spiritualique eorumdem nationalium et aliorum christifidelium aedificationi consulendum, unam in almâ Urbe nostrâ ecclesiam, oratorium, hospitale, necnon collegium alumnorum pro nationibus provinciae Marchiae sub denominatione almae Domus beatissimae Virginis de Laureto nationis Picenae construere et aedificare posse summopere desiderent, si nostra ad id eis licentia suffragetur et facultas.

Urbanus assentitur. § 2. Nos, qui negotium huiusmodi per te et congregationem Visitationis Apostolicae mature examinandum, considerandumque commisimus, habitâ de eo opportunâ et sufficienti relatione, piis dictorum Ioannis Baptistae cardinalis, ceterorumque nationalium votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas

1 Aptius legeres *affectu* (R. T.).

fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi per praesentes iniunginus, ut Ioanni Baptistae cardinali, ceterisque nationalibus praedictis, in almâ Urbe nostrâ, et loco ad id decenti ac congruo, unam ecclesiam, oratorium, hospitale, necnon collegium alumnorum pro nationibus eiusdem provinciae Marchiae sub denominatione almae Domus beatissimae Virginis de Laureto nationis Picenae, sine tamen alicuius praeiudicio, ac servatis aliàs servandis, construendi et aediticandi, seu construi et aediticari faciendi (ita tamen, ut donationes et legata nunc et pro tempore facta et facienda ecclesiae beatissimae Mariae Lauretanae Urbis spectare debeant ad ecclesiam beatissimae Mariae Lauretanae Pistorum, nisi constet de voluntate donantium vel legantium in favorem ecclesiae nationis Picenae) licentiam et facultatem auctoritate nostrâ concedas.

Derogat obstantibus. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXXI decembris MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 31 decembris 1636, pontif. anno XIV.

DLXII.

Confirmatio decreti, videlicet, praecedentiam in processionibus in civitate Oriolensi competere Augustinianis supra Franciscanos Recollectos et Discalceatos.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ex incumbenti nobis apostolici muneris debito ad ea mentis nostrae aciem assidue intendimus, per quae christifideles sub suavi religionis iugo Altissimo famulantes, sublatis obstaculis, in quietis et pacis amoenitate vota sua Domino reddant, ac felicioribus in viâ mandatorum eius proficiant incrementis.

Decretum sacrae Congregationis rituum. § 1. Nuper siquidem a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus sacris ritibus praepositis emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Ortâ controversiâ circa praecedentiam in processionibus inter regulares Recollectos conventus S. Annae et Discalceatos S. Gregorii Ordinis sancti Francisci de Observantiâ civitatis Oriolensis ex unâ et regulares conventus S. Augustini Ordinis Eremitarum sancti Augustini eiusdem civitatis partibus ex alterâ: sacra rituum congregatio, citatis saepius et auditis utriusque partis procuratoribus, et utrâque parte informante, censuit, ad relationem eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis Verospii, praecedentiam et digniorem locum in processionibus tam publicis quam privatis competere et deberi Augustinianis supra Franciscanos Recollectos et Discalceatos, iuxta dispositionem Bullae Gregorii XIII, quae incipit *Exposcit*, sub die XV iulii MDLXXXIII editam: et hoc, sive dicti Recollecti et Discalceati in praedictis processionibus incedant coniunctim, sive divisim: et ita imposterum inter dictas partes in civitate Oriolensi servari mandavit: quibus propterea in praemissis perpetuum silentium imposuit. Die XX decembris MDCXXXVI.

Confirmatur ab Urbano. § 2. Nos, quo decretum huiusmodi firmius subsistat, exactiusque ab omnibus observetur, illud cum omnibus et singulis in eo contentis et expressis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes illud necnon praesentes litteras semper et perpetuo valida firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios

et integros effectus sortiri et obtinere, ac fratribus Augustinianis praedictis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, necnon ab omnibus et singulis, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, firmiter et inviolabiliter observari perpetuo; sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis Apostolicae nuncios, ubique et in quavis instantiâ iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, auctoritate et tenore praedictis decernimus et declaramus.

Exequutorum deputatio.

§ 3. Quocirca venerabili fratri episcopo Oriolensi, seu dilecto filio officiali Oriolensi, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte fratrum Augustinianorum huiusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisdemque fratribus Augustinianis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praemissa omnia et singula ab iis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in futurum inviolabiliter observari, eosdemque fratres Augustinianos praemissorum commodo et effectu quiete et pacifice frui et gaudere, non permittentes illos per aliorum quorumvis Ordinum et institutorum regulares, in praemissis quovis praetextu, causâ, vel occasione, aut aliàs quomodolibet indebite molestari, perturbari, inquietari, vel impediri.

Contravenientium poenae.

§ 4. Contradictores quoslibet et rebelles, aut aliàs in praemissis non parentes, seu sese quomodolibet opponentes, eisque auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte quomodolibet praestantes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quorumvis Ordinum, congregationum, illorumque domorum et locorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, ac quibusvis aliis, sub quibuscumque derogatoriarum derogatoriis, aliisque decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII ianuarii MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 12 ianuarii 1637, pontif. anno XIV.

DLXIII.

Confirmantur constitutiones collegii Naubertini Carmelitarum Parisiensium antiquae observantiae[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

In supremo apostolatus solio meritis licet imparibus immensâ Redemptoris no-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

stri benignitate constituti, inter ceteras apostolicae servitutis curas illa nos iugiter sollicitos habet, ut religiosi viri, sub strictioris observantiae regulis Altissimo famulantes, felicioribus in dies[2] viis Domini proficiant incrementis. Quamobrem, si qua[3] propterea facta fuisse comperimus, illa, quo firmius subsistant, exactiusque observentur, apostolicae nostrae confirmationis munimine roboramus, prout ad Dei gloriam, felicemque ipsorum religiosorum statum et directionem conspicimus in Domino salubriter expedire.

Prior generalis Ordinis per regimine collegii Naubertini nonnullas edit constitutiones.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Theodorus Stratius, Ordinis beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo antiquae observantiae regularis prior generalis, quod pro felici prosperoque domus regularis Parisiensis et collegii Naubertini dicti Ordinis regimine et gubernio nonnullae constitutiones editae fuerunt tenoris subsequentis, videlicet:

Frater Theodorus Stratius, magister et humilis prior generalis Ordinis beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo antiquae observantiae regularis.

Ea est humanarum rerum natura et conditio, ut quae aliquando iustis suadentibus causis tanquam bono publico conducentia fuerunt approbata, postea expediens sit aliis non minus iustis causis, rerum temporumque qualitatibus pensatis, illa alterare, et interdum etiam penitus immutare et revocare. Hinc, licet aliàs felicis recordationis Leo X et Hadrianus VI congregationem quamdam Albiensem nostri Ordinis in regno Galliae, domos Albiensem, Melodunensem, Parisiensem, Tolosanam et Rothomagensem amplectentem, confirmaverint, multisque privilegiis locupletaverint, nihilominus postea Gregorius XIII pariter felicis recordationis, certior factus quod fratres privilegiis dictae congregationis abutentes a pristinis institutis valde defecerant, et in praeceps corruerant, ad instantiam Henrici III Francorum regis christianissimi, per constitutionem editam anno MDLXXXII kalendis maii, dictam congregationem extinxit, eiusque domos et oratoria suis provinciis seu propinquioribus Ordinis retribuit; domum autem et collegium Parisiense sub auctoritate prioris generalis reposuit, statuitque, ut in eo collegio classes grammaticae, rhetoricae, logicae, philosophiae et theologiae numquam deessent, ibique regularis disciplina summe observaretur, et omnes studentes ibi professi, aut professuri, modo in eo residerent, locum et vocem activam et passivam haberent, unà cum magistris, graduatis gradu saltem baccalaureatus formatis, regentibus et aliis eiusdem domus officialibus et provinciarum Galliae in eo manentibus, quadriennio tamen professis et in ordinibus sacris constitutis; prior autem ipsius domus, iuxta formam a concilio Tridentino praescriptam, ab habentibus auctoritatem eligeretur, et a patre generali ad instar provincialium ad triennium confirmaretur; nec huiusmodi electio fieret nisi praesidente ibi vicario, aut commissario a priore generali deputato; item quod officiales dicti collegii ex aptioribus, qui in quibusvis domibus et locis cuiuscumque provinciae Galliae nostri Ordinis reperirentur, licet electionis tempore in ipsis domo et collegio non residerent, eligerentur, qui sic electi huiusmodi officia in virtute sanctae obedientiae susciperent, et, si reluctassent, poenam privationis et inhabilitatis ad quaecumque alia officia et gradus Ordinis concurrerent[1]. Ceterum decursu temporis fratres quoque in dictâ domo et collegio degentes, privilegio immediatae subiectionis generali et aliis similiter male utentes, ad vitam laxiorem se converterunt,

1 Iterum repetenda praep. *in* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

1 Legendum *incurrerent* (R. T.).

et tamquam suae propriae professionis obliti, tam licentiosam vitam agere coeperunt, ut disciplinam regularem contemnere viderentur, essentque secularibus ipsis in scandalum. Et, licet nos ad eos reformandos non semel viros graves et prudentes commissarios aliàs destinaverimus, ab eis tamen ob dictorum fratrum renitentiam et contradictionem nihil ad votum fieri potuit: et tandem adeo excrevit illorum vivendi libertas, ut eâ offensus piissimus et christianissimus Ludovicus rex, qui modo feliciter regnat, praecipuo zelo restaurandae observantiae in praefatâ domo et collegio accensus[1], superioribus religionis significaverit, sibi pergratum fore, si illius reformatio ab eis efficaciter procuraretur. Cui tam pio voto nos cupientes, ut ex debito officii nostri tenemur, satisfacere, instituimus commissarium nostrum cum auctoritate reformandi dictam domum et collegium patrem fratrem Antonium a S. Martino nostrae provinciae Turoniae professum sacerdotem, qui, consideratis omnibus considerandis, et praevià gravium patrum Ordinis consultatione, tandem in hanc devenerit[2] sententiam, quod nullà ratione collegium praefatum reformari poterat, nisi in illud reformatio Rhedonensis eiusdem provinciae Turoniae introduceretur, et inde omnes religiosi, qui talem observantiam amplecti recusarent, amoverentur et in alios provinciarum Galliae conventus mitterentur; et statim praefatae observantiae introductioni fortiter et feliciter divinà cooperante gratià manu admovere coepit. Cupientes modo nos dictam inchoatam reformationem ad perfectum statum reducere, et constantius stabilire, duximus nonnulla statuere sub correctione sanctae Sedis Apostolicae et reservatà eius confirmatione.

1 Male edit. Main. legit *acceptus* (R. T.).
2 Aptius lege *devenit* (R. T.).

Cum igitur evidentissime constet, pietatis, disciplinae regularis et litterarum studia in nostro Parisiensi conventu et collegio Naubertino iam pridem labefactata esse, et post tentatam non semel a nobis illius reformationem omnia in peius abiisse; cumque quisque probus ex regularibus eiusdem conventus et collegii, tum conventualibus, tum studentibus, eius reformationem petierit et efflagitaverit; et ex eorum postulatione certoque examine agnoverimus, radicem omnium malorum extitisse partim ipsos conventuales in dicto conventu et collegio commorantes, qui, cum immediate subessent generali, numquam serie visitabantur, tum magnum numerum studentium in factiones et discordias propter provinciarum partes saepius abeuntium; et patuit insuper nobis, quod ex septem provinciis, quas noster Ordo habet in Gallia, tres tantum, aut quatuor ad summum, in dictum collegium, ob regularem observantiam in eo deperditam et meram studiorum ruinam, studentes mittebant; quae mala si repararentur, pietatis et doctrinae fructus per totam fere Galliam cum maximà Ecclesiae utilitate et nostri Ordinis glorià diffunderentur: nos, ut submoveamus quae pravus usus regiminis dicti conventus et collegii Naubertini invexit:

Sequuntur constitutiones.

1. Statuimus et declaramus, conventum nostrum Parisiensem Naubertinum solum fore et esse collegium studiorum, ita ut in eo amplius non existant, nominenturque conventuales, servatà tamen eius immediatà subiectione priori generali Ordinis; ac, ne ob talem immediationem defectu visitationis in eo iterum disciplina[1] regularis aliquam patiatur iacturam, cum pater generalis semper longe absit, et in praesentiarum provincia Turoniae ex ceteris Galliae provinciis sit illa in qua nunc magis viget perfecta et solida ob-

1 Male edit. Main. legit *disciplinae* (R. T.).

servantia, volumus, ut ab eius provinciali tamquam commissario prioris generalis pro tempore (nisi ab eo alius commissarius fuerit deputatus) cum suo socio ordinario singulis annis visitetur, cui tamen per ipsum generalem, quoties ei videbitur expedire, alius socius ex aliâ provinciâ reformatâ in Galliâ adiungi poterit. Et, si quando priori generali placuerit aliquem commissarium ex aliis provinciis Galliae reformatis nominare et assignare visitatorem, semper erit concommissarius, nisi aliter disposuerit ipse generalis pater provincialis Turoniae, saltem quousque aliae in Gallia provinciae sint reformatae iuxta novas constitutiones pro provinciis reformatis et reformandis compilatas, et a Sanctissimo Domino nostro Urbano Papa VIII confirmatas, et eas esse reformatas declaraverit pater Ordinis; tunc enim ex illis omnibus eligi poterit ad libitum a generali commissarius, qui solus valeat dictum collegium visitare: quod si ab eo nullus alius fuerit institutus, semper commissarius et visitator sine aliâ institutione erit pater provincialis Turoniae.

II. Ut dictum collegium semper floreat in studiis, maiusque incrementum in dies suscipiat, ordinamus, quod in eo numquam desint classes artium, logicae, videlicet, philosophiae, inclusâ etiam metaphysicâ, theologiae ac diversarum linguarum.

III. Et, quia solum debet esse collegium studiorum et pro studentibus ut dictum est, decernimus, ne in illo deinceps admittantur aliqui ad habitum, vel ad professionem; et, si qui superiores contra istud decretum facere praesumpserint, incurrent in sententiam excommunicationis et in privationem suorum officiorum, necnon in perpetuam inhabilitationem ad similia et alia officia religionis.

IV. Cum autem per dictum patrem Antonium a S. Martino commissarium nostrum patribus Observantiae Rhedonensis cura et administratio dicti collegii concredita fuerit, et ex illâ pro eius reformatione multi religiosi subministrati fuerint, decernimus et statuimus, ut etiam imposterum, donec aliter provisum fuerit per patrem Ordinis, patres provinciae Turonensis in dictâ curâ et administratione perseverent, domus regimen tam temporale quam spirituale habeant, litterarum studia dirigant, regularisque vitae disciplinam adstruant ad normam et formam mox tradendam.

V. Exhibebit igitur dicta provincia semper collegio Naubertino quindecim patres consiliarios viros doctos, probos et prudentes, non tamen actu studentes, per provincialem et definitores provinciae assignandos, qui in regimine et administratione domus priori assistant, duos pro concionibus habendis, quatuor pro confessionibus audiendis, et aliquot fratres laicos pro necessariis ministeriis, quem tamen numerum et augere et minuere poterit pater ordinarius pro suâ prudentiâ.

VI. Et quia ad hunc finem cura et administratio collegii patribus provinciae Turoniae demandata est, quo per eos perfecta observantia dictae provinciae in illud introducatur et introducta perpetuo conservetur, mandamus, ut imposterum omnes fratres pro tempore in collegio commorantes vivendi rationem et formam ipsius provinciae Turoniae, iam longâ experientiâ cum magno nostrae religionis splendore in multis Galliae conventibus et praesertim Lutetiae in conventu SS. Sacramenti comprobatam, amplexentur sine ullâ immutatione, additione vel detractione.

VII. Cumque nunc in collegio magnus sit professorum numerus, quorum plurimi dictam observantiam renuunt, et propterea inde sunt amovendi, in aliosque provinciarum Galliae conventus distribuendi,

praecipimus patribus provincialibus, ad quos dicti fratres missi fuerint, ut eos tamquam provinciae alumnos cum voce et loco in illâ suscipiant, eisque sicut ceteris de victu et vestitu imposterum provideant, sub poenâ rebellium; nec eos sub praetextu agendi negotia vel ob aliam causam Lutetiam ad standum et commorandum in dicto collegio remittere, nec superiores collegii recipere praesument, sub eâdem poenâ. Si qui vero perpauci aetate et virtute maturi in collegio relinquentur[1], cum reverentiâ tractentur et cum charitate de bonis ipsius collegii alantur et vestiantur, sed ipsi etiam omnia bona, quae ad usum suum privatum habuerint, statim superiori collegii cum ceteris illius bonis incorporanda et confundenda fideliter tradent sub proprietariorum poenâ; et qui ob complexionis imbecillitatem severiori disciplinae idonei non fuerint, nigro et consueto habitu induti solum tenebuntur vivere iuxta generalia Ordinis statuta et ordinationes libri visitationis, demptis nonnullis perfectae disciplinae regulari non adeo congruentibus; vivent autem semper sic honeste et humiliter, ut ad regimen domus non aspirent, et collegii negotiis nullo modo se ingerant. Quam vitae rationem si amplecti noluerint, volumus ut et ipsi sine morâ in designandos vel designatos sibi conventus discedant, ne factionibus et murmurationibus pacem religiosam et debitam observantiam interturbent.

VIII. Imposterum electio officialium collegii, prioris scilicet, subprioris, monitoris seu directoris pietatis, discretorum, procuratoris, sacristae et regentium, spectabit solum ad supradictos quindecim patres consiliarios de provinciâ Turoniae, necnon ad unum studentem de qualibet ex septem provinciis Galliae professione antiquiorem, et ad duos etiam inter conventuales professione maiores, quamdiu aliqui ex eis supererint: nec quisquam aliorum, praeter dictos viginti quatuor, aut, cum nulli ex conventualibus extiterint, viginti duos, dictis electionibus se immiscebit sub poenâ rebellionis et expulsionis a conventu; et electio quidem prioris fiet praesidente patre provinciali Turoniae, ut commissario patris generalis, si de alio commissario per generalem non fuerit provisum; electio autem aliorum officialium fiet praesidente patre priore collegii.

IX. Ex dictis quindecim consiliariis semper eligendus est subprior, monitor, duo clavarii, procurator, sacrista, duo regentes in theologiâ et unus in artibus; prior autem eligi poterit ex quacumque provinciâ Galliae, quae sit reformata iuxta praedictas novas constitutiones, licet electionis tempore in ipso collegio non resideat. Similiter ex quacumque provinciâ reformatâ eligi poterit regens diversarum linguarum, secundum quod in eâ aptior et magis idoneus ad tale munus repertus fuerit; et qui fuerint electi ad dicta officia, in virtute sanctae obedientiae illa suscipient: quae si recusaverint, poenam privationis et inhabilitatis ad quaecumque alia officia incurrent.

X. Haec autem forma servanda est in electione prioris collegii. Ubi celebratum fuerit, ut moris est, capitulum culparum, et emissi[1], qui non habuerint locum et vocem in electione, assumendi sunt tres patres scrutatores de ipso gremio, quorum munus (praestito per illos prius iuramento in manu praesidentis de rite et fideliter peragendo eorum officio) erit vota singulorum eligentium scripta et complicata excipere in capsulâ vel pixide, deinde illa extrahere, evolvere, inspicere et publicare; quibus publicatis, et factâ eorum collatione, illum, in quem omnes vel maior pars totius collegii consenserit, pater

1 Forsan legend. *relinquantur* (R. T.).

1 Videretur legendum *emissis* (R. T.).

praesidens nomine omnium eliget in hunc modum: *Ego N. auctoritate mihi commissâ meo et horum omnium eligentium nomine eligo et denuncio in priorem huius collegii Naubertini patrem N.* Quod si in primâ electione in nullum maior pars consenserit, electio reiterabitur usque tertio; et si contigerit nec in tertiâ electione maiorem partem in unum consensisse, qui plura habuerit vota, quam aliqui alii, eligendus erit a praesidente nomine omnium modo quo supra; et statim coram gremio comburendae sunt omnes votorum schedulae; et advertendum quod ante electionem praelegendae sunt constitutiones de requisitis eligendi in priorem, vocalesque curare debent quod eligant probiorem et meliorem secundum dictamen suae conscientiae, ita enim statuit Clemens VIII felicis recordationis in decretis pro reformatione regularium editis.

XI. Quod si evenerit ut provincialis Turoniae ad praedicta officia electos ob iustam causam a collegio vel ab officio amovendos esse iudicet, id facere poterit etiam extra visitationem tamquam commissarius generalis (alio commissario non instituto a generali); excipiendus tamen est prior, cuius amotio solum pertinebit ad patrem generalem. Tunc viginti quatuor supradicti in eorum locum eligent de eâdem provinciâ alios, qui fuerint per provincialem et definitores provinciae assignati, si capaces extiterint, alioquin supplebuntur de provinciâ Turoniae, reservatâ tamen facultate generali aliter providendi. Licet autem prior collegii nequeat amoveri ab officio nisi a patre generali vel ab aliquo de eius speciali commissione; nihilominus, si quis praesumpserit se indebite et iniuste ab illo aggravatum fuisse, poterit recurrere ad provincialem Turoniae, qui illi tamquam commissarius generalis iustitiam ministrabit.

XII. Prior sic electus confirmandus est utique ad triennium a patre generali, quippe quia locum et vocem habet ad instar provincialium in capitulo generali; poterit tamen interim, dum confirmationem generalis expectabit, provincialium more plenâ auctoritate suas functiones exercere; et si prior electus fuerit in aliquâ provinciâ, statim sine ullâ excusatione mittetur a provinciali, nisi in provincialem alicuius provinciae fuisset electus; tunc enim alius prior erit eligendus a collegio.

XIII. Facienda est electio prioris tempore tam competenti et opportuno, quod sui officii confirmationem recipere valeat a generali ante celebrationem capituli provincialis Turoniae, et propterea eius electio non est differenda ultra mensem octobris illius anni, qui celebrationem capituli praefatae provinciae praecedet; et ne ordo dictae provinciae interturbetur, electio officiorum, quae iam facta est hoc anno MDCXXXVI, finiet post pascha, et tunc alia fiet de novo; at electio prioris solum pro hac vice durabit per quinquennium usque ad annum MDCXLI; et si evenerit quod pater generalis ob aliquam iustam causam capitulum provinciale Turoniae distulerit ultra triennium, idem faciet si ei placebit de priore collegii; alii autem officiarii eligentur per capitulum provinciale, ubi tamen ab ipso capitulo assignati fuerint consiliarii et regentes in collegio, uti fieri solet in aliis conventibus.

XIV. Per hactenus statuta intentio nostra non est ius, quod habent omnes provinciae Galliae mittendi studentes ad collegium Naubertinum abrogare et auferre. Nihilominus, ne ob conservationem talis iuris reformatio collegii aliquo pacto unquam imminuatur, statuimus, ut deinceps nullus studendi causâ in dictum collegium mittatur nisi a provinciali et patribus definitoribus provinciae, cuius fuerit alu-

mnus, quique non compleverit novitiatum et unum saltem annum in conventu efficaciter reformato iuxta novas constitutiones a Sanctissimo approbatas, et quem reformatum esse declaraverit pater generalis pro tempore.

XV. Volumus etiam ut ex illis provinciis reformatis, et talibus a generali declaratis, unus eligatur ex tribus lectoribus in theologiâ, unus quoque in artibus, si qui inter eos fuerint capaces, duo item clavarii (numquam tamen duo ex eâdem provinciâ ad ea officia simul eligentur), et sic electus, vices supplens antiquioris ex suâ provinciâ, illam eiusque iura in administratione collegii repraesentabit: reliqui autem omnes officiarii collegii erunt de provinciâ Turoniae, generali aliter non disponente, ut supra iam dictum est; et provincialis dictae provinciae Turoniae, dum commissarius generalis fuerit, non permittat iuxta suae provinciae usum aliquos in collegio, sive laicos, sive patres consiliarios, aliosve praeter studentes commorari ultra tres, vel ad summum sex annos, exceptis lectoribus in artibus et in theologiâ secundo et tertio, qui per plures annos, si illustriores fuerint in doctrinâ, poterunt in lecturâ continuare.

XVI. Et ne aliquid per ista nostra decreta sanctionibus et usibus facultatis Parisiensis detrahatur, concedimus, ut ex omnibus provinciis praesentari possint studentes ad gradus et doctoratum, ut moris est, dummodo graduati nullo fruantur privilegio in provinciis vel conventibus reformatis, sed solum in ipsâ universitate; et, ne exceptio personarum noceat, septem provinciae Galliae, videlicet, Narbonae, Franciae, Aquitaniae, Provinciae, Tolosae, Vasconiae et Turoniae, iuxta ordinem in statutis antiquis praescriptum, graduandos praesentabunt; nimirum in primâ licentiâ, per nominationem provinciali et definitoribus provinciae generali factam et per promotionem ipsius patris generalis, praesentabuntur priori Parisiensi et doctori primario duo e provinciâ Narbonae et duo e provinciâ Franciae, in secundâ duo e provinciâ Aquitaniae et duo e provinciâ Provinciae, in tertiâ duo e provinciâ Tolosae et duo e provinciâ Vasconiae, in quartâ duo e provinciâ Turoniae et duo e provinciâ Narbonae, et sic per vices et ordinem seu circulum; quod si aliqua provincia ordine praescripto duos e suis minime praesentaverit, sequens supplebit; isque ordo in libro conventus describetur.

XVII. Ut autem ambitiones honorum, immoderatae cupiditates, excursiones et similia monasticae vitae repugnantia prorsus evitentur, districte prohibemus, ne ulli studentium in collegio Naubertino locum et praecedentiam seu sedis praerogativam in licentiis ambiant et captent pro se, alioquin eorum praesentatio nulla sit, et nullius valoris. In praesentatione graduandorum a collegio faciendâ in universitate Sorbonae, ut omnis ambiendi occasio tollatur inter studentes, nationes et provincias e nominatis ut supra, praesentatio fiet per electionem canonicam a priore et viginti quatuor consiliariis, praemisso iuramento de digniore eligendo iuxta dictamen propriae conscientiae.

XVIII. Baccalaurei et licentiati regulas omnes et leges inclitae facultatis in eâ observabunt; sed alibi, puta in ecclesiâ, capitulo, processionibus et similibus, tam extra quam intra conventum, nullo prorsus privilegio, praecedentiâ, voce et loco aut exemptione eo praeciso titulo gaudebunt, cum ista privilegia, ob eorum abusum, omnium fere malorum radix hactenus extiterint: sed exceptis consiliaris viginti quatuor, ut mox dicetur, omnes indiscriminatim locum praecedentiae habebunt secundum antiquitatem temporis, quo in collegio recepti fuerint, ita ut prior locus[1]

1 Vel hîc lege *loco*, vel post *ci* pro *is* (R. T.).

sit is, cuius nomen prius in catalogo studentium fuerit matricolatum; si duo simul advenerint, antiquior in ordine describetur. In nominibus quoque et appellationibus omnes sequentur constitutiones reformationis, nec vocabuntur amplius magistri, mea licentia, mea provincia, meus conventus et similia, et nullus theses imprimere vel dedicare aut praesidentem eligere poterit, absque expressâ licentiâ prioris et patrum qui illi erunt a consilio.

XIX. Igitur in choro, in refectorio, in capitulo, in processionibus, et aliis denique omnibus sequens ordo inviolabiliter servabitur, prior, subprior, primarius regens, pater monitor, et ceteri patres de consilio, quisque secundum antiquitatem professionis in ordine; reliqui omnes, tam regulares quam studentes ex quavis provinciâ secundum admissionem et receptionem in collegio, servatâ sacrorum ordinum dignitate, debent enim sacerdotio insigniti diaconos praecedere, diaconi subdiaconos, et isti alios inferiores.

XX. Patres Turoniae, aliter non disponente patre generali, habebunt semper a suâ provinciâ in collegio saltem duas partes e tribus, demptis laicis, qui solum debent esse de provinciâ Turoniae, quamvis omnibus ex aequo inservient; v. g., si collegium poterit tenere et alere centum religiosos, esse poterunt e provinciâ Turonensi sexaginta, videlicet quindecim consiliarii a provinciali et definitoribus assignandi ex quibus officiarii eligantur, circa quadragintaquinque studentes, quorum conditio pro regimine et loci praerogativâ non alia erit, quam reliquarum provinciarum, et circa triginta studentes ex aliis sex provinciis, et sic deinceps, servatâ proportione, et circiter decem fratres laici: ex qualibet vero aliarum sex provinciarum poterunt mitti sex aut septem studentes, sed pro illis supplendis e provinciâ Franciae quindecim aut viginti, donec post aliquod tempus pro collegii capacitate, de consilio patrum consiliariorum, mittendorum numerus augeatur.

XXI. Ut proprietatis vitium ceterorum origo penitus eradicetur, omnes missarum, officiorum, concionumque eleemosynae, ac ceterae fidelium oblationes cedent in bonum publicum collegii, nec ex stationibus et concionibus studentium, aliisve bonis, quidquam in bonum provinciae Turonensis, aut alterius convertatur ab officiariis, sub poenâ furum et proprietariorum: si quis tamen e quindecim consiliariis, aut aliis non studentibus, per octavam Sanctissimi Sacramenti, per adventum et quadragesimam concionatus fuerit, eleemosynae ex illis provenientes cedent in bonum provinciae iuxta illius constitutiones et laudabilem praxim, nisi eam immutandam aliquando rationabiliter iudicaverit pater generalis. Si qui actu studentes ex aliquâ ex septem provinciis per octavam SS. Sacramenti, per adventum et quadragesimam concionati fuerint, mercedem et eleemosynas quas acceperint, in bonum collegii offerent; eo anno nullam pensionem solvant. Quod si eleemosynae ex statione alicuius studentis pensionem collegio solvendam excedent, reliquum servabitur ad theseon impressionem, aliasque impensas doctoratus, quae a provinciis singulorum, qui ad gradus promovebuntur, vel ex singulorum conventibus solvendae essent. Si aliquando pensiones extinctae fuerint, omnium studentium conciones erunt pro huiusmodi Sorbonae impendiis, et bono collegii. Si qui ex aliis provinciis concionabuntur, posito quod non sint actu studentes, sed solum consiliarii collegii et officiarii, ut licentiati aut tamquam hospites in collegio commorentur, eleemosynae ex stationibus et concionibus octavae, adventus et quadragesimae provenientes cedent in bonum provinciae, cuius fuerint alumni, deductis

impensis pro itinere, victu et aliis, si a collegio subministratae fuerint. Eleemosynae, quae a quolibet tam officiariorum quam studentium colligentur ex concionibus dominicarum et festorum per annum, tam infra urbem quam ruri in paroeciis, sicut aliae omnes quocumque titulo erogatae, cedent in bonum publicum totius collegii.

XXII. Quia aequum est, ut a collegio summâ curâ et charitate omnibus aequaliter, tam officiariis, seu administratoribus, consiliariis, confessoribus et concionatoribus collegii, quam studentibus sanis et aegrotis, pro victu, et etiam, si fieri poterit, pro vestitu, calefactione, chartis, calamis, libris, etc., subministrentur; nullus imposterum in collegio admittatur ad studia, pro quo provincialis et prior, a quibus mittetur, non solvat per anticipationem mediam pensionem bis in anno, scilicet in festo Exaltationis Sanctae Crucis, et in festo Paschatis Dominicae Resurrectionis, pro sacerdotibus quadraginta quinque libras cum singulis illorum missis, quas quotidie pro collegio celebrare tenebuntur iuxta constitutiones reformationis, pro non sacerdotibus septuaginta quinque libras; tenebunturque singulae sex provinciae cum eâ pensione saltem quatuor studentes Lutetiam mittere studendi causâ. Poterunt tamen patres consiliarii, si quando collegio Deus opes abundantius impertierit, dictam pensionem imminuere: immo optamus collegium ad talem[1] statum quamprimum pervenire ut nulla solvatur pensio saltem pro victu, sed certo numero studentes ex singulis provinciis gratis proportionaliter recipiantur, v. g. decem ex unâquaque provinciâ, et triginta, quamdiu aliter non disposuerit generalis, ex Turonensi, cui collegii cura et administratio commissa est. Interim, si dictus prior et provincialis non solverit pensionem per mensem, e collegio remittantur studentes, nec quisquam deinceps mittatur qui non sit de omnibus necessariis provisus, honesteque et religiose in omnibus vestitus, et semel decem aureos ingrediendo solvat pro suppellectili, quam collegium postea tenebitur resarcire et conservare in cellulis a priore, subpriore et clavariis iuxta regulam cuilibet assignandis. Item non mittantur imposterum ex provinciis studentes, nisi in temporibus Nativitatis Domini, Paschatis Resurrectionis et sancti Remigii, cum videlicet interruptus studiorum cursus ob conciones adventus et quadragesimae et ob vacationes a decimâ die septembris usque ad finem, iterum aperietur.

XXIII. Quia vero provincia Turonensis, ut superioribus obsequeretur, obediretque, et reformationem dicti collegii iuvaret, ingentes fecit expensas, et faciet imposterum, totumque onus administrationis et praecipuas partes regularitatis sustinet; volumus ut ex illâ provinciâ solum pro decem studentibus taxata pensio solvatur, quamdiu huiusmodi pensiones non extinguentur, et quod reliqui omnes ut necessarii pro reformatione in collegio gratis admittantur, videlicet viginti quatuor consiliarii ex quacumque fuerint provinciâ, concionatores duo, atque confessarii quatuor, nisi aliter circa praedicta pater generalis Ordinis pro tempore faciendum iudicaverit. Pro hospitibus ex septem provinciis, si ultra tres dies in collegio remanserint, per singulos dies pro eorum victu et supellectili solventur sexdecim asses, alioquin dimittantur, eisdemque de vestitu sumptibus provinciae providebitur; pecunias autem omnes, si quas apud se habuerint, in manu procuratoris et clavariorum custodiendas deponent, omnesque reformationis et collegii constitutiones exacte observabunt, alioquin dimittentur.

1 Edit. Main. legit *tale* (R. T.).

XXIV. Provincialis Turoniae in collegio ordinarie non commorabitur, nisi durante visitatione, quam ultra quindecim dies non poterit protrahere, et si vocabitur, aut necessitas requiret, iubente generali, poterit nedum semel in anno, sed toties quoties collegium visitare. Quoties per modum hospitii in collegio erit, prior, etsi omnes alios provinciales in collegio praecedat, illi tamen praecedentiam dabit. In suâ visitatione annuâ nihil omnino praeter victum moderatum sumet a collegio, siquidem omnia habere poterit a suâ provinciâ et a conventu Sanctissimi Sacramenti, in quo poterit, si voluerit, residere; si tamen ipse aliunde vocabitur ad visitationes extraordinarias, viaticum solvetur a collegio vocante, ut moris est.

XXV. Prioris officium erit totam collegii domum regere et administrare cum plenâ auctoritate, cum assistentiâ tamen et consultatione patrum a consilio, de quibus supra. Officium subprioris in absentiâ prioris erit eius vices gerere; in choro autem et regularitate etiam praesente priore suum officium libere exercebit. Primarii regentis in omnibus actibus studiorum, ut sunt lectiones, disputationes, etc., post priorem (si hic adesse voluerit) praesidere, disputationes moderari, theses approbare, et omnia alia agere, quae nonnisi a doctore fieri decreta sacrae facultatis imperant; nullam tamen licentiam studentibus eundi extra conventum, vel redeundi, aut similem concedet. Monitoris officium erit omnes fratres praesertim iuniores dirigere et invigilare, ut semper in eis pietatis studium, orationis et scientiae mysticae amor vigeat; ideoque visitabit omnes, exhortationes habebit, culpas audiet, nisi eas audierit prior vel subprior, aliaque omnia aget iuxta regulas monitoris a constitutionibus traditas.

XXVI. Quicumque singulo anno examinatus a patre provinciali Turoniae, ut commissarius generalis, a priore, regentibus, et tribus aut quatuor consiliariis per duos annos studens non profecerit[1], sine morâ in suam provinciam remittetur; item qui post duos annos philosophiae et quatuor theologiae completos promotionem a generali non obtinuerit, qua etiam obtentâ, statim ac baccalaureus receptus fuerit, remittetur ad suam provinciam, donec tempus ingrediendi licentiam advenerit, ne longiori morâ collegium oneretur, et ut interim locus detur aliis studentibus, et ut etiam ipsi baccalaurei tempus licentiae expectantes suis provinciis valeant inservire: item, quicumque duos annos licentiae expleverit, nisi inter duos menses inaugurandus sit, rediturus[2] tamen quum laureâ doctoratus donandus erit, qua insignitus recedet statim in suam provinciam, nisi ad aliquod collegii officium eligatur modo quo supra. Prior, et primarius regens ultra triennium, subprior, et ceteri officiarii, consiliarii, concionatores, confessores et laici ultra sexennium nunquam protrahentur. Diligenterque advertant illi, quibus collegii cura commissa fuerit, ultra regularitatis et pietatis domestica exercitia, vix alia, quam doctrinae studia, veluti in collegio vigere debere: ideoque, demptis quatuor confessariis ordinariis, cum aliis officiariis, qui diebus festis confessiones intra ecclesiam monasterii audire poterunt, et uno aut altero concionatore, rarissime et nunquam, nisi ex extremâ necessitate, mittentur ad aegros invisendos ad visitationes faciendas, et similia, quae a non studentibus tantum debent exerceri.

XXVII. Prior collegii de consilio subprioris, doctoris primarii, quatuor clavariorum et lectoris, de cuius classe unusquisque erit, studentes discolos et irregulares cuiuscumque provinciae ter monitos, nisi

1 Male edit. Main. habet *perfecerit* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *reddituruus* (R. T.).

resipiscant et constitutiones observent, statim sine morâ a collegio expellat, et si quis se opposuerit, etiam ipse expellatur. Dimissus ob culpam, quae graviorem poenam mereatur, nunquam recipietur in collegio sub poenâ depositionis ab officio mittenti et recipienti[1]. Si quis a disciplinâ regulari ad fora secularia quocumque titulo vel colore appellaverit, hoc ipso excommunicatus erit, ut habetur in statutis et in sacris canonibus.

XXVIII. Nemo ad sacros ordines et ad confessarii aut concionatoris munus destinabitur nisi examinatus et approbatus a priore, subpriore, monitore et duobus professoribus theologiae, cum licentiâ patris prioris in scriptis quoad confessiones et conciones, et quoad ordines cum licentiâ provincialis, de cuius provinciâ erunt ordinandi.

XXIX. Ordo regularitatis intra collegium is observetur, qui in constitutionibus et in praxi provinciae Turonensis praescribitur. Si quae difficultates circa illum orientur, suffragiis prioris, subprioris, doctoris, monitoris, quatuor discretorum, seu clavariorum, duorum lectorum in theologiâ et duorum in philosophiâ decidentur.

XXX. Si huiusmodi difficultates circa regularitatem, studia, pensiones, officia, celebrationem missarum et similia maioris momenti emerserint, decidentur a patre priore et a toto consilio viginti quatuor, etiam si opus fuerit, per suffragia secreta, et haec omnia in libro capituli fideliter describentur.

XXXI. Quia vero pleraque scandala ex secularium vicinitate et commixtione cum illis in choro oriuntur, diligentiâ commissarii et prioris, chorus separatus statim fabricetur, vel sedilia praesentis chori sic claudantur, ut nec contactus nec prospectus inter fratres et seculares esse queat.

XXXII. Nullus deinceps ad studia aut officia in collegio admittatur, quin iuret, atque in libro receptionis subscribat, se omnes tam constitutiones supra nominatas, quam has leges, istave decreta observaturum, idque etiam scripto testabuntur provinciales in litteris, in quibus regulares suos Lutetiam mittent, alioquin in collegio non recipiantur. Alia multa, quae necessaria vel opportuna esse possunt pro bono regimine collegii, praescripta sunt in novis constitutionibus reformationis, quae nedum in dicto collegio, sed etiam in omnibus aliis conventibus reformatis et reformandis vigere debent.

Fr. THEODORUS STRATIUS,
generalis Carmel. Antiquae Obs. reg.

Item prior dictas constitutiones apostolica auctoritate confirmari petit.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Theodorus prior generalis plurimum cupiat praeinsertas constitutiones huiusmodi, pro firmiori earum subsistentiâ et inviolabili observantiâ, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut eius votis huiusmodi annuere, ac desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat Urbanus.

§ 3. Nos igitur, domus regularis et collegii praefatorum prosperam felicemque directionem sinceris desiderantes affectibus, dictumque Theodorum priorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, constitutiones praeinsertas huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae

1 Forsan legend. *mittentis et recipientis* (B.T).

firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulas necessarias apponit.

§ 4. Decernentes, easdem constitutiones ab omnibus et singulis domus regularis et collegii praefatorum fratribus et personis, sub poenis in eis contentis, inviolabiliter observari, easque ac praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV ianuarii MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 25 ianuarii 1637, pontif. anno XIV.

DLXIV.

Quod in provinciis sancti Bernardini et sanctae Mariae Magdalenae in Gallia fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum seu Recollectorum nullus omnino gaudeat privilegiis patrum provinciae.

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter gravissimas, multiplicesque apostolicae servitutis curas, in eam peculiari sollicitudine incumbimus, ut religiosi viri, qui, obliti populum suum et domum patris sui, divini Numinis obsequiis se mancipaverunt, vota sua reddant Domino abunde inter in spiritu humilitatis et sanctitate et iustitiâ coram ipso.

Mandat prout in rubrica.

§ 1. Hinc est quod nos, felici dilectorum filiorum fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ Reformatorum et Recollectorum nuncupatorum provinciarum sancti Bernardini et sanctae Mariae Magdalenae in Gallia statui, quantum cum Domino possumus, consulere volentes; motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, harum serie, sub excommunicationis ac privationis omnium actuum legitimorum poenis, prohibemus, ne ullus omnino in praefatis provinciis gaudeat privilegiis patrum provinciae: mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ut absolute tales patres provinciae sublati sint, non obstante quacumque constitutione vel concessione provinciali aut aliâ quavis, exceptis tamen his qui fuerunt aut erunt in posterum patres Ordinis vel definitores generales.

Exequutorem deputat et transgressores punire mandat.

§ 2. Quocirca venerabili fratri episcopo Albiensi per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum fratrum fuerit requisitus, solemniter publicans, et eisdem in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ eosdem fratres praesentium litterarum commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittens illos desuper a quoquam, quavis auctoritate fungente, quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet ac praemissis non parentes per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Decernentes praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere, irritumque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate,

scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficaciioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, et aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa ac individua, ac ad verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 4. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII februarii MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 18 februarii 1636, pontif. anno XIV.

DLXV.

Erectio duodecim alumnatuum in collegio Urbano de Propaganda Fide pro Georgianis, Persis, Nestorianis, Iacobitis, Melchitis et Cophtis[1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Altitudo divinae providentiae, a qua omnium bonorum operatio procedit, ea interdum fidelium animis suggerit, quae ad christianae religionis et pietatis propagationem maxime profutura esse dignoscuntur. Unde nos, universi gregis Dominici grave pondus nostris humeris impositum sustinentes, de animarum pretioso Salvatoris nostri Iesu Christi, qui post gloriosam eius resurrectionem ad sempiterna regni caelestis tabernacula ascensurus, discipulos suos per universum mundum evangelium omni creaturae praedicare iussit, cuiusque vices in terris gerimus, sanguine redemptarum assiduâ meditatione solliciti, ad ea, per quae fidei orthodoxae iam dudum per universas mundi regiones disseminatae ac antiqui serpentis calliditate in diversis mundi partibus diversimode violatae et conculcatae splendori salubri remedio restituendo et propagando consulitur, sincerique eiusdem religionis ministri ad sollicitudinis nostrae partem, animarum videlicet curam sustinendum et vera fidei documenta praedicandum instruuntur, libenter intendimus; ac iis, quae per christifideles quoslibet, praesertim S. R. E. cardinales, pro eximiâ eorum devotione et provido sinceroque mentis affectu, pro divini cultus incremento liberaliter determinata fuerunt, apostolici favoris ultro impertimur suffragium.

Antonius cardinalis Barberinus duodecim alumnatus in collegio Urbano erigere, ac dotare cupit.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis innotuit, dilectus filius noster frater Antonius Barberinus tituli S. Honuphii presbyter cardinalis eiusdem S. Honuphrii nuncupatus, noster secundum carnem frater germanus,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

maior poenitentiarius et bibliothecae apostolicae praefectus, ac unus ex eiusdem S. R. E. cardinalibus super negotiis de fide catholicâ propagandâ deputatis, cupiens pro suis viribus sanctissimum et R. E. utilissimum opus dictae congregationis manutenere, illudque in dies ad laudem et gloriam omnipotentis Dei et animarum salutem augere, ex bonis sibi ab eodem omnipotente Deo collatis unum collegium seu alumnatum duodecim pro nunc alumnorum ex infrascriptis nationibus nominandorum, qui sub iurisdictione eiusdem congregationis, ac sub regimine et disciplinâ pro tempore existentis rectoris, et iuxta constitutiones collegii de Propagandâ Fide vivere et educari debeant, cum dotis[1], quae nunquam alienari, et cuius fructus in alium praeterquam victus et vestitus dictorum duodecim alumnorum usum converti non debeant aut possint, assignatione, et cum iurispatronatus ad favorem domus nostrae Barberinae reservatione infrascriptâ, fundare et dotare decrevit: nos, tam pium opus, quantum in nobis est, confovere et ad optatum finem perducere sinceris desiderantes affectibus, ad illud totis viribus promovendum animum et mentem nostram convertimus.

Fundat et dotat ex [illegible] alumnorum qui [illegible] quibusdam aliisque hac simili praescribit.

§ 2. Quocirca, motu proprio, non ad alicuius nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ nostrâ ac de apostolicae potestatis plenitudine, unum collegium seu alumnatum pro duodecim pro nunc alumnis bonae complexionis, ac mente et corpore sanis, sine ullo corporali defectu, non minoribus quindecim, nec maioribus viginti seu viginti unius annorum, in latinâ vel italicâ lingua aliquando introductis[2], ex infrascriptis Asiae et Africae nationibus tantum eligendis et nominandis, videlicet Georgianorum et Persarum ac Nestorianorum necnon Iacobitarum et Melchitarum necnon Cophtarum, duos videlicet pro qualibet natione, quem tamen numerum idem frater Antonius cardinalis ad decem et octo, tres scilicet pro qualibet earumdem nationum, vitâ comite, et divinâ bonitate illius conatus prosperante, quandocumque arbitrio suo augere valeat (ita tamen, ut, si aliquando contigerit aliquâ vice non posse ex aliquâ vel aliquibus ex nationibus superius designatis infra annum vel ad summum biennium haberi alumnos, assumentur ex aliis nominatis, aut etiam Armenorum nationibus; quo casu fructus locorum vacantium anni vel biennii huiusmodi ad ferendas alumnorum necessitates reserventur, vel, iis cessantibus, pro augendo alumnorum numero investiantur; ipsique alumni sub rectoris disciplinâ et regimini, necnon sub regulis et constitutionibus dicti collegii de Propagandâ Fide vivere debeant eo modo quo vivunt ceteri alumni qui de praesenti in ipso collegio de Propagandâ Fide educantur, inter quos et alumnos collegii et alumnatus sic noviter erecti nullam prorsus volumus adesse differentiam, nisi circa novorum alumnorum in collegio admissionem ad nominationem pro tempore existentis patroni, ut infra disponetur, faciendam; teneantur etiam noviter erecti collegii seu alumnatus huiusmodi alumni aliud iuramentum a congregatione de Propagandâ Fide Pontificiis collegiis praescriptum praestare, exceptâ prohibitione ut fiant sine speciali licentiâ regulares, quia noviter erecti collegii seu alumnatus alumnos religionem sancti Antonii seu sancti Basilii ingredi et in earum qualibet professionem regularem emittere volumus), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, eriginus et instituimus.

§ 3. Eique sic erecto et instituto, pro ipsius alumnorum sustentatione et aliorum onerum supportatione, redditus an-

Dotem pro huius alumnatibus a cardinali Barberino pa-

1 Male edit. Main. legit *dote* (B. T.).

2 Forsan legend. *instructis* (B. T.).

Iandam assignat.

nuos per eumdem fratrem Antonium cardinalem assignatos (tot videlicet loca montium non vacabilium de Urbe, ex quibus quolibet anno ad minus octingenta quinquaginta scuta percipiantur) et assignandos perpetuo concedimus et assignamus.

Ius nominandi alumnos familiae Barberinae reservat.

§ 4. Ius vero nominandi alumnos praedictos, iuxta modum et formam suprascriptam et cum conditionibus infrascriptis, eidem fratri Antonio cardinali, donec vixerit, reservamus; sequuto vero obitu eiusdem fratris Antonii cardinalis, dilectis filiis nostris Francisco S. Laurentii in Damaso Barberino nuncupato, S. R. E. vicecancellario, et Antonio S. Agathae diaconis Antonio respective nuncupatis, eiusdem S. R. E. cardinalibus, nostris secundum carnem ex fratre germano nepotibus, qui per turnum alternis vicibus nominare debeant; ipsis vero deficientibus, cardinalem, si tunc vel quandocumque aderit, de familià nostrà Barberinà ex lineà dilecti filii nobilis viri Thaddaei Barberini, nostri etiam secundum carnem ex fratre nepotis, Urbis praefecti et principis Praenestini, descendentem, et in defectu cardinalis, praelatum, et non existente tunc praelato, personam ecclesiasticam de eâdem familià et descendentià, in iure et facultate nominandi alumnos huiusmodi succedere etiam volumus, statuimus et ordinamus; et si forte evenerit, quod eodem tempore extarent plures cardinales de eiusdem Thaddaei praefecti et principis familià et descendentià, omnes in iure et facultate nominandi huiusmodi aequaliter succedere et nominationem ipsam per turnum et alternatim fieri debere decernentes, inter plures vero praelatos et personas ecclesiasticas ille solus succedat, et ius habeat nominandi, qui maiorem obtineat praelaturam, et, inter aequales, aetate maior fuerit, quoties vero defecerint cardinales, praelati et respective personae ecclesiasticae de lineà dicti Thaddaei praefecti et principis, tunc facultatem et ius nominandi huiusmodi per ipsum Thaddaeum praefectum et principem, eoque non existente, vel quandocumque deficiente, per vocatos et comprehensos in iure succedendi per nos ordinato in perpetuum assumi et reassumi; idque toties quoties casus deficientiae cardinalis, praelati et personae ecclesiasticae, ac eiusdem Thaddaei praefecti et principis descendentiae[1] evenerit, fieri debere similiter decernimus; ac huiusmodi nominationem non posse fieri nisi de alumnis ex nationibus supra expressis, ita ut ex qualibet superius expressarum nationum adsint in alumnatu saltem duo, qui habeant supradicta requisita; et aliter factam nominationem nullam esse, nullumque ius nominato tribuere declaramus.

Nominationes alumnorum a sacra congregatione de Propaganda Fide confirmari iubet.

§ 5. Et insuper nominationes alumnorum per patronos praedictos pro tempore nominatorum confirmationem per S. R. E. cardinales congregationis de Propagandà Fide pro tempore deputatos, qui, antequam ad huiusmodi confirmationem deveniant, quod in nominatis qualitates superius requisitae concurrant certi esse debeant, et ante confirmationem praedictam nominatos nullo modo in alumnatum recipi aut admitti mandamus.

Huiusmodi alumnis ceterorum privilegia concedit.

§ 6. Demum eisdem, aliisque dicti alumnatus personis, ut omnibus et quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, et indultis, quibus omnes et singuli dictae congregationis de Propagandà Fide alumni et aliae personae quovis modo utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed etiam pariformiter et aeque principaliter uti, potiri et gaudere valeant in omnibus et per omnia, concedimus et indulgemus, illaque eisdem communicamus.

1 Male edit. Main. habet *descendentia* (R. T.).

Clausulae.

§ 7. Decernentes, praemissa omnia et singula ac praesentes litteras nullo unquam tempore ex quibuscumque causis de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari, aut in ius vel controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci posse; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam camerae apostolicae praesidentes clericos, et eiusdem S. R. E. camerarios et alios cardinales, ac vicecamerarios, nec non causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio executorum.

§ 8. Quocirca dilectis filiis et pro tempore existentibus Urbis gubernatori, et causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, et nostro in eâdem Urbe eiusque districtu vicario in spiritualibus generali, motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et pro parte nunc et pro tempore interesse habentium fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes et in eis contenta quaecumque ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter observari, ac nunc et pro tempore interesse habentes illos[1] pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac censuras et poenas ipsas, servatâ formâ concilii Tridentini, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatorium.

§ 9. Non obstantibus nostrâ de gratiis ad instar non concedendis, necnon quibusvis apostolicis constitutionibus et ordinationibus, ac statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis praedictae congregationi et quibusvis universitatibus, collegiis, eorumque superioribus, deputatis, rectoribus, alumnis et aliis personis etiam sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac aliàs quomodolibet in contrarium concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ[1] inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse motu pari derogamus; contrariis quibuscumque; aut si quibusvis communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

1 Potius lege *illis* (R. T.).

1 Coniunct. *et* delemus (R. T.).

Transumptis danda fides.

§ 10. Volumus autem, quod praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo dictae congregationis, aut alicuius curiae ecclesiasticae, seu personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Clausulae poenales.

§ 11. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, assignationis, reservationis, decreti, declarationis, concessionis, indulti, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXXVII[1], X kalendas aprilis, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 23 martii 1637, pontif. anno XIV.

DLXVI.

Ne fratres Discalceati Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Hispaniae post emissam professionem possint transire ad Ordinem fratrum Minimorum S. Francisci de Paula.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Alias hi Pontifex edidit Constitutionem quae refertur.

§ 1. Aliàs a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam. Commissi nobis per abundantiam divinae gratiae pastoralis debitum postulat, etc. *(Omittitur residuum, quia habes in Constit.* CCCLXXX, *supra pag.* 176[2]).

1 Male, ut puto, edit. Main. habet *1636* (R. T.).
2 Ita cit. edit. Main. sed frustra (R. T.).

Nunc, ad tollendam haesitationem an liceat his fratribus transire ad Ordinem Minimorum sancti Francisci de Paula,

§ 2. Sed ne aliquis dubitare possit, an fratribus praedictis, per praeinsertas nostras litteras huiusmodi, in illis verbis, *etiam emissionis quarti voti vel strictioris regulae praetextu*, transitus ad Ordinem Minimorum sancti Francisci de Paula nuncupatorum prohibitus sit:

Procurator generalis pro declaratione supplicat Pontifici,

§ 3. Ideo, pro maiori quiete et conservatione regularis observantiae congregationis fratrum Discalceatorum Sanctissimae Trinitatis huiusmodi, dilectus filius Ioannes de Annunciatione eiusdem congregationis procurator generalis nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis per aliquod opportunum declarationis nostrae ministerium providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Qui declarat quod prohibitio praeinserta includat etiam transitum ad Ordinem fratrum Minimorum sancti Francisci de Paula;

§ 4. Nos igitur, eumdem Ioannem procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, tenore praesentium declaramus, prohibitionem in praeinsertis nostris litteris contentam et expressam, quod nimirum, non liceat fratribus Discalceatis Congregationis huiusmodi post emissam in eâ professionem ad alium Ordinem, seu religionem, praeterquam fratrum Carthusianorum ut praefertur, transire, comprehendere etiam Ordinem fratrum Minimorum sancti Francisci de Paula.

Prohibetque ne de cetero transeant ad dictum Ordinem.

§ 5. Ac proinde omnibus et singulis fratribus Discalceatis eiusdem congregationis Sanctissimae Trinitatis, tam laicis quam ceteris choro deputatis, explicite,

nominatim et expresse prohibemus, ne de cetero, sub praedictis et aliis quibusvis praetextibus, et aliàs quam ut praefertur, ad secundodictum Ordinem fratrum Minimorum huiusmodi transire quoquo modo audeant seu praesumant.

Irritat professionem emissam contra istam, vel praecedentem constitutionem.

§ 6. Decernentes, si aliquis religiosus ex praedictis Discalceatis iam professus novam professionem in praedicto eorumdem Minimorum S. Francisci de Paula, vel in alio quolibet Ordine quomodocumque nuncupato emiserit, ultra poenas in praedictis nostris litteris appositas, professionem huiusmodi ipso facto nullam, irritam et inanem, nulliusque valoris et effectus; eodemque prorsus modo, professionem per eosdem primo dictos fratres in Ordine Carthusianorum huiusmodi emissam absque licentiâ prius petitâ et obtentâ a superioribus praedictae congregationis fratrum Discalceatorum Sanctissimae Trinitatis huiusmodi, etiam ipso facto nullam, irritam et inanem, nulliusque valoris et effectus existere et fore, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrarius.

§ 7. Non obstante, quod de iure communi concessum est in cap. *Licet*, de Regularibus, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praedictorum Ordinum et congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis congregationi et Ordinibus huiusmodi, illorumque quibusvis personis et fratribus, sub quibus[1] verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Huius Constitutionis transumptis fidem adhiberi mandat.

§ 8. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, et ministri generalis seu procuratoris generalis Romanae curiae eorumdem fratrum Discalceatorum, seu alicuius praelati, vel personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo munitis, et notarii publici manu subscriptis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV aprilis MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 4 aprilis 1637, pontif. anno XIV.

DLXVII.

De constitutionibus clericorum regularium Minorum emendatis a congregatione episcoporum et regularium imposterum observandis, non obstantibus decretis Clementis VIII[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Clemens VIII prohibuit, quominus regulares ad habitum et professionem admitterentur in domibus a se non approbatis.

Aliàs (postquam felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster suo decreto seu decretis desuper editis districte praeceperat et mandaverat omnibus generalibus, provincialibus, commissariis, ministris, praesidentibus, abbatibus, prioribus et guardianis quibuscumque, ceterisque superioribus conventuum, monasteriorum, domorum et aliorum locorum regularium quorumcumque Ordinum, nonnullis tunc exceptis et in decretis huiusmodi expressis, ne, sub cuiusvis licentiae et facultatis impetratae vel impetrandae obtentu, nisi per litteras in formâ

1 Lege *quibusvis* (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Brevis dumtaxat et non aliàs, quemquam ad habitum regularem suscipiendum, nec etiam conversos, nisi in conventibus, monasteriis et domibus, auctoritate eiusdem Clementis praedecessoris in unaquaque provinciâ designandis recipere, aut receptos ad professionem admittere ullo modo auderent, sub certis tunc similiter expressis poenis per contrafacientes eo ipso incurrendis, receptiones vero et professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi decretum seu decreta admissi fuissent, nullas et irritas esse ad quemcumque effectum ex tunc decreverat et declaraverat idem Clemens praedecessor; qui, excipiendo in eisdem decretis nonnullas alias religiones, ordinasse censebatur, ut dilecti filii praepositus generalis et alii superiores clericorum regularium Minorum nuncupatorum et illius instituti religiosi, tamquam non excepti, sub decreto seu decretis huiusmodi comprehenderentur)

Posmodum vero ab hac lege clericos regulares Minores excepit.

§ 2. Comperto postmodum, eosdem praepositum, superiores, ac religiosos laudabiliter progredi in viâ mandatorum Domini, ac religiosae vitae exemplo, religiosisque exercitationibus aliis ad salutem prodesse, supplicationibus eorumdem praepositi, aliorumque superiorum huiusmodi sibi humiliter porrectis inclinatus, per eius litteras in formâ Brevis sub annulo Piscatoris die x martii MDC expeditas, eisdem praeposito generalis ac aliis superioribus clericorum regularium Minorum huiusmodi, ut novitios recipere, eisque habitum per eos gestari solitum exhibere, illosque, postquam novitiatus annum explevissent, ad professionem per eos emitti consuetam admittere, servatâ tamen decretorum dicti Clementis praedecessoris desuper editorum ac aliarum constitutionum apostolicarum formâ, libere et licite possent et valerent, licentiam et facultatem concessit; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praedictis suis decretis, et aliis quibuscumque in contrarium facientibus et prout latius in eisdem litteris, quarum tenores haberi volumus pro expressis, continetur.

Dubitantibus tamen nonnullis de suae professionis validitate ob non servatam primam decreti Clementini partem;

§ 3. Cum autem, sicut dilecti filii modernus praepositus generalis et assistentes generales congregationis clericorum Minorum huiusmodi nobis nuper exponi fecerunt, licet ipsi, in vim praedictarum Clementis praedecessoris litterarum in formâ Brevis, ut praefertur, expeditarum, novitios ad habitum absque domorum seu locorum regularium designatione huiusmodi, prout decreta praedicta requirunt, admiserint; nihilominus nonnulli dictae congregationis professores, sive observantiae vitaeque regularis minus amantes, sive nimio scrupulo ducti, voluerint et velint dubitare de validitate suarum professionum per eos a tempore dictorum decretorum emissarum, et actuum inde hucusque sequutorum, aut saltem usque ad tempus, quo constitutiones dictae congregationis per recolendae memoriae Paulum Papam V etiam praedecessorem nostrum in formâ specificâ, et praevià diligenti earumdem constitutionum per venerabiles fratres nostros, tunc suos, sanctae Romanae Ecclesiae cardinales negotiis episcoporum et regularium praepositos revisione, emendatae, approbatae et confirmatae fuerint, et, ab eo tempore quo supradicta Clementis praedecessoris praefati decreta per nos etiam approbata et innovata fuerunt, huiusmodi dubium seu haesitationem suam deduxerint et deducant ex vano praetextu, quod in dicto Brevi Clementis praedecessoris apposita sit haec clausula *servatâ videlicet praefatorum decretorum formâ*, quae quidem clausula, licet intelligi debeat quoad alia in praefatis decretis ordinata, non quoad ea quae sunt in eisdem decretis Clementis praedecessoris excepta, ne aliàs

ipsius Clementis praedecessoris Breve frustratorium fuisse delegatur, attamen illi, de professionum suarum validitate dubitare volentes, non modo non acquiescant, sed doctrinas et opiniones in contrarium disseminent in gravissimum divini cultus ac observantiae disciplinaeque regularis praeiudicium: nobis proptera praepositus generalis et assistentes generales praefati, ut his incommodis, imaginariisque dubitandi praetextibus, tam hactenus ortis, quam qui de cetero oriri possunt, mature obvietur, nobis humiliter supplicari fecerunt, ut super praemisis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Urbanus declarat ab ea lege exceptos fuisse clericos regulares Minores.

§ 4. Nos igitur, omnem dubitandi circa praemissa materiam praecidere, dictaeque congregationis quieti, quantum cum Domino possumus, consulere, eosdemque praepositum generalem aliosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, certâque scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, ac de nostrae apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium declaramus, quod congregatio clericorum regularium Minorum praefata, post concessam ei a dicto Clemente praedecessore per suas in formâ Brevis litteras huiusmodi licentiam et facultatem supra expressam, ex tunc de cetero in praefatis ipsius Clementis praedecessoris decretis comprehensa non fuit, quin potius excepta, et propterea a die datae litterarum praefatarum obligata non fuit habere loca regularia particularia pro novitiatibus faciendis; ideoque professiones postea in quibusvis domibus et locis regularibus eiusdem congregationis emissas a quibuslibet ipsius congregationis religiosis fuisse et esse validas, ac omnes et singulos, qui post datam praefati Brevis eiusdem Clementis praedecessoris professionem emiserint, vel imposterum emittent, ad quemcumque effectum, etiam in foro conscientiae, remansisse et remanere obbligatos, eidemque religioni adstrictos;

Ab eisque servandas esse constitutiones editas tempore Pauli Papa V.

§ 5. Insuperque mandamus constitutiones praefatas, ut praefertur, praevià emendatione et approbatione congregationis regularium per eumdem Paulum praedecessorem confirmatas, imposterum esse inviolabiliter observandas;

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus praefatis eiusdem Clementis praedecessoris decretis, etiam per nos approbatis et innovatis; sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac omnibus et singulis quae dictus Clemens praedecessor in suis litteris praefatis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI aprilis MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 21 aprilis 1637, pontif. anno XIV.

DLXVIII.

Quod capitulum generale congregationis clericorum regularium Ministran

tium Infirmis de sexennio in sexennium dumtaxat celebretur[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Motiva huius Constitutionis.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Matthaeus Mortuellus, praepositus generalis, et consultores generales, et arbiter consultae congregationis clericorum regularium Ministrantium Infirmis, quod, licet, iuxta congregationis constitutiones apostolicâ auctoritate confirmatas statutum sit, ut capitulum generale eiusdem congregationis quolibet sexennio celebretur, nihilominus a nonnullis asseritur, celebrationem capituli generalis huiusmodi ad triennium apostolicâ auctoritate reductam esse: quare, cum de tali reductione non constet, ut cuicumque difficultati, quae inde oriri posset, occurratur, et gravissimi sumptus quibus domus regulares et praesertim Romanae congregationis huiusmodi maximo suo cum detrimento gravarentur, si dictum capitulum generale tam saepe celebrandum foret, evitentur, nobis exponentes praedicti humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Declarat servari prout in rubricâ.

§ 1. Nos igitur, congregationis et domorum praedictarum indemnitati, quantum cum Domino possumus, consulere, dictosque exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, attento quod non constat de capituli huiusmodi reductione praedictâ, capitulum generale praedictum de sexennio in sexennium dumtaxat iuxta dictas congregationis huiusmodi constitutiones celebrandum esse et celebrari, electionemque moderni generalis et aliorum officialium in capitulo generali congregationis huiusmodi novissime celebrato, aliàs canonice factam, iuxta formam constitutionum praedictarum per integrum sexennium durare debere, ac generalem et alios superiores in capitulis generalibus seu in consultâ generali eligi solitos, scilicet procuratorem generalem, provinciales et secretarium consultae praedictae, officia eorum per totum sexennium huiusmodi, servatâ tamen dictarum constitutionum dispositione, libere et licite exercere posse et valere, ita tamen ut litterae nostrae super modo et formâ eligendi generalem, consultores et arbitrum dictae congregationis, sub die XXIX aprilis MDCXXVIII emanatae omnino observentur;

Decretum irritans.

§ 2. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus, quatenus extet, reductione praedictâ, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictaeque congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quo-

1 Hanc Congregationem approbavit Sixtus V in Constit. XXXV, *Ex omnibus*, tom. VIII, pag. 669. Et quod capitulum celebretur quolibet sexennio aliàs statuit Clement. VIII in Const. CCXLVIII (*al.* 238 *Superna*, tom. X, pag. [illegible]5.

modolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV aprilis MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 24 aprilis 1637, pontif. anno XIV.

DLXIX.

Confirmantur quaedam statuta et decreta pro bono regimine congregationis Galliae Ordinis fratrum Discalceatorum sancti Augustini [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam

Fundatio congregationis Ordinis Eremitarum sancti Augustini Discalceatorum in Gallia.

§ 1. Aliàs, supplicationibus dilecti filii Romualdi a S. Magdalenâ, tunc fratrum Eremitarum sancti Augustini Discalceatorum congregationis Galliae in Romanâ curiâ procuratoris generalis, tam suo, quam tunc existentium vicarii generalis, definitorum et aliorum superiorum dictae congregationis nominibus, nobis humiliter porrectis inclinati, vicario generali praedicto capitulum generale dictae congregationis anticipandi licentiam concessimus, ac dilectum filium nostrum Franciscum, tituli S. Calixti presbyterum cardinalem de la Rochefoucault nuncupatum, in praesidentem dicti capituli illiusque causarum commissarium apostolicâ auctoritate deputavimus, cum facultate per se vel alium dicto capitulo praesidendi, ac praesertim faciendi et terminandi quaecumque necessaria iudicaret circa constitutiones et caeremonias essentiales eiusdem congregationis, divisionem et restrictionem provinciarum, aliisque facultatibus, prout in diversis nostris desuper in simili formâ Brevis sub datum XV septembris MDCXXXV et XV ianuarii MDCXXXVI expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur [1].

Facultates quae ... circa constitutiones et caeremonias essentiales ... congregationis edendi.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Archangelus a S. Mariâ Aegyptiacâ eiusdem congregationis in Romanâ curiâ procurator generalis nobis nuper exponi fecit, praedictus Franciscus cardinalis litteris huiusmodi inhaerens venerabiles fratres Leonorium Carnotensem et Dominicum Antissiodorensem episcopos in praesidentes dicti capituli, illiusque causarum commissarios, apostolicâ auctoritate sibi in hac parte commissâ, cum omnimodâ auctoritate, facultate et potestate sibi in dictis litteris attributâ substituerit; illique sic substituti, auditis omnibus et singulis religiosis fratribus ex tribus provinciis ad capitulum convocatis, et cunctis eorum rationibus et sententiis mature discussis et ponderatis, pro Dei gloriâ et felici dictae congregationis statu et prospero eius regimine, quae sequuntur in Domino statuere, ordinare et publicare, antequam ad electiones procederetur, utile et necessarium duxerint et iudicaverint, videlicet:

In eo capitulo sequentes constitutiones fuerunt effectae.

Die II iunii:

I. Tres provincias in Bullâ Pontificiâ nominatas, Provinciae scilicet, provinciae Franciae, et Delphinatus, in duas restrinximus ob superiorum sufficientium et capacium praesentem necessitatem, itaut provinciae Franciae et Delphinatus uni tantum subiaceant superiori provinciali usque ad annum MDCXLII, quo tempore capacium et idoneorum superiorum sufficiens erit copia ut praedictae provinciae scilicet Franciae et Delphinatus per se separatim sub proprio provinciali et definitorio subsistant;

Tres provinciae in duas reductae.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Illae desunt (B. T.).

De capitulis provincialibus.

II. Imposterum quaelibet provincia capitulum provinciale singulis bienniis, et in medio biennii capitulum intermedium celebrabit;

De assistentibus.

III. Tres erunt assistentes vicarii provincialis, scilicet unus ex provinciâ Provinciae, et alii duo ex provinciâ Franciae et Delphinatus, visitatoribus generalibus extinctis utpote statui congregationis superfluis;

Electione superiorum maiorum.

IV. Pro hac vice tantum electiones vicarii generalis, duorum procuratorum, Romanae scilicet curiae et Franciae, trium assistentium, duorum provincialium et definitorum utriusque provinciae, prioris conventus Parisiensis et secretarii congregationis fient in hoc capitulo generali ab omnibus fratribus congregationis vocem secundum statuta habentibus;

Definitorio generali.

V. Praesens definitorium generale, ultra duos praesidentes apostolicos, constabit vicario generali electo, deinde absoluto, tum duobus procuratoribus generalibus et tribus assistentibus, et, si eorum aliqui absentes fuerint, eligentur et substituentur canonice aliqui ex praesentibus fratribus ad supplendam eorum absentiam;

Electionibus praesentis capituli.

VI. Ad requisitionem et instantiam omnium patrum capitularium reverendum patrem Archangelum a S. Mariâ Ægyptiacâ dispensavimus super sex circiter menses de triennii post professionem complemento ad sui procuratoris officii electionem;

Ultimo, quod, attentâ multitudine supradictorum fratrum in hoc conventu degentium, et ut quamcitius unusquisque ad suos possit redire conventus, electiones superiorum et aliorum officiorum localium fiant ante quascumque definitiones a patribus definitorii generalis ut supra a nobis ordinati:

Aliae constitutiones.

Die vero XXIII iunii, praesidentibus supradictis episcopis, in definitorio generali canonice electi sint in superiores generales et provinciales, videlicet, in vicarium generalem dictae congregationis, dilecti etiam filii, Hilarion a S. Ursulâ, et in procuratorem generalem curiae Romanae dictus Archangelus a S. Mariâ Ægyptiacâ, praeviâ dispensatione super triennio a professione, procurator generalis Franciae, tres assistentes, Provinciae scilicet, provinciae Franciae et Delphinatus, duo provinciales et ceteri eiusdem congregationis superiores et officiales, et praesertim Antonius a S. Magdalenâ in vicarium hospitii seu conventus Taulianensis: necnon sequentibus diebus et praesentibus episcopis praedictis in definitorio generali necessaria ad observantiam regularem, et alia pro eiusdem congregationis regimine statuta et definita sint, ut plenius in ipsis definitionibus et ordinationibus, in quatuor partes divisis, plenius dicitur contineri; et praesertim, quod vicarius generalis et provinciales, absoluto eorum officio, ineligibiles ad quodcumque officium habens votum remaneant usque ad proximum capitulum sive generale sive provinciale, quod etiam voluerunt habere locum in his, qui per duo capitula immediate subsequentia et completa ad aliquod officium habens votum promoti forent; ad officium tamen vicarii generalis possit eligi quicumque ex supradictis, excepto vicario generali absoluto; non poterit vicarius generalis sine consensu et consilio procuratorum generalium, quando praesentes erunt, et eius assistentium, quod non poterat sine definitoribus; nulli recipientur alterius religionis vel congregationis professi, neque illegitimi, vel aliâ infamiâ notati, sub poenâ nullitatis professionis; in capitulis provincialibus conclusiones, definitiones et decisiones fieri non possint, fient tamen propositiones ad capitulum generalem mittendae; praesidens capituli provincialis a vicario generali deputandus erit alterius provinciae; in provincialem poterunt eligi patres alterius provinciae;

quod si contigerit unum et eumdem simul a duabus provinciis eligi, vicarius generalis cum assistentibus de provinciali alterius provinciae providebit; constitutiones necnon caeremoniale ad meliorem formam reducantur, et ad hoc nominati et deputati sint dictus pater Hilarion a S. Ursulâ vicarius generalis, pater Gelasius a nomine Iesu procurator generalis Franciae, pater Dionysius a S. Monicâ, pater Raphaël a Virgine Mariâ, pater Alipius etiam a Virgine Mariâ, assistentes generales, et approbari procurent:

Die vero IV iulii, visis et mature consideratis a supradictis praesidentibus electionibus superiorum et definitoribus[1] in capitulo conclusis, ea quae sequuntur pro maiori firmitate et robore decidenda et declaranda iudicaverunt:

I. Provinciam Provinciae primum locum inter provincias obtinere iuxta Breve apostolicum;

II. Electionem prioris Parisiensis fieri debere in capitulo provinciali, et in eo suffragari, non autem in capitulo generali;

III. Quod, non obstante restrictione duarum provinciarum, Franciae scilicet et Delphinatus, ac Provinciae, provincia Franciae et Delphinatus suos distinctos officiales generales habebit per Breve Apostolicum concessos, quasi essent sub distinctis provincialibus gubernatae;

IV. Quod definitio, qua prohibetur divisionem provinciarum imposterum fieri posse, nisi ad minus sint octo conventus, sit sine praeiudicio harum duarum provinciarum, quas anno MDCXLII manere distinctas per praesentes declaramus, licet pro tunc in qualibet ipsarum fuerint tantum quinque conventus:

Has leges [illegible] [illegible]

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praemissa, ab eisdem praesidentibus et definitorio generali, ut praefertur, ordinata, facta et decreta, subinde per eumdem Franciscum cardinalem sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito sub die I mensis iulii anni MDCXXXVI confirmata et approbata fuerint; firmiora vero sint ea, quae nostro et Sedis Apolicae munimine et patrocinio roborantur; propterea que dictus archangelus plurimum cupiat illa per nos et Sedem Apostolicam approbari et confirmari, aliaque infrascripta fieri atque ordinari: nobis propterea dictus Archangelus, tam suo, quam dicti Hilarionis a sanctâ Ursulâ moderni vicarii generalis, ac assistentium, aliorumque dictae congregationis superiorum nomine humiliter supplicari fecit, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 4. Nos igitur, dicti Archangeli votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinserta decreta, necnon electiones, etiam per viam concordiae, ut praefertur, factas[1], et ordinationes huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, eisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos, tam iuris quam facti, ac solemnitatum et alios quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus; decreta vero et ordinationes dicti capituli generalis praesentibus litteris non expressa, dummodo illa licita sint et honesta, sacrisque canonibus et Concilii

Ratas habet Urbanus.

1 Vel leg. *definitorum*, vel *definitionibus* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *factae* (R. T.).

Tridentini decretis, regularibusque dictae congregationis institutis non adversentur, auctoritate et tenore praedictis, etiam approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus;

Praescribit methodum tenendam, si quod dubium super praesentibus declarationibus oboriatur.

§ 5. Praeterea, supervenientibus quibuslibet difficultatibus pro expositione vel declaratione definitionum aut statutorum, statuimus et ordinamus, quod de cetero dispositio et declaratio huiusmodi ad vicarium generalem unà cum procuratoribus generalibus, si adsint, et tribus eiusdem vicarii assistentibus tantum, cum inhibitione expressâ omnibus et singulis aliis fratribus eiusdem congregationis cuiuscumque conditionis, ne illis se immisceant, sicut et omnium eorum, quae pro tempore extra etiam capitulum generale ordinanda fuerint, spectare et pertinere debeant;

Alias quoque dat leges.

§ 6. Et insuper, quod duo vel plures in primo vel secundo gradu consanguinei, vel affines nullatenus simul conveniant et votare possint, et multo minus definitorium simul ingredi et concurrere, etiam ad tertium usque gradum, eodem biennio vel triennio valeant, uti plenius continetur in Constitutione felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri, datâ Romae, die XXVIII februarii MDCXCVI; quod vicarius generalis unà cum patribus procuratoribus, si sint praesentes, ac tribus assistentibus, patrem aliquem senem, aut infirmum, et aliàs superiorem, licet non quinquagenarium, qui in regimine vitae innocentiâ se laudabiliter gesserit, ad quascumque commissiones generales, provinciales, conventuales et particulares eligere et promovere, necnon, si opus sit, in necessariis cum illo ad ea quae illi pro tempore committentur exequenda dispensare valeant; quod dilectus etiam filius Ambrosius a S. Monicâ eiusdem congregationis professor in provinciâ et conventu sibi a superioribus assignatâ remaneat, non obstante mansione sibi per dictas litteras assignatâ, attento, quod huiusmodi gratiae ipse renunciavit; quod divisio provinciarum Franciae et Delphinatus in unam tantum restrictarum non intelligatur dilata usque ad annum MDCXLII, si proximum capitulum generale celebrandum Avenione anno MDCXXXIX feriâ VI ante festum sancti Michaëlis Archangeli dictas provincias Franciae et Delphinatus separatim subsistere posse, et pro bono dictae congregationis expedire iudicaverit; quo casu in dicto capitulo, anno MDCXXXIX, provinciales et quatuor definitores eligantur, et a definitorio generali ceteri superiores provinciae Franciae; praeterea, quod non possit provincialis quemlibet omnino fratrem extra suam provinciam mittere, nisi praeviâ obedientiâ vicarii generalis ab eo in scriptis obtentâ, sub poenâ suspensionis ac privationis officii ipso facto statuimus et ordinamus; Insuper, nunc et pro tempore existenti sanctae Romanae Ecclesiae cardinali dictae congregationis protectori praedictas constitutiones et caeremoniale, postquam, ut praefertur, condita fuerint, apostolicâ auctoritate approbandi facultatem, dictâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur, ita tamen ut fratres dictae congregationis illis non utantur, nisi postquam approbatae fuerint; postremo quasdam litteras apostolicas in simili formâ Brevis, sub datum XIII iunii MDCXXXVI, super declaratione mentis nostrae quoad divisionem provinciarum huiusmodi editas, dictoque Francisco cardinali directas, exequutioni nondum demandatas, cum omnibus in eis contentis, auctoritate et tenore praedictis perpetuo revocamus, cassamus, annullamus et irritamus, ac pro revocatis, cassatis, annullatis et irritis, haberi et censeri debere volumus; demum, ut imposte-

rum omnes dictae congregationis fratres cum pace et quiete omni in Domino vivere possint, omnibus et singulis superioribus, cuiuscumque status, gradus, vel conditionis existant, ceterisque dictae congregationis religiosis sub excommunicationis aliisque poenis praecipimus et mandamus, ut omnes processus, informationes, litteras, communes aut particulares, accusationes, et similia huiusmodi, tam in visitationibus generalibus, quam in provincialibus et particularibus receptas et factas[1] a principio dictae congregationis usque ad dictum capitulum generale, dilacerent et comburant, iniungimus, praecipimus, atque mandamus, perpetuumque eis super hoc silentium, ita ut imposterum nullus superior aut inferior praedictis accusationibus, processibus et similibus, sub quovis praetextu, aut quaesito colore uti possit, imponimus;

Clausulas apostolicae.

§ 7. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis Apostolicae nuncios, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contraria tollit.

§ 8. Non obstantibus singulis litteris nostris praedictis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quae in eisdem voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Ius prioris generalis Ordinis tuetur.

§ 9. Volumus autem, quod in praemissis auctoritati prioris generalis Ordinis sancti Augustini in aliquo non censeatur praeiudicatum, sed quod remaneat salva in omnibus et per omnia, iuxta concordiam aliàs inter dictum priorem generalem et eosdem fratres Dircalceatos congregationis Galliae initam, et a nobis per nostras litteras in formâ Brevis expeditas, sub datum die XXI iulii MDCCXXVIII quae incipit: *Ex iniuncti*, etc., confirmatam et approbatam.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII aprilis MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 28 aprilis 1637, pontif. anno XIV.

1 Aptius lege *recepta et facta* (R. T.).

DLXX.

Facultas alienandi usque ad summam ducentorum et quinquaginta millium scutorum monetae, necnon reducendi annuos census ad minus interusurium, concessa Congregationi Cassinensi.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Motiva petitionis.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus procurator generalis monachorum Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti, praedictae Congregationis illiusque reguminis nomine, quod ob malas temporum conditiones, damna, detrimenta atque incommoda per eamdem Congregationem accepta ratione bellorum, incursus militum, et destructionis aedificiorum in bonis eiusdem Congregationis, necnon rapinas, ablationesque animalium, aliasque extraordinarias calamitates, quae bonà ex parte eiusdem Congregationis praedia inculta reddiderunt, necnon graves solutiones, quae pro summâ quadraginta trium circiter millium scutorum quotannis per dictum procuratorem fiunt, ratione diversorum subsidiorum, Sedis[1] Apostolicae, monasteria dictae Congregationis, ob defectum suorum redditiuum, ad praesens sunt adeo oppressa, ut illorum nonnulla iam ruinis eversa, et se sublevare impotentia reddita sint, aliis vero eâdem ruinâ impendeat, nisi illis de opportuno subventionis auxilio per nos provideatur, prout aliàs per Romanos Ponti-

1 Aptius lege *Sedi* (R. T.).

fices praedecessores nostros monasteriis huiusmodi fuit in similibus occasionibus provisum, et praesertim per Pium V, qui, similes et forsan minus urgentes ob causas, per quasdam suas sub die XIX martii MDLXX duodecim congregationibus regularium tunc expressis bona stabilia pro summâ quadringentorum millium scutorum auri, quorum centum et triginta tria millia dictae congregationi Cassinensi pro suâ ratâ obtigerunt; et postmodum, quia summa huiusmodi non sufficiebat, per alias suas sub die V octobris MDLXXI in simili formâ Brevis respective expeditas litteras eidem Congregationi Cassinensi bona stabilia pro aliâ summâ quinquaginta millium scutorum aureorum vendendi facultatem respective concessit; eoque modo damnis et periculis monasteriis dictae congregationis tunc temporis imminentibus opportune occursum fuisse, eademque monasteria notabilem exinde subventionem percepisse, experientiâ compertum est.

Concedit prout in rubrica.

§ 2. Nobis propterea dictus procurator quo supra nomine humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et aliàs ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, dictae Congregationis et illius monasteriorum indemnitati, quantum cum Domino possumus, consulere, eaque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, necnon praedictarum dicti Pii V praedecessoris litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes, abbatibus monasteriorum dictae Congregationis, quae praedictis et aliis maioribus necessitatibus ad praesens gravata reperiuntur, ut, cum approbatione tamen dilecti filii nostri Francisci S. Laurentii in Damaso diaconi cardinalis Barberini nuncupati, S. R. E. vicecancellarii, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, ac praedictae congregationis apud nos et Apostolicam Sedem protectoris, ac licentiâ regiminis dictae Congregationis, ea praedictae congregationis bona stabilia, quae pro liberandâ ab aere alieno congregatione praedictâ restaurationibusque necessariis et utilibus in eius bonis faciendis magis opportuna fuerint iudicata, usque ad summam in totum ducentorum et quinquaginta millium scutorum monetae, quibusvis personis meliorem conditionem offerentibus, servatisque modis et formis in praedictis Pii V praedecessoris nostri litteris contentis et iuxta illarum tenores et continentias, vendere, distrahere, atque alienare, sive in empytheusim dare, necnon census annuos super ipsius Congregationis bonis stabilibus de licentiâ Sedis Apostolicae impositos cum pecuniis ad minorem rationem pro quolibet centenario et anno sive minori interusurio obnoxiis super eodem fundo accipiendis et cum conditionibus in priori instrumento appositis redimere (ita tamen ut praesentes aliis eiusdem Congregationis monasteriis minime suffragentur, quam iis dumtaxat quae ad onerum per Sedem Apostolicam impositorum debitam solutionem integre concurrerunt et concurrunt) libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Pauli Papae II etiam praedecessoris nostri de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Congregationis et Ordinis et monasteriorum praedictorum

etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque omnibus, quae dictus Pius V praedecessor noster in praedictis suis litteris voluit non obstare, ac aliis contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX iunii MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 19 iunii 1637, pontif. anno XIX.

DLXXI.

Contra eos qui, mentito nomine vel cognomine, adhuc primâ uxore vivente, ad secundas nuptias transeunt[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Magnum in Christo et in Ecclesiâ matrimonii sacramentum, ut vitae est legitima inter virum et feminam indissolubilis societas, in qua ex pari consensu semetipsum alter alteri debet, ita gravibus, debitisque poenis corripiendi sunt ii, qui mandatorum Domini immemores, et posthabitâ propriae salutis ratione, sacrosanctas huiusmodi sacramenti leges violare non verentur.

Nonnulli mentito nomine seu cognomine ad secundas nuptias transeunt, vivente primâ uxore.

§ 1. Cum itaque, sicut non sine magnâ animi nostri molestiâ accepimus, ii iniquitatis filii reperiantur, qui sub mentito nomine seu cognomine adhuc primâ uxore vivente ad secundas nuptias transire audent:

Ad quod scandalum magis arcendum Pontifex, ultra solitas poenas, etiam ad triremes, fustigationem et alias poenas damnari

§ 2. Nos, nefariam improborum hominum huiusmodi temeritatem iuxta creditum nobis desuper apostolicae servitutis officium, quantum cum Domino possumus, reprimere volentes, habitâ prius super hoc cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus in universâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus ab hac Sanctâ Sede deputatis deliberatione maturâ, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione decernimus, ut huiusmodi sic delinquentes, ultra poenas quibus ipsi ordinarie puniri solent, damnentur ad triremes in perpetuum: quod si inhabiles reperti fuerint, publice fustigentur et damnentur ad carceres in perpetuum; si vero pro qualitate, enormitate delicti graviores poenas meruerint, etiam curiae seculari arbitrio eorundem praefatae congregationis cardinalium puniendi tradantur.

huiusmodi nefarios homines decernit.

§ 3. Decernentes praesentes litteras, omniaque et singula in eis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, ad ea vocati et auditi, minusque causae propter quas eaedem praesentes emanarint, adductae, verificatae, seu aliâs sufficienter, aut etiam nullatenus iustificatae fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis, aut invaliditatis[1] vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato vel concesso quempiam uti, seu se iuvare in iudicio vel extra posse, neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis et faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas,

Clausulas praeservativas addit.

1 Anathematis poenam dicentibus, quod christianis plures habere uxores liceat, imposuit Concil. Trident. *De sacros. matrim.*, sess. XXIV, can. 2. Idemque prohibitum asserit Innoc. III, cap. *Gaudemus*, § *Nec olli*, De divortiis.

1 Edit. Main. legit *invalidatis* (n. T.).

firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectabit in futurum, inviolabiliter observari;

Ita iudicari praecipit, ac contrariis derogat.

§ 4. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S.R.E. cardinales, etiam de latere legatos et nuntios ac alios, quavis auctoritate et potestate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi seu interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. In contrarium facientibus quibuscumque.

Mandat hanc Constitutionem publicari in Urbe et publicatam omnes ligare.

§ 5. Ut autem praesentes et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam deducantur, et ne aliquis de eis ignorantiam praetendere possit, volumus pariter et mandamus, quod eaedem praesentes per aliquem seu aliquos ex cursoribus nostris ad ecclesiae Lateranensis, basilicae Principis apostolorum de Urbe, necnon cancellariae apostolicae valvas, ac in acie Campi Florae affigantur et publicentur, ac, cum inde amovebuntur, earum exempla in eisdem locis affixa dimittantur, quae sic publicatae et affixae omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant et arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificatae fuissent;

Ac eius transumptis fidem dari.

§ 6. Quodque illarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX iunii MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 20 iunii 1637, pontif. anno XIV.

Anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXXXVII, *die vero* XX *mensis iunii, supradictae constitutiones affixae et publicatae fuerunt ad valvas basilicae Lateranensis, Principis apostolorum de Urbe, necnon cancellariae apostolicae et in acie Campi Florae, ac aliis locis solitis et consuetis Urbis, ut moris est per me Antonium Bardum apostolicum cursorem.*

IULIUS MARZITELLINI, mag. curs.

DLXXII.

Fratres Discalceati Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum Barchinonenses absolvuntur a censuris, in quas incurrerant ob petitam regii consilii opem[1].

Dilecto filio magistro Ioanni Iacobio Panzirolo, cappellano nostro et causarum sacri palatii apostolici auditori,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Pontifex his fratribus facultatem concesserat conventum Barchinonae erigendi, quamvis aliorum conventuum non accederet consensus.

§ 1. Aliàs nos per nostras in simili formâ Brevis litteras sub die XXIX decembris MDCXXX expeditas dilectis filiis fratribus Discalceatis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum congregationis Hispaniarum unum conventum in civitate Barchinonensi, etiamsi consensus aliorum conventuum eiusdem civitatis ad hoc minime accederet, et aliàs sub certis modo et formâ tunc expressis, erigendi facultatem concessimus, prout in dictis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[2].

Subortâ tamen lite fratres assistentiam consilii petierunt.

§ 2. Cum autem subinde, praefatis litteris per dilectum filium Honuphrium a S. Thoma ministrum conventus Caesaraugustani dicti Ordinis coram vicario

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Quae in *Bullario* non sunt (R. T.).

capitulari ecclesiae Barchinonensis, illius sede episcopali tunc vacante, legitime deputato praesentatis, et ab eodem vicario ex voto capituli Barchinonensis, praecedente etiam communitatis et hominum dictae civitatis consensu, mediante publico consilio, obtentâ licentiâ, conventus huiusmodi cum ecclesiâ constructus fuerit; post illius autem erectionem, rector et operarii ecclesiae parochialis B. Mariae de Pinu nuncupatae, intra cuius parochiae limites conventus huiusmodi contructus fuit, a vicario generali, dictâ Sede episcopali vacante, obtinuissent de facto ab ecclesiâ dicti conventus sanctissimum sacramentum amoveri, et ad dictam parochialem ecclesiam asportari, et altare demoliri, dictusque Honuphrius, ad nostrum et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum commorantem nuncium habito recursu, probatâque dictorum fratrum pacificâ possessione, mandatum de manutenendo desuper obtinuisset; licetque dictus Honuphrius potuisset de facto possessionem huiusmodi continuare, et in eâ in vim dicti mandati se se defendere: nihilominus, ad maiorem cautelam, ac pro semovendis rumoribus et scandalis exinde forsan orituris, a regio consilio assistentiam sibi concedi petiit; eumque ad illam impediendam praefati rector et operarii aliique procuratores aliorum conventuum ac etiam dictae civitatis syndicus se se opposuissent, propterea que ad plures actus coram iudice a dicto regio consilio deputato deventum fuisset, tandem dicto Honuphrio petita assistentia concessa fuit.

Litesque ad rotam deductae per adversos opposuit fratrium, quod in eosdem incurrerint ob praefatam petitam assistentiam.

§ 3. Cum autem a praefato decreto manutentionis ab eodem nostro dictaeque Sedis nuncio, ut praefertur, emanato fuerit pro parte eorumdem rectoris et operariorum appellatum, causaque appellationis huiusmodi ad rotam devoluta, tibique commissa, dicti adversarii pro impediendâ causae huiusmodi expeditione opposuerint dilectum filium Ioannem de Annunciatione fratrum praefatorum procuratorem generalem, et pro eis comparentem nomine dictae religionis, minime audiendum esse, ex quo dictus Honuphrius petendo dictam assistentiam in excommunicationis poenas per sacros canones recurrentibus ad iudices laicos inflictas inciderit; et licet existimetur per petitam assistentiam huiusmodi dici non posse petitum recursum ad iudicem laicum, cum illa sit quasi imploratio brachii secularis a sacris canonibus permissa, propterea que excommunicationis poenas nullatenus incursum fuisse: nihilominus, ad omnem dubitandi materiam a medio removendam, ac pro maiori conscientiae quiete, nobis humiliter supplicari fecit dictus Ioannes procurator generalis, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Pontifex eos absolvi ab auditore camerae committit.

§ 4. Nos igitur, dictum Ioannem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iuris vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, quatenus, constito tibi legitime de praemissis, praefatum Honuphrium et alios quoscumque, si qui forsan ob petitam assistentiam et alios actus in dicto regio consilio factos in excommunicationem incurrerint, renunciato prius per eos attentatis coram quibuscumque iudicibus laicis factis, ac iniunctâ eis et eorum cuilibet arbitrio tuo poenitentiâ salutari, ad cautelam, licet absentes, a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis, per eos et eorum quemlibet quomodolibet incursis, aucto-

ritate nostrâ apostolicâ absolvas, et totaliter liberes, dictasque poenas eis gratiose remittas et condones, ac omnia et singula gratias, favores et privilegia dictis fratribus in favorem erectionis praefati conventus Barchinonensis concessa, ipsasque erectionem iam factam et possessionem ut praefertur captam confirmes et approbes, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus quantumvis substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerunt, suppleas.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis et congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII iunii MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 28 iunii 1637, pontif. anno XIV.

DLXXIII.

Quod de cetero non liceat, pro licentiis laborandi diebus festivis ab episcopo Carthaginensi concedendis pro praeparatione et manutentione artis sericae a mense martio usque ad eius integram confectionem, quidquam exigere[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Communitatis Murciae preces.

Cum, sicut dilecti filii communitas et homines oppidi Murciae Carthaginensis dioecesis nobis nuper exponi fecerunt, ipsis, qui, ut asserunt, quotannis a mense martii per totum mensem iunii, atque etiam sub principium iulii sese in praeparatione confectioneque setae exercent, necesse sit praeparationem et confectionem huiusmodi etiam in diebus festivis interim occurrentibus exercere, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi super licentiis propterea concedendis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Decretum, de quo in rubrica.

§ 2. Nos igitur, dictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Ecclesiae cardinalium negociis episcoporum praepositorum consilio, tenore praesentium, nullatenus licere, pro licentiis diebus festivis ab episcopo concedendis pro praeparatione et manutentione artis sericae a mense martii usque ad totalem illius confectionem de mense iulii,[1] nihil prorsus vel minimum exigi debere, licentias huiusmodi gratis omnino concedendas, atque ita de cetero inviolabiliter tenendum observandumque fore et esse, apostolicâ autoritate decernimus et declaramus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maio-

1 Deesse videtur *aliquid exigere, sed* (R. T.).

rem, sub annulo Piscatoris, die XXX iunii MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 30 iunii 1637, pontif. anno XIV.

DLXXIV.

Restitutio seu erectio cathedrae praxis medicinae in romano gymnasio[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Necessitatem in Lateranensi huiusmodi cathedrae refert.

§ 1. Cum, sicut accepimus, publicum almae Urbis nostrae gymnasium praxis artis medicinae cathedrâ dudum in eo constitutâ multis annis superiorum incuriâ caruerit, nos, considerantes Altissimum de terrâ procreasse ad solamen generis humani medicamenta, artem vero curandi homines media ex philosophiae principis[2] et fontes suos petere, qui deinde particularibus medicinae praeceptis illustrantur et confirmantur, operae pretium nos facturos existimavimus, si praxis artis medicinae cathedra huiusmodi sollicitudinis nostrae ministerio in eodem gymnasio restituatur, et, quatenus opus sit, de novo erigatur, eique sic restitutae aut de novo erectae de tali personâ provideatur, cuius insignis doctrina, atque eruditio, necnon spectata longâ annorum serie experientia, nedum in hac almâ Urbe nostrâ, sed multis aliis in civitatibus et locis, conspicuam celebremque reddiderunt.

Unam praxis artis medicinae in eadem cathedra pro uno lectore et professore cum omnibus et singulis privilegiis, gratiis et indultis, etiam speciali notâ et expressione dignis, quibus aliarum scientiarum sive disciplinarum in dicto gymnasio cathedratici, lectores et professores de iure, usu, statuto, consuetudine, aut ex concessione apostolicâ, vel aliâs quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, necnon provisione annuâ quadringentorum et quinquaginta scutorum monetae e pecuniis quae lectoribus dicti gymnasii assignatae sunt et e gabellâ studii dictae Urbis exiguntur, nec ad praesens alteri applicatae existunt, desumendâ et persolvendâ, tenore praesentium restituimus, et, quatenus opus sit, de novo erigimus et instituimus.

Et Thaddaeum Colliculam praeficit.

§ 3. Praeterea dilecti filii Thaddaei Colliculae, canonici basilicae Principis Apostolorum de Urbe, medici secreti ac familiaris continui commensalis nostri, praeclarae[1] in arte praedictâ eruditionis, experientiae et doctrinae, necnon obsequiorum, quae nobis summâ cum diligentiâ et probatâ fide nullis parcendo laboribus multos annos praestitit, et adhuc etiam ingravescente et valetudinariâ aetate suâ huiusmodi assidue nobis praestat, condignam rationem habentes, eumdem Thaddaeum in lectorem primarium praxis artis medicinae huiusmodi in eodem gymnasio cum honoribus, privilegiis, gratiis et indultis, necnon provisione annuâ quadringentorum et quinquaginta scutorum monetae huiusmodi, quoad vixerit, apostolicâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, facimus, constituimus et deputamus; illeque artem medicinae praedictam in dicto gymnasio unquam nisi eius arbitrio et ad suae voluntatis liberum beneplacitum legere teneatur, nec a quoquam quavis auctoritate fungente ad legendum adstringi possit, auctoritate et tenore praefatis concedimus et indulgemus. Mandantes propterea omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis, aliisque

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Forsan legendum *principiis* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *praeclara* (R. T.).

arbitrii nostri poenis, ut eumdem Thaddaeum ad cathedram praxis artis medicinae huiusmodi iuxta tenorem praesentium recipiant et admittant, eique de provisione annuâ quadringentorum et quinquaginta scutorum huiusmodi suis congruis temporibus respondeant et responderi curent et faciant realiter et cum effectu.

Obstantibus derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac gymnasii et Urbis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibus-cumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV iulii MDCXXXVII[1], pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 15 iulii 1637, pontif. anno XIV.

DLXXV.

Facultas nuncio Sedis Apostolicae Neapoli concordandi cum eâdem civitate et populo nomine cleri super modo exigendi ab eodem clero augmentum cuiusdam vectigalis[2].

Dilecto filio nostro et Sedis Apostolicae in regno Neapolis nuncio, Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Communitas Neapolitana facultatem petit augendi quoddam vectigal ab ecclesiasticis quoque solvendum ita ut rata postmodum eis resituatur.

§ 1. Exponi[3] nobis nuper fecerunt dilecti filii communitas et homines civitatis Neapolitanae, quod ipsi, ut charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico, qui etiam rex Neapolis existit, in variis eius urgentissimis necessitatibus inservirent, gabellam trium carolenorum pro quolibet tumulo farinae frumenti et germani[4] ad tredecim grana in diversis vicibus et temporibus auxerunt, quod quidem augmentum tredecim granorum pro quolibet tumulo huiusmodi in eadem civitate Neapolitanâ eiusque suburbiis, districtu et casalibus, accedente nostrâ et Sedis Apostolicae licentiâ, etiam a dilectis filiis clero et personis ecclesiasticis civitatis, suburbiorum ac districtus et casalium praefatorum ad evitandas fraudes exigere, eidemque clero et personis ecclesiasticis certam ratam restituere intendunt. Unde, cum eosdem communitatem et homines ad aliquam super hoc transactionem cum clero et personis ecclesiasticis praefatis devenire necesse sit, nobis propterea communitas et homines praefati humiliter supplicari fecerunt, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Pontifex facultatem nuncio concedit cum eadem communitate transigendi.

§ 2. Nos igitur, cleri et personarum ecclesiasticarum huiusmodi indemnitati pro nostro pastoralis officii debito, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, ac de tuis singulari fide, prudentiâ, integritate et religionis zelo plurimum in Domino confisi, tibi, ut super augmento tredecim granorum pro tumulo huiusmodi ut praefertur facto, illiusque exactione in vim licentiae per te illis concedendae faciendâ, cum eisdem communitate et hominibus, ratione ratae dictum clerum et personas ecclesiasticas tangentis, nomine cleri et personarum ecclesiasticarum huiusmodi transigere et concordare, ac quascumque scripturas desuper necessarias et opportunas confici facere libere et licite possis et valeas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus et impertimur.

Et obstantibus illis.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII augusti MDCXXXVII, anno XV.

Dat. die 7 augusti 1637, pontif. anno XV.

1 Edit Main. legit *1737* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.
3 Similem Const. vide supra pag. 482 (R. T.).
4 Nescio an legendum *grani* (R. T.).

DLXXVI.

Praedictas pecunias clero Neapolitano restituendas addicit fabricae basilicae Principis apostolorum de Urbe[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam

Refert, quae praescripsit in praecedenti constitutione.

§ 1. Hodie[2] (pro parte dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis Neapolitanae nobis exposito, quod ipsi, ut charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico, qui etiam rex Neapolis existit, in variis eius urgentissimis necessitatibus inservirent, gabellam trium carolenorum pro quolibet tumulo farinae frumenti et germani ad[3] tredecim grana in diversis vicibus et temporibus auxerant, et augmentum tredecim granorum pro tumulo huiusmodi in eâdem civitate Neapolitanâ, eiusque suburbiis, districtu et casalibus, accedente nostrâ et Apostolicae Sedis licentiâ, etiam a dilectis filiis clero et personis ecclesiasticis civitatis, suburbiorum, ac districtus et casalium praefatorum, ad evitandas frandes, exigere, eisdemque clero et personis ecclesiasticis ratam eis debitam restituere intendebant, et propterea eosdem communitatem et homines ad aliquam super hoc transactionem cum clero et personis ecclesiasticis devenire necesse erat) dilecto filio nostro et Apostolicae Sedis in regno Neapolis commoranti nuncio per nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras commisimus[4], ut super augmento tredecim granorum pro quolibet tumulo huiusmodi ut praefertur facto, illiusque exactione in vim licentiae a dicto nuncio illis concedendae faciendâ, cum eisdem communitate et hominibus ratione ratae dictum clerum et personas ecclesiasticas tangentis nomine cleri et personarum ecclesiasticarum huiusmodi transigere et concordare ac quascumque scripturas desuper necessarias et opportunas confici facere libere et licite possint et valeant[1], apostolicâ auctoritate facultatem concessimus et impertiti sumus, et aliàs prout in praedictis aliis nostris in eâdem formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Nunc summam clero restituendam applicat fabricae basilicae Vaticanae.

§ 2. Nos, fabricae[2] Principis apostolorum de Urbe iam diu coeptae extructionem, quae multis subsidiis ob ingentes sumptus indiget, aliquando consummari cupientes, praedecessorum nostrorum, qui ratas gabellarum, quae ab eisdem clero et personis exiguntur, et iisdem redduntur, variis Apostolicae Sedis sublevandis necessitatibus attribuerunt, vestigiis inhaerentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et quascumque pecuniarum summas, quae ex ratâ augmenti gabellae trium carolenorum pro tumulo farinae, frumenti et germani ad tredecim grana ab ecclesiasticis personis secularibus et cuiusvis Ordinis quantumvis exempti regularibus in vim litterarum nostrarum huiusmodi exigentur et eis reddentur, seu exigi et reddi debebunt (quarum quantitatem, quantacumque sit, praesentibus etiam pro sufficienter expressâ haberi volumus), praefatae fabricae tenore praesentium applicamus, ac pecuniarum summas huiusmodi ad usum dictae fabricae exigi, et in eum converti volumus.

Eique committit easdem pecunias tradere personis ad id deputandis.

§ 3. Quocirca eidem nuncio tantum per praesentes committimus et mandamus, ut praedictas pecuniarum summas ex ratâ augmenti gabellae trium carolenorum pro tumulo farinae, frumenti et germani ad

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Similem Const. vide supra pag. 483 (R. T.).

3 Perperam ed. Main. legit, *et* pro *ad* (R. T.).

4 Verbum *commisimus* praeter rem est (R. T).

1 Legendum *possit et valeat* (R. T.).

2 Adde ex lec. parall. *basilicae* (R. T.).

tredecim grana exigat, et summas huiusmodi personis a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus eidem fabricae praefectis declarandis pro dictae fabricae sumptibus consignet. Nos enim illi[1] praemissa faciendi, et quasvis personas ad easdem summas illi persolvendas omnibus iuris et facti remediis ac censuris et poenis ecclesiasticis, si opus fuerit, cogendi et compellendi, auxilium brachii secularis, quatenus opus foret, invocandi, plenam et liberam facultatem, earumdem tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, necnon omnibus illis, quae in litteris praefatis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII augusti MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 7 augusti 1637, pontif. anno XV.

DLXXVII.

Sequitur concessio facultatum nuncio apostolico ea peragendi, quae in praecedentibus constitutionibus statuta leguntur[2].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Referi datam a se facultatem nuncio apostolico transigendi cum populo super restitutione clero faciendâ augmenti vectigalis.

§ 1. Hodie[3] (pro parte dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis Neapolitanae nobis exposito, quod ipsi, ut charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico, qui etiam rex Neapolis existit, in variis eius urgentissimis necessitatibus inservirent, gabellam trium carolenorum pro quolibet tumulo farinae frumenti et germani ad tredecim grana in diversis vicibus et temporibus auxerant, et augmentum tredecim granorum pro tumulo huiusmodi in eâdem civitate Neapolitanâ, eiusque suburbiis, ac districtu et casalibus, accedente nostrâ et Apostolicae Sedis licentiâ, etiam a dilectis filiis clero et personis ecclesiasticis civitatis, suburbiorum et districtus ac casalium praedictorum, ad evitandas fraudes, exigere, ac eisdem clero et personis ecclesiasticis ratam eis debitam restituere intendebant, et propterea eosdem communitatem et homines ad aliquam super hoc transactionem cum clero et personis ecclesiasticis praefatis devenire necesse erat) dilecto filio nostro et Sedis Apostolicae in regno Neapolis commoranti nuncio per nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras commisimus, ut super augmento tredecim granorum pro quolibet tumulo huiusmodi ut praefertur facto, illiusque exactione in vim licentiae a dicto nuncio illis concedendae faciendâ, cum eisdem communitate et hominibus ratione ratae per eos dictis clero et personis ecclesiasticis ad evitandas fraudes ut praefertur restituendae nomine cleri et personarum ecclesiasticarum huiusmodi transigere et concordare, ac quascumque scripturas desuper necessarias et opportunas confici facere libere et licite possit et valeat, apostolicâ auctoritate facultatem concessimus et impertiti sumus;

Summamque clero restituendam fabricae basilicae Vaticanae applicasse.

§ 2. Et per alias nostras in eâdem formâ Brevis litteras, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et quascumque pecuniarum summas, quae ex ratâ augmenti gabellae trium carolenorum ad tredecim grana huiusmodi ab ecclesiasticis personis secularibus et cuiusvis Ordinis quantumvis exempti regularibus in vim litterarum nostrarum huiusmodi exigerentur et eis redderentur, seu exigi et reddi deberent,

1 Male in loc. paralL. lectum fuit *illa* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.
3 Similem vide supra pag. 486 (R. T.).

quarum quantitatem, quantacumque esset, pro sufficienter expressâ haberi voluimus, fabricae basilicae Principis apostolorum de Urbe applicavimus, ac pecuniarum summas huiusmodi ad usum dictae fabricae exigi et in eum converti voluimus, et aliâs, prout in dictis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur[1].

Nunc eidem nuncio dat facultatem communitatem a censuris absolvendi, quatenus, ante obtentam licentiam, dictum vectigal exigerit ab ecclesiasticis.

§ 3. Quocirca, applicationem summarum pecuniarum huiusmodi ex ratâ augmenti gabellae per nos ut supra factam approbantes et confirmantes, eidem nostro et Sedis Apostolicae in regno Neapolis nuncio per praesentes committimus et mandamus, ut eisdem communitati et hominibus gabellam huiusmodi ut praefertur augendi, sive auctam approbandi, illamque a quibusvis personis ecclesiasticis etiam regularibus quantumvis exemptis exigendi et habendi licentiam concedat; propterea, si et postquam communitas et homines praedicti ratam ex augmento gabellae huiusmodi per eos ab ecclesiasticis absque nostrâ et huius sanctae Sedis licentiâ exactam eidem fabricae eiusque[2] ministris et deputatis totaliter et cum effectu persolverint et consignaverint, eosdem communitatem et homines a quibusvis excommunicationis, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis per eos praemissorum occasione quomodolibet incursis, impositâ eis et eorum cuilibet arbitrio suo poenitentiâ salutari, auctoritate nostrâ absolvat.

Pecunias quae fabricae Vaticanae tradendas

§ 4. Insuper eidem nuncio nostro per praesentes similiter committimus et mandamus, ut praefatas pecuniarum summas per nos eidem fabricae ut praefertur applicatas ex ratâ augmenti gabellae huiusmodi integre exigat, et summas huiusmodi personis a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus eidem fabricae praefectis declarandis pro dictae fabricae sumptibus consignet.

Opportunasque ad id facultates elargitur.

§ 5. Nos enim praemissa faciendi, et quasvis personas ad easdem summas eisdem persolvendas omnibus iuris et facti remediis ac censuris et poenis ecclesiasticis, si opus fuerit, cogendi et compellendi, auxiliumque brachii secularis, si etiam opus fuerit, invocandi, plenam et liberam facultatem, auctoritate et tenore praefatis, concedimus et impertimur.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII augusti MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 7 augusti 1637, pontif. anno XV.

DLXXVIII.

Committit auditori camerae ut episcopum Calaguritanum absolvat a censuris, si quas incurrit ob recursum per promotorem fiscalem suae curiae factum ad iudices laicos[1].

Dilecto filio Ioanni Panzirolo, causarum palatii apostolici auditori,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Episcopus Calaguritanus petit provideri, ne recursus per promotorem fiscalem suae curiae ad tribunal laicum factus in quadam causa sibi noceat, quatenus in sacra rota aliis in causis audiatur.

§ 1. Nuper pro parte venerabilis fratris Gundisalvi episcopi Calaguritani nobis expositum fuit, quod a multis annis lis et causa in sacro Rotae Romanae auditorio pendet indecisa de et super iurisdictione ecclesiarum S. Crucis et S. Michaëlis oppidi civitatis nuncupati de Nagera contra abbatem et monasterium S. Mariae Ordinis sancti Benedicti eiusdem oppidi, in

1 Quas vide paulo ante relatas (R. T.).

2 Edit. Main. legit *eius* (R. T.)

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

eâque saepe saepius resolutum fuit, approbationem confessariorum in ecclesiis huiusmodi ad dictum episcopum spectare. Cum autem de novo disputandum esset dictum dubium coram te, praefatusque abbas opposuisset, quod tempore Petri Castelli episcopi Calaguritani, dicti exponentis praedecessoris, mediante quodam suo procuratore fiscali recursum fuisset ad iudices laicos ad effectum impediendi, ne quidam Thomas a Guevara, presbyter dictae dioecesis, e carceribus emanciparetur in vim cuiusdam mandati a metropolitâ Burgensi relaxati, quodque recursus huiusmodi dicto exponenti noceret: licet ipse eo nunquam usus fuerit, nec uti intendat, illique expresse in actis renunciaverit, minusque probetur dictum Petrum episcopum eius praedecessorem recursu praefato usum fuisse, ab eoque datum fuisse mandatum aliquod speciale ad recurrendum, cum id, ut praesupponitur, nomine promotoris fiscalis emanaverit; nihilominus, pro potiori cautelâ, et ad effectum nedum in praefatâ, sed in aliis, quas in eodem sacro rotae tribunali sustinet, causis ad ulteriora procedendi, dictus exponens nobis humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune, ut infra, providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Papa committit auditori camerae ut eum absolvat a censuris, si quas incurrit.

§ 2. Nos igitur, illum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, quatenus, constito tibi legitime de praemissis, ac per eumdem exponentem renunciato prius per eum attentatis coram quibusvis iudicibus laicis per quoscumque praemissorum occasione factis, dictum exponentem nedum a praefato praetenso, sed a quibusvis aliis per dictos eius praedecessores episcopos forsan habitis ad iudices laicos recursibus, ac quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis, si quas eorumdem praemissorum occasione quomodolibet incurrit, auctoritate nostrâ apostolicâ absolvas et totaliter liberes, dictasque poenas ei gratiose remittas et condones.

Derogat obstantibus.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI augusti MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 11 augusti 1637, pontif. anno XV.

DLXXIX.

Committitur archiepiscopo Mediolanensi, ut deputatis collegii Helvetici Mediolanensis easdem exemptiones et privilegia concedat, quibus gaudent deputati seminarii et conservatorum collegii Ambrosiani eiusdem civitatis[1].

Venerabili fratri,
archiepiscopo Mediolanensi,
Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Deputatorum petitio.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum rectoris et deputatorum collegii Helvetici Mediolanensis nobis expositum fuit, quod praefatum collegium iisdemmet, quibus ipsum seminarium Helveticum, regulis regitur, illinsque regimini praesunt praepositus Oblatorum pro tempore, necnon quinque canonici ecclesiae Mediolanensis, a pro tempore existente archiepiscopo Mediolanensi eligi soliti, coram quo et ipsius

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

in spiritualibus vicario generali congregationes ad prosperum dicti collegii gubernium pertinentes fieri solent, ipsisque praeposito et canonicis, quorum introitus in Mediolanensi, Papiensi, Terdonensi et Alexandrinâ dioecesibus consistunt, ut plurimum ab eodem archiepiscopo pro rei exigentiâ mandatur, ut dicti collegii bona visitare debeant. Nobis propterea dicti deputati humiliter supplicari fecerunt, ut sibi circa residentiam in eâdem ecclesiâ faciendam, ad quam de iure tenentur, providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Commissio archiepiscopi Mediolanensis de qua in rubrica.

§ 2. Nos igitur, illos specialibus favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, circumspectioni tuae per praesentes iniungimus, ut, veris existentibus narratis, eisdem exponentibus, dum pro servitio dicti collegii a choro dictae ecclesiae de licentiâ tuâ aberunt, quod ipsi omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, gratiis et indultis, quibus ipsi deputati seminarii praefati et conservatorum collegii Ambrosiani civitatis Mediolanensis fruuntur et gaudent, frui et gaudere libere et licite possint et valeant, licentiam auctoritate nostrâ apostolicâ, arbitrio tuo, concedas et indulgeas.

Derogat contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiae praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Proviso, ne

§ 4. Volumus autem, quod praefatorum deputatorum canonicatus et praebendae debitis propterea non fraudentur obsequiis, sed illorum congrue supportentur onera consueta.

canonicatus debitis fraudentur officiis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX augusti MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 30 augusti 1637, pontif. anno XV.

DLXXX.

Confirmatio synodi provincialis anno MDLXXIV *per Cyprianum Pallavicinum archiepiscopum Ianuensem super rebus Ecclesiae non alienandis nec pignorandis habitae, et a Congregatione sacri Concilii Tridentini approbatae*[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Abbas S. Mariae in Vialatae Ianuensis refert constitutiones in synodo latas.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Paulus Fliscus abbas S. Mariae in Vialatâ Ianuensis, et decanus secularis, et collegiatae ecclesiae S. Hadriani loci Trigaudii Ianuensis dioecesis, quod aliâs de anno MDLXXIV a bonae memoriae Cypriano Pallavicino, ecclesiae Ianuensis tunc praesule, in synodo per eum de et super rebus Ecclesiae tuendis, iisdemque non alienandis, nec pignorandis celebratâ, et subinde a venerabilibus fratribus S. R. E. cardinalibus sacri Concilii Tridentini interpretibus approbatâ, nonnullae declarationes seu decreta edita fuerint tenoris subsequentis, videlicet:

De rebus ecclesiae tuendis, deque iisdem non alienandis, nec pignorandis.

Tenor huiusmodi constitutionum.

Quoniam praesens provinciale concilium temporis excluditur angustiis, quominus possit, ad normam Concilii Tridentini cap. XI, sess. XXV, ex omnibus locationibus, ad annos triginta in longum tempus seu (ut fit nonnullis in locis) in vigintinovem vel bis vigintinovem annos

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

factis, declarare, quaenam earum in Ecclesiae damnum, contrave canonicas sanctiones sint facta; propterea praetermittendum[1] non existimavit, quin ad eiusdem decreti praescriptum, et ex facultate sibi ex eodem decreto concessâ, huiusmodi munus aliis subdelegaret. Itaque, quod attinet ad bona quae sunt in unoquoque episcopatu, vicariis generalibus in suâ cuique dioecesi praesentis provinciae, et primam in eâdem cathedrali ecclesiâ dignitatem obtinenti cuique, necnon collegiatae secularis ecclesiae antiquissimo in urbe ipsâ commoranti praeposito, omni meliori modo, subdelegat et committit; adeo ut duo ex ipsis omnia possint exequi et conficere, tertio non adhibito; ita tamen, si neutrius illorum id intersit; nec enim debet episcopi vicarius de locationibus ab episcopali mensâ factis, nec de capituli locatione dignitas capitularis, nec antiquissimus praepositus de factis vel a se vel ab antecessore suo locationibus cognoscere. Quod si qua forte esset iusta suspicionis causâ (ut puta, si quem illorum, quos diximus, in eiusmodi alienatione, locationeve praefectum aut iudicem fuisse contigisset), tunc ad acta per eos rescindenda et irrita reddenda detur actio per eosdem de consilio iurisconsulti partibus non suspecti, idque sumptibus suspicionem proponentis. Mandat autem praesens provinciale concilium episcopis omnibus, ut huiusmodi locationes pervestigandas curent, praedictisque iudicibus tradant cognoscendas; aut, agente fisci procuratore, ad illarum (si ita ius erit) cognitionem et disceptationem ipsimet deveniant; idque illorum qui eiusmodi locationes fecerint, sive haeredum sumptibus; quibus tamen liberum[2] sit liti, si velint, interesse, sumptusque suppeditare. Si qui fuerint in tali re negligentes, seu episcopi, seu iudices, seu fisci procuratores, in proximo provinciali concilio rationem reddent. In reliquis Tridentini Concilii decreta serventur omnino, Pontificiaeque Bullae de bonis male alienatis, deque decimis debitis solvendis, Tridentinique Concilii decreta cap. XI, sess. XXII, et cap. XII, sess. XXV de suggestu populo saepissime denuncientur; ut aliquando moniti resipiscant, seque a censuris vindicent, tum bona ad ecclesiam eiusque loca spectantia restituendo, tum debitas quoque decimas solvendo. Caveant autem omnes beneficiati, ne illis, qui ius habent patronatus, praesentationis, vel nominationis, locent ecclesiae bona; nec illis, qui iisdem beneficiis cesserunt, eorumque in primo vel in secundo gradu propinquis; neve illos ad fructus vel pensiones exigendas, absque episcopi licentiâ, procuratores constituant. Praeterea animadvertant omnes praelati, seu ecclesiasticâ aliquâ dignitate praediti, ne, cum sibi facultas ab Apostolicâ Sede permittitur huiusmodi alienationes, si in evidentem utilitatem cedant, exequendi, negligenter eo fungantur munere, vicariam in eâ re scribarum operam substituentes: verum per se ipsi scrutentur omnia diligenter et inquirant, in rem (si res postulet) praesentem venientes: ne ipsi quoque dilapidatorum ad ecclesiam piave loca spectantium bonorum culpam sustineant. Bonorum ecclesiasticorum alienatio eâ lege (ut debet) facta, ne valeat, nisi superioris auctoritas intercesserit, adiectâ clausulâ, *ut alioquin irrita censeatur*, factaque ante interpositam huiusmodi auctoritatem traditio, irrita sit, nisi in alienatione reservetur beneplacitum Sedis Apostolicae, et servatis servandis; ac tum is, qui possidet, amittat possessionem: qui vero aliter alienat, ex canonum sanctione puniatur: neque enim est dubitandum, quin poenis in ecclesiae

1 Male ed. Main. legit *praemittendum* (R. T.).

2 Improbe prorsus edit. Main. legit *librorum* pro *liberum* (R. T.).

bona, sine superiorum consensu, alienantes constitutis sit obnoxius. Quae vero etiam in longum tempus locari bona consuevere, quocumque iure ad ecclesiam redierint, etiamsi in ecclesiae bonorum corpus nondum sint redacta, in reliquum tempus ne locentur amplius, nisi id cedat in ecclesiae utilitatem, vel aliqua urgeat necessitas. Scribae, qui posthac conscribent testamenta, codicillos, aliasve obligationes, seu syngraphas, quibus aliquid ecclesiae, piisve operibus relictum, donatum, concessumve sit, vel quovis iure aut causâ ad eam vel ad ea spectare declaratum, intra tres menses, ex quo de morte legantis, donantis et concedentis cognoverint, episcopum ecclesiae, piive loci praefectum, cuius id interest, faciant certiorem; atque obligationum illarum exemplum, accepto operae suae pretio, deferant. Idem faciant in huiusmodi aliis syngraphis, vel a se aliàs confectis, vel ab alio scribâ, cuius tabulae, seu protocolla quovis modo ad ipsos devenerint; idque intra alios tres menses, ex quo, vel ipsi in memoriam redierint, vel aliâ ratione compererint, earum rerum aliquid in tabulis seu protocollis, quae penes ipsos sint, contineri, sub excommunicationis poenâ. Huicque decreto et poenae subiicit praesens synodus alios omnes, tametsi scribae non essent, qui penes se scripta huiusmodi et instrumenta detinent, nec ea proferunt, etiam si contra ipsos facerent: quandoquidem syngraphas omnes ad piarum causarum utilitatem spectantes, contra se etiam facientes, proferre quisque de iure tenetur. Eidem poenae subiecti sint, qui ab aliis huiusmodi supprimi scientes clam habent. Ac, ne spectantium ad ecclesias, oratoria, sacella et alia quovis nomine appellata pia loca bonorum tam facilis sit in reliquum tempus occupatio, quam fuit adhuc, mandat praesens synodus, ut ii, ad quos eiusmodi ecclesiarum et locorum sigillatim cura pertinet, illorum bona omnia, sive emphyteutica, sive livellaria, sive alio quovis iure mancipata, redigant in tabulas publicas, factâ cuiusque loci nominatim (si opus fuerit) mentione et terminorum fines dirimentium, qui, si nulli erunt, interponantur; tum possessoribus, tum etiam vicinis, si absint, vocatis. Idem in unum volumen referant eorum omnium nomina, qui ecclesiae, piisve locis et operibus perpetuo sunt obligati, factâ et praediorum et oneris praedio cuique impositi mentione: cuius quidem voluminis exemplum unum ad episcopale archivium, alterum ad eum, cuius curae eiusmodi vel ecclesia vel pius locus sit commissus, deferatur. Hoc autem prius saltem confici optat praesens concilium, quam novi concilii tempus adventet, quod ad tres annos erit convocandum. At ii, quibus aliquid ecclesiae bonorumve eius aut pii operis penditur nomine, cum aliquid exigent, scribam adhibeant, diserte factâ in accepti et expensi tabulis mentione, quo illa sit pecunia nomine soluta, harumque tabularum rite confectarum et consignatarum exemplum deferant ad episcopum vel curent perferendum. Quia satis compertum est, inter ceteras causas, quibus factum est, ut huius provinciae beneficia, tam curata, quam simplicia, ad tantam redacta sint paupertatem, ut paucissima sint, quae rectorem alere possint, hanc vel praecipuam fuisse, quod rectores ipsi, emphyteutis et aliis conductoribus recusantibus pensionem seu canonem illis debitum solvere, ad id agendum eos compellere non curarunt, nolentes longas lites suscipere et magnos sumptus facere, ut postea exiguas pensiones consequantur. Et quia clare patet ob eamdem causam quotidie aliquos, ex his, qui minimi et paucissimi ecclesiis supersunt, redditus[1] amitti, praesens provinciale concilium, volens huic

1 Male edit. Main. legit *reditus* (R. T.).

incommodo occurrere, decernit et constituit, ut eiusmodi pensionum, canonum et redditnum ecclesiasticorum causae iudicibus videantur, absque ullo iudicii strepitu, solâ facti veritate inspectâ, etiam sine actorum scripturâ, si ita iudicibus videbitur expedire; praesertim si redditus, de quibus agetur, quinque aureorum summam non excedent: et ita terminentur, ac iudicentur; qui iudices debeant, sine aliquâ morâ, omnibus iuris et facti remediis sententiam ita ut praefertur latam exequi; quam nullo modo possit quaecumque interposita et admissa appellatio retardare; adeo ut, quamvis simpliciter fuerit admissa, intelligatur tamen tacite illi inesse conditio, ut admissio non differat exequutionem. Iisdem etiam et aliis urgentibus rationibus motum idem concilium statuit, ut causae devolutionum rerum emphyteuticarum et alio quovis modo conductarum, quomodocumque proponantur devolutae et ad ecclesias et beneficia vel monasteria et alia loca ecclesiastica sive aliter pia reversae, summarie cognoscantur et decidantur: et iudices teneantur omnino sententiam exequi, quacumque appellatione interposità non obstante, quae, licet fuerit admissa, exequutionem non suspendat, nec differat missionem in possessionem eiusdem sententiae dispositione faciendam: et semper intelligatur eâ conditione admissa fuisse, ut iudex, qui tulit sententiam, possit et debeat ecclesiam, sive pium locum, sive beneficiorum rectores et monasteria, quae sententiam pro se reportaverint, in possessionem inducere, et in omnibus exequutionem ac licentiam concedere, iuxta eiusdem sententiae dispositionem. Et supradicta omnia et singula locum habeant, non solum cum clerici et piorum locorum procuratores agunt, sed etiam cum conveniuntur.

Hucusque decretum concilii.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus exponens praemissa omnia, pro illorum firmiori subsistentiâ et validitate, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desideret: Dictus abbas has leges synodales petit confirmari.

§ 3. Nos, dictum exponentem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, celebrationem dictae synodi, ac in eâ edita declarationes et decreta ut praefertur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Urbanus confirmat.

§ 4. Decernentes illa omnia necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in futurum inviolabiliter et inconcusse observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Clausulas irritantes apponit.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum qui- Contraria tollit.

busvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII septembris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 17 septembris 1637, pontif. anno XV.

DLXXXI.

Quod in provincia Granatensi Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nullus frater aut consanguineus in primo et secundo gradu ministri actualis pro tempore possit succedere immediate ad provincialatum dictae provinciae, etc.[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus Constitutionis

Cum, sicut dilecti filii fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupati provinciae Granatensis nobis nuper exponi fecerunt, quod[2] aliàs contigerit, ut ministri provinciales, animadvertentes se se ad idem provincialatus officium in vim litterarum apostolicarum religi minime posse, dederint operam, ut eorum frater aut nepos ad officium huiusmodi eligeretur, et sic multorum annorum spatio dictum officium inter ipsos haereditarium per continuatam sibi sanguine coniunctorum in officio huiusmodi successionem effectum fuerit; proptereaque dicti exponentes cupientes[1] opportunum aliquod in praemissis remedium adhiberi, ac aliàs ne dictae provinciae fratres huiusmodi graves et benemeriti ab officiis excludantur, illaque iuvenibus inexpertis in maximum dedecus et boni reginiinis dictae religionis detrimentum conferantur, desuper provideri:

§ 1. Nos, praedictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter[1] porrectis inclinati, volumus et apostolicâ auctoritate tenore praesentium statuimus et ordinamus,

§ 2. Quod de cetero nullus frater aut consanguineus in primo et secundo gradu ministri provincialis dictae provinciae provincialatus officium huiusmodi dimittentis immediate post ipsum in ministrum provincialem dictae provinciae eligi quoquo modo possit et valeat; mandantes propterea omnibus et singulis dictae provinciae et Ordinis huiusmodi superioribus, fratribus et personis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, ne quicquam contra nostram praesentium litterarum continentiam et tenorem facere vel attentare audeant seu praesumant, ac decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore,

Observari mandat prout in rubrica.

1 Vide, quae de his fratribus indicavi tibi ad Const. XCVIII (*al.* 95) *Pastoralis officii*, Gregorii XV, tom. XII, pag. 755, et ad Const. CCCXVIII, *Sacrosanctum*, huius Pontificis, supra pag. 100.

2 Partic. *quod* delen. ex Cher. et Lugd. (B.T.).

1 Legendum foret *cupiant* (B. T.).

2 Perper. ed. Main. legit *super similiter* (B.T.).

suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, irritumque et inane, si quidquid[1] secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac formâ in illis traditâ observatâ, exprimeretur et inseretur, praesentibus pro expressis et insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I octobris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 1 octobris 1637, pontif. anno XV.

DLXXXII.

Prohibitio extrahendi libros e bibliothecis et paramenta ab ecclesiis conventuum fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ Recollectorum nuncupatorum provinciae Granatensis[2].

1 Aptius ed. Cherub. *si quid* (R. T.).

2 Plures Summi Pontifices prohibuerunt extractionem librorum e bibliotecis regularium.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Motivs.

§ 1. Conservationi et manutentioni bibliothecarum singularum domorum, nec non paramentorum et ornamentorum illarum ecclesiarum, fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Recollectorum nuncupatorum provinciae Granatensis, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, ipsarumque domorum guardianos et fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Prohibet, prout in rubricâ.

§ 2. Ne de cetero quiquam, quavis auctoritate fungentes, libros, quinterna, folia, sive impressa sive manuscripta, bibliothecis, aut paramenta, ornamenta quaecumque ecclesiis huiusmodi per quoscumque christifideles hactenus quomodolibet donata et assignata, seu inposterum forsan donanda et assignanda, ex bibliothecis et ecclesiis huiusmodi respective extrahere, seu quibusvis aliis ecclesiis, monasteriis, locis piis aut personis commodare, sive ut extrahantur seu commodentur permittere, quovis praetextu aut quaesito colore, causâ, ingenio, ratione vel occasione audeant seu praesumant, sub excommunicationis ac privationis vocis activae et passivae poenis per contrafacientes incurrendis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac domorum et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmi-

tate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 4. Volumus autem, quod praesentis prohibitionis copia in valvis singularum bibliothecarum et ecclesiarum huiusmodi respective, aut aliquibus aliis perspicuis locis, unde ab omnibus cerni possit, continuo affixa remaneat;

Transumptis credi iubet.

§ 5. Quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII octobris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 13 octobris 1637, pontif. anno XV.

DLXXXIII.

Quod minister fratrum de Observantiâ provinciae Granatensis teneatur recipere religiosos missos ex Recollectis eiusdem provinciae, qui a perfectâ suae regulae observantiâ declinarunt[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§ 1. Cum, sicut dilecti filii fratres Ordinis Minorum S. Francisci Recollectorum nuncupatorum provinciae Granatensis nobis nuper exponi fecerunt, temporis progressu compertum sit, quod, quando religiosus aliquis Ordinis et provinciae huiusmodi a perfectâ suae regulae observantiâ declinavit, exinde aliis fratribus perturbationes non sine maximo eorumdem praeiudicio perveniant[2], cupiantque propterea pro maiori divini cultus incremento inconvenientibus huiusmodi opportunum aliquod remedium adhiberi:

§ 2. Nos, dictorum exponentium votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, annuere, ipsosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Mandat observari prout in rubricâ.

§ 3. Volumus et apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus et ordinamus, ut tunc, et eo casu, possint definitor et quatuor guardiani dictorum fratrum Recollectorum sese congregare, sique apud ministrum provincialem fratrum Minorum eorumdem insteterint pro amotione alicuius ex Recollectis religiosi, et transmissione ad fratres de Observantiâ nuncupatos, dictus minister provincialis teneatur eumdem fratrem ex Recollectis removere, illumque inter dictos fratres de Observantiâ recipi facere libere et absolute, et absque ullâ prorsus morâ et tergiversatione.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis ad quos spectat et pro tempore spectabit in futurum inviolabiliter et inconcusse observari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciae praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ

1 De transitu fratrum a Reformatione ad Observantes dat modum Paulus V in sua Const. LXIV (*al* 62) *Postulat*, tom. XI, pag. 376.

2 Aptius lege *proveniant* (R. T.).

quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 6. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI octobris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 16 octobris 1637, pontif. anno XV.

DLXXXIV.

Congregationi Oratorii Neapolitani communicantur omnia privilegia Congregationi Romanae concessa [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Gregis Dominici animarum saluti, divinique cultus incremento, iuxta creditum nobis desuper apostolicae servitutis officium, iugiter invigilantes, privilegia et indulta, quae propterea piis christifidelium Congregationibus in militanti Ecclesiâ ad divini nominis laudem et gloriam, sanctaeque fidei catholicae exaltationem salubriter institutis a Sede Apostolicâ concessa sunt, non solum confirmamus, verum etiam pastoralis officii nostri partes libenter intendimus, ut Congregationes ipsae novis ab eâdem Sede gratiis atque indultis decorentur, prout, rerum et temporum qualitatibus debite pensatis, compiscimus in Domino salubriter expedire.

Refert litteras Sixti V quibus nonnulla privilegia Congregationi Oratorii Romae erectae concessit.

§ 2. Aliàs siquidem a felicis recordationis Sixto Papa V praedecessore nostro emanarunt litterae ad favorem Congregationis presbyterorum Oratorii per sanctum Philippum Nerium institutae, et ab eâdem Sede confirmatae, tenoris sequentis, videlicet:

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem, cuius fidei cura et salus Dominici gregis divinitus est commissa, praedecessorum suorum vestigiis inhaerendo, ea benigne concedere, quae ad eiusdem gregis conscientiae purificationem, et peccatorum remissionem, animarumque salutem ac spiritualem consolationem noscuntur pertinere. Aliàs siquidem felicis recordationis Gregorio Papae XIV [1] praedecessori nostro pro parte dilectorum filiorum Philippi Nerii praepositi et presbyterorum Congregationis Oratorii in parochiali ecclesiâ S. Mariae in Vallicellâ de Urbe per ipsum praedecessorem antea instituti [2] exposito, quod de mense augusti anni Domini MDLXIII piae memoriae Pius Papa IV, etiam praedecessor noster, Philippo et presbyteris praedictis, tunc ecclesiae S. Ioannis Baptistae nationis Florentinorum etiam de Urbe in divinis servientibus, nonnullas gratias et privilegia ad decennium duratura apostolicâ auctoritate concesserat, et decennium huiusmodi iam tunc expiraverat, dictus Gregorius praedecessor, volens eosdem Philippum et presbyteros non minoribus quam dictus Pius praedecessor prosequutus fuerat gratiis et privilegiis prosequi, et ut ipsi facilius et libentius Altissimo famulari et animabus christifidelium in audiendis eorum confessionibus amplius prodesse possent providere, Philippo et presbyteris Congregatio-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Sed legend. XIII patet ex sequentibus (R.T.).
2 Legendum *institutae* (R. T.).

nis huiusmodi, ut quorumcumque christifidelium ad ipsos undecumque accedentium, illosque infirmitatis vel quocumque alio tempore et occasione domum sive ad quemcumque alium locum ad se vocantium et requirentium, confessiones libere audire, et, illis diligenter auditis, ipsos christifideles et eorum singulos ab excommunicationis, suspensionis et interdicti, ac quibusvis aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, quavis occasione vel causâ quomodolibet latis, et per eos incursis, ac etiam ab omnibus et singulis eorum peccatis, criminibus et excessibus et delictis quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis (exceptis contentis in litteris in Coenâ Domini legi consuetis) absolvere, et pro commissis poenitentiam salutarem eis iniungere, ac vota quaecumque (ultramarino, visitationis liminum beatorum Petri et Pauli apostolorum de Urbe, S. Iacobi in Compostellâ, et B. Mariae Lauretanae, ac castitatis et religionis votis dumtaxat exceptis) in alia poenitentiae vel pietatis opera commutare, necnon per dimidium horae spatium ante auroram et post meridiem, eis eveniente casu, missas celebrare libere et licite valeant, dictâ auctoritate indulsit, et facultatem concessit, prout in ipsius Gregorii praedecessoris litteris desuper in formâ Brevis, sub die XIV martii pontificatus sui anno IV expeditis plenius continetur[1]. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte Philippi et presbyterorum praedictorum petitio continebat, a pluribus credatur, litteras facultatis huiusmodi, licet illae ad certum aliquod tempus specifice et expresse non fuerint limitatae, nihilominus decennio, iam de mense martii proxime praeteriti elapso, tamen[2] durasse, et propterea ipsi, ut omne dubium tollatur, ac in Dei et animarum servitio in dies magis et magis proficere valeant, libentiusque in hanc curam incumbant, dictas facultates ipsis in perpetuum concedi, ac in quibusdam extendi et ampliari desiderent; pro parte eorumdem Philippi et presbyterorum, qui, ut asserunt, in primodictâ ecclesiâ ad confessiones audiendas de nostri in dictâ Urbe et illius districtu vicarii in spiritualibus generalis licentiâ deputati existunt, nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui honestis petentium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, Philippum et presbyteros praedictos eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon litterarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Philippo, ac nunc et pro tempore existentibus Congregationis huiusmodi ubicumque locorum diffusae presbyteris in Urbe a dicto vicario, seu extra eam ab Ordinariis locorum ad confessiones audiendas quomodolibet approbatis, eorumque singulis, quod ipsi, perpetuis futuris temporibus, omnium et singulorum christifidelium confessiones audire, illisque auditis eos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quavis occasione vel causâ quomodolibet latis, et per eos incursis, necnon ab omnibus et singulis eorum peccatis, criminibus et excessibus et delictis quantumcumque gravibus et enormibus,

1 Alia de Congregatione Oratorii Romae Constitutio Greg. XIII habetur in *Bullario*, tom. VIII, pag. 541; sed heic citata non habetur (R. T.).

2 Potius lege *tantum* (R. T.).

etiam a casibus dictae Sedi reservatis vel imposterum reservandis (exceptis tamen contentis in litteris die Coenae Domini legi consuetis) absolvere, ac pro commissis poenitentiam salutarem eis iniungere, necnon vota quaecumque (ultramarino, visitationis liminum beatorum Petri et Pauli Apostolorum de Urbe, et sancti Iacobi in Compostella, castitatisque et religionis votis dumtaxat exceptis) in alia poenitentiae vel pietatis opera commutare; praeterea per dimidium horae spatium ante auroram et post meridiem missas celebrare; ac etiam, qui ex eis praevio examine ad confessiones audiendas in ipsâ Urbe a dicto vicario approbati fuerint, et extra eamdem Urbem absque alio examine de licentiâ tamen Ordinariorum locorum, indultibus et facultatibus huiusmodi uti ac potiri libere et licite valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium concedimus et indulgemus. Decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore revocari, suspendi, vel limitari, neque eis derogari posse, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus comprehendi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum suum et validissimum statum restitutas et plenarie reintegratas esse et censeri, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod Philippus et presbyteri praedicti huiusmodi indulto celebrandi ante diem parce utantur, quia cum in altaris ministerio immoletur Dominus noster Christus Dei Filius, qui candor est lucis aeternae, congruit hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce; quodque praesentium transumptis, etiam impressis, notarii publici manu subscriptis, et sigillo iudicis ordinarii Romanae curiae vel alterius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis, indulti, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae, apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicae MDLXXXVI, IX septembris, pontificatus nostri anno II.

Et eadem indulta Congregationi Neapolitanae confirmat.

§ 2. Nos, ad uberes fructus, quos dilecti filii presbyteri Congregationis Oratorii sancti Philippi Nerii, in civitate Neapolitanâ canonice institutae, verbi Dei praedicationibus, sacramentorum ecclesiasticorum administratione, multorumque aliorum huiusmodi piorum operum exercitiis hactenus attulerunt et in dies afferunt, paternae dirigentes considerationis intuitum, ut in tam sancto et laudabili instituto ardentius de cetero perseverent, eos praecipuo paternae charitatis affectu complectendos duximus. Hinc est quod nos, praedictos presbyteros dicti Neapolitani Oratorii specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Annae Columnae Barberinae dilectae filii nobilis viri Thaddaei Barberini almae Urbis nostrae praefecti et principis Praenestini, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, con-

iugis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia et singula in praeinsertis dicti Sixti praedecessoris litteris contenta et expressa, ac etiam omnia et singula alia privilegia, indulta, gratias, favores, concessiones, facultates, libertates et exemptiones, tam spirituales quam temporales, in genere vel in specie, eisdem, vel Congregationi praedictae de Urbe concessa vel concessas per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, vel per nos, aut alio canonico titulo acquisita et acquisitas, praesertim circa exemptionem a processionibus tam publicis quam privatis (ita tamen ut praedictae Congregationis Oratorii Neapolitani presbyteri praesentes et futuri, tam praeinsertarum Sixti V praedecessoris, quam praesentium litterarum vigore, absolvere nullo modo valeant a casibus in litteris die Coenae Domini legi solitis et in constitutione nostrâ super electione Romani Pontificis emanatâ contentis, neque profitentes seu exercentes quomodolibet astrologiam iudiciariam et alia prohibita in constitutione etiam nostrâ desuper editâ, violatores immunitatis ecclesiasticae etiam contra constitutionem recolendae memoriae Gregorii Papae XIV etiam praedecessoris nostri, violatores clausurae monialium ad malum finem, procurantes[1], ac pugnantes in duello, ac incidentes in poenas canonis *si quis suadente diabolo*), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac, quatenus opus sit, de novo concedimus. Ita tamen ut vigore praesentium litterarum in domibus particularium personarum confessiones audire non possint.

Clausulae apponit.

§ 3. Decernentes praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes seu habere praetendentes vocati et auditi non fuerint, aut praemissis non consenserint, seu causae, propter quas praesentes emanarint, adductae, verificatae seu aliâs iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio aut intentionis nostrae vel alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas restitutionem in integrum, aperitionem oris, aut quodcumque aliud, iuris vel facti, gratiae vel iustitiae, remedium impetrari, seu eo impetrato quempiam uti, seu se iuvare in iudicio vel extra nullatenus posse; sed eas semper validas, firmas et efficaces existere et fore, ac praedictis presbyteris Oratorii Neapolitani plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac decretis tam per similis memoriae Clementem VIII quam Paulum V Romanos Pontifices praedecessores nostros et nos contra regulares et forsan alios editis, aliisque quibusvis dictae Congregationis Oratorii, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere

1 Vel hic forsan legend. *abortum procurantes*, vel antea lege *violationem* pro *violatores* R.T.

vel in specie, ac aliàs, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die ultimâ octobris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 31 octobris 1637, pontif. anno XV.

DLXXXV.

Confirmatio, extensio et declaratio constitutionum apostolicarum, prohibentium civitates, castra et alia tam iurisdictionalia quam non iurisdictionalia, stabilia tamen bona, in Statu Ecclesiastico consistentia, alienari in forenses absque Sedis Apostolicae licentiâ; et revocatio quarumcumque licentiarum et facultatum adversus praedictas constitutiones concessarum [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.
Motu proprio, etc.

Olim felicis recordationis Sixtus V praedecessor noster, ut tunc suorum et Sedis Apostolicae subditorum conservationi prospiceret, civitates, castra, oppida, iurisdictiones, feuda et bona quaecumque stabilia seu immobilia, in dicto Statu Ecclesiastico consistentia, per quemcumque, cuiusvis status, gradus, ordinis, qualitatis et conditionis existeret, etiamsi imperiali, regali, ducali vel aliâ quavis auctoritate ac dignitate, etiam ecclesiasticâ quae specialem et individuam mentionem requireret, praeditus esset, vendi, permutari, ultra triennium locari, in emphyteusim, feudum, livellum, pignus seu precarium concedi sine [1] suâ et Sedis Apostolicae licentiâ in aliquam communitatem, universitatem, collegium vel personam extraneam seu forensem, etiam ut praemittitur quomodolibet qualificatam, quae dictae Sedi in temporalibus subdita et supposita non esset, vel quae in dicto Statu domicilium legitime non contraxisset; praedictas vero civitates, castra, oppida, fortalitia et alia quaecumque iurisdictionalia, praesertim feudalia, tam in forenses quam in subditos quoscumque quomodolibet qualificatos vendi, permutari ac donari, nisi praecedente praefatâ licentiâ apostolicâ, prohibuit, sub poenâ nullitatis contractuum, aliorumque gestorum; in praefatâ tamen prohibitione neque census, neque officia, neque portiones, seu montium loca, nec mulierum dotes, nec almam Urbem, uti communem patriam, cum eius circuitu ad decem millia passuum, voluit comprehendi; filios tamen et haeredes praedictarum mulierum, soluto matrimonio, si exteri forent, adstrictos esse infra triennium venire ad habitandum in eodem Statu, vel bona praedicta in alium seu alios habitatores ac subditos transferre statuit.

§ 2. Deinde recolendae memoriae Clemens Papa VIII, etiam praedecessor noster, eamdem Sixti prohibitionem ac statutum Clemens VIII.

Refert ea quae praescripserat Sixtus V.

1 Alienationem bonorum Status Ecclesiastici in non subditos et forenses prohibuit Sixtus V in sua Const. VII, *Sollicitudo*, tom. VIII, p. 580. Quam postea approbavit Clemens VIII in suâ Const. CCLXI (*al.* 250) *Romanum*, tom. X, p. 711; et amplíavit Paulus V Constitut. CCCI (*al.* 281) *Pastorale*, tom. XII, pag. 413.

1 Perperam ed. Main. legit *in* pro *sine* (R. T.).

nedum confirmavit, sed etiam ad principes extraneos, universitates, communitates et collegia, non tamen ecclesiastica, respectu quorumcumque bonorum stabilium, tam in confinibus eiusdem Status Ecclesiastici, quam in quacumque aliâ ipsius Status parte, et in ipsâ Urbe consistentium, ac etiam censuum, aliorumque bonorum et iurium, quae pro stabilibus habentur (non tamen officiorum Romanae curiae, nec portionum seu locorum montium,[1] comprehendere declaravit), ac etiam ad quaecumque genera contractuum, praeterquam ut praefertur ex causâ dotis, et ad quascumque dispositiones inter vivos et causâ mortis ac ultimas voluntates extendit.

Et Paulus V. § 3. Et successive piae memoriae Paulus V, etiam praedecessor noster, praedictas Sixti et Clementis constitutiones declaravit ac extendit, statuens quoque licentiam apostolicam praedictam esse in scriptis obtinendam, et in actu celebrationis instrumentorum exhibendam, sub diversis poenis etiam quoad notarios ipso iure incurrendis[2]. Ac denique nos prioribus nostris litteris easdem constitutiones, confirmavimus, ac in eis, bona in confinibus territorii baronalis existentia, et castra diruta, ac tenutas iurisdictionales, censusque super eisdem bonis impositos comprehendi declaravimus[3]. Et successive per alias nostras litteras terminum illis qui praemissis contravenerant, ut contractus et gesta quaecumque ut praefertur prohibita retractarent, praefiximus, et aliàs, prout latius et plenius in praedictis Sixti, Clementis et Pauli praedecessorum nostrorum ac nostris litteris continetur[4].

1 Hic praemitte *quae non* (R. T.).

2 Sixti, Clementis et Pauli constitutiones mox citatae sunt in notâ ad rubricam (R. T.).

3 Quas require in tom. XIII, pag. 547 (R. T.).

4 Secundas Urbani litteras habes in tom. XIII, pag. 596 (R. T.).

Causae praedictas constitutiones declarandi et extendendi.

§ 4. Cum autem postmodum longiori experientiâ compertum sit, etiam ex dotibus, seu ex contractibus ac dispositionibus causâ dotium, posse Sedi Apostolicae, suisque subditis non modicum fieri praeiudicium, et saepe ex occultis assignationibus etiam per scripturas privatas fieri solitis ipsas dotes ac bona et iura dotalia in venditiones ab eisdem constitutionibus prohibitas clam transire posse, si civitates, castra, oppida, fortalitia, arces, aliaque iura et bona iurisdictionalia, ac bona stabilia seu immobilia quaecumque, praesertim in confinibus eiusdem Status Ecclesiastici etiam pro aliquâ parte contigui existentia, certo pretio aestimanda per quoscumque sive forenses, sive subditos, quomodolibet qualificatos, etiam imperiali, regali, ducali et quavis aliâ auctoritate ac dignitate, etiam ecclesiasticâ, et aliàs individuam mentionem requirente praeditos, in puellarum seu mulierum etiam subditarum dotibus et acconciis, sive causâ vel praetextu dotium, donationumque propter nuptias, vel pro arrhis, ac aliàs quomodolibet in dotes, seu pro dotium solutione vel assecuratione constituerentur et assignarentur, vel aliàs etiam absque aestimatione et qualibet aliâ palliatione darentur seu traderentur quibuslibet forensibus quomodolibet ut praemittitur qualificatis, etiam principibus maioris potentiae quibuscumque, eorumque patribus, matribus, avis et aviis, tam paternis quam maternis, ac fratribus, filiisque, nepotibus, etiam ex fratre vel sorore nunc natis et quandocumque nascituris:

Urbanus dictas constitutiones confirmat et extendit, poenasque innovat.

§ 5. Ideo nos, volentes, prout ex debito nostro pastorali tenemur, omnibus praeiudiciis praedictis et aliis quibuscumque obviam ire, motu proprio, certâque scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuâ constitutione, easdem

Sixti, Clementis et Pauli ac nostras litteras, omniaque et singula in eis et earum qualibet expressa et prohibita, poenasque, tam nullitatis contractuum ac dispositionum, quam alias quascumque, ab eis et singulis earum etiam contra notarios et alios quoscumque inflictas approbamus, confirmamus et innovamus. Necnon illas ampliando ac declarando, easdem constitutiones, ac omnia et singula in eis et earum qualibet contenta, ad quoscumque contractus causâ vel praetextu dotium quomodolibet imposterum ineundos, ac ad quascumque dotes cuiuscumque qualitatis, quantitatis ac valoris, et quantumlibet privilegiatas et favorabiles, etiam ratione educationis infantium, pupillorum et personarum quarumcumque, et cuiuslibet alterius necessitatis, et aliàs quomodolibet per quoscumque, sive subditos sive forenses, utriusque sexus, cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis et praeeminentiae, etiam imperialis, regalis, ducalis, nunc et pro tempore existentes, et quacumque auctoritate ac dignitate, etiam ecclesiasticâ et individuam expressionem requirente praeditos, de quibuscumque bonis et iuribus, sive iurisdictionalibus sive non iurisdictionalibus, stabilibus tamen seu immobilibus, aliisve bonis et iuribus, quae pro stabilibus habentur, ubilibet in eodem Statu Ecclesiastico, praesertim in confinibus eiusdem Status pro aliquâ eius parte contigui, sitis, tam coniunctim quam divisim, absque nostrâ et Romani Pontificis pro tempore existentis expressâ licentiâ praedictâ, imposterum etiam absque aliquâ palliatione assignandas et quomodolibet dandas cuicumque puellae seu mulieri, etiam viduae, etiam subditae, et quovis modo ut praemittitur qualificatae, in favorem tamen cuiuslibet forensis, quantumlibet ut praemittitur qualificati, etiam principis maioris potentiae, vel eius patris, matris, avi, aviae, sive paterni, sive materni, aut fratris, vel filii, aut nepotis, etiam ex eius fratre vel sorore nunc nati et quandocumque nascituri, extendimus et ampliamus, perinde ac si dotes et contractus ex causâ dotium huiusmodi non fuissent in praedictis constitutionibus exceptae nec excepti.

§ 5. Quinimo, ultra poenas in praedictis constitutionibus inflictas, addimus poenam privationis et confiscationis ipsorum bonorum et iurium quorumcumque eo ipso absque aliâ declaratione incurrendam in favorem camerae apostolicae, sive ecclesiarum inferiorum, a quibus contrahentes vel disponentes illa recognoverunt vel recognoscunt. Et alter superaddit.

§ 6. Quam quidem confirmationem et extensionem ita declaramus, ut, quoad iurisdictionalia, respectu dotium et contractuum ac dispositionum praefatarum de cetero ineundorum, assignandarum et faciendarum sine licentiâ apostolicâ praedictâ, tam principes maioris potentiae et sui praefati, quam quicumque alii quomodolibet qualificati, subiaceant eisdem poenis etiam privationis et confiscationis, etiam si ipsi ita contrahentes ac disponentes nobis et Sedi Apostolicae ratione feudi essent subditi, ac etiam si castra, vel alia iurisdictionalia quaecumque, aut stabilia, aut palatia, vel domos apertas haberent in eodem Statu, vel etiam in Urbe, in quibus ipsi continue cum eorum familiis et laribus vere et personaliter habitare non consueverint; quo vero ad non iurisdictonalia, stabilia tamen, seu immobilia, ac census, et alia quae pro stabilibus habentur, non tamen Romanae curiae officia, nec portiones, seu montium loca, iidem principes maioris potentiae et sui praedicti eisdem poenis subiaceant; reliqui vero forenses pariter easdem poenas etiam privationis et confiscationis praefatorum stabilium et aliorum quae pro stabilibus habentur (ubilibet in praefato Declaratio confirmationis et extensionis.

Statu Ecclesiastico, non tamen in Urbe, nec in eius circuitu praedicto, nec etiam in eius districtu consistentium, a mari tamen ultra duo milliaria distantium, nec Romanae curiae officiorum, nec portionum, seu locorum montium) incurrant, nisi ultimo dicti forenses infra annum, a die constitutae dotis vel a die initi contractus vel factae dispositionis incipiendum, veniant cum eorum familiis et laribus vere et personaliter ad habitandum in Statu Ecclesiastico, inde non recessuri, vel infra eumdem annum eadem stabilia, et quae pro stabilibus habentur, realiter et cum effectu in alium vel alios Sedi Apostolicae in temporalibus subditos et in eodem Statu habitantes transferant: et idem pariter observari volumus quoad dotes hactenus promissas, assignatas, datas, seu traditas, ubi non fuerit hactenus celebratum et consummatum matrimonium, nisi, respectu principum maioris potentiae et cuiuslibet suorum praefatorum, sponsus per annum immediate praecedentem ante celebratum matrimonium venisset ad habitandum personaliter in Statu Ecclesiastico, se, eiusque familiam et lares transferendo, inde non recessurus. Quibus nullitatibus et poenis locum esse volumus non obstante quod sponsa vel uxor aut quicumque promittentes, dantes, vel relinquentes dotem, eorumque haeredes in eorum possessione continuaverint, ac non obstante quocumque fideicommisso, primogeniturâ, maioricatu[1], alienandi prohibitione et quolibet alio vinculo, investiturâ, nominatione, vocatione et quavis aliâ concessione, ac dispositione, etiam feudali, ac emphyteuticâ, a Sede Apostolicâ et a quocumque alio, etiam in favorem et pro conservatione cuiuscumque familiae quantumlibet nobilis et aliâs quomodolibet privilegiatae, factis, ac semel et pluries per Romanos Pontifices praedecessores nostros ac etiam per nos approbatis, ac effectum sortitis. Quibus omnibus et singulis plenissime derogamus quoad ipsos contrahentes vel disponentes adversus praemissa et eorum singula, ac eisdem contractibus et dispositionibus consentientes, eorum tamen vitâ durante tantum.

1 Ita etiam legit edit. Cherub. Lugdun. In Lexico Ducange nonnisi *maioratus* notatur (R. T.).

Licentias emendi acquirendi, etc., revocat.

§ 7. Insuperque omnia et singula indulta et licentias emendi et acquirendi, ac non veniendi ad habitandum in Statu Ecclesiastico, et bona quaecumque in subditos non transferendi, et aliâs quomodolibet contra praedictas constitutiones, etiam praesentibus per nos extensas ac declaratas, a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ac etiam a nobis, etiam motu, scientiâ, deliberatione, ac potestate paribus, et ex quibuscumque causis quantumlibet favorabilibus et onerosis, quibuscumque personis, etiam principibus maioris potentiae, suisque praedictis, et eorum cuilibet, ac familiis quantumlibet ut praemittitur qualificatis, ac aliâs quomodolibet concessa et concessas, etiam effectum sortita et sortitas, non tamen in eo in quo usque hunc realiter exequuta sunt, revocamus respectu iurisdictionalium quorumcumque praedictorum et illis annexorum duntaxat, ac pro revocatis haberi volumus et esse revocata declaramus, itaut imposterum nemini suffragentur, nisi cum infrascripto onere veniendi ad habitandum in dicto Statu Ecclesiastico, exceptis tamen illis, qui desuper cum Sede Apostolicâ transactiones et pactiones hinc inde obligatorias habent, quoad ea tamen quae sunt specialiter expressa in ipsis transactionibus et pactionibus respective, quibus praeiudicare non intendimus, ac etiam exceptis, quoad praedictum onus habitandi in Statu Ecclesiastico, eisdem principibus maioris potentiae, suisque praedictis, ac aliis principibus, qui forsan praeten-

dentes esse principes maioris potentiae propter insignes iurisdictiones quas habuerunt et habent vel imposterum habebunt in suis ditionibus extra praedictum Statum Ecclesiasticum consistentibus, non tamen eidem Statui Ecclesiastico contiguis, seu conterminis, residentiam continuam sibi constituerunt, vel in futurum constituent, ac etiam exceptis illis, qui seu quorum maiores prius in exteris ditionibus quam in Statu Ecclesiastico habuerunt et habent, vel habebunt possessionem actualem iurisdictionalium.

§ 8. Ulterius volumus, quod, exceptis praedictis, reliqui omnes et singuli, etiam indulta et licentias huiusmodi habentes et iurisdictionalia praedicta Sedis Apostolicae, seu ecclesiarum inferiorum, in eodem Statu Ecclesiastico sita, nunc et pro tempore possidentes, vel alia ubilibet in eodem Statu Ecclesiastico consistentia, praecedente tamen licentiâ apostolicâ, ementes, etiam sub hastâ, aut aliàs quovis titulo etiam dotis acquirentes, eorumque haeredes et successores, teneantur venire ad habitandum vere et personaliter cum eorum familiis et laribus in eodem Statu Ecclesiastico infra annum proximum a die datae praesentium et respective a die acquisitionis seu adeptae possessionis ipsorum iurisdictionalium decurrendum, inde non recessuri, vel infra eumdem annum eadem iurisdictionalia, praecedente praefatâ licentiâ apostolicâ, in alium vel alios subditos et habitatores transferre, aliàs in eventum contraventionis, seu inobedientiae, in easdem poenas, etiam privationis et confiscationis eorumdem iurisdictionalium, eo ipso pariter ad favorem camerae apostolicae et respective ecclesiarum inferiorum praefatarum incidant. Forenses vero, sive exteros, ad effectum praesentis, aliarumque constitutionum praedictarum, illos imposterum non esse nec fore declaramus, qui nobis ac dictae Sedi ratione temporalis iurisdictionis Status nostri Ecclesiastici subditi et suppositi sint, vel qui domicilium in eo legitime contraxerint, quod domicilium requiratur etiam quoad possidentes in eodem Statu Ecclesiastico aliquam iurisdictionem, vel qui in praedicto Statu Ecclesiastico, etiam Avenionensi, Bononiensi et Beneventano, et intra eius limites, non tamen in locis eorumdem principum maioris potentiae, vel suorum praedictorum, nati sint. Qui autem nunc et pro tempore sint vel fuerint principes maioris potentiae, etiamsi ipsi a ritualibus et diariis Sedis Apostolicae indicentur, declarationem tamen illorum ad effectum praesentis, aliarumque praedictarum constitutionum nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris reservamus, prout etiam reservamus declarationem iurisdictionum insignium, quibus fuerit hactenus constituta, vel imposterum constituetur per principes habitatio praedicta.

§ 9. Praesentes quoque litteras, omniaque et singula in eis contenta, etiam ex eo quod quicumque in praemissis seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, ad ea minime vocati et auditi, minusque causae, propter quas eaedem praesentes emanarint, iustificatae fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari posse, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit, in futurum inviolabiliter observari; Clausulas praeservativas addit.

§ 10. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et clericos camerae apostolicae praesidentes, cardinalem camerarium, et quoscumque alios, etiam S. R. E. cardinales, etiam de Clausula sublata.

latere legatos ac nuncios, et alios quavis potestate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et[1] interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contrariis derogat.

§ 11. Non obstantibus praemissis, necnon praedictis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac etiam cancellariae nostrae regulis, etiam illâ de non tollendo iure quaesito, ac, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis, sub quibuscumque tenoribus ac formis, et cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliâs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, ac etiam illis, quae iidem praedecessores nostri voluerunt ac nos etiam volumus in praedictis constitutionibus non obstare; quibus omnibus[2], illorum omnium et singulorum tenores etiam ampliores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praedictum effectum, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma publicationis.

§ 12. Et, ut ad omnium notitiam praesentes et in eis contenta quaecumque deveniant, volumus, quod eaedem per aliquem seu aliquos ex cursoribus nostris in valvis basilicarum S. Ioannis Lateranensis, et S. Petri, ac in acie Campi Florae affigantur et publicentur, quae sic affixae et publicatae omnes et singulos afficiant et arctent, perinde ac si unicuique eorum personaliter intimatae et notificatae fuissent.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III novembris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 3 novembris 1637, pontif. anno XV.

Anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXXXVII, *indictione* V, *pontificatus Sanctissimi Domini nostri Domini Urbani divinâ providentiâ Papae VIII, anno eius* XV, *die vero* I *decembris, supradictae litterae affixae et publicatae fuerunt in valvis basilicarum S. Ioannis Lateranensis, et S. Petri, atque in acie Campi Florae, per nos Iosephum Maffaeum et Antonium Bardum apostolicos cursores.*

DOMINICUS VARESIUS, mag. cursor.

DLXXXVI.

Quod moniales conversae Ordinis sanctae Clarae monasterii S. Marcelli Parisiensis debeant manuteneri in possessione eligendi abbatissam[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Monialium instantia.

§ 1. Cum, sicut dilectae in Christo filiae moniales conversae monasterii monialium sanctae Clarae Ordinis sancti Francisci siti in suburbio S. Marcelli Parisiensis sub gubernio fratrum Minorum eiusdem Ordinis existentium nobis nuper exponi fecerunt, aliâs dilecta in Christo filia Magdalena Rebours, dicti monasterii abbatissa

1 Partic. *et* nos addimus (R. T.).

2 Verba *quibus omnibus* nos addimus (R. T.).

1 Huiusmodi Constit. vel similis habetur in tom. V edit. Lugdun. Cherub. sed diversâ syntaxi exaratâ. Ibi incipit, *Exposito* (R. T.).

triennalis, absque participatione ministri provincialis et cuiusvis alterius dicti monasterii superioris, praedictas moniales conversas voce activâ, qua coniunctim cum choristis dicti monasterii a trecentis circiter annis gavisae fuerunt ratione electionis abbatissae monasterii huiusmodi, privare voluerit, et ad hunc effectum suffragia maioris partis dictarum choristarum mendicaverit, et unâ cum ipsis desuper quoddam capitulare decretum ediderit, aliae vero choristae unâ cum praefatis omnibus monialibus conversis decreto huiusmodi, uti invalido et contra constitutiones earum regulae expresse disponentes[1] nihil omnino alterari posse absque expresso totius dicti monasterii consensu, sese formaliter opposuerint[2]; nobis propterea dictae exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut infra providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Decretum, de quo in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, easdem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, etc., censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negociis regularium praepositorum consilio, volumus et apostolicâ auctoritate tenore praesentium declaramus, praefatas moniales conversas monasterii huiusmodi fore et esse manutenendas in possessione, vel quasi, eligendi abbatissam unâ cum aliis monialibus choristis iuxta praescriptam et immemorabilem consuetudinem, in qua, ut praefertur, se se fuisse et esse contendunt.

Clausulae

§ 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ipsisque exponentibus in omnibus et per omnia suffragari, et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere, ac irritum, etc., attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac monasterii et Ordinis praefatorum, etiamsi, etc., consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv novembris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 15 novembris 1637, pontif. anno xv.

1 Forsan legend. *disponentis* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *apposuerint* (R. T.).

DLXXXVII.

Consulit iuribus S. R. E. in electione et confirmatione imperatoris Romanorum[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Declarat mentem suam non fuisse per quoscumque actus ac titulos Ferdinandi II in regem Romanorum, ac fortasse etiam imperatorem, electionem confirmare.

§ 1. Acceptis nuper a charissimo in Christo filio nostro Ferdinando Hungariae et Bohemiae regi illustri binis litteris, quibus nobis significabat se in conventu electorali Ratisbonae habito in regem Romanorum futurum imperatorem electum esse, piae vero memoriae Ferdinandum Romanorum regem imperatorem electum eius genitorem brevi postmodum obiisse, ideirco in duabus cappellis pontificiis, in nostrâ et venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium praesentiâ, sacrosancto missae sacrificio solemniter celebrato, in illarum primâ respectu electionis gratiae Deo omnipotenti actae, et in secundâ pro ipsius genitoris defuncti animae refrigerio preces oblatae fuerunt. Praeterea, sicut nonnullae aliae functiones praemissorum occasione fieri solitae iussu etiam nostro factae extiterunt, ita etiam reliqua, per Romanos Pontifices praedecessores nostros peragi consueta, benedicente Domino peragere, praedictisque et aliis eiusdem Ferdinandi electi litteris ad

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

nos datis et dandis respondimus ac respective respondere intendimus, etiam illum regem Romanorum in imperatorem electum appellando. Verum, ne ex praedictis et quibuscumque aliis actibus et functionibus tam nostris quam quorumcumque nostrorum et Sedis Apostolicae officialium ac ministrorum, etiam speciali notâ dignorum, etiam nunciorum apostolicorum, ac quorumcumque S. R. E. cardinalium, etiam de latere legatorum, tam publicis quam privatis, quandocumque et ubicumque ac quomodocumque factis et faciendis, ac inde sequutis et sequendis quibuscumque, possit umquam praetendi, nos electionem praedictam approbasse et confirmasse, etiamsi talis praetensio minime subsistat, cum apostolica confirmatio huiusmodi, tam de iure quam de more, nonnisi prius coram nobis exhibitis electionis et aliorum ad id requisitorum instrumentis, et praevià maturâ causae cognitione, in nostro consistorio secreto et sub Bullâ consistoriali concedi et expediri consueverit; nihilominus, omnem in praemissis ambigendi materiam praecidere mentemque et intentionem nostram palam facere volentes, omniumque et singulorum praemissorum, ac quorumcumque aliorum actuum et functionum hactenus et deinceps quandocumque, ubicumque et quomodocumque a nobis et aliis quibuscumque, cuiuscumque qualitatis, dignitatis, etiam ecclesiasticae, status, gradus et conditionis, etiamsi individuâ expressione dignae extiterint et pro tempore existant, etiam de mandato nostro, et aliàs quovis modo, tam cum eodem Ferdinando electo, quam cum eiusdem Ferdinandi electi oratore et oratoribus ac ministris, etiam in Romanâ curiâ, factorum et faciendorum, et inde sequutorum et sequendorum, aliorumque hic forsan exprimendorum et inserendorum, etiam particulari mentione dignorum, tenores, circumstantias et quaslibet singularitates, etiam maiores et veriores, praesentibus pro plene expressis et insertis habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praesentium serie attestamur, declaramus et decernimus, nostrae mentis, intentionis et voluntatis incommutabilis semper fuisse et esse ac deinceps fore, per omnes et singulos actus, functiones, receptiones, recognitiones et tractatus quoscumque verbo, scriptis, etiam per litteras apostolicas sub plumbo, ac in formâ Brevis, sub annulo Piscatoris, et missivas, ac facto, a nobis et respective a dilecto filio nostro Francisco S. Laurentii in Damaso diacono cardinali Barberino nuncupato, S. R. E. vice cancellario, nostro secundum carnem ex fratre germano nepote, totiusque Status nostri Ecclesiastici ac quorumcumque nostrorum et Sedis Apostolicae negotiorum generali superintendente, et a quocumque alio S. R. E. cardinali, etiam de latere legato, ac etiam a nunciis apostolicis, etiam apud eumdem Ferdinandum electum nunc et pro tempore nomine nostro et Sedis Apostolicae residentibus, et a quibuscumque aliis nostris et Sedis praedictae officialibus et ministris ubicumque residentibus, etiam individuâ mentione dignis, etiam de mandato nostro, quandocumque, ubicumque et quomodocumque factas et pro tempore faciendas, ac inde sequuta et sequenda quaecumque, etiam pluribus vicibus iteratas et iterata, ac effectum sortitas et sortita, quaecumque[1] et qualiacumque sint et pro tempore fuerint, etiam cum oratore et oratoribus nunc et imposterum etiam apud nos sanctamque Sedem praedictam nomine eiusdem Ferdinandi etiam uti Romanorum imperatoris electi pro tempore residente

1 Perperam ed. Main. legit *quoscumquè* (R. T.).

et residentibus, ac cum quibuscumque aliis ipsius Ferdinandi electi officialibus, ministris, procuratoribus et plenipotentiariis, quavis occasione et causâ, etiam ratione foederis universalis, ac defensionis et propagationis fidei catholicae, et quavis aliâ, etiam particulari expressione dignâ, hactenus et pro tempore facta, tractata et gesta, faciendaque, tractanda et gerenda, necnon per quascumque denominationes, inscriptiones, appellationes, nuncupationes et narrativas, in favorem praedicti Ferdinandi in regem Romanorum futurum imperatorem electi, per quoscumque, etiam nomine nostro et Apostolicae Sedis, ac etiam per nos quomodolibet factas et pro tempore faciendas, illum etiam regem Romanorum in imperatorem electum appellando, ac etiam per quemcumque oratoris et oratorum ad nos et Sedem Apostolicam ab eodem Ferdinando electo destinati et destinatorum missique et mittendorum receptionem et admissionem ad audientiam nostram et ad osculum pedum nostrorum, cum quibuscumque apparatibus, caeremoniis, circumstantiis, praerogativis, antelationibus, etiam publicis, etiam extraordinariis et insolitis, quomodolibet, expresse vel tacite, hactenus concessis et datis, concedendisque et imposterum dandis, etiam tamquam oratori et oratoribus Romani imperatoris electi, non intellexisse nec voluisse, minusque imposterum intelligere nec velle praedictam eius electionem approbare nec confirmare, quinimmo nostrae mentis et voluntatis fuisse, ac deinceps fore, ut, iuxta consuetum, confirmatio apostolica huiusmodi per praedictum Ferdinandum electum petatur, et per litteras apostolicas consistoriales a nobis et S. R. E. cardinalibus subscriptas expediri impetretur[1], et interim nedum omnem approbationem et confirmationem, sed etiam cuiuscumque approbationis et confirmationis expressae et tacitae concessionem et quemcumque eius effectum suspendimus suspensamque et suspensum fuisse et esse ac deinceps fore declaramus, ac pro suspensis haberi volumus et decernimus.

Hanc declarationem opportunis clausulis firmat.

§ 2. Praesentesque litteras de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse quomodolibet habentes et habere praetendentes, cuiuscumque status, gradus, qualitatis, dignitatis et conditionis existant et existerint, ad id vocati, citati et auditi non fuerint, notari, impugnari, infringi, seu redargui nullatenus posse, neque sub quibuscumque revocationibus, suspensionibus, moderationibus, derogationibus, ac quibuscumque aliis contrariis dispositionibus generalibus, etiam motu, scientiâ, deliberatione ac plenitudine paribus, etiam consistorialiter, ac aliâs quomodolibet, etiam per nos et Romanos Pontifices successores nostros faciendis, comprehendi; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac etiam S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et nuncios, quavis auctoritate et potestate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, similiter decernimus.

Derogatque contrariis.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus quibuscumque, tam apostolicis quam imperialibus, ac cancellariae apostolicae regulis, etiam individuam derogationem requirentibus; quibus omnibus, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis

1 Ed. Main. legit *impetratur* (R. T.).

tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum inserta mentio habenda foret, tenores huiusmodi, etiam maiores et veriores, pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, ad effectum omnium et singulorum praemissorum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III decembris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 3 decembris 1637, pontif. anno XV.

DLXXXVIII.

Confirmatio decretorum sacrae congregationis Concilii super bono regimine cancellariae archiepiscopatus Turritani.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Dub. a ab archiep. Turritano proposita Congregationi Concilii.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater archiepiscopus Turritanus, quod aliàs (pro eius parte venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus Concilii Tridentini interpretibus exposito archiepiscopum Turritanum ipsius moderni archiepiscopi praedecessorem cancellariam mensae archiepiscopalis Turritanae donasse cuidam familiari cum omnibus emolumentis, salariis et stipendiis, et propterea ab eisdem venerabilibus fratribus pro parte eiusdem archiepiscopi quaesito: 1. utrum donatarius ipse, relicto titulo secretarii vel notarii aut cancellarii seu magistri actorum, possit assumere sibi nomen et titulum domini utilis praedictae cancellariae; 2. utrum praedictus donatarius teneatur stare taxationi salariorum et stipendiorum factae a dictis venerabilibus fratribus nostris, dicit enim se non teneri ad servandam ullam taxam, quia non fuit auditus neque citatus ad videndum taxari salaria suae cancellariae, unde pro collatione seu possessione unius beneficii accipit a proviso quantum ipsemet aestimat valorem beneficii; 3, quia in donatione cancellariae praedictae, auctoritate apostolicâ confirmatâ, electa[1] fuit donatarii industria et experientia multorum annorum quibus eam administrabat, utrum possit eam locare, aut exercere per substitutum, qui se subscribat in actis: *talis pro tali domino utili cancellariae Turritanae*, et utrum liceat ei assumere scribas ad libitum suum, etiam ignaros, absque approbatione dicti archiepiscopi, eique non benevisos)

Sacrae Congregationis resolutio.

§ 2. Cardinales praedicti ad 1um responderunt cancellarium praedictum non posse nomen utilis domini cancellariae archiepiscopalis sibi assumere; ad 2um vero non posse dictum cancellarium pro expeditione litterarum collationis vel institutionis quorumcumque beneficiorum, vel pro deputatione vicariorum in illis, accipere nisi mercedem labori suo convenientem, quae tamen, cum scripturis, sigillo et ceteris computatis, unum aureum non excedat, atque eumdem cancellarium ad ita observandum ab archiepiscopo compelli posse; ad 3um denique huiusmodi cancellarium non posse cancellariam locare alteri, qui se subscribat *N. pro tali domino utili cancellariae*, nec in ipsâ cancellariâ notarios imperitos, aut aliàs sine approbatione archiepiscopi, assumere.

Archiepiscopus praedictam resolutionem petit confirmari.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus archiepiscopus praemissa, quo firmius subsistant et inviolabiliter observentur, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri desideret:

Confirmat Pontifex.

§ 4. Nos, eius votis huiusmodi benigne annuere, illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et

1 Forsan legendum *adducta* (R. T.).

interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius archiepiscopi nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praemissa huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem praemissis quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes illa, necnon praesentes litteras, valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac a cancellario praedicto, sub poenâ privationis cuiuscumque sui iuris quoad dictam cancellariam sibi etiam ex concessione apostolicâ quaesiti in eventum inobedientiae seu contraventionis, aliisque, ad quos spectat et spectabit, in futurum inviolabiliter observari; et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, ecclesiae Turitanae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII decembris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 12 decembris 1637, pontif. anno XV.

DLXXXIX.

Facultas nuncio apostolico apud imperatorem liberandi archiepiscopum electorem Treverensem e custodiâ in qua per biennium nomine Sanctae Sedis detentus fuit[1].

Venerabili fratri Malatestae episcopo Pisaurensi, apud charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Romanorum regem in imperatorem electum nostro et Sedis Apostolicae nuncio,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Refert datam aliàs se nuncio apostolico facultatem recipiendi in custodiam archiepiscopum Treverensem.

§ 1. Cum annis praeteritis non sine animi nostri molestiâ accepissemus, venerabilem fratrem Philippum Christophorum archiepiscopum Treverensem principem electorem et episcopum Spirensem, ob nonnullas praetensas causas in eius civitate Treverensi per milites charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici in eam irrumpentes captivum ductum et detentum fuisse, et tunc etiam detineri, nos, pro nostri pastoralis officii debito desuper opportune providere volentes, et ut personae, pontificali dignitati, libertatique ecclesiasticae ac iustitiae consuleretur, fraternitati tuae, ut praedictus Philippus Christophorus archiepiscopus tibi libere traderetur, et cum effectu consignaretur, curandi, eumque nostro et Apostolicae Sedis nomine recipiendi ac detinendi, seu detineri et custodiri faciendi, omniaque alia et singula, quae in praemissis necessaria seu opportuna forent, gerendi et exequendi facultatem concessimus et impertiti sumus, prout in nostris desuper in simili

2 Ex Regest. in Secret. Brev. — Commissum huic eidem nuncio, ut archiepiscopum Treverensem in sui custodiam reciperet, vide superius in Const. CDLXXXIV, quae incipit, *Cum superioribus*, pag. 185 huius tomi.

formâ Brevis litteris, sub die ultimâ iunii MDCXXXV expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[1].

Cum vero nihil per biennium contra illum fuerit deductum,

§ 2. Cumque in exequutionem praedictarum nostrarum litterarum idem Philippus Christophorus, archiepiscopus et elector Treverensis ac episcopus Spirensis, tibi etiam nomine piae memoriae Ferdinandi II regis Romanorum in imperatorem electi consignatus, et hucusque per te fuerit detentus, et tamen spatio biennii coram nobis et coram te contra ipsum Philippum Christophorum, archiepiscopum electorem et episcopum, nihil deductum et probatum existat, cuius vigore ille iuxta canonicas sanctiones retineri et custodiri debeat:

Eidem nuntio facultatem dat eum dimittendi.

§ 3. Ideirco nos, calamitatibus et damnis, tam personae pontificali et electorali, quam ecclesiis insignibus suis praedictis, propterea illatis, ac etiam per eius litteras nuper nobis scriptas significatis, paternâ charitate compatientes, et, ne ipse amplius detineatur, ecclesiae vero diutius earum pastore destitutae sint, et propter eius absentiam maius detrimentum patiantur, quantum cum Domino possumus etiam providere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi, ut eumdem Philippum Christophorum Treverensem archiepiscopum et electorem ac episcopum Spirensem a praedictâ detentione et custodiâ penitus auctoritate apostolicâ dimittas et liberes, licentiamque recedendi eidem concedas, ut apud ecclesias suas praedictas residere, illasque ut prius regere et gubernare, eiusque dioecesanos et subditos verbo et exemplo pascere possit et valeat, eâdem auctoritate, tenore praesentium, committimus et mandamus.

Obstantia tollit.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et in conciliis generalibus et provincialibus ac synodalibus, ac aliàs, in genere et in specie, editis, et praesertim illâ recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII de unâ, et concilii generalis de duabus dictis, necnon praedictarum ecclesiarum, ac aliarum quarumcumque, et capitulorum ac personarum quomodolibet qualificatarum privilegiis et indultis, ac etiam statutis, etiam iuramento firmatis, et a Sede Apostolicâ etiam per nos semel et pluries approbatis et confirmatis, consuetudinibusque etiam longissimis et immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque; quorum omnium et singulorum tenores etiam ampliores pro plene expressis habentes, illis ad praedictum effectum plenissime derogamus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII decembris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 17 decembris 1637, pontif. anno XV.

DXC.

Manutentio archiepiscopi electoris Treverensis in possessione, et quasi, in qua tempore suae detentionis erat, respectu ecclesiarum, abbatiarum, statuum et aliarum dignitatum, cum facultate nuncio apud imperatorem cognoscendi et terminandi causas contra eum motas et movendas[1].

Venerabili fratri Malatestae episcopo Pisaurensi, apud charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Romanorum regem in imperatorem electum nostro et Apostolicae Sedis nuncio,

Urbanus Papa VIII

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset litteras praecedentes.

§ 1. Postquam venerabilis frater Philippus Christophorus archiepiscopus et ele-

1 Quas vide supra pag. 485 (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret Brev.

ctor Treverensis ac episcopus Spirensis annis proxime elapsis in suâ civitate Treverensi manu militari captus et detentus, et deinde fraternitati tuae etiam nomine piae memoriae Ferdinandi II regis Romanorum in imperatorem electi de mandato nostro consignatus fuit, idem Philippus Christophorus archiepiscopus, elector et episcopus ita detentus ac de facto impeditus extitit et ad praesens existit, ut regimen et gubernium tam praedictarum suarum ecclesiarum ac monasterii S. Maximini Ordinis sancti Benedicti dioecesis Treverensis aliàs per nos eidem in commendam concessi quam alias suas dignitates et iura quaecumque sibi competentia ut prius exercere non potuerit neque possit, pristinam tamen illarum et illorum possessionem, et quasi, respective animo semper retinuit et retinet. Quapropter, cum per biennium, et ultra, quo tempore fuit detentus, aliquod non fuerit coram nobis nec coram te contra ipsum Philippum Christophorum deductum, probatumque, cuius vigore ipse iuxta universalium conciliorum et sacrorum canonum dispositionem debeat detineri; ideirco nos hodie per alias nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras tibi dedimus in mandatis, ut eumdem Philippum Christophorum archiepiscopum, electorem et episcopum praedictum auctoritate nostrâ dimitteres et liberares a detentione praedictâ, ut apud suas ecclesias praedictas ut prius residere valeret.

Elector petit manutenerî in possessione suarum ecclesiarum et dignitatum.

§ 2. Quia vero nobis idem Philippus Christophorus archiepiscopus et elector Treverensis ac episcopus Spirensis per suas litteras sub die xx mensis novembris proxime praeteriti in civitate Viennensi ad nos scriptas supplicavit, quatenus sibi ordinem et mandatum nostrum apostolicum de manutenendo manutenentiam ibi nuncupatum[1] concedere dignaremur:

1 Nescio an legi debeat *nuncupatam* (R. T.).

§ 3. Nos, eius supplicationibus inclinati, ac simul etiam providere volentes ne ex suâ, ut praefertur, detentione et absentiâ tam diuturnâ a suis ecclesiis et statibus maiores molestiae, maioraque sibi incommoda et impedimenta accrescant, praesentium nostrarum litterarum serie eumdem Philippum Christophorum archiepiscopum et electorem Treverensem ac episcopum Spirensem in eâdem possessione, et quasi, respective et in eodem statu in qua et in quo erat de tempore, quo, ut praemittitur, captus et detentus fuit, respectu praedictarum ecclesiarum ac monasterii S. Maximini ac dignitatum, statuum et iurium quorumcumque suorum, manutenemus, manutenerique volumus et mandamus, mandatumque nostrum apostolicum de eumdem Philippum Christophorum archiepiscopum et electorem Treverensem ac episcopum Spirensem et commendatarium praedicti monasterii in eius possessione, et quasi, respective, ac statu praedictis manutenendo, et conservando ibi manutenentiam nuncupatum[1], decernimus et concedimus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis et aliis arbitrii nostri poenis, omnibus et singulis eius subditis et vassallis tam ecclesiasticis quam secularibus quibuscumque, etiam capitulis ecclesiarum et conventibus monasteriorum, et praesertim S. Maximini praedicti, quatenus eumdem Philippum Christophorum archiepiscopum et electorem Treverensem episcopumque Spirensem et commendatarium praedictum in pastorem, principem, commendatarium et superiorem respective, ut prius ante detentionem recognoscebant, ita imposterum recognoscant, eique debitam obedientiam et reverentiam praestent.

Mandatum, de quo in rubricâ, concedit Urbanus;

§ 4. Quocirca fraternitati tuae committimus et mandamus, ut contra omnes et singulos reclamantes, seu contravenientes,

Cum commissione nuncio apostolico cognoscendi quascumque causas

1 Vide an legend. *nuncupatam* (R. T.).

contra illum motas;

prout iuris fuerit, procedas, ac quascumque querelas et petitiones contra ipsum Philippum Christophorum archiepiscopum et electorem Treverensem ac episcopum Spirensem et commendatarium porrigendas et dandas super quibuscumque negotiis et causis, non tamen in Romanâ curiâ pendentibus, cognoscas, fineque debito, prout iuris fuerit, termines.

Cui necessarias ad id concedit facultates.

§ 5. Nos enim ad praedicta omnia et singula cognoscendum et prout de iure terminandum facultatem opportunam et amplam tibi concedimus, cum potestate citandi quos, quibus, quando et quoties opus fuerit, illisque inhibendi, etiam sub sententiis, censuris et poenis, etiam pecuniariis, tuo arbitrio infligendis, moderandis et applicandis, statum et merita, litium et controversiarum statum, nominaque et cognomina litigantium, iudicum et tribunalium, etiam speciali mentione dignorum, omniumque praemissorum ac aliorum quorumcumque de necessitate exprimendorum tenores pro plene expressis habentes. Quibus omnibus et singulis plenissime derogamus.

Clausulae necessarias apponit.

§ 6. Praesentes quoque litteras de subreptionis, vel obreptionis, ac nullitatis vitio, intentionisque nostrae, ac quocumque alio defectu, etiam ex eo quod in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, non fuerint ad id vocati, nec auditi, aut ex quacumque aliâ ratione vel causâ, impugnari et notari non posse; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam sacri palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos ac nuncios, et alios quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contrariisque derogat.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibuslibet constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis universalibus et aliâs editis, ac cancellariae nostrae regulis, et praesertim illâ de non tollendo iure quaesito, et felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, necnon praedictarum ecclesiarum et capitulorum et conventuum ac personarum quomodolibet qualificatarum privilegiis et indultis, ac statutis, etiam iuramento firmatis, ac confirmatione apostolicâ semel et pluries roboratis, consuetudinibus etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Quorum omnium et singulorum tenores pro plene expressis habentes, illis ad istum effectum plenissime derogamus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII decembris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 17 decembris 1637, pontif. anno XV

DXCI.

Facultas eidem nuncio concordandi cum partibus nomine praedicti electoris super controversiis contra ipsum motis et movendis[1].

Venerabili fratri Malatestao, episcopo Pisaurensi, Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset praecedentes litteras.

§ 1. Cum hodie per alias nostras in simili formâ Brevis litteras tibi commiserimus, ut venerabilem fratrem Philippum Christophorum archiepiscopum et electorem Treverensem ac episcopum Spirensem a detentione et custodiâ, qua[2] per te de mandato nostro nomine piae memoriae

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

Ferdinandi II Romanorum in imperatorem electi detinebatur, liberares ac dimitteres, ut apud suas ecclesias residere valeret; et deinde per alias nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras, ut facilius et quietius ipse Philippus Christophorus archiepiscopus, elector et episcopus regimini et gubernio suarum ecclesiarum et statuum praedictorum incumbere possit, mandatum de ipsum Philippum Christophorum archiepiscopum, electorem et episcopum manutenendo in possessione et statu, in quo vel quibus de tempore capturae ac detentionis suae reperiebatur, concessimus[1]:

Facultatem nuncio concedit concordandi quoque cum partibus nomine eiusdem electoris.

§ 2. Nunc autem, ut, quantum in Domino possumus, eumdem Philippum Christophorum aetate gravem a quibuslibet litibus et molestiis liberemus, tenore praesentium tibi etiam committimus et mandamus, ut controversias quascumque motas et movendas, quibus idem Philippus Christophorus archiepiscopus, elector et episcopus et commendatarius respective molestatur, seu imposterum vexari contigerit a suis subditis quibuscumque, componere et concordare cures et studeas, ac, ut partes, cum praedicto Philippo Christophoro archiepiscopo, electore et episcopo litigantes seu contendentes, ad concordiam reducantur, te amicabiliter interponas, sine praeiudicio litium et causarum in Romanâ curiâ pendentium. Nos enim ad id tibi sufficientem et opportunam facultatem concedimus.

Derogat obstantibus.

§ 3. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII decembris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 17 decembris 1637, pontif. anno XV.

1 Forsan legendum *concesserimus:* ceterum utrasque litteras habes ante istas relatas (R. T.).

DXCII.

Conceditur archiepiscopo Treverensi sacri Romani imperii electori, ut pro electione regis Romanorum suffragium suum ferre possit, perinde ac si conventui electorali interfuisset[1].

Venerabili fratri Philippo Christophoro episcopo Treverensi, sacri Romani imperii principi electori, Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Pontifex electoribus potestatem fecerat deveniendi ad electionem imperatoris.

§ 1. Aliàs, sub die XX augusti anni praeteriti MDCXXXVI, per diversas nostras litteras in formâ Brevis sub annulo Piscatoris expeditas, et fraternitati tuae aliisque electoribus directas[2], decrevimus electionem regis Romanorum esse faciendam, et considerantes in eâ complures defectus intercessuros, quia duo electores haeretici ei intervenire debebant, quodque ad electionem novi regis Romanorum procedebatur alio rege Romanorum in imperatorem electo tunc vivente et adhuc non coronato, praedictos defectus electioni faciendae minime obstare voluimus.

Elector Treverensis petit licere sibi nunc suum ferre suffragium.

§ 2. Verum quia, ut nobis nuper exponi fecisti, eaedem litterae nostrae tibi redditae non fuerint, imo, te non vocato, sed absente ac contempto, ad electionem praedictam deventum fuerat[3], tu autem suffragium et votum tuum praestare exoptaveris et exoptes, propterea nobis humiliter supplicari fecisti, quatenus ad id sufficientem facultatem et dispensationem tibi concedere dignaremur.

Facultatem ad id concedit Urbanus.

§ 3. Nos igitur, desiderio tuo hac in parte satisfacere volentes, supplicationibus tuis inclinati, fraternitati tuae praesentium litterarum nostrarum serie concedimus, tecumque dispensamus, ut, non obstante

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Unam harum litterarum formam habes supra pag. 556 (R. T.).

3 Aptios lege *fuerit* (R. T.).

quod non fueris prout alii electores vocatus, votum et suffragium tuum ferre possis, et de eo habeatur ratio, perinde ac si conventui electorali interfuisses, et inibi cum aliis electoribus illud tulisses seu ferres.

Contrariis derogat. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII decembris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 18 decembris 1637, pontif. anno XV.

DXCXIII.

Super praecedentiâ inter regulares diversorum Ordinum[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Motiva § 1. Nuper pro parte dilecti filii Blasii a Cherso procuratoris generalis fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum nobis expositum fuit, quod dictus Ordo gravatur admodum litibus occasione praecedentiae cum aliis aliarum religionum regularibus in processionibus, ex quo (etiamsi aliàs a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus negotiis regularium praepositis diversas[2] in praefatâ materiâ praecedentiae, unam videlicet contra eiusdem Ordinis de Observantiâ nuncupatos Arbensis, aliam contra Servorum Beatae Mariae Virginis Soanensis, necnon duas alias litteras contra Praedicatorum respective Ordinum fratres Cassanensis et Ferentinus[3] obtinuerit tenoris subsequentis, videlicet:

1 Cum de hac materie non possit dari certa regula, sacra Congregatio S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita censuit servandas esse litteras Gregorii XIII et has Urbani VIII.

2 Male edit. Main. legit *diversis* (R. T.).

3 Legendum foret *Ferentini* (R. T.).

§ 2. Arbi. All'arcivescovo. Pare, che sia nata differenza della precedenza tra cotesti frati di san Francesco Conventuali ed Osservanti, allegando ogni un di loro alcune ragioni, per le quali si persuadono di dover precedere a gli altri, le quali essendosi diligentemente considerate nella Congregazione di questi miei illustrissimi signori preposti da Nostro Signore sopra le cause de' vescovi e regolari, s'è risoluto, *etiam* con il parere dell'illustrissimi protettori di tutte due le religioni, di far scrivere a V. S. che, occorrendo più simili differenze, le termini senza alcuna eccezione nell'istesso modo, che quel convento tenga il primo e più degno luogo che è più antico nella città, secondo che s'è fatto fin'ora, per quanto si presuppone, imperciocchè questo mezzo usato altrove è stato tale che ha finito ogni controversia, come si spera che farà anche costì per mezzo della prudenza e destrezza di V. S.: e Dio, ecc. Roma, 6 marzo 1582. Archiepiscopo Arbensi.

§ 3. Al vescovo di Soana, o suo vicario. Havendo inteso questi miei signori illustrissimi, che in cotesta città sono in disparere di precedenza li frati de' Servi con quelli di san Francesco Conventuali, hanno voluto che io faccia sapere a V. S. che nella precedenza di questi frati Mendicanti, secondo il parere di Nostro Signore, s'attende solamente l'antichità dei loro conventi, cioè che precedano quelli che prima hanno ottenuto li monasteri nei luoghi ove è nata la differenza; e perciò ella potrà dichiarare, che quelli precedano, li quali prima sono venuti ad abitare in cotesta città, che sarà appunto conforme a quello che s'è risoluto ed osservato in altri luoghi, ecc. Roma, li 24 di maggio 1583. Episcopo Soanensi.

§ 4. Al vescovo di Cassano. Fu dato in Congregazione un memoriale dal procuratore generale de' frati Conventuali di Episcopo Cassanensi.

san Francesco a nome del suo monastero di Castrovillari di cotesta diocesi, nel quale si doleva, che alcuni padri di san Domenico, che poco fa hanno pigliato luogo nella medesima terra, pretendevano nell'azioni publiche di precederli, non ostante che già sieno trecentocinquanta anni che quel monastero di san Francesco è fondato; e sapendosi, che Nostro Signore altre volte aveva dichiarato come si doveva procedere in simili casi, questi miei signori illustrissimi vollero che se ne dasse conto a Sua Beatitudine, la quale ha commesso, che si scriva a V. S. che faccia avere la prerogativa, ove nascono queste novità, alle religioni, che sono[1] a detti padri di san Domenico, ed oprarà che così si eseguisca. Roma, li 24 maggio 1583.

Episcopo Ferentino.

§ 5. Ferentino. Al vescovo. Nella differenza che verte tra cotesti frati di san Domenico e quelli di san Francesco per conto della precedenza, la sagra Congregazione vuole che s'osservi per l'avvenire quello che è stato osservato tra loro per il passato, sin tanto che non sia destinato altro, ed inclina che, conforme al moto proprio di Gregorio XIII di felice memoria, debbano precedere quelli che prima hanno avuto il luogo nella città; ed i decreti, che si allegano per parte de' frati di san Domenico in contrario, non sono stati fatti per derogare generalmente al moto proprio di Gregorio XIII, oltre che in quelle occasioni militavano altre ragioni di quelle che possano militare costì. Questa è la mente di questi illustrissimi miei signori, ed ella la doverà eseguire; e Dio, ecc. Roma, il primo giugno 1604)

Qui sunt in possessione praecedentiae praecedant.

§ 6. Attamen in casibus occurrentibus eaedem litterae reputantur provisiones particulares, non autem declarationes generales, dictique fratres Conventuales nova semper iudicia iisdem de rebus subire[1] coguntur: quare dictus Blasius procurator generalis nobis humiliter supplicari fecit, ut circa praedictarum litterarum observantiam per aliquod opportunum declarationis nostrae ministerium providere, ac aliàs ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, dictum Blasium procuratorem generalem huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium eisdem regularium negotiis praepositorum consilio, praeinsertas litteras ab eisdem cardinalibus aliàs utcumque in casibus particularibus emanatas, cum innitantur[2] iustitiae motusproprii Gregorii XIII hac de re editi, et sint conformes declarationibus sacrarum Concilii Tridentini ac Rituum congregationum, ut qui sunt in possessione praecedentiae praecedant, et, ubi non probatur aut non constat de possessione, praecedant ii qui sunt antiquiores in loco controversiae, esse generaliter observandas ubicumque contigerit de eâdem praecedentiâ dubitari, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, praecipimus et mandamus.

Decretum irritans.

§ 7. Decernentes irritum et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praedicto-

1 Heic deest verbum *anteriori* (R. T.).

1 Male ed. Main. legit *subiri* (R. T.).

2 Male ed. Main. legit *innitentur* (R. T.).

rum Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, illorumque superioribus, fratribus et personis, sub quibuscumque verborum tenore et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII decembris MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 18 decembris 1637, pontif. anno XV.

DXCIV.

Commissio gubernatori Marchiae circa repositionem coronae super insignibus civitatis Maceratensis [1].

Dilecto filio, provinciae nostrae Marchiae gubernatori,
Urbanus Papa VIII.
Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem

Sincerae fidei et devotionis affectus, quo dilecti filii communitas et homines civitatis nostrae Maceratensis nos et Romanam reverentur Ecclesiam, nos inducunt [1], ut illos specialibus favoribus et gratiis prosequamur.

Exordium.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dicti communitas et homines, quod, licet civitas praedicta, a multis annis citra, coronam super illius insignibus imponere consueverint, non solum eo iure nixi quia civitas huiusmodi dictae provinciae caput, illiusque legatorum seu gubernatorum residentiâ et universitate studii generalis multisque aliis praerogativis ornata existit etiam ab antiquissimo tempore, sed etiam quia quoddam dictae civitatis antiquum insigne ex lapide quod [1] in ipsius civitatis fonte maiori coronatum extat, nihilominus quaedam dictae civitatis insignia, coronis ut praefertur ornata, in aversâ parte sedilium seu subselliorum magistratus civitatis huiusmodi in ipsâ cathedrali ecclesiâ existentium insculpta, et alibi etiam existentia, amota et confracta fuerunt, non sine maximâ dictorum communitatis et hominum perturbatione, ac evidenti alicuius scandali exinde forsan orituri periculo; [2] nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Communitatis Maceratensis petitio.

§ 2. Nos igitur, publicae illorum quieti, pacique, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, ipsosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, quatenus omnia, quoad coronam super insignibus dictae civitatis, in pristinum et eum in quo antea quomodolibet erant statum auctoritate nostrâ restituas, reponas et plenarie reintegres.

Commissio, de qua in rubricâ.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Legendum foret *inducit* (R. T.).

1 Vox *quod* praeter syntaxim est (R. T.).
2 Aptius praemitteretur coniunct. *et* (R. T.).

Factaque potestas cuilibet in contrarium sua iura deducendi.

§ 3. Si vero contigerit aliquem vel aliquos cuiuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis et dignitatis, etiam ecclesiasticae, et speciali et individuâ expressione et notâ dignos, quidquam in contrarium praemissorum praetendere, volumus, et apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus, quod ipsi iura sua coram nobis deducant et deducere debeant; nos enim causam et negotium huiusmodi ad nos harum serie advocamus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV ianuarii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 15 ianuarii 1638, pontif. anno XV.

DXCV.

Quod imagines sanctorum Augustini, Nicolai de Tolentino et aliorum sanctorum Ordinis sancti Augustini depingi nequeant cum habitu quo Discalceati utuntur.

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Preces procuratoris generalis Ordinis sancti Augustini.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis fratrum Eremitarum Ordinis sancti Augustini, quod, cum ipse venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sacris ritibus praepositis exposuisset, qualiter dilecti filii patres Discalceati, eiusdem Ordinis, tum Romae, tum multis aliis in locis, imprimebant et depingebant imagines sanctorum Augustini, Nicolai Tolentinatis et aliorum eiusdem Ordinis sanctorum cum habitu quo ipsi Discalceati utuntur, quodque id vergebat in maximum praeiudicium eiusdem Ordinis, et in dies dare poterat occasionem plurium controversiarum et scandalorum, dicti cardinales hac super re ediderunt decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Sacrae Congregationis rituum decretum.

§ 2. Referente eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Verospio petitionem supradictam ad instantiam procuratoris generalis Ordinis sancti Augustini, sacra rituum Congregatio, citatis et auditis partibus, censuit, imagines sancti Augustini, sancti Nicolai de Tolentino et aliorum sanctorum eiusdem Ordinis sancti Augustini, impressas aut depictas a fratribus Discalceatis eiusdem Ordinis cum habitu quo ipsi Discalceati utuntur, suspendendas et abolendas esse, iniungendumque dictis fratribus Discalceatis, ne, sub poenis arbitrio huius sacrae Congregationis, talia amplius audeant peragere. Et ita omnino servari mandavit. Die XIX decembris MDCXXXVII.

Confirmatur et approbatur, supplenturque defectus.

§ 3. Ut autem decretum huiusmodi firmius subsistat, exactiusque ab omnibus, ad quos spectat, observetur, nobis idem procurator humiliter supplicari fecit, quatenus illud apostolicae confirmationis robore communire de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, dictum procuratorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti et solemnitatum quantumvis substantialium et quosvis alios defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint aut in-

tervenisse dici vel censeri possint in eodem, supplemus.

Mandat observari cum decreto irritante.

§ 4. Decernentes praesentes litteras validas, firmas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, firmiter et inviolabiliter observari; sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, illiusque domorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, ac quibusvis aliis,[1] derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, et aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§ 6. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae seu generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

1 Praemitte *etiam cum* [R. T.].

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII ianuarii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 23 ianuarii 1638, pontif. anno XV.

DXCVI.

Confirmatio statutorum universitatis exoneratorum cymbarum seu navium almae Urbis[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Expositio ex parte universitatis artis exoneratorum cymbarum almae Urbis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii universitas et homines artis exoneratorum cymbarum seu navium almae Urbis nostrae, quod pro bono felicique regimine et gubernio dictae universitatis nonnulla statuta edita fuerunt tenoris subsequentis, videlicet:

Statuti e nove reformazioni della Compagnia de' scaricatori di barche di Roma.

Sequuntur nonnulla statuta dictae universitatis.

La Compagnia de' scaricatori di barche, dipendente, e sotto la protezione della venerabile archiconfraternita del glorioso san Rocco di Roma, solita da tempo immemorabile esigere da tutti i scaricatori di barche di Roma elemosine da offerirsi ogni anno nella festa del detto santo per sussidio della sua chiesa ed ospedale, avendo fin dall'anno MDLXVI, per la direzione e buon governo di essa Compagnia, fatti alcuni statuti confermati in camera apostolica, e per osservanza di essi ottenuto il mandato dal signor cardinale camerlengo di santa Chiesa per li atti di Camillo Gavetano, notaro di camera, sotto il dì XXII settembre MDXCII, desiderando adesso riformarli secondo il presente bisogno; perciò in questo giorno... MDCXXXV nel pontificato di nostro signore Papa Urbano VIII, in piena congregazione generale di detti scaricatori legittimamente congregata a quest'effetto nel salone di

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

san Rocco, come per li atti di Tranquillo Pizzutti, notaro e segretario di detta archiconfraternita, ha stabilito, riformato e rinnovato respettivamente gl' infrascritti capitoli e statuti da osservarsi per l'avvenire in perpetuo, avutane però prima dalla Santità di Nostro Signore, camera apostolica, o altri, a chi spetti, la dovuta confermazione.

CAPITOLO I.

Che il giorno di san Rocco, avvocato della Compagnia, nel salone solito della archiconfraternita di detto Santo si elegga nella congregazione generale un signore e quattro camerlenghi, quali eletti debbano prontamente accettare la carica ed offizio sotto pena d'uno scudo d'oro in oro per ognuno, e quando il signore, dopo aver accettato questo giorno la mazza, volesse renunciarla prima dell'anno che durerà il suo offizio, debba pagare scudi cinque di moneta; e la sopraddetta pena d'uno scudo d'oro in oro pagheranno similmente tutti quelli, quali, eletti legittimamente a qualch'altro offizio, non vorranno accettarlo, mentre però non avessero qualche legittimo impedimento da approvarsi dalla medesima congregazione.

CAPITOLO II.

Chi non essendo legittimamente impedito mancherà d'intervenire alla suddetta congregazione generale di san Rocco, che s'intende ogn'anno intimata senz'altra notizia, pagherà scudo uno d'oro per volta, e chi mancherà poi nelle altre congregazioni generali che s'intimeranno fra l'anno, non essendo come sopra impedito, pagherà due carlini per volta (dichiarando però che non possa il signore farla intimare senza consiglio e partecipazione delli quattro camerlenghi); e chi lascierà d'accompagnare il signore e camerlenghi all'offerta che si farà il giorno di san Rocco, senza legittimo impedimento, pagherà la stessa pena di due carlini.

CAPITOLO III.

La congregazione generale si farà sempre nel solito salone grande di san Rocco, e per intimarla s'affiggeranno i bollettini d'avviso a Ripetta nuova e vecchia, il che basterà per costituire contumace e dichiarare incorso nella suddetta pena di due carlini chi, non essendo legittimamente impedito, avrà mancato d'intervenirvi, e s'intenderà in sufficiente numero congregata ogni volta che vi saranno venti scaricatori, con li quali potrà risolvere e deliberare tutto quello che farà di bisogno per servizio della detta compagnia, come se vi fossero intervenuti tutti gli altri scaricatori di Roma.

CAPITOLO IV.

Tutti i scaricatori che lavorano la barella in qualsivoglia ripa e luogo di fiume qui in Roma, o che scaricano legne di passo in qualsivoglia luogo tanto con li bronzi quanto a spalla, o in ogni altro modo che lavorano di legna, e tutti li caporali de' scaricatori di fascina, fascinaccia, scaglia, travi, travicelli, tavole e qualsivoglia altra roba ripale che viene per fiume a Ripetta, Ripagrande e Marmorata, ed ogni altro luogo di Roma, pagheranno giulì quattro per ciascheduno ogni anno in mano del signore *pro tempore* il primo giorno che lavoreranno, o quando parerà al detto signore di riscuoterli; e quelli lavoratori che scaricano fascine, fascinaccie, scaglie o altre robe ripali, pagheranno nell'istesso modo come sopra quindici baiocchi l'anno; oltre la qual somma li signori *pro tempore*, tanto vecchio quanto nuovo, saranno tenuti di pagare ogni anno per la festa di S. Rocco giulì quattro, e tutti quelli che entreranno

di nuovo a lavorare o scaricare con la barella roba ripale che venga per fiume a Roma, pagheranno in mano del signore, subito che entreranno a lavorare, scudo uno di moneta, e mancando essi sia tenuto per loro quel caporale che gli avrà chiamati a lavorare.

CAPITOLO V.

Sarà cura e pensiero del signore *pro tempore* di riscuotere li denari di tutti quelli che devono pagarli tanto per la solita paga annuale come per quello che si deve da chi comincierà a lavorare ed esercitare l'arte di scaricatore, come sopra nel capitolo antecedente, e per la pena di qualche mancamento, con autorità assoluta, mostrati però prima alli debitori li presenti ordini e statuti, di constringerli a pagare rigorosamente e farli fare l'esecuzione, e senza precedente citazione, da qualsivoglia esecutore di Roma, quale per sua mercede non potrà pretendere nè avere più d'un carlino per ciascheduna esecuzione; e chi ricuserà pagare quel che deve, e non avrà compito avanti il giorno dell'offerta, sarà tenuto, oltre il debito, alla pena di giuli sei tante volte quante lascierà di soddisfare; e mancando il signore di riscuotere, sia tenuto compire del proprio tutto quello che, per suo mancamento o per non avere fatte le dovute diligenze, non sarà stato riscosso durante il suo offizio.

CAPITOLO VI.

Sarà cura ed obbligo delli camerlenghi *pro tempore* d'accompagnare uno per volta il signore quando anderà a riscuotere li denari, a comprar la cera per la candelora, o fare altro negozio spettante alla Compagnia, e mancando di andarci pagherà ciascun di loro per ogni volta due carlini, avvertendo il signore chiamarli a vicenda, acciò resti la fatica ripartita.

CAPITOLO VII.

Il signore della Compagnia, mese per mese, darà minuto conto alli quattro camerlenghi, e al signore vecchio, di tutto quello che avrà riscosso in quel mese, ed alla loro presenza lo metterà nella cassa della Compagnia che si tiene a quest'effetto dentro l'ospedale o altro luogo privato di detta chiesa, serrata con due chiavi differenti da ritenersi una dal signore vecchio e l'altra dal signore nuovo; della qual cassa non potranno mai cavare denaro alcuno, nè pure in minima quantità, per qualsisia causa urgente e necessaria, senza consenso ed intervento delli camerlenghi, sotto pena di scudi cinque per ogni volta che contraffaranno, da rimettersi in detta cassa subito con tutto quel denaro che avessero levato; nella quale si custodirà per farne poi l'offerta a S. Rocco il giorno della sua festa, come si dirà a suo luogo; ed ogni volta che si metterà, come sopra, denari nella cassa, se ne farà distinta nota in un libro a parte da tenersi a posta per quest'effetto; e mancando il detto signore di dare il detto conto e metter come sopra li denari nella cassa a suo tempo, li detti camerlengo ed il signore vecchio, e ciascheduno di loro in solido, possa e debba astringerlo, anche per via di ragione, a render detti conti e metter subito li denari riscossi nella cassa, nella quale diligenza mancando, li suddetti signori vecchio e camerlenghi saranno tenuti a supplire del loro proprio tutto quello che resterà debitore il detto signore *pro tempore*.

CAPITOLO VIII.

Il giorno della festa di S. Rocco ogni anno in perpetuo si farà l'offerta di tutto il denaro che si troverà nella detta cassa alla chiesa ed ospedale di S. Rocco, acciò servi per li bisogni di detta chiesa

ed ospedale, come parerà meglio alli signori primicerio e guardiani d'esso.

CAPITOLO IX.

Che per difesa delle ragioni della Compagnia s'elegga un procuratore idoneo di buona vita e costumi, la di cui cura sarà d'assistere a' bisogni della Compagnia, e comparir per essa, quando occorrerà, avanti qualsisia giudice e tribunale di Roma; al quale si darà per stipendio annuale quello che sarà determinato dalli signori primicerio e guardiani di S. Rocco.

CAPITOLO X.

Che si distribuiscano ogni anno nel giorno della candelora le candele dal signore e camerlenghi nell'ospedale di san Rocco, e non altrove, il suddetto giorno della candelora, e nelle due feste seguenti, solamente alli scaricatori della Compagnia, e non ad altri, avvertendo che quella del signore sia di peso di due libbre, quelle delli camerlenghi d'una libbra, e quella di tutti l'altri d'oncie tre.

CAPITOLO XI.

Che per mantenere la pace, unione e rispetto dovuto alli superiori, tanto necessario, nessun scaricatore ardisca dir parole ingiuriose al signore e camerlenghi, in ordine però a' negozî della Compagnia, sotto pena di libbre cinque di cera bianca per ciascheduna volta da applicarsi alla chiesa di S. Rocco, ed altre pene più gravi, secondo li casi che occorreranno, ad arbitrio delli signori primicerio e guardiani di S. Rocco.

CAPITOLO XII.

Che nel giorno della festa di san Rocco si debba fare adunanza, nella quale si debba fare il signore, con imbussolare tutti della detta adunanza, e poi cavarli, e chi rifiuterà non voler accettare la signoria debba pagare quello che si contiene nel primo statuto.

Io. Baptista Somellinas, C. A. cler.
Ioannes Guinius.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefati exponentes statuta huiusmodi apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desiderent: Petitur confirmatio.

§ 3. Nos, illos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, statuta praeinserta, cum omnibus et singulis in eis contentis, dummodo sint in usu, nec sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibent intervenerint, supplemus. Confirmantur.

§ 4. Decernentes illa, necnon praesentes litteras, valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis ad quos spectat et pro tempore spectabit inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Clausulae.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x februarii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 10 februarii 1638, pontif. anno XV.

DXCVII

Annullatio capituli provincialis fratrum Minorum sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum provinciae S. Bernardini in Gallia celebrati in spretum et contemptum litterarum apostolicarum.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Motiva huius Constitutionis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, in provinciâ S. Bernardini Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum in Gallia fuerit de mense septembris proxime praeteriti capitulum provinciale dictae provinciae celebratum cum assistentiâ, iussu et mandato dilecti filii Martialis de la Chaumette dicti Ordinis professoris, praetensi visitatoris a dilecto filio eiusdem Ordinis ministro generali ad id deputati, in spretum et contemptum nostrarum in simili formâ Brevis litterarum, per quas dilectus pariter filius Romanus Cupif, eiusdem Ordinis etiam professor, in eiusdem provinciae illiusque fratrum commissarium et visitatorem deputatus seu delegatus fuerat;

§ 2. Imo vero, a praefatarum litterarum executione ipsius Martialis nomine interpositâ ad nos et sanctam Sedem Apostolicam appellatione, negotium huiusmodi ad venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales negotiis regularium praepositos, ut examinaretur, et a dilecto filio nostro Francisco S. Laurentii in Damaso diacono cardinale Barberino nuncupato, S. R. E. vice cancellario, nostro secundum carnem ex fratre germano nepote, dictique Ordinis apud nos et eamdem Sedem protectore decideretur, remissum fuerit:

Declarat capitulum nullum prout in rubrica.

§ 3. Nos, rationibus pro utrâque parte allegatis et deductis mature consideratis, accurateque discussis, de eorumdem fratrum consilio, capitulum provinciale praedictum, cum omnibus inde sequutis, fuisse et esse nullum, nulliusque roboris vel momenti existere, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus, illudque irritamus, revocamus et annullamus; eumdemque propterea Martialem, omnesque alios, qui praedictis nostris litteris, et mandatis venerabilis fratris episcopi Biterrensis illarum exequutoris, resistere vel aliâs contraire ausi sunt, praeter censuras et poenas in eisdem litteris comminatas et per eos incursas, ad quaecumque dicti Ordinis officia, munia et dignitates inibi imposterum obtinenda inhabiles, vocisque activae et passivae beneficio[1], ad nostrum et eiusdem Sedis Apostolicae beneplacitum, declaramus, ac eumdem Romanum in praefati visitatoris et commissarii huiusmodi officii possessione manutenendum esse et fore decernimus.

Praeceptum de observando.

§ 4. Mandantes propterea omnibus et singulis dictae provinciae fratribus et personis, in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis et aliis arbitrii nostri poenis, ut eumdem Romanum in visitatorem et commissarium huiusmodi habeant et recognoscant, illique debitum honorem et obedientiam in quocumque dictae provinciae visitationis actu perficiendo praestent: ac eidem Romano, ut, peractâ per ipsum visitatione huiusmodi, denuo capitulum provinciale dictae provinciae indicere, intimare ac celebrare, et vocatis vocandis, iuxta seriem et continentiam earumdem nostrarum litterarum,

1 Addendum *privatos* (R. T.).

absolvere omnino debeat: ac decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari; sicque per quoscumque commissarios et quosvis alios, quavis auctoritate fungentes, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitatis aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis dicti Ordinis et provinciae huiusmodi superioribus et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam aliàs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xv februarii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 15 februarii 1638, pontif. anno xv.

DXCVIII.

Circa lectorum iubilationem fratrum Minorum de Observantia cismontanae familiae.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Motiva

§ 1. Cum, sicut accepimus, ex frequentissimâ inmeritâque lectorum iubilatione in cismontanâ familiâ Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum quamplures querelae, multaque et graviora incommoda in eâdem familiâ redundarint, ac de remedio incommodis huiusmodi adhibendo, cum primum illa ad dilecti filii nostri Francisci S. Laurentii in Damaso diaconi cardinalis Barberini nuncupati, sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellarii, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, dictique Ordinis apud nos et Sedem apostolicam protectoris, aures pervenerunt, tractatum fuerit:

Lectores iubilati instituantur iuxta Ordinum constitutiones.

§ 2. Nos, qui religiosorum Ordinum pacem et unitatem sinceris desideramus affectibus, ut querelis et incommodis huiusmodi obviam eatur, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac merâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium statuimus, ut lectores iubilati iuxta praescriptum litterarum felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri, necnon generalium dicti Ordinis constitutionum pluries renovatarum, ac postremo in capitulo generali dicti Ordinis in civitate Toletana celebrato, instituantur, ita quod nullus posthac ad iubilationem admittatur, quin prius logicam et philosophiam tres annos, ac theologiam decem absque ullâ intermissione edocuerit, vel, si intermitti contigerit, duodecim annos theologiae lector extiterit;

§ 3. Singulis quibusque annis publica et authentica attestatio a guardiano et discretis, eorum manu proprià et iuramento firmata, conventusque sigillo obsignata, conficiatur, et in publico conventus archivio servetur, ubi, cum opus fuerit, reperiatur; ut theologiae lectio in ordine

ad futuram iubilationem non introducatur, nisi ubi studia formata viguerint et generalia atque a capitulo et congregatione generalibus instituta; quod lectores, qui non intervenientibus praedictis conditionibus per provinciam vel per superiores generales ad iubilationem admissi reperientur, eo ipso nulliter iubilati censeantur;

§ 4. Ut numerus lectorum iubilatorum restringatur iuxta dispositionem capituli generalis in almâ Urbe anno MDCXII celebrati pro ultramontanâ familiâ, videlicet, ut, pro unoquoque studio generali in singulis provinciis existenti, duo tantum iubilati permittantur, et quolibet deficiente, loco ipsius alter sufficiatur, qui lectionis cursum prius absolverit; demum, pro servandâ in provinciis dicti Ordinis tranquillitate, reprimendisque querelis in hac curiâ in dies exurgentibus, eo quod plurimi, non probato legitime lectionis tempore, et cum maiorum deceptione superiorum, iubilationem obtinuerunt, statuimus pariter et ordinamus, ut praefato more informationes et temporis ad lectionem constituti attestationes per ministros provinciales de novo conficiantur, et ad generales superiores firmatae sigillataeque remittantur, ut hac ratione relaxationibus et abusibus obviam eatur.

Mandat observari statuta quoad iubilationem.

§ 5. Mandantes propterea omnibus et singulis dictae cismontanae familiae Ordinis huiusmodi superioribus, fratribus et personis, quocumque nomine nuncupatis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis aliisque arbitrii nostri poenis, ne circa praedictorum lectorum iubilationem quicquam aliâs quam in praedictis statutis disponitur ullo unquam tempore de cetero facere vel attentare audeant seu praesumant, ac decernentes statuta huiusmodi, necnon praesentes litteras, valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrarius.

§ 6. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis et cismontanae familiae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis dicti Ordinis superioribus, fratribus et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliâs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 7. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II martii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 2 martii 1638, pontif. anno XV.

DXCIX.

Ne parochi plus percipere possint in sepulturis quae fiunt in ecclesiis regularium, quam in eis quae fiunt in propriis [1].

1 De hac re vide plures alias constitut. t. XI, pag. 60, 196, 508; et tom. XII, pag. 417 (B. T.).

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius procurator generalis fratrum Ordinis Minorum Conventualium sancti Francisci nuncupatorum nobis nuper exponi fecit, diversae extorsiones excessivae a dilectis filiis capitulo et canonicis secularis et collegiatae loci de Veglie, Brundusinae dioecesis, necnon etiam a diversis parochis aliorum locorum fiant pro impediendâ libertate electionis sepulturae in ecclesiis Ordinis huiusmodi; nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut de opportuno in praemissis remedio providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Committit ordinariis locorum prout in rubrica.

§ 2. Nos igitur, dictum exponentem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, Ordinariis locorum per praesentes committimus, ut provideant omnino, ne diutius abusus huiusmodi tolerentur, et decernant, ne parochi plus percipere possint in sepulturis quae fiunt in ecclesiis regularium, quam in eis quae fiunt in propriis, seu aliorum clericorum non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II martii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 3 martii 1638, pontif. anno XV.

DC.

Indulgentia plenaria ad divinam opem implorandam[1].

Urbanus Papa VIII,
Universis christifidelibus, in Italiâ et adiacentibus ei insulis degentibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium ab ipsa materia sumptum.

Publicae quietis zelo ducti, licet pastorali nostro muneri satisfacere cupientes catholicos principes multipliciter et accurate ad mutuam concordiam, etiam per nuncios nostros ordinarios et extraordinarios, hortati sumus, sperantes fore ut ipsi aliquam opportunam pacis inter se constituendae rationem inirent, eâque de causâ dilectum filium nostrum Martinum S. Angeli in Foro Piscium diaconum cardinalem Ginettum nuncupatum, nostrum in almâ Urbe vicarium in spiritualibus generalem, Coloniam Agrippinam nostrum et Sedis Apostolicae de latere legatum transmiserimus, et divinum auxilium etiam publicis precibus imploraverimus, attamen (quod non sine animi nostri molestiâ referimus) usque adhuc omnis labor et studium impensum hoste humani generis zizania disseminante in vacuum cessit, nec Dominus complacitior apparet peccatis populorum divinam iracundiam irritantibus, diligit enim iustitiam et odit iniquitatem, sed misereri non obliviscitur. Ad communes igitur christiani populi poenitentis preces, ut Deus animis principum concitatis[2] optatam pacem largiri dignetur, denuo recurrendum duximus. Hoc autem ut fructuosius et maiori cum spiritus ardore peragatur, ex veteri Ecclesiae Romanae omnium matris et magistrae more, eiusdem Ecclesiae thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus, proferre et erogare decrevimus.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Edit. Main. legit *concialis* (R. T.).

Concessio indulgentiae praescripta haec operà peragentibus.

§ 1. Itaque, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus sancti, omnes et singulos utriusque sexus christifideles, tam in almâ Urbe nostrâ quam in reliquâ Italiâ et adiacentibus ei insulis constitutos, apostolicâ auctoritate paterne eniveque requirimus, monemus, et in Domino adhortamur ad infrascripta devote peragendum et adimplendum, et ad Deum Salvatorem nostrum orandum, ut per viscera misericordiae suae fidem catholicam protegere, ab hostium conatibus et insidiis defendere, haeresim extirpare, principibus christianis pacem et veram tranquillitatem donare, ac praecipue praesentibus Ecclesiae necessitatibus subvenire dignetur. Nos enim, de omnipotentis Dei misecordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate quam nobis Dominus meritis minime suffragantibus contulit, universis et singulis christifidelibus in almâ Urbe praedictâ degentibus, qui S. Ioannis Lateranensis, Principis apostolorum, S. Mariae Maioris et alias eiusdem Urbis ecclesias seu basilicas, in quibus, iuxta distributionem a dilecto filio nostro in Urbe praedictâ in spiritualibus provicario generali faciendam, sanctissimum Eucharistiae sacramentum publice exponetur, vel ecclesiarum huiusmodi alteram spatio duorum mensium a die datae praesentium computandorum semel saltem visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote, ut supra, Deum oraverint, ac peccata sua confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum reverenter sumpserint; ceteris vero extra Urbem praedictam in reliquâ Italiâ et[1] adiacentibus ei insulis degentibus, qui ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum vicariis, seu officialibus, aut de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hae nostrae litterae pervenerint, designandas, in quibus pariter sanctissimum Eucharistiae sacramentum exponetur, vel ecclesiarum huiusmodi alteram spatio quindecim dierum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum vicarios, seu officiales, et alios ut praefertur faciendae computandorum saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, pariterque peccata sua confessi ac sanctissimâ Communione refecti fuerint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium, concedimus et elarginur.

Impediti quid praestare debeant ad indulgentiam consequendam.

§ 2. Navigantes vero et iter agentes, ut, cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis et visitatâ ecclesiâ cathedrali, vel maiore aut parochiali loci eiusdem domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant; regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis quam religiosis secularibus vel regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, scilicet ecclesiae seu ecclesiarum visitationem, et orationem, vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa confessarius, etiam ex aliâs approbatis ab Ordinariis locorum, eis in alia pietatis opera commutare vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

Indultum eligendi confessarium, cui nonnullae facultates conceduntur.

§ 3. Insuper omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus et regularibus cuiuscumque Ordinis, congregationis et instituti in Urbe praedictâ ac re-

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

liquâ Italiâ, ut praefertur, degentibus, qui ecclesias praedictas, seu earum alteram, novies continuis seu interpolatis diebus intra dictorum duorum mensium et respective quindecim dierum spatium visitaverint, et inibi, ut supra, oraverint, necnon feriâ quartâ et sextâ ac sabbato alicuius hebdomadae intra dictum temporis spatium decurrendae ieiunaverint, licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium tam secularem quam cuiusvis Ordinis regularem, etiam ex aliàs approbatis a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliàs per quascumque nostras aut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae et hac vice tantum (non tamen a crimine haeresis) absolvere et liberare valeant; et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis.

Praesentium publicatio ab ordinariis facienda.

§ 4. Quapropter tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis ac quibuscumque Ordinariis locorum, in Italiâ et adiacentibus ei insulis existentibus, eorumque vicariis et officialibus, vel, eis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ullâ morâ, retardatione, vel impedimento per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent.

Casus, qui excipiuntur.

§ 5. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate, publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quomodocumque contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae; neque etiam easdem praesentes iis, qui a nobis et Apostolicâ Sede, vel ab aliquo praelato, seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus dictorum duorum mensium et respective quindecim dierum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Obstantium derogatio.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum vel facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et congregationum sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, congregationi-

bus et institutis, illorumque personis, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac formam eorum traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter nominatim et expresse, ad effectum praesentium, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 7. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earumdem praesentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, ubique locorum et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III martii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 3 martii 1638, pontif. anno XV.

DCI.

Quod abbates monasteriorum pauperiorum Congregationis Montis Oliveti de licentiâ procuratoris generalis possint imponere unum seu plures census pro sublevandis indigentiis eorumdem [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

In iis praecipue sollicitudinis nostrae partes libenter interponimus, per quae regularium personarum necessitatibus commodiori, qua fieri potest, ratione succurratur, cum non modo pastorale nostrum munus a nobis id exposcat, sed ad hoc etiam paternus amor, quo illas diligimus, nos inducat.

Motiva.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis nuper exponi fecit dilectus filius Congregationis Montis Oliveti procurator generalis, quamplurima dictae Congregationis monasteria, tum propter steriles quorumdam annorum messes, aliasque calamitates, ad eam devenerint egestatem, adeoque aere alieno gravata existant, ut illorum Ordinarii redditus et proventus ipsius aeris alieni interusurio persolvendo necnon camerae apostolicae oneribus aliisque sibi incumbentibus oneribus supportandis non sufficiant: nobis propterea dictus procurator generalis humiliter supplicari fecit, ut super praemissis aliquâ ratione providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 2. Nos, monasteriorum huiusmodi indigentiis paternâ pietate prospicere, illorumque superiores et monachos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus dicti procuratoris generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Concedit prout in rubrica.

§ 3. Quod monasteriorum pauperiorum dictae Congregationis abbates et superiores, de abbatis seu procuratoris generalium eiusdem Ordinis licentiâ et assensu, unum seu plures census annuos usque ad pecuniarum summas, quas ipsi abbas seu procurator generalis huiusmodi illis necessarias esse iudicaverint, in sorte prin-

1 De hac materia vide Const. *Exponi nobis* huius Pontificis, ut supra pag. 593.

cipali ascendentes, ad rationem quinque pro centenario, super suorum monasteriorum bonis imponere, illosque aliis ditioribus dicti Ordinis monasteriis tantum alienare, seque et dicta monasteria sive illorum bona ad solutionem censuum sic imponendorum et alienandorum faciendam obligare, monasteria vero ditiora huiusmodi pauperioribus monasteriis praedictis pecuniarum summas eis necessarias ad census seu pro censibus huiusmodi concedere, censusque praedictos sibi, ut praefertur, vendendos et assignandos recipere, ac instrumenta desuper necessaria et opportuna celebrare respective libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus, dictisque abbati seu procuratori generalibus monasteriis praedictis[1] ad pecuniarum summas illis necessarias, ut praefertur, concedendas cogendi et compellendi plenam, auctoritate et tenore praefatis, tribuimus facultatem.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes praesentes litteras semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, pauperioribus vero monasteriis praedictis plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputat.

§ 5. Quocirca omnibus et singulis locorum Ordinariis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte abbatis seu procuratoris generalium, monasteriorumque dictae Congregationis, illorumque superiorum, et seu alicuius eorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac illis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes, ac omnia in eis contenta, ab omnibus quos illa concernunt integre et inviolabiliter observari.

Transgressores puniri mandat.

§ 6. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§ 7. Non obstantibus felicis recordationis Pauli Papae II, aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis, illiusque monasteriorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 8. Volumus autem, quod census huiusmodi, sic ut praefertur imponendi, quanto citius fieri poterit, extinguantur: quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem

1 Aptius forsan legeretur *monasteria praedicta* nempe *ditiora* (R. T.).

prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII aprilis MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 12 aprilis 1638, pontif. anno XV.

DCII.

Confirmatio decreti R. C. A. super pretio aluminum Status Ecclesiastici[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Exponitur appaltatorum aluminum Status Ecclesiastici ad eorum pretium augendum.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum appaltatorum generalium alumeriarum Status Ecclesiastici et eorum subappaltatoris in civitate nostrâ Bononiensi nobis expositum fuit, quod, vertente inter ipsos ex unâ ac dilectos filios tintores et pelliones dictae civitatis aliosque consortes ex alterâ partibus lite super pretio aluminum, fuit in plenâ nostrâ camerâ apostolicâ per dilectos filios eiusdem camerae praesidentes clericos et alios camerales resolutum, pretium aluminum huiusmodi esse augendum usque ad baioccos sex, quando venditur minutatim, quando vero venditur, ut vulgo dicitur *all'ingrosso*, ad baioccos quinque cum dimidio, et aliàs, prout in dictâ resolutione et instrumento publico desuper confecto plenius dicitur contineri.

Lites [illegible] consortum [illegible] [illegible] [illegible]

aliâ quavis causâ vel praetextu, de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari, vel retractari, in ius vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris, gratiae vel facti remedium impetrari, aut concedi posse, sed semper validas, firmas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter observari et adimpleri; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, dictaeque camerae praesidentes clericos et alios officiales, ac etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat obstantibus.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae civitatis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII aprilis MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 18 aprilis 1638, pontif. anno XV.

DCII.

Privilegium pro Congregatione Cassinensi contra appellantes et ambientes[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Litterae Gregorii XIII.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Gregorio Papae XIII praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam. Nihil in unaquaque religiosâ familiâ, etc.[2].

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius procurator generalis dictae Congregationis nobis nuper exponi fecit, ipse praeinsertas litteras per nos confirmari, necnon praeceptum, quod in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poenâ in huiusmodi litteris fit praelatis, qui pro tempore regimini dictae Congregationis deputati erunt, ne monachos ad alias[3] praelaturas, dignitates, gradus, administrationes et alia ipsius Congregationis officia precibus, litteris vel favoribus principum, vel praelatorum extra gremium dictae Congregationis existentium adducti promovere praesumant, ad alios quosque et singulos abbates et superiores quorumcumque dictae Congregationis monasteriorum, qui praedictos monachos ad rectorias, vicariatus, administrationes et cuiusvis generis officia, tam spiritualia quam temporalia, ab eisdem monasteriis dependentia, precibus et favoribus huiusmodi, deputabunt, extendi, eosdemque monachos ad similes favores recurrentes eâdem poenâ ligari summopere desideret:

§ 3. Nos, prospero, felicique dictae Congregationis gubernio et regimini peram-

1 Plures summi Pontifices Congregationibus monachorum prohibuerunt dignitatum ambitum.
2 Reliquum habes in tom. VIII, pag. 66 (R.T.).
3 Forsan legendum *aliquas* (R. T.).

plius consultum esse cupientes, ipsumque procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas litteras dicti Gregorii praedecessoris, cum omnibus et singulis in eis contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, ac, quatenus opus sit, innovamus, necnon omnibus et singulis quorumcumque monasteriorum dictae Congregationis abbatibus et superioribus quomodolibet nuncupatis, nunc et pro tempore existentibus, in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis latae sententiae poenâ praecipimus et mandamus, ne ad instantiam, preces et requisitionem quarumcumque personarum tam laicarum quam ecclesiasticarum extra gremium dictae Congregationis consistentium, etiam cardinalatus honore et quacumque seculari dignitate et excellentiâ etiam ducali, regali, imperiali fulgentium, quosvis dictae Congregationis monachos ad cuiusvis generis rectorias, vicariatus, administrationes et officia quaecumque, tam spiritualia quam temporalia, singulorum monasteriorum deputare praesumant, eosdemque dictae Congregationis monachos, cuiuscumque aetatis, gradus, conditionis, praeeminentiae et litteraturae existant, et quacumque dignitate praefulgeant, qui tam ad praelaturas, dignitates, gradus et alia officia a praelatis pro tempore regimini dictae Congregationis deputatis assequenda, quam etiam ad rectorias, vicariatus, administrationes et alia officia quaecumque, tam spiritualia quam temporalia, a praelatis et superioribus singulorum monasteriorum impetranda, ad praedictarum personarum principum et praelatorum de gremio dictae Congregationis non existentium favores, per se, vel interpositam personam, directe vel indirecte, occulte vel palam, aut aliàs quomodolibet recurrerint, vel ad praelaturas, dignitates, administrationes et alia huiusmodi dictae Congregationis et monasteriorum officia aspiraverint, vel aliis minus legitimis et honestis rationibus ea obtinere conati fuerint, praedictas excommunicationis latae sententiae aliasque inhabilitatis et privationis poenas, in praeinsertis Gregorii praedecessoris litteris contra similia perpetrantes comminatas, eo ipso incurrere et incurrisse decernimus et declaramus.

§ 4. Non obstantibus omnibus et singulis, quae in praeinsertis litteris idem Gregorius praedecessor voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem harum litterarum nostrarum notitia ad omnes monasteriorum dictae Congregationis abbates, superiores et monachos facilius deveniat, volumus illas in generali dictae Congregationis capitulo singulo quoque anno publice legi, illasque in dicto capitulo lectas sic arctare ac si legitime unicuique personaliter intimatae fuissent, illarumque exemplis impressis, manu scribae dicti capituli vel notarii publici subscriptis, et sigillo praesidentis ipsius Congregationis vel alterius in dignitate ecclesiasticâ constituti munitis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI maii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 11 maii 1638, pontif. anno XV.

DCIV.

Quod provincia Romana fratrum Cappuccinorum subiiciatur generali, et in eius absentiâ procuratori generali eorumdem, eo modo quo ceterae provinciae [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Iniuncti nobis a Domino apostolici muneris ratio postulat, ut religiosorum virorum, qui, spretis huius seculi vanitatibus, divini numinis obsequiis sub suavi religionis iugo et strictioris observantiae regulis se mancipaverunt, paternam curam gerentes, in his eiusdem muneris partes sedulo intendamus, per quae prospero felicique eorum statui et directioni opportune consulatur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Declaratio, de qua in rubrica. § 1. Hinc est quod nos, quo difficultates, quae, ut accepimus, Ordini fratrum Minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum aliquid molestiae adferunt, e medio tollantur, quantum cum Domino possumus, providere volentes, ministrum provincialem provinciae Romanae dicti Ordinis, ipsamque provinciam, cum omnibus et singulis eius domibus locisque regularibus et conventibus, dilectis filiis modernis et pro tempore existentibus ministro generali et procuratori eiusdem Ordinis, dum hîc vices ipsius ministri generalis sustinet commissariusque generalis appellatur et est (iis legibus, eoque modo quo ceterae provinciae ceterique ministri provinciales Ordinis huiusmodi, iuxta eius constitutiones apostolicâ auctoritate confirmatas, subiectae et subiecti sunt), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, subiicimus; ac praesentibus nostris litteris alias a nobis die XVI martii anno MDCXXVI emanatas minime obstare,[1] nosque per secundodictas litteras auctoritati commissarii generalis dicti Ordinis, cui minister provincialis Romanae provinciae praedictae, ipsaque provincia, more ceterarum provinciarum ceterorumque Ordinum, parere debent (eo maxime tempore, quo dictus minister generalis transmarinas et ultramarinas provincias incolit, invisitque), noluisse nec intendisse derogare declaramus.

Quod recognoscant superiores generales. § 2. Mandantes propterea dilecto filio moderno et pro tempore existenti ministro provinciali, aliisque officialibus et fratribus dictae provinciae Romanae quomodolibet nuncupatis, nunc et pro tempore existentibus, in virtute sanctae obedientiae, ac sub suspensionis et irregularitatis, depositionisque ab eorum officiis et muneribus, perpetuaeque privationis vocis activae et passivae ipso facto incurrendae[2], aliisque, arbitrio dilecti filii nostri Antonii videlicet S. Petri ad Vincula presbyteri cardinalis S. Onuphrii nuncupati, nostri secundum carnem fratris germani, moderni et pro tempore existentis Ordinis praedicti apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, poenis, ut ministrum generalem, et procuratorem generalem dum vices ipsius ministri generalis sustinet, estque commissarius generalis praefatorum, in suos superiores recipiant et agnoscant, eorumque salubria monita et iussa suscipiant humiliter, et efficaciter adimplere procurent.

Contrariis derogat. § 3. Non obstantibus, quatenus opus sit, praedictis nostris litteris, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privile-

1 Istius Ordinis materiam habes in Const. XLVI, (*al.* 45) Gregorii XV, *Ex iniuncto*, tom. XII, pagina 617; et in Const. *Salvatoris* huius Pontificis, ut infra sub die 17 febr. 1640, tom. seq.

1 Quas puto non esse in *Bullario* (R. T.).

2 Potius lege *incurrendis* nempe *poenis* (R.T).

giis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordini et provinciae, ac ministro provinciali, aliisque fratribus praedictis, et[1] quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu proprio, ac ex certâ scientiâ, et de apostolicae potestatis plenitudine, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio facienda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII maii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 13 maii 1638, pontif. anno XV.

DCV.

Quod sacerdos celebrans in altari cappellae sanctae Catharinae Senensis super Minervam pro animâ alicuius defuncti liberet eam a poenis per modum suffragii. Conceditur praeterea indulgentia plenaria pro visitantibus dictam cappellam in eius die festo communione refectis[2].

1 Potius lege *sub* vel *cum* (R. T.).

2 Plures summi Pontifices concesserunt simile indulgentias diversis regularibus.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, dilectus filius noster Antonius S. Agathae diaconus cardinalis Barberinus nuncupatus, noster secundum carnem ex fratre germano nepos, Ordinis sancti Dominici apud nos et Sedem Apostolicam protector, pro eximiâ suâ in Deum pietate, ac erga sanctam Catharinam Senensem dicti Ordinis devotione, cappellam olim cubiculum dictae sanctae Catharinae in Urbe existens, cum suis parietibus, incrustationibus et picturis antiquis in eo existentibus transferri ad ecclesiam Beatae Mariae super Minervam domus regularis dicti Ordinis de eâdem Urbe et prope sacristiam dictae ecclesiae collocari curaverit,

Concedit prout in rubricâ.

§ 2. Nos, eandem cappellam spiritualibus indulgentiarum muneribus decorare volentes, auctoritate nobis a Domino traditâ, ac de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ut, quandocumque sacerdos aliquis secularis sive cuiusvis Ordinis regularis missam defunctorum pro animâ cuiuscumque fidelis, quae Deo in charitate coniunctâ ab hac luce migraverit, ad altare dictae cappellae celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur,

Prohibet mulieribus sub excommunicationis poenâ ne cappellam ingrediantur.

§ 3. Itaut Domini Nostri Iesu Christi, ac beatissimae Virginis Mariae, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, a purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus. Insuper mulieribus, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existant, sub excommunicationis latae sententiae poenâ, a qua non possint nisi a nobis et Romano Pontifice pro tempore existente praeterquam in mortis articulo absolvi, ne cappellam praedictam ingredi audeant seu praesumant, praeterquam in die festo eiusdem sanctae Catharinae Senensis, quo die ma-

res, eo devotionis causâ confluentes, sub eâdem poenâ illam ingredi non possint, districte prohibemus.

Indulgentiam plenariam elargitur eam visitantibus.

§ 4. Omnibus autem et singulis feminini sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, quae dictam cappellam die festo sanctae Catharinae praedicto a primis vesperis usque ad occasum solis dici huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam; universis vero et singulis masculini sexus christifidelibus, etiam vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ eâdem communione refectis, qui eamdem cappellam in Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, ac Annunciationis et Assumptionis beatae Mariae Virginis, necnon sancti Dominici festis diebus, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi singulis annis devote similiter visitaverint, et ibi, ut praedicitur, oraverint, etiam plenariam peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Ceterum spirituali consolatione dilectarum in Christo filiarum nobilium mulierum nunc et pro tempore existentium nobilis et antiquae domus et familiae nostrae Barberinae consulere volentes, eisdem mulieribus nunc et pro tempore existentibus, ut, unâ cum aliis mulieribus eas comitantibus ac cum suis matronis et ancillis, praedictam cappellam ultimo dictis quatuor festis diebus absque ullius poenae propterea incursu ingredi, eisdemque mulieribus etiam comitantibus ac matronis et ancillis vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, quae cappellam huiusmodi ultimo dictis quatuor festis diebus, ut praedicitur, visitaverint et ibi ut supra oraverint, quod eamdem indulgentiam plenariam et remissionem consequantur, concedimus et indulgemus. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Familiae Barberinae peculiare indultum concedit.

Contrariis derogat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII maii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 22 maii 1638, pontif. anno XV.

DCVI.

Dotatio ecclesiae Babiloniensis in Persia[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Super universas orbis ecclesias, eo disponente qui cunctis imperat et cui obediunt omnia, meritis licet imparibus, constituti, ad ea, per quae ecclesiae praedictae, praesertim cathedrales, sub infidelium potestate existentes, competentibus redditibus pro illarum oneribus supportandis, et congruâ eorum praesulum sustentatione communiri valeant, ut illis praeficiendi eo alacrius iugum Domini et ecclesiarum huiusmodi curam et regimen suscipiant cum se etiam temporalibus ad id auxiliis suffultos senserint, libenter intendimus, et christifidelium facultates suas ad hoc benigne erogantium vota pii patris affectu promovemus, specialibusque favoribus et gratiis confovemus.

Pia faemina quamdam pecuniae summam donat pro erigendo episcopatu in partibus infidelium.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, quaedam mulier, natione Galla, pio catholicae fidei propagandae zelo ducta, e bonis sibi ab Altissimo elargitis sex millia duplarum Hispanicarum ad Urbem transmissa alicui ex ecclesiis sub infidelium potestate existentibus arbitrio nostro designandae pro ecclesiae huiusmodi dote et congruâ illius praesulis sustentatione per nos perpetuo applicari desideret:

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Pontifex ecclesiae Babiloniensi addicit.

§ 2. Nos, pium eiusdem mulieris desiderium plurimum in Domino commendantes, ipsamque specialibus favoribus et et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodata existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutam fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotio propagandae fidei praepositorum consilio, dicta sex duplarum Hispanicarum millia, in tot locis montium Urbis praedictae non vacabilium ut infra investienda, ecclesiae Bagdatensi seu Babiloniensi in Persia ad praesens pastoris solatio, ut pariter accepimus, destitutae, pro illius dote et pro tempore futuri episcopi Bagdatensis seu Babiloniensis, qui quidem in Gallia natus esse debeat, et apud ecclesiam huiusmodi personaliter residere sub poenis a sacro Concilio Tridentino contra episcopos non residentes inflictis et comminatis omnino teneatur, sustentatione, ita ut liceat ipsi episcopo dictarum sex millium duplarum Hispanicarum sive locorum montium inde emendorum fructus, redditus et proventus, aliaque emolumenta quaecumque inde quomodolibet provenientia, percipere, exigere, levare, ac in suos usus et utilitatem convertere nullius licentiâ desuper requisitâ, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo applicamus et appropriamus.

Cum reservatione sibi et Romano Pontifici iuris nominandi ad illam exceptâ tamen prima vice praesentatione debeat ipsa fundatrix.

§ 3. Insuper eidem mulieri pro hac vice dumtaxat, deinceps autem perpetuis futuris temporibus, quoties quandocumque et quomodocumque dictam ecclesiam Bagdatensem sive Babiloniensem vacare contigerit, venerabilibus fratribus nostris praedictis ius nominandi in eorum congregatione coram nobis et pro tempore existente Romano Pontifice habendâ ad eamdem ecclesiam personam idoneam, quae tamen in Gallia et non alibi nata semper esse debeat, ut praefertur, per nos et pro tempore existentem Romanum Pontificem in episcopum dictae ecclesiae, ad nominationem huiusmodi, instituendam auctoritate et tenore praedictis reservamus et concedimus.

Clausulas apponit.

§ 4. Decernentes irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat obstantibus.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiae praedictae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa ac individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Praescribitur modus dictam summam in tot loca montium investiendi.

§ 4. Volumus autem, ut dicta sex duplarum Hispanicarum millia in tot locis montium cameralium seu communitatum non vacabilium de Urbe praedictâ ad dictum effectum investiantur, ac in eventum illorum extractionis, sive extinctionis, toties quoties id fieri contigerit, pecuniae inde provenientes in alia loca montium similiter cameralium sive communitatum

non vacabilium de eâdem Urbe investiantur et investiri debeant; et interim, donec investitio huiusmodi fiat, eaedem pecuniae penes Montem Pietatis dictae Urbis deponantur inde non amovendae nisi ad effectum illas ut praefertur investiendi, ita ut dicta sex duplarum Hispanicarum millia et loca montium ex illis emenda, ac alii quicumque fructus, redditus et emolumenta inde provenientia, integre semper et perpetuo pro dictae ecclesiae dote illiusque episcopi congruâ sustentatione remaneant, nec in alios usus quovis praetextu aut ex quavis causâ converti possint;

Ecclesiam et episcopum subdit iurisdictioni Congregationis Propagandae Fidei.

§ 7. Quodque dictus episcopatus Bagdatensis, sive Babiloniensis, et illius pro tempore existens episcopus sint immediate sub protectione dictorum venerabilium fratrum nostrorum, ita tamen ut illi neque circa episcopatum huiusmodi, neque circa dotem eius, aut illius redditus, neque circa episcopum pro tempore existentem possint aliquid facere nisi in eorum congregatione coram nobis et nostris successoribus Romanis Pontificibus habendâ.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI iunii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 6 iunii 1638, pontif. anno XV.

DCVII.

Absolvit novem portionarios ecclesiae Caesaraugustanae a censuris, in quas incurrerant ob praetensos recursus eorum nomine factos ad iudices laicos in causâ inter ipsos et capitulum dictae ecclesiae vertente super distributionibus[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecto filio magistro Ioanni Baptistae Coccino, causarum sacri palatii auditori decano,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio portionariorum ecclesiae Caesaraugustanae.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum Hieronymi Cluae et Dominici Adam, Martini Ioannis Salazar, Antonii Predas senioris, Antonii Rosell, Martini Sanchez, Dominici Roso, Francisci Lallana et Gregorii Escobedi portionariorum ecclesiae Caesaraugustanae nobis expositum fuit, quod in litteris secularizationis dictae ecclesiae fuerunt cuilibet illius portionario et beneficiato inservienti praeservatae quotidianae distributiones illis pro ratâ eorum servitii solvendae; quas distributiones postea per particulare eiusdem ecclesiae statutum apostolicâ auctoritate confirmatum debere ascendere ad tria regalia monetae illarum partium qualibet die pro horis divinis declaratum fuit; subinde per capitulum et canonicos dictae ecclesiae eiusdem portionariis distributiones huiusmodi in praefatâ quantitate praestitae fuerunt, et rota desuper eisdem portionariis mandata de manutenendo concessit. Cum autem dictis capitulo et canonicis intimatum fuisset mandatum ultimo loco expeditum et contra eos mandato huiusmodi non parentes interdictum et declaratoria peteretur, ipsi capitulum et canonici, ad differendum partitionem huiusmodi, opposuerunt praefatos exponentes habuisse recursus ad iudices laicos, sub praetextu, quod olim, unâ seu pluribus vicibus, coniunctim vel divisim, per procuratorem seu procuratores suos, coram seu ab eisdem iudicibus laicis petierunt mandari praefatis capitulo et canonicis, ut dictos exponentes in pacificâ et quietâ possessione percipiendi respective distributiones, seu fructus suarum praebendarum, ac quasdam mensuras sive portiones vini,

aliaque emolumenta iuxta pristinum usum et consuetudinem dictae ecclesiae manutenerent, et propterea eosdem exponentes in censuras ecclesiasticas incurrisse et a limine iudicii repellendos esse.

Ne eum [illegible] publicio absolutum a censuris, si quas incurrerit.

§ 2. Cum autem, sicut expositio subiungebat, licet dicti exponentes existiment se nullatenus in censuras ecclesiasticas propterea incidisse, nec umquam senserint debere ab aliquo geri eorum nomine quidquam illiciti, minusve intendant uti gestis ab assertis procuratoribus praedictis, imo nec ea quidquam immunitati vel libertati ecclesiasticae praeiudiciale continere videantur, nihilominus iidem exponentes ad omnem scrupulum e medio tollendum, ac ut ipsi tutius iura sua promovere valeant, nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi de opportuno circa praemissa absolutionis beneficio providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Facultas sacrae Rotae decanum eos absolvendi.

§ 3. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, quatenus, constito tibi legitime de praemissis eosdem exponentes et eorum singulos, si hoc a te humiliter petierint, impositâ ipsis et eorum singulis, arbitrio tuo, aliquâ poenitentiâ salutari, renunciatoque prius per eos praedictis et quibuscumque aliis praetensis recursibus et attentatis coram quibuscumque iudicibus laicis quandocumque et quomodocumque factis, a quibuslibet censuris et poenis ecclesiasticis quomodolibet forsan per eos incursis, ad cautelam, coniunctim vel divisim, auctoritate nostrâ apostolicâ absolvas et totaliter liberes, dictasque poenas illis et eorum singulis gratiose remittas et condones.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae ecclesiae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II iulii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 2 iulii 1638, pontif. anno XV.

DCVIII.

Irritatio actuum factorum, tam per ministros regios Portugalliae et iudices, quam per ministros Sanctae Sedis, super bonis, cappellis vulgo nuncupatis, ecclesiarum et locorum piorum regnorum Portugalliae et Algarbiorum contra iurisdictionem et libertatem ecclesiasticam et iura Sedis Apostolicae[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Facti series.

§ 1. Quamvis, iuxta canonicas sanctiones et constitutiones apostolicas, etiam in conciliis universalibus editas, ac in Bullâ in Coenâ Domini quotannis legi solitâ innovatas et approbatas, prohibitum et expresse interdictum sit, ne bona semel Deo dicata ad laicales seu profanos usus convertantur, neve iudices et principes laici super bonis ecclesiarum et monasteriorum beneficiorumque ecclesiasticorum ac piorum operum manus apponant, praesertim ad illorum occupationem, ipsarumque ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorumque ecclesiasticorum ac piorum operum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

et locorum praedictorum, ac ultimarum voluntatum, etiam antiquarum, a christifidelibus pro tempore pro ipsorum animabus apud Deum adiuvandis dispositarum et relictarum abrogationem, praeiudicium et gravamen, etiam contra leges civiles quae illorum integram exequutionem et plenam observantiam expresse iubent et mandant; nihilominus, ut accepimus, in in Portugalliae et Algarbiorum regnis, sub praetextu assertarum legum seu ordinationum illorum regnorum (etiamsi illae a piae memoriae Gregorio IX et aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris etiam, occasione confirmationis concordatorum inter regem seu reges ac praelatos et clerum aliàs initorum, annullatae, revocatae et abrogatae fuerint), attentarunt, et incoeperunt nonnulli etiam officiales et ministri regis inquietare et perturbare ecclesias, monasteria, beneficia, opera et loca pia huiusmodi, eorumque possessores, super suis bonis, etiam ab antiquo tempore per christifidelium diversas largitiones relictis et acquisitis, cappellas[1] vulgo nuncupatis, de facto, etiam auctoritate laicali et regiâ, et coram iudicibus laicis, vexare et molestare; et aliqui forsan, etiam nulliter ac de facto, iniuste et indebite, illis easdem ecclesias et monasteria, beneficia, operaque et loca pia praedicta, eorumque possessores expoliarunt; alii etiam occupantibus et molestantibus nedum auxilium et favorem tam in agendo et occupando, quam in retinendo et aliàs quomodolibet praestiterunt, in animarum suarum praeiudicium ac damnationem, sed etiam in violationem immunitatis ecclesiasticae et usurpationem iurium ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum, operum et locorum piorum huiusmodi, ac sanctae Matris Ecclesiae contemptum, et in scandalum plurimorum, censuras et poenas in praedictis sacris canonibus, constitutionibus apostolicis, universalibusque conciliis, ac Bullâ Coenae Domini inflictas damnabiliter incurrendo; et quia a nonnullis asseritur, quod aliqui in dictis regnis ministri Sedis Apostolicae, et forsan etiam collectores, supradicta, vel eorum aliqua, tacità conniventià seu incurià tolerarunt seu permiserunt; nonnullos etiam, per modum declarationis, seu aliàs, actus[1], qui praetenduntur tendere in praeiudicium ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum, operum et locorum piorum, aliorumque praefatorum, super praefatis cappellis, ac aliàs contra iurisdictionem, libertatem et immunitatem ecclesiasticam et iura sanctae Sedis Apostolicae aliaque praemissa, fecerint: etiamsi actus quorumcumque officialium et ministrorum Sedis Apostolicae, etiam collectorum, vel eorum taciturnitates, conniventiae, tolerantiae, permissiones, omissiones et acta quaecumque non possint eidem Sedi Apostolicae, ac iurisdictioni, libertati et immunitati ecclesiasticae in aliquo praeiudicare, absque scientià et approbatione nostra;

Irritatio, de qua in rubricâ.

§ 2. Nihilominus ad abundantiorem cautelam nos, ad quos, ex debito pastoralis officii nobis divinâ dispensatione iniuncti, pertinet ecclesias, monasteria utriusque sexus, beneficia, operaque et loca pia, piasque christifidelium clargitiones et cappellas praedictas, illarumque possessores, libertatem, immunitatemque ecclesiasticam, ac iura et iurisdictiones sanctae matris Ecclesiae et Sedis Apostolicae ab indebitis molestiis, vexationibus et gravaminibus quibuscumque tueri et liberare, super his de mentis nostrae declaratione et de opportuno remedio, quantum nobis ex alto conceditur, debite providere volentes, necnon praefatarum legum, ordinationum et statutorum ipsorum regnorum,

1 Potius legendum *cappellis* (R. T.).

1 Vocem *actus* nos addimus (R. T.).

ac quorumcumque, tam ab officialibus et ministris regiis et aliis quibuscumque, cuiuscumque status, gradus, conditionis, praeeminentiae et dignitatis, etiam ecclesiasticae et regalis, ac aliàs etiam speciali notâ et expressâ mentione dignis, quam a quibuscumque officialibus et ministris Sedis Apostolicae, ac etiam collectoribus, super praemissis quomodolibet forsan factorum et gestorum, seu e contra omissorum, vel qualitercumque permissorum et commissorum, ac inde sequutorum quorumcumque, tenores, etiam maiores et veriores, litiumque et causarum, si quae etiam de facto super praemissis exortae et pendentes sint, illarumque status et merita, nominaque et cognomina iudicum ac tribunalium quomodolibet qualificatorum, etiam laicalium, et collitigantium, ac quorumcumque aliorum hîc forsan exprimendorum et inserendorum, pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, motu proprio, certaque scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praesentium nostrarum litterarum serie, omnes et singulos actus, etiam per modum declarationis, ac aliàs quomodolibet factos, tam per quoscumque ministros et officiales regios ac iudices et quoscumque alios quavis auctoritate procedentes praefatos, quam per quoscumque officiales et ministros Sedis Apostolicae, ac etiam per collectores et quascumque alias personas et tribunalia quavis auctoritate fungentes et fungentia, super praefatis bonis, cappellas[1] nuncupatis, ecclesiarum, monasteriorum utriusque sexus, beneficiorum, operumque et locorum piorum praefatorum et contra eorum possessores praefatos, et aliàs contra iurisdictionem, libertatem et immunitatem ecclesiasticam, et iura sanctae Sedis Apostolicae, cum omnibus et quibuscumque inde sequutis et sequendis, tamquam nulliter et iniuste emanatis et emanandis, fuisse et esse nulla, nulliusque roboris et momenti, et quascumque ministrorum et officialium Sedis Apostolicae, etiam collectorum omissiones, negligentias, tolerantias, aut permissiones, et acta quaecumque nullum praeiudicium ecclesiis, piisque locis attulisse, seu afferre potuisse declaramus, illosque et illa, si aliquid validitatis umquam habuisse et habere aut huiusmodi praeiudicium afferre potuisse a quoquam praetenderetur, annullamus, improbamus, cassamus, revocamus et irritamus, ac irrita, nulla, improbata, cassa, viribusque vacua fuisse et esse, pro nullisque, improbatis, cassatis, revocatis et irritis haberi decernimus, ita ut numquam possint allegari, nec etiam, quod umquam inde aliquid damni vel praeiudicii ecclesiis aliisque praefatis omnibus et singulis potuerit oriri, a quoquam in iudicium deduci nec praetendi possit, etiam praetextu cuiuscumque interpretationis praesentium litterarum; quarum interpretationem et declarationem, ac praedictorum occupantium et usurpantium quorumcumque, illisque auxilium, consilium et favorem praestantium, et qui antea praestiterunt, absolutionem (ita ut in quacumque facultate et dispositione generali etiam cruciatae sanctae minime comprehendantur) nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris dumtaxat reservamus.

§ 3. Praesentes quoque litteras, omniaque et singula in eis contenta, de subreptionis, obreptionis, ac cuiuscumque nullitatis, aut invaliditatis vitio, intentionisque nostrae, ac quocumque alio defectu, quantumlibet substantiali, etiam ex eo quod in praemissis quomodolibet interesse habentes vel habere praetendentes quicumque etiam ministri et officiales regii praedicti, et praesertim iudices, ministri et officiales Clausulae.

1 Legendum *cappellis* (R. T.).

regii praedicti et alii quicumque, cuiuscumque qualitatis, status, gradus, dignitatis, conditionis et praeeminentiae, etiam speciali notâ dignae existant, praemissis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, solemnitatesque et quaevis alia servanda et adimplenda nullatenus servata et adimpleta, et causae, propter quas praesentes emanarint, adductae, verificatae, seu aliàs sufficienter, aut etiam in aliquo iustificatae non fuerint, ac quocumque alio colore, praetextu, occasione et causâ, etiam in corpore iuris clausis, et aliâ quacumque, quantumvis rationabili, iustâ et privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, a quoquam notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, vel adversus illa quodlibet iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, vel sic impetrato, ac etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, aut aliàs quomodolibet concesso, quempiam uti, seu se iuvare in iudicio et extra minime posse; sed illa semper valida, firma et efficacia existere et fore, suosque integros et plenarios effectus sortiri et obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, nuncios apostolicos, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, ac quoscumque alios, quavis auctoritate et potestate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac cancellariae apostolicae regulis, et, quatenus opus sit, illâ de non tollendo iure quaesito, ac praedictis et quibusvis aliis regnorum praedictorum legibus et ordinibus, statutis, stylis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, etiam per viam legis, aut contractus, vel statuti perpetui, in genere vel in specie, aut aliàs quomodolibet, etiam motu simili, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, seu etiam ad quorumvis etiam regum et aliorum principum instantiam, etiam iteratis vicibus, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus et decernimus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v iulii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 5 iunii 1638, pontif. anno XV.

DCIX.

Commissio auditori camerae absolvendi decanum, canonicos et capitulum ec-

clesiae Hispalensis a censuris ob recursus eorum nomine, sine tamen ullo eorum ad id mandato, aliàs factum ad iudices laicos[1].

Dilecto filio magistro Francisco Mariae Ghisterio cappellano nostro, causarum sacri palatii apostolici auditori,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Facti series

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum decani, canonicorum, et capituli ecclesiae Hispalensis nobis expositum fuit, quod ad ipsos ex antiquissimâ et immemorabili consuetudine ius percipiendi decimas ex fructibus omnium et singulorum praediorum, quae intra fines dioecesis Hispalensis possidentur a praebendatis dictae ecclesiae, praesertim vero quorumdam vinearum et aliorum bonorum per dilectum filium Odoardum Pereira dictae ecclesiae canonicum in termino loci de Camas et villae S. Pontii dictae dioecesis possessorum, spectat et pertinet; prior vero et conventus S. Isidori Ordinis sancti Hieronymi prope et extra muros civitatis Hispalensis, praetendentes dicta bona in suo districtu sita existere, sibique non autem capitulo huiusmodi illorum decimas deberi, litem[2] desuper coram dilecto filio nostro et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncio commorante introduxerunt; a quo cum praefatas decimas ad priorem et conventum huiusmodi pertinere declaratum, et a dictâ declaratione ab aliâ parte appellatum fuisset, quidam Franciscus Suarez Arguello, usus nomine ipsorum exponentium, nullo tamen eorum legitimo mandato ad id suffultus, comparens in regio consilio petiit ordinari eidem nuncio, ut appellationem sic ut praefertur interpositam admitteret, ac omnia gesta revocaret; consilium vero cum mandasset hoc dilecto filio Ignatio Velasco dicti nuncii notario notificari, viso processu, dictus Ignatius dixit, ipsum nuncium vim non inferre; habitâque notitiâ per eos exponentes de huiusmodi recursu, ab illis improbatus fuit.

Capituli Hispalensis petitio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes, licet existiment se nullo ad id ab eis dato mandato in censuras ecclesiasticas nullatenus incidisse, nihilominus, ad omnem dubitandi materiam e medio removendam, ac ut ipsi iura sua in sacro Rotae Romanae auditorio, in quo lis huiusmodi coram te pendet indecisa, promovere valeant, nobis supplicari fecerunt[1], ut eis in praemissis de opportuno absolutionis beneficio ob recursum praefatum providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Commissio, de qua in rubricâ.

§ 3. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, quatenus, constito tibi legitime de praemissis, eosdem exponentes et eorum singulos, si hoc a te humiliter petierint, impositâ ipsis propter praemissa arbitrio tuo aliquâ poenitentiâ salutari, renunciatoque prius per eos quibuscumque recursibus et attentatis coram quibuscumque iudicibus laicis desuper quomodolibet factis, a quibusvis[2] censuris et poenis ecclesiasticis, per eos quomodolibet forsan incursis, auctoritate

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Male edit. Main. legit *item* pro *litem* (R. T.).

1 Legerem *fecerint* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *quibus* (R. T.).

nostrâ ad cautelam absolvas et totaliter liberes, dictasque poenas illis et eorum singulis gratiose remittas et condones.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae ecclesiae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v iulii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 5 iulii 1638, pontif. anno XV.

DCX.

Congregationis Ioannis Dei conventus et hospitalia in quibus sunt duodecim religiosi ab episcoporum iurisdictione eximuntur[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Paulus V declarat eos dumtaxat ad habitum admitti, qui pro infirmorum cura sunt necessarii.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius Angelicus Rampulla Congregationis Ioannis Dei procurator generalis nobis nuper exponi fecit, per quamdam felicis recordationis Pauli V prohibeatur expresse, ne plures ad habitum et professionem per fratres dictae Congregationis suscipi et emitti solitam[2] admittantur, quam infirmorum et miserabilium personarum necessitas exigat;

Et Pius V bona acquiri per hos fratres non sibi sed infirmis.

§ 2. Ac per aliam constitutionem Pii etiam V Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum statuatur, ut, quidquid Congregationis huiusmodi fratres acquirunt, non sibi, exceptis dumtaxat victu et vestitu, sed pauperibus infirmis et hospitalibus, ad quorum servitium particulari instituto ac voto obstringuntur, acquirant, indeque pateat dictam Congregationem non parum ab illis religionibus circa libertatem et facultatem duodecim religiosos in singulis eis conventibus et hospitalibus deputandi differre:

Procurator generalis petit declarari eos non comprehendi decreto, quod latum fuit anno MDCXXV.

§ 3. Nobis propterea dictus Angelicus humiliter supplicari fecit, ut praefatam Congregationem minime comprehensam esse sub decreto, auctoritate nostrâ hac de re die XXI iunii MDCXXV inter decreta *De celebratione* § *deinceps* edito[1], declarare, ac aliàs, ut infra, indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Urbanus ab episcoporum iurisdictione eximit conventus, ubi sunt duodecim religiosi.

§ 4. Nos igitur, eumdem Angelicum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus et decernimus, ut quoad dictae Congregationis conventus et hospitalia, in quibus erunt duodecim religiosi, episcopi nullatenus se ingerant, et quoad illos conventus seu hospitalia, in quibus erit minor religiosorum numerus, iidem episcopi possint insimul cum provinciali vel alio maiori eiusdem Congregationis superiore ad revisionem computorum administrationis eorumdem hospitalium procedere, ita tamen ut contra personas in nihilo prorsus se immisceant.

Contrarius derogat.

§ 7. Non obstantibus praefato decreto, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis super numero religiosorum in quolibet monasterio aut con-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Lege *solita*, vel *solitum et solitam* (R. T.).

1 Vide Urbani VIII Const. CXLV, tom. XIII, pagina 336, et speciatim § 14, pag. 339 *a* (R. T.).

ventu constituendo, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX iulii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 9 iulii 1638, pontif. anno XV.

DCXI.

Superioribus fratrum Ordinis sancti Francisci de Observantiâ, provinciae Aquitaniae antiquioris, facultas datur litteras dimissoriales suis religiosis ad sacros ordines promovendis concedendi [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Causae concedendi indulti.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Jourdain, fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci strictioris Observantiae provinciae Aquitaniae antiquioris minister provincialis, quod, licet religiosi a dioecesanorum iurisdictione exempti absque illorum dimissorialibus litteris a quibusvis locorum Ordinariis cum solis testimonialibus suorum superiorum litteris ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines promoveri possint, nihilominus tamen nonnulli episcopi in illis partibus praefatos religiosos absque dictis dimissorialibus litteris episcoporum ad dictos ordines promovere dubitant et differunt.

Petitio procuratoris generalis.

§ 2. Quare dictus exponens nobis humiliter supplicari fecit, ut dictos religiosos cum solis testimonialibus litteris suorum superiorum regularium absque dimissorialibus episcoporum litteris, nullo aliâs illis obstante impedimento, ad dictos ordines promoveri posse decernere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio, de qua in rubricâ.

§ 3. Nos igitur, eumdem exponentem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis episcoporum et regularium praepositorum consilio, tenore praesentium decernimus et declaramus posse superiores regulares suis subditis itidem regularibus, qui requisitis praediti qualitatibus ad ordines promoveri voluerint, litteras dimissorias concedere ad eum tamen dioecesanum illius monasterii ubi regulares ordinandi, ab his ad quos spectat, collocati fuerint; quo dioecesano absente, vel ordinationes non habituro, ad quemcumque alium episcopum, si tamen studiose et de industriâ concessionem dimissorialium litterarum huiusmodi in tempus quo dioecesanus episcopus vel abfuturus vel nullas esset ordinationes habiturus non distulerint. Ordinandi vero ab episcopo illos ordinaturo quoad doctrinam examinentur; hoc etiam servato, ut, cum a superioribus regularibus, episcopo dioecesano absente vel ordinationes non habente, litterae dimissoriales dabuntur, in litteris huiusmodi utique dictae absentiae vel ordinationum a dicto dioecesano non habendarum causa exprimatur; quod qui facere neglexerint, officii, dignitatisque, ac vocis activae et passivae privationis poenam incurrant eo ipso.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII iulii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 17 iulii 1638, pontif. anno XV.

DCXII.

Prohibitio extrahendi libros ex bibliothecis conventuum fratrum Cappuccinorum ubique existentium, cum facultate superioribus commutandi inutiles per syndicos.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Motiva. Conservationi et manutentioni bibliothecarum singularum domorum ubique existentium fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, earumdemque domorum guardianos et fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus dilecti filii moderni dicti Ordinis procuratoris generalis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

§ 1. Ne de cetero quiquam, quavis auctoritate fungentes, libros, quinterna, folia sive impressa sive manuscripta, dictis bibliothecis per quoscumque christifideles hactenus quomodolibet donata et assignanda, ex eis extrahere, sive ut extrahantur permittere, sub quovis quaesito colore, causâ, praetextu vel occasione, audeant seu praesumant, sub excommunicationis ac privationis vocis activae et passivae poenis per contrafacientes incurrendis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus. Permittimus tamen provincialibus et definitoribus dicti Ordinis coniunctim procedentibus, ut per eorum syndicos earumdem bibliothecarum libros dicto Ordini inutiles cum aliis utilibus, de licentiâ tamen illorum qui eosdem libros ut praefertur donaverint, aut eorum haeredum si extiterint, permutare. Superioribus autem singularum huiusmodi domorum, ut libros, quinterna et folia huiusmodi etiam e dictis bibliothecis pro usu verbi Dei praedicatorum dicti Ordinis, qui in civitatibus, oppidis, terris, castris et locis in quibus dictae domus existunt vel existent, aut aliis locis eiusdem dioecesis vel non multum distantibus praedicabunt, extrahere, ac fratribus domorum regularium huiusmodi, ut illa studendi causâ ad suas cellas deferre valeant, dummodo in libro ad id in bibliothecis huiusmodi parato nomina sua et librorum seu quinternorum ac foliorum huiusmodi, quae sumpserint, annotent, ac, postquam dicti praedicatores et fratres illis usi fuerint, illa illico ad dictas bibliothecas sub eisdem poenis reportent, concedere possint. Mandat prout in rubrica.

§ 2. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac domorum et Ordinis huiusmodi, etiam Derogat contrariis.

iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 3. Volumus autem, quod praesentis prohibitionis copiae in valvis singularum dictarum bibliothecarum, aut aliis perspicuis locis, unde ab omnibus commode cerni possint, continuo affixae remaneant; quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX iulii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 29 iulii 1638, pontif. anno XV.

DCXIII.

Facultas regimini civitatis Bononiensis continuandi gabellas, unam scilicet quatuor solidorum pro qualibet librâ serici exteri, et aliam decem solidorum pro qualibet librâ serici duplicis, durantibus octo annis proxime futuris, ad effectum solvendi aes alienum a camerâ dictae civitatis contractum [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Refert litteras a se [illegible] tenoris subsequentis.

§ 1. Aliàs a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam. Aliàs felicis recordationis Paulus, etc.[2]. Subinde vero, pro parte dilectorum filiorum regiminis dictae civitatis, per dilectum filium Ioannem Baptistam de S. Petro tunc existentem eiusdem civitatis apud nos oratorem, nobis denuo exposito, quod ipsi, occasione expensarum quas in hospitandis Sedis Apostolicae militibus, tam aliàs in Vallem Tellinam, quam postmodum pro fabricâ propugnaculi seu fortalitii Urbani nuncupati iussu nostro missis, facere coacti fuerant, aes alienum pro summâ centum et nonaginta trium millium ac octingentarum et octuaginta octo librarum monetae Bononiensis circiter contraxerant, ex eoque per totum mensem martii tunc proximum pro summâ centum et triginta millium ac noningentarum et nonaginta octo librarum similium circiter debitores remanebant; et propterea, quo aes alienum contractum huiusmodi, et deinceps causâ hospitationis militum eorumdem durante contrahendum extinguere, fructusque ratione illarum portionum, quas aliàs de licentiâ nostrâ ad interusurium acceperant, solvere valerent, duo datia et duas gabellas huiusmodi ad aliud nobis benevisum tempus continuare posse plurimum desiderabant: nos, regimini praedictis, quod duo datia, seu duas gabellas huiusmodi, ac quodlibet illorum seu illarum ad octo annos tunc proxime futuros tantum continuare libere et licite, et absque ullo conscientiae scrupulo ac censurarum et poenarum praefatarum incursu, possent et valerent, apostolicâ auctoritate facultatem concessimus et impertiti fuimus, et aliàs, prout in nostris in simili formâ Brevis desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, plenius continetur [1].

Et causas ea continuandi.

§ 2. Cum autem, sicut iidem regimen nobis denuo exponi fecerunt, camera dictae civitatis pecuniis nedum exhaustissima sed etiam gravi aere alieno obstricta reperiatur, et propterea, quo aes alienum huiusmodi extinguere, et depositariis montium dictae civitatis creditoribus satisfa-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Non puto eas esse in *Bullario* (R. T.).

1 Etiam secundas has litteras puto a Bullario exulare (R. T.).

cere valeant, sibi per nos ut infra opportune provideri summopere desiderent:

Concedit facultatem per octennium.

§ 3. Nos, regimini huiusmodi de aliquo subventionis auxilio in praemissis opportune providere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, regimini praefatis, quod duo datia seu gabellas huiusmodi, ac quolibet illorum seu illarum ad octo annos proxime futuros tantum, comprehensis tamen in dicto tempore pecuniis a fine primae concessionis hactenus exactis, continuare, pecuniasque tam exactas quam exigendas huiusmodi praefati in aeris alieni dissolutionem et satisfactionem praefatis depositariis faciendam convertere et erogare libere et licite, et absque ullo conscientiae scrupulo ac censurarum et poenarum praefatarum incursu, possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus et impertimur.

Obstantibus derogat.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III augusti MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 3 augusti 1638, pontif. anno XV.

DCXIV.

Circa facultatem alienandi usque ad summam ducentorum et quinquaginta millium scutorum monetae, necnon reducendi annuos census ad minus interusurium, concessam Congregationi Cassinensi, declaratio, quod pro huiusmodi alienatione non requiritur licentia protectoris [1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Refert Constitutionem aliàs editam.

Aliàs a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis videlicet:

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam. Exponi nobis nuper fecit, etc. [2].

Procuratoris generalis petitio.

§ 1. Cum autem, sicut idem procurator generalis nobis nuper exponi fecit, a quamplurimis, praesertim vero a census super bonis eiusdem congregationis iuxta tenorem praeinsertarum litterarum imponendos emere volentibus, dubitetur, an pro imponendis censibus huiusmodi dicti Francisci cardinalis protectoris huiusmodi approbatio et regiminis praedicti licentia sint necessariae, nobis propterea dictus procurator generalis humiliter supplicari

1 De istorum monachorum Congregatione notavi ad Const. CDXXXVI (*al.* 404) *Sancta Mater*, supra pag. 284. Et ad Const. DXXXVI, *Exponi nobis*, ut supra pag. 593, et demum ad Const. DLXXI, pag. 648.

2 Hanc constitutionem inutiliter repetitam in edit. Main. nos omittimus, quia iam dedimus supra pag. 593 huius tomi (R. T.).

fecit, ut in praemissis opportunae declarationis nostrae ministerio providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Facultas, de qua in rubrica.

§ 2. Nos igitur, dictae congregationis et illius monasteriorum indemnitati peramplius consultum cupientes, illasque[1] specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod in vim praeinsertarum nostrarum litterarum abbatibus monasteriorum dictae congregationis intelligatur intelligique debeat, absque aliâ licentiâ et approbatione, concessa facultas super eorum et dictae congregationis monasteriorum bonis stabilibus novos, annuos et redimibiles census iuxta formam constitutionis praefati Pii praedecessoris imponendi, ad effectum census annuos, super ipsius congregationis bonis stabilibus aliâs de Sedis Apostolicae licentiâ impositos, cum pecuniis novorum censuum huiusmodi, ad minorem tamen rationem pro quolibet centenario et anno sive minori interusurio obnoxiis, super eodem fundo et non aliâs accipiendis, servatâ in reliquis earundem litterarum formâ, redimendi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus Felicis recordationis Pauli Papae II etiam praedecessoris nostri de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon congregationis, ordinis et monasteriorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque omnibus quae dictus Pius praedecessor voluit in praedictis suis et nos in nostris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 4. Volumus autem, ut novorum censuum huiusmodi impositio et veterum extinctio unico contextu fiant, vel saltem pecuniae ex novâ impositione huiusmodi provenientes penes montem pietatis aut personam fide et facultatibus idoneam deponantur, inde non amovendae nisi ad effectum extinctionis praedictae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI augusti MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 11 augusti 1638, pontif. anno XVI.

DCXV.

Facultas magno magistro hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani imponendi gabellam in insulâ Meleritana pro extinctione aeris alieni contracti ob annonae inopiam[1].

Dilecto filio, magno magistro hospitalis
S. Ioannis Hierosolymitani,
Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Causas imponendae novae taxae refert.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum iuratorum universitatis et hominum insulae Melevitanae[2] nobis expositum fuit, quod ipsi, ob penuriam rei frumentariae eorum curae et administrationi commissae, qua superioribus annis dicta insula laboravit, coacti fuerunt, eo quia ordinarias frumenti extractiones e regno Siciliae tunc graviori annonae difficultate presso obtinere minime potuerunt, frumentum sibi e remotis partibus quaerere seu compa-

1 Aptius lege *illaque* id. e. *monasteria* (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Hic et deinceps videretur legendum *Melitensis* vel *Melitanae* (R. T.).

rare; cuius frumenti in dictam insulam importati[1] salma[2], ultra malam illius conditionem, ob locorum distantiam, penuriosa tempora, lucra pecuniarum, fideiussiones, cambia et recambia monetarum, aliaque interusuria, ad summam octodecim scutorum ascendit. Unde tu, provide considerans quod frumentum huiusmodi in dies deterius evadebat, illudque brevi proiiciendum erat, habitâ ratione dispendii populorum dictae insulae, praesertim vero pauperiorum, mandasti, ut frumentum praedictum quam citissime partim commodioribus dictae insulae personis pro eodem pretio octodecim scutorum, partim aliis ad rationem duodecim, residuum vero, quod interim vitiatum et corruptum erat, ad rationem octo scutorum similium pro qualibet salmâ distribueretur. Quod non parum populos dictae insulae sublevavit, damno tamen interim ipsius universitati et hominibus ratione diversitatis pretiorum huiusmodi fuit. Qui, cum ex pecuniis mercatorum, mediante interusurio seu beneficio duorum tarenorum pro quolibet scuto, pretium frumenti huiusmodi illius venditoribus solverint, eorumdem mercatorum non solum in iacturâ pretiorum, sed etiam lucrorum debitores remanent. Quinimo oportuit ipsos notabilem pecuniarum summam mercatoribus praedictis, ne a negociatione rei frumentariae maxime illis penuriosis temporibus et ex aliis causis deterrerentur, solvere. Quapropter, cum praedicti universitas et homines nec bona propria, nec peculia, nec alios effectus nisi pauca possideant, illaque in reparationem certarum fabricarum destinata existant, nec aliis sumptibus, quos necessario facere tenentur, sufficiant: nobis idcirco humiliter supplicari fecerunt praedicti exponentes, ut sibi in praemissis per aliquam taxae super rebus comestibilibus impositionem, ut infra, providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 2. Nos igitur, eosdem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, ut pro hac vice tantum, non tamen quoad ecclesias et personas ecclesiasticas, unam taxam sive gabellam in praedictâ insulâ, nedum super re frumentariâ, sed etiam super vino, oleo et omnibus aliis rebus comestibilibus vendendis et emendis exigendam, duraturam donec et quousque praedicti universitas et homines summam viginti sex millium circiter scutorum exinde perceperint, qua mercatoribus creditoribus suis debite et integre satisfiat, imponere libere et licite possis et valeas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus et impertimur. Facultatem magno magistro illam imponendi concedit.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique hospitalis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Obstantibus derogat.

1 Pessime edit. Main. legit *importari* (R. T.).

2 Idest *sagma*, vel *sella*, pondus, sarcina, quae super sellam ponitur (R. T. ex DUCANGE).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI augusti MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 16 augusti 1638, pontif. anno XVI.

DCXVI.

Confirmatio reductionis monasteriorum Ordinis S. Salvatoris seu sanctae Birgittae Belgii in unam congregationem, etc. [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Clemens VIII monasteria congregationis sancti Salvatoris in Belgio fundari curat.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum superiorum congregationis S. Salvatoris, aliàs sanctae Birgittae, in Belgio, nobis expositum fuit, quod aliàs felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster, supplicationibus quondam Isabellae Clarae Eugeniae Hispaniarum infantis et principissae Belgii inclinatus, tunc et pro tempore existenti Sedis Apostolicae nuncio in Germaniae inferioris partibus commoranti, ut in singulis locis provinciarum Belgii, Ordinariis vero locorum provinciarum huiusmodi ut singuli in suis civitatibus et dioecesibus, monasteria et alia regularia loca Ordinis seu instituti S. Salvatoris, aliàs sanctae Birgittae, tam virorum quam mulierum, servatâ sacrorum canonum et conciliorum generalium formâ, fundare, erigere atque instituere, necnon statuta et regulas pro felici eorum directione et regimine condere, illisque praescribere libere et licite valerent, concessit et indulsit.

Statutaque congregationis eiusdem confirmat Gregorius XV.

§ 2. Et subinde similis recordationis Gregorius Papa XV, etiam praedecessor noster, supplicationibus superiorum dictae congregationis inclinatus, regulas et statuta huiusmodi confirmavit et approbavit; dictisque regulis et statutis ab omnibus dictae congregationis seu Ordinis personis receptis, institutum congregationis seu Ordinis huiusmodi in illis partibus valde propagatum non sine spe maioris futuri incrementi fuit.

Postea vero superiores dicti supradicta omnia monasteria reduxerunt in unum corpus, visitatoremque generalem elegerunt.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, Ordinis seu congregationis huiusmodi superiores monasteria vigore concessionis et indulti Clementis praedecessoris praedicti erecta et instituta in unam congregationem reduxerint, ac in eiusdem congregationis, illiusque monasteriorum visitatorem generalem dilectum filium Riccardum Paulum Stranium archidiaconum Atrebatensem, utpote de dicti Ordinis instituto optime informatum, deputaverint [1]; ut vero reductio et deputatio huiusmodi firmius subsistant, dicti superiores illos apostolicae nostrae confirmationis praesidio communiri summopere desiderent:

Quam reductionem et electionem petunt confirmari.

Pontifex confirmat.

§ 4. Nos, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos [2] fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis episcoporum et regularium praepositorum consilio, reductionem monasteriorum huiusmodi in unam congregationem, necnon deputationem dicti Riccardi Pauli in visitatorem generalem dictae congregationis, ut praefertur, factas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique [3] inviolabilis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. legit *deputaverunt* (R. T.).
2 De more solito legerem *absolutas* (R. T.).
3 Cohaerenter legendum *illisque* (R. T.).

apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Ac Riccardum Paulum archidiaconum Atrebatensem in capitulis generalibus dicti Ordinis praefectum instituit.

§ 5. Ac ut primo et proxime celebrando capitulo generali dictae congregationis dictus Riccardus Paulus praeesse, illudque singulis triennii celebrari seu convocari, idem vero Riccardus Paulus capitulo generali huiusmodi quandocumque celebrando, quoad vixerit, ipso autem vitâ functo, abbas generalis dictae congregationis, canonice tamen electus seu eligendus, praeesse possint et debeant, concedimus et indulgemus.

Ipso autem vita functo abbatem generalem eligi permittit.

Congregatio ab Ordinariorum iurisdictione eximit.

§ 6. Ac insuper dictae congregationis superiores et religiosos, illiusque monasteria et membra, a iurisdictione Ordinariorum locorum, praeterquam in casibus a Concilio Tridentino exceptis et expressis, penitus et omnino eximimus et liberamus.

Clausulas apponit.

§ 7. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria toll.t.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac congregationis et monasteriorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII augusti MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 17 augusti 1638, pontif. anno XVI.

DCXVII.

Quod fratres strictioris Observantiae sancti Francisci provinciae Principatus non erigant conventum in civitate Neapolitanâ, sed observent concordiam factam.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Christi Salvatoris nostri, qui charitas est et Deus pacis, vices meritis licet imparibus gerentes in terris, his, quae pro bono pacis inter christifideles quoslibet, et praesertim Altissimo sub suavi religionis iugo et arctioris vitae disciplinâ famulantes, concorditer facta fuisse dicuntur, ut firma et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis adiicimus firmitatem. Prooemium.

Capitula concordiae observanda.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes de Neapoli Ordinis fratrum Minorum Reformatorum sancti Francisci nuncupatorum provinciae Terrae Laboris professor, quod, vertente quadam inter patres custodiae Terrae Laboris et custodiae Principatus dicti Ordinis controversiâ, patres praedicti devenerunt ad concordiam tenore subsequenti, videlicet:

Ad omnem sedandam, tollendamque controversiam, quae inter patres custodiae Terrae Laboris et patres custodiae Principatus versatur, in hoc omnes unanimes conveniunt, ut patres Reformationis Principatus desisterent a lite et praetensione

conventus in civitate Neapolitanà construendi, sive iam constructi petendi, patresque Terrae Laboris tria infrascripta exequutioni mandarent: et primo, ut quoties aegroti custodiae Principatus pro infirmitatibus insolitis, et alibi curari non valentibus, praecipue ob indigentiam remediorum, Puteoli Neapolim perveniunt, charitative a fratribus Terrae Laboris recipiantur, ac iuxta seraphici patris mandatum eis inserviatur, sicut vellent sibi serviri: secundo vero, ut quoties pro necessariis et honestis negotiis fratres Principatus Neapolim confugiunt, ab ipsis tractandis minime impediantur, sed potius eis faveant: et tandem, quoties pro eiusdem custodiae occurrentibus negotiis eamdem civitatem Neapolitanam adeunt, iuxta Reformatorum consuetum morem patrumque gradus et conditiones, de cellà ceterisque hospitibus necessariis benigne provideatur[1], ac si propriae custodiae fratres ac filii essent, et, ne ob concurrentium fratrum multitudinem confusioni ac hospitandi impossibilitati detur locus, custos pro tempore Reformationis Principatus sit circumspectus, ne plures, quam deceat, simul Neapolim fratres mittat.

Ego frater Laurentius a Monte Corvino, custos Reformationis provinciae Principatus, confirmo, ut supra.

Ego frater Marcellus a Summa, a patre custode et a patribus meae Reformationis ad hoc missus et delegatus, confiteor, ut supra.

Ego frater Ioannes Baptista a Dongo, procurator generalis Reformatorum, interfui, ac pro bono publico et pace annui.

Approbatio protectoris.

Pro nostri muneris ratione utriusque custodiae paci et quieti consulentes, supradictam conventionem et concordiam perpetuo valituram praesenti decreto confirmamus et approbamus, ab omnibusque et singulis Reformationis pro tempore existentibus superioribus et inferioribus observari volumus, decerninus et praecipimus, sub poenis inobedientiae, aliisque arbitrio infligendis. Datum Romae, ex palatio nostrae solitae residentiae, die XXIX martii MDCXVIII.

FABRITIUS card. VERALLUS, protector.

Confirmatio pontificia, prout in rubricâ.

§ 2. Cum autem, sicuti eadem expositio subiungebat, dictus Ioannes praemissa pro firmiori illorum subsistentiâ apostolicâ auctoritate comprobari desideret: nos, ipsum Ioannem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eiusdem Ioannis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, concordiam praedictam, cum omnibus in eâ contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes concordiam huiusmodi necnon praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac a dictarum custodiarum superioribus et fratribus, et quibusvis aliis ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique Or-

1 Forsan legendum *provideantur*, vel *ipsis provideatur* (H. T.).

dinis et custodiarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praemissorum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII augusti MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 17 augusti 1638, pontif. anno XVI.

DCXVIII.

Quod in ecclesiis parochialibus, quae sunt membra monasteriorum Congregationis Cassinensis, aut aliàs ab ipsis dependentes, cura animarum exerceri possit etiam per monachos ad nutum suorum superiorum amovibiles.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Motiva. Aliàs a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sacri Concilii Tridentini interpretibus super subinserto supplici libello sibi tunc porrecto emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Supplicatio. § 1. Illustrissime et reverendissime Domine. Monasterium Ordinis sancti Benedicti Congregationis Cassinensis civitatis Patavinae habet nonnullas parochiales ecclesias in eâdem dioecesi, quae non sunt unitae monasterio, sed sunt parochiales dependentes ab illo, in quibus dictus episcopus Patavinus dicit monasterium fuisse solitum deputare presbyteros seculares, qui praevio ipsius episcopi examine et approbatione curam animarum exercuerunt; sed ab aliquot annis coepisse deputari unum monachum, qui sine socio regulari et cum solo famulo habitat in dictâ parochiali, et curam administrat etiam sine episcopi approbatione. Unde nunc quaeritur, an in dictis parochialibus ab ipsis monasteriis quoquo modo dependentibus, non autem unitis, debeat curam animarum exerceri per monachum, vel presbyterum secularem ab ipsis monachis nominatum, et ab episcopo approbatum.

Declaratio, prout in rubricâ. Sacra congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum, partibus auditis, censuit in parochialibus, quae sunt membra monasteriorum Congregationis Cassinensis, aut aliàs ab ipsis dependentes, curam animarum exerceri posse etiam per monachos ad suorum superiorum nutum amovibiles, ita tamen, ut iidem prius examinentur et approbentur ab episcopo, eiusque iurisdictioni subiiciantur in his quae ad ipsam curam et sacramentorum administrationem pertinent, et cum eo, qui ad eam exercendam fuerit pro tempore deputatus, habitet alius saltem monachus eiusdem Ordinis professus ad praescriptum concilii Lateranensis sub Alexandro III, c. x.

Confirmatio decreti. § 2. Cum autem, sicut dilectus filius procurator generalis dictae congregationis nobis nuper exponi fecit, ipsum[1] decretum huiusmodi, pro illius firmiori subsistentiâ, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desideret: nos, eumdem procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, ha-

1 Videretur legendum *ipse* (R. T.).

rum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum cum omnibus et singulis in eo contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae. § 3. Decernentes illud necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI septembris MDCXXXVIII, anno XVI.

Dat. die 6 septembris 1638, pontif. anno XVI.

DCXIX.

Contra deferentes habitum tertiariorum tertii Ordinis sancti Francisci absque licentiâ superiorum Ordinis, vel deferentes tunicam oblongam, cum vel sine caputio, cum mantello[1].

1 Pro observantiâ huius constitutionis die XXVII novembris MDCXXXVIII provicarius Papae frater Antonius cardinalis Barberinus expedivit edictum, sub poenâ carceris et expoliationis habitus in contrafacientes.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. § 1. Cum, sicut dilectus filius procurator generalis Ordinis fratrum Minorum regularis observantiae sancti Francisci nobis nuper exponi fecit, quamplures, abutentes habitu fratrum tertiariorum Ordinis eiusdem sancti Francisci, vel simplicem tunicam oblongam cum mantello vel sine eo absque superiorum praedictae religionis licentiâ deferant, vel etiam eis caputium, aut tunicae adiunctum aut ipsi mantello consutum, superaddant, eorumque nonnulli extra claustra degentes, tum scandalose et inopportune sub specie peregrinationis aut alterius emendicati praetextus divagentur, tum etiam aliquas ecclesias, seu cappellas, adscito sibi eremitarum nomine incolant, exindeque maxima apud seculares scandali materia et pravae opinionis erga praedictam religionem ingeratur: nobis propterea dictus procurator generalis humiliter supplicari fecit, ut tot incommodis et scandalis opportunum aliquod remedium adhibere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 1. Nos igitur, eumdem procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati,

Mandat Ordinariis, si quos invenerint, de quibus in rubrica carceri incipandos esse, etc. § 2. Omnibus et singulis locorum Ordinariis, ac nostris et Sedis Apostolicae nunciis, ubivis terrarum constitutis et degentibus, tenore praesentium districte praecipiendo mandamus, ne de cetero

quemquam praedictam tunicam oblongam, cum vel sine mantello, absque superiorum praedictae religionis Minorum de Observantiâ et cuiusvis instituti seu congregationis Ordinis eiusdem sancti Francisci licentiâ in scriptis obtentâ, quoquo modo deferre permittant; utque, si aliquem praemissorum transgressorem repererint, illum carceri mancipandum, tali habitu exuendum, et arbitrariis poenis mulctandum irremissibiliter curent; et praeterea nemini licitum faciant, etiamsi praedictae religionis Minorum de Observantiâ et cuiusvis instituti seu congregationis universi Ordinis huiusmodi superiorum scripta seu quovis alio praetextu roborata licentia desuper accesserit, ut habitum huiusmodi cum praedicto caputio, vel tunicâ, seu mantello, ut praefertur, consuto deferant, sublatâ eiusdem Ordinis superioribus, ipsisque locorum Ordinariis, ac nunciis apostolicis, et eorum cuilibet, quavis auctoritate licentias huiusmodi cuiquam concedendi; ac demum earumdem tenore praesentium volumus et ordinamus, ut, si quispiam tale deferens caputium, vel cum licentiâ vel sine eâ, inventus fuerit, carceris detentione, habitus privatione et aliis arbitrariis poenis ab eisdem Ordinariis et nunciis omnino puniatur.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 4. Ut autem praesentes nostrae litterae ad omnium quos illae concernunt notitiam facilius deveniant, volumus, quod illarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v octobris MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 5 octobris 1638, pontif. anno XVI.

DCXX.

Decretum sacrae rituum Congregationis de non ieiunando in vigiliâ sancti Ioannis Baptistae quando contingit in die solemnitatis Corporis Christi.

Die XXIV septembris MDCXXXVIII.

Cum anno proxime venturo MDCXXXIX vigilia sancti Ioannis Baptistae incidat in diem solemnitatis Corporis Christi, fuit a pluribus locorum Ordinariis supplicatum Sanctissimo pro declaratione quid agendum de ieiunio eo die praescripto. Et, supplicatione per Sanctitatem Suam ad sacram rituum Congregationem remissâ, eadem sacra Congregatio, re mature discussâ, censuit non esse ieiunandum, neque abstinendum a carnibus in festo solemnitatis Corporis Christi, sed anticipandum ieiunium die antecedenti, nempe feriâ quartâ, prout ieiunaretur in ipsâ vigiliâ: et videri etiam sacrae Congregationi, quod Sanctitas Sua, si ita ei[1] placuerit, praeciperet super hoc expediri Breve pro perpetuis futuris temporibus, quando idem casus contigerit; et, factâ per me secretarium relatione de praemissis Sanctitati Suae, Sanctitas Sua sententiam sacrae Congregationis laudavit, et Breve pro toto orbe

1 Pronomen *ei* nos addimus (R. T.).

expediri mandavit, prout expeditum fuit, tenoris ut infra.

C. episc. Portuen. card. Pius.

Loco † sigilli.

Declaratio, quod non sit ieiunandum in vigiliâ sancti Ioannis Baptistae, quando contingit in die solemnitatis Corporis Christi[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Causae huius Constitutionis.

Cum evenire quandoque possit, ut vigilia sancti Ioannis Baptistae in diem festum solemnitatis sanctissimi Corporis Domini Nostri Iesu Christi incidat:

Declaratio de qua in rubrica.

§ 1. Nos, attendentes diem festum huiusmodi, quo tanti Sacramenti institutio summâ totius populi christiani laetitiâ recolitur, e principalibus anni festivitatibus existere, propterea, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, deinceps perpetuis futuris temporibus, quoties vigiliam praedictam in dictum diem festum solemnitatis sanctissimi Corporis Domini Nostri Iesu Christi incidere contigerit, non esse ieiunandum, neque a carnibus abstinendum in die festo huiusmodi, sed anticipandum ieiunium die immediate antecedenti, nempe feriâ quartâ, prout ieiunaretur in ipsâ vigiliâ, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus et ordinamus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 2. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur eisdem litteris, si forent exhibitae vel ostensae.

1 Circa hoc habes immediate supra decretum sacrae rituum Congregationis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII octobris MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 13 octobris 1638, pontif. anno XVI.

DCXXI.

Confirmatio litterarum pontificiarum, ac praesertim Pauli V, circa officium capitanei Portus Ariminensis[1].

Dilectis filiis communitati et hominibus civitatis nostrae Ariminensis,
Urbanus Papa VIII.
Dilecto fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Proemium.

Constantis vestrae fidei et devotionis erga nos et Apostolicam Sedem sinceritas, quam multis iam dudum argumentis comprobastis, nos inducit, ut, votis vestris benigne annuentes, vos specialibus favoribus et gratiis libenter prosequamur.

Summa litterarum Pauli V circa officium capitanei portus Ariminensis.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis nuper exponi fecistis, inter alia privilegia, indulta, concessiones, facultates, immunitates, exemptiones, libertates et gratias, vobis vestraeque civitati et illius magistratibus, officialibus, tum portus castrorum nundinariis, tum aedilibus et aliis quovis nomine nuncupatis, necnon circa iurisdictiones consulum dictae civitatis et consulum nundinarum, aedilium, capitanei portus, et aliorum quorumcumque officiorum, a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ac Sedis Apostolicae de latere legatis, vicelegatis, praesidibus, camerariis, commissariis et visitatoribus apostolicis quomodolibet concessas et concessa, ac a felicis recordationis Paulo Papa V etiam praedecessore nostro per quasdam suas litteras (quas nos per nostras in simili formâ Brevis die XXIV septembris MDCXXV expeditas litteras con-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

firmavimus et approbavimus) confirmatas et confirmata, capitanei portus huiusmodi officium, ad quod unus de consilio eiusdem civitatis per vota secreta quotannis, ut asseritis, eligi et assumi consuevit, ceteris civitatis officiis honorabilius reputetur, et propterea easdem Pauli V litteras, circa ea quae officium capitanei portus huiusmodi concernunt, peculiari apostolicae confirmationis munimine comprobari summopere desideretis:

Quas litteras communitas Ariminensis petit confirmari.

Sequitur confirmatio.

§ 2. Nos, amplioribus favoribus et gratiis vos prosequi volentes, et vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praedictas Pauli praedecessoris huiusmodi litteras et in eis contenta, quoad ea quae dictum capitanei portus officium concernunt, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes illas necnon praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, vobisque plenissime in omnibus et per omnia suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae civitatis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ab verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV octobris MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 25 octobris 1638, pontif. anno XVI.

DCXXII.

Confirmatio electionis Ferdinandi III in regem Romanorum futurum imperatorem[1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,

Charissimo in Christo filio nostro Ferdinando, Romanorum et Hungariae ac Bohemiae regi illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Cum vices illius, qui regnat in caelis, et per quem reges in terris dominantur et principes imperant, in Apostolicae Sedis speculâ meritis licet imparibus, solâ eius miseratione et gratiâ freti, sustineamus, muneris nostri partes esse intelligimus, quae communis utilitatis, salutis et praesidii causâ comparata noscuntur, atque ad sacri Romani imperii statum, decus et amplitudinem praecipue pertinent, iudicii et auctoritatis nostrae munimine roborare.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Ferdinandus III in Romanum regem et futurum imperatorem electus et coronatus.

§ 1. Quapropter, cum, sub die XXII mensis decembris anni Domini MDCXXXVI, tu, qui clarae memoriae alterius Ferdinandi Romanorum regis in imperatorem electi, tunc viventis et consentientis, ad praesens defuncti, natus et Hungariae et Bohemiae rex existis, cuiusque amplissimae pietatis in sanctam Sedem Apostolicam argumenta, et strenui in bellis labores pro tuendâ catholicâ religione, aliaque promerita iam satis superque innotuerunt, in Romanorum regem futurum imperatorem solemniter electus fueris, et electioni huiusmodi, oblato tibi de more decreto, qua decet modestiâ, consenseris, et deinde, solito per te in manibus venerabilis fratris nostri archiepiscopi Moguntini praestito more catholicorum regum praedecessorum tuorum iuramento, aliisque solemnitatibus requisitis peractis, dicti archiepiscopi ministerio ritu et pompâ solitis coronatus extiteris; electionis vero huiusmodi confirmationis negocium nuper nobis per dilectum filium nobilem virum Ioannem Franciscum Chremaniae ducem et principem Enhembergi oratorem tuum specialem, quem ad praestandam nobis solitam obedientiam destinasti, exponi feceris:

Quam electionem Urbanus confirmat.

§ 2. Nos, de praemissis per legitima documenta sufficienti habito testimonio, et re cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus diligenter perpensâ et mature consideratâ, magnâ animi nostri cum spirituali laetitiâ ex eâdem electione susceptâ, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, et gloriosissimae Virginis eius genitricis Mariae, ac beatorum apostolorum Petri et Pauli, necnon eiusdem S. R. E. et sacri imperii exaltationem et honorem, electionem de personâ maiestatis tuae in regem Romanorum futurum imperatorem, aliaque praemissa, ob praestantissimas animi et corporis tui dotes, earumque luculentissima indicia[1] et testimonia, et certissimam spem[1], quam de te in sanctae fidei et religionis catholicae ac nostrâ et Romanae Ecclesiae illiusque rerum et bonorum defensione, propagatione et protectione conceptam habemus, de eorumdem fratrum consilio et unanimi assensu, auctoritate apostolicâ, et ex certâ nostrâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, qui aut ratione formae, aut loci coronationis, ut praefertur, factae, aut personarum principum electorum, seu etiam ex eo quod idem Ferdinandus pater tuus electus imperator de manu Romani Pontificis auream coronam non susceperit, seu quavis aliâ ratione vel causâ in electione aliisque praemissis quovis modo forsan intervenerint, supplemus, teque sic electum et confirmatum ad suscipiendum imperialis dignitatis culmen suis loco et tempore dignum et idoneum decernimus et declaramus.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis legibus imperialibus, ac privilegiis electoribus praedictis et quibusvis aliis forsan concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, auctoritate, scientiâ, potestate, ac tenore praemissis, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Edit. Main. legit *iudicia* n. t.

1 Male edit. Main. ut puto legit *certissima*, *spem* n. t.

Sanctio poenalis.

§ 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, approbationis, suppletionis, decreti, declarationis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXXVIII, IV idus novembris, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 10 novembris 1638, pontif. anno XVI.

Subscriptio Papae.

✠ EGO URBANUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

In Domino sperans non infirmabor.

Aliae subscriptiones.

† Ego Carolus episcopus Praenestinus card. Pius.

† Ego M., episcopus Tusculanus, cardinalis Lantes.

†
†
†
†
†
†
†
†

† Ego Guido tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Bentivolus.

† Ego Iulius tituli S. Mariae super Minervam card. Penna.

† Ego Fr. Desiderius tituli S. Caroli cardinalis de Cremona nuncupatus.

†
†
†
†

† Ego Antonius tituli S. Balbinae presbyter cardinalis de la Cueva.

† Ego Fr. Antonius tituli S. Petri ad Vincula cardinalis S. Honuphrii, maior poenitentiarius et bibliothecarius.

†
†
†
†

† Ego Bernardus tituli S. Stephani in Monte Coelio presbyter card. Spada.

†
†

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Eusebii presbyter cardinalis Pamphilius.

† Ego Franciscus tituli S. Alexii presbyter cardinalis Balneo.

†
†

† Ego Ioannes tituli S. Silvestri in Capite presbyter cardinalis Pallottus.

†
†
†
†
†
†
†

†
†
†
†
†
† Ego Franciscus S. Laurentii in Damaso diaconus S. R. E. vicecancellarius summator Papae cardinalis Barberinus.
† Ego Petrus Maria S. Grisogoni diaconus cardinalis Burghesius.
†
†
† Ego Alexander S. Eustachii diaconus cardinalis Caesarinus.
† Ego S. Agathae diaconus S. R. E. camerarius et signaturae gratiae praefectus cardinalis Antonius Barberinus.
†
†
†
†

DCXXIII.

Quod monachi Cassinenses non sunt ullo modo cogendi accedere nisi ad processionem Sanctissimi Sacramenti[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Motiva cum decreto desuper emanato.

§ 1. Nuper pro parte dilecti filii procuratoris generalis congregationis Cassinensis Ordinis sancti Benedicti nobis expositum fuit, quod aliàs, seu nuper, a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus sacris ritibus praepositis emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Pro monachis S. Sixti congregationis Cassinensis Placentiae commorantibus narratum fuit, quod ipsi monachi nunquam in eàdem civitate, nec alibi, soliti sunt accedere ad alias processiones, praeterquam ad processionem Sanctissimi Sacramenti. Nunc vero episcopus vult cogere, ut accedant etiam ad processiones quae fieri solent pro rogationibus maioribus et minoribus singulis annis, ad quas antea nunquam accesserunt, et propterea petierunt non adstringi ultra eorum solitum et consuetum.

Sacra rituum congregatio respondit, monachos praedictos non esse ullo modo cogendos accedere nisi ad processionem Sanctissimi Sacramenti, iuxta eorum antiquam consuetudinem, quam, tam dictis monachis Placentiae commorantibus, quam aliis eiusdem congregationis Cassinensis, ubique conservandam esse censuit et declaravit die x iunii MDCII. Datum hac die IX octobris MDCXXXVIII.

Confirmatio decreti, de quo in rubricâ.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus procurator generalis decretum huiusmodi pro illius firmiori subsistentiâ apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desideret: nos, eundem procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, cum omnibus et singulis in eo contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes illud necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia

1 Ne iam indicata otiose repetantur, vide notata ad Const. CXIV supra, pag. 639.

existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum deputatio.

§ 4. Quocirca dilecto filio nostro et Sedis Apostolicae nunc et pro tempore existenti in regno Neapolis nuncio, ac causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, decretum et praesentes litteras huiusmodi, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte tam praedictorum monasterii Placentini quam aliorum quorumcumque eiusdem Congregationis monachorum requisiti fuerint, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant illos auctoritate nostrâ praemissorum omnium et singulorum commodo et effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis Congregationis et monasteriorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII novembris MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 17 novembris 1638, pontif. anno XVI.

DCXXIV.

Preces primariae Ferdinando III regi Romanorum in imperatorem electo conceduntur[1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,

Charissimo in Christo filio Ferdinando Romanorum regi in imperatorem electo, salutem et apostolicam benedictionem.

Ferdinandi instantia.

§ 1. Cum[2] post factam de personâ tuâ per sacri Romani imperii principes electores, de consensu clarae memoriae Ferdinandi II Romanorum regis in imperatorem electi patris tui tunc in humanis agentis, in regem Romanorum electionem, ac per nos pro universae christianae reipublicae salute confirmatam, nuper nobis significaveris te summopere desiderare personas tibi gratas et acceptas gratiâ et munificentiâ tuâ aliqua beneficia ecclesiastica consequi posse:

Eius in Ecclesia Romana merita;

§ 2. Nos, quemadmodum magnis merentur efferri laudibus, insignibusque praeconiis commendari sublimium principum desideria et vota, quae in divini nominis et personarum illi clericali vinculo adstrictarum amorem feruntur, et opere postmodum consequente tutum deducuntur in actum[3], ita etiam dignum, vel potius debitum existimamus, ut (quoniam in fidei sinceritate et devotione illibatae Ecclesiae

1 Ex Regest. in Secret. Brev. — Non absimiles concessiones primariarum precum aliis Romanorum imperatoribus statim post confirmatam eorum electionem concessas retulimus suo loco.

2 Similes vide litteras Pauli V quas dedimus in tom. XII, pag. 197 et 472 (n. T.).

3 Vide loca parallela citata (n. T.).

sponsae nostrae te fidelem advocatum devovisti, eamque humili professione matrem et dominam tuam recognovisti, et ad ipsius honorem et sacri Romani imperii decus unctionem victoriae et diadema etiam nostro ministerio adveniente tempore suscipere et in eis immobilis persistere intendis, verum etiam, tamquam ipsius Ecclesiae legitimus pugillator et athleta, te adversus schismaticorum et haereticorum, turcarum tyranni ac fidei et Christi nominis hostis insanias et furores spiritualiter et temporaliter armaris et in dies arma huiusmodi iugiter exequeris) ea tibi favorabiliter concedamus, quae tuae celsitudini cedant ad honorem, et per quae eisdem benemeritis personis te munificum reddere possis, ope auctoritatis apostolicae, exhibitione gratiarum.

Concessio primariarum precum.

§ 3. Hinc est quod tuae celsitudinis supplicationi inclinati, dictâ auctoritate, praesentium serie, eidem celsitudini tuae concedimus et indulgemus, quod, si per te quibusvis collatoribus seu collatricibus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum secularium vel regularium Ordinum quorumcumque per sacrum Romanum Imperium ubilibet constitutorum (etiam si[1] qui vel si quae pontificali vel aliâ quavis dignitate praefulgeant, seu collegia, capitula et conventus fuerint) super singulis beneficiis ecclesiasticis, cum curâ vel sine curâ, secularibus vel Ordinum huiusmodi regularibus, in singulis cathedralibus, etiam metropolitanis, collegiatis et aliis quibusvis ecclesiis (etiamsi beneficia huiusmodi canonicatus et praebendae, dignitates, personatus, administrationes vel officia in eisdem cathedralibus, etiam metropolitanis, vel collegiatis, et ipsae praebendae, in illis ex huiusmodi ecclesiis in quibus maiores vel minores praebendae esse noscuntur, etiamsi maiores fuerint, et ad dignitates, personatus, administrationes vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, dummodo dignitates ipsae in cathedralibus etiam[1] metropolitanis post pontificales maiores, aut[2] collegiatis huiusmodi principales non existant), ad eorumdem collatorum et collatricum collationem, provisionem, praesentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel divisim pertinentibus, singulis personis conferendis, seu super hoc, quod personae huiusmodi ad illa recipiantur et admittantur, preces porrigi, seu de personis eisdem ad huiusmodi beneficia nominationes fieri contigerit primarias, iidem collatores et collatrices (salvo quod singulae collationes et singulae ecclesiae ex hoc ultra quam in uno beneficio non graventur ac ipsi collatores et collatrices saltem quatuor beneficia ecclesiastica conferre habeant) huiusmodi precibus et nominationibus parere et intendere, necnon personas ipsas ad huiusmodi beneficia, postquam ipsis de illis canonice provisum fuerit, iuxta earumdem precum aut nominationum tenorem recipere et admittere debeant, et etiam teneantur, ita quod celsitudo tua unam et eamdem personam supradictis collatoribus et collatricibus simul vel successive nominare possit;

Conditiones in huiusmodi precum exequutione servandae.

§ 4. Ita tamen, quod, quam primum persona sic nominata de aliquo beneficio provisa fuerit, eius nominatio quoad alios collatores vel collatrices facta ipso iure expiret; et quoad easdem preces canonicatum et praebendam, ac dignitatem seu personatum, administrationem vel officium in unâ ecclesiâ pro unico dumtaxat beneficio computari debere declaramus; quodque quicumque, quibusvis in digni-

1 Edit. Main. legit *etiamsi*, *si* (R. T.).

1 Aptius ut alibi legeretur simpliciter *et* (R.T.).
2 Subintelligge praep. *in* (R. T.).

tatibus constituti, seu ecclesiarum cathedralium canonici singuli (videlicet in illis, quos pro singulis personis praedictis precum et nominationum huiusmodi, et ad hoc ut illae sortiantur effectum, etiam praesentium exequutores deputaveris), per se, vel alium, seu alios, beneficia praefata, cum in quibusvis etiam ordinariis collatoribus per constitutiones nostras aut litteras alternativarum aliaque privilegia et indulta quaecumque quomodolibet concessis et imposterum concedendis, aut aliis quibuscumque mensibus vacaverint, et quae personae, pro quibus preces et nominationes huiusmodi factae fuerint, quatenus huiusmodi preces sive nominationes ad illa se extendant, infra mensem, postquam ipsis vacatio huiusmodi beneficiorum innotuerit, duxerint acceptanda (etiamsi ipsa beneficia dispositioni apostolicae aliàs quam per constitutionem felicis recordationis Benedicti Papae XII praedecessoris nostri, quae incipit *Ad regimen*, generaliter reservata existant, et ex diversis personis vacaverint, et personae nominatae praefatae, tempore assequutionis beneficii ad quod nominatae fuerint, aliud beneficium in eâdem ecclesiâ non[1] obtineant, ac secundum statuta et consuetudines ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi extiterint, vel indulta ecclesiis concessa, capaces, videlicet, in aetate legitimâ constitutae aut de legitimo matrimonio procreatae[2] sint, dummodo quoad huiusmodi qualitates aliàs cum eis canonice dispensatum, et beneficia, in eâdem ecclesiâ obtinenda, talia sint, quae sine dispensatione apostolicâ insimul obtineri possint aut consueverint, ac ipsorum vacantium beneficiorum collatio non fuerit, iuxta Lateranensis statuta concilii, ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, neque super illis inter aliquos lis pendeat indecisa), cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, personis ipsis, etiam duo, vel tria, seu plura, quarumcumque qualitatum[1], et cuiuscumque annui valoris, ecclesiastica beneficia obtinentibus et expectantibus, conferre et assignare, necnon omnia et singula, quae, ad hoc ut precum seu nominationum et acceptationum ac collationum huiusmodi succedat effectus, opportuna fuerint, facere auctoritate nostrâ per censuram ecclesiasticam exequi possint et valeant; super quibus ipsis plenam et liberam, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, potestatem concedimus ac etiam facultatem: ac personis praefatis, pro quibus huiusmodi primarias preces porrigi seu nominationes fieri contigerit, quod ipsae expectativis, ac nominationibus, seu specialium reservationum de quibusvis[2] beneficiis pro eis factarum gratiis et mandatis de providendo ipsis de eisdem, si qua[3] ipsis concessa fuerint, unà cum gratiâ precum et nominationum primariarum earumdem uti possint, nec, aliquâ gratiarum huiusmodi consumptâ[4], reliquae earumdem cassae censeantur vel irritae, indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus nostris de non utendo gratiâ expectativâ ac reservatione speciali, vel duabus gratiis insimul, ac de insinuatione et publicatione et diligentiis per acceptantes desuper faciendis, ac in favorem ordinariorum collatorum necnon expectativas in formâ pauperum habentium, ac illustrium et graduatorum,

1 Particula *non* delenda (R. T.).

2 Legendum *non sint*, ut patet ex loco parallelo, tom. XII, pag. 473 *b*, et ex ratione contextus; nam perdurat vis particulae *etiamsi*, et sequitur *dummodo* (R. T.).

1 Ita legitur in loc. parall.; ed. Main. hic legit *qualitatis* (R. T.).

2 Sic legimus ex loc. parall.; male edit. Main. heic habet *quibus* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

4 Sic legitur etiam in locis parallelis; aliquis forsan suspicaretur legendum esse *consequutâ* (R. T.).

et Sedis praefatae officialium, ac certas inibi expressas gratias habentium, necnon quibuscumque in cancellariâ apostolicâ quandocumque publicatis et publicandis, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon aliis ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi forsan fuerint, statutis et consuetudinibus (illis praesertim, quibus in ecclesiis, in quibus maiores et minores praebendae huiusmodi fuerint, caveri dicitur, quod nullus inibi maiorem praebendam assequi valeat, nisi ad[1] illam de minori gradatim et per optionem ascendat), iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, contrariis quibuscumque: aut[2] si aliquibus super provisione sibi faciendâ de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis speciales vel generales dictae Sedis vel legatorum eius litterae, etiam nostro vel eas concedentium proprio motu, aut cuiusvis[3] etiam quocumque respectu et ad cuiuscumque instantiam sint concessae vel concedantur imposterum: seu[4] si speciales de huiusmodi beneficiis, per nos vel Sedem praefatam, aut quaecumque alia[5] (aut[6] quamcumque nominandi et reservandi facultatem quibusvis, quacumque etiam ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate fulgentibus, per Sedem praefatam concessarum vel concedendarum vigore reservationum, sive earumdem facultatum obtenta[1]) ad huiusmodi beneficia quarumcumque personarum nominationes pro tempore factae fuerint; quas quidem litteras (etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel aliâs quomodolibet processum fuerit) necnon reservationes, facultates et nominationes cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis clausulis, quatenus praesentium effectum suspendere, impedire vel perimere, aut aliâs eisdem praesentibus quomodolibet obsistere viderentur (sive ex certâ scientiâ nostrâ, vel simili motu, sive aliâs sub quibusvis formâ et expressione verborum, et quae fortasse totalis sui tenoris insertionem, ac illorum, quibus concessa sunt vel fuerunt, nominum et cognominum individualem expressionem praesentibus faciendam, ad hoc ut illis per easdem praesentes sufficienter derogetur, exigunt vel requirunt[2], et[3] quae ipsis praesentibus, perinde ac si earum tenor de verbo ad verbum insertus foret, pro expressis habeantur, emanaverint[4]), et mandata de providendo inde sequuta, cum processibus per ea pro tempore habitis (nisi illi, pro quibus emanaverint, ut praefertur, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium numero fuerint), ad beneficia, quae precum et nominationum primariarum vigore per[5] personas, pro quibus illae factae fuerint, acceptata, et de quibus eis provideri contigerit, minime extendi[6]; quin immo[7] in illarum exequutione[8] personas

1 Praeposit. *ad* addimus, vide tom. XII, pagina 471 *b* (R. T.).

2 Nempe *aut non obstante si*, etc.

3 Aptius forsan legitur in loco parallelo *cuivis* (R. T.).

4 Continuat clausula *non obstantibus*, scilicet *seu non obstante si* (R. T.).

5 Aptius in loco parallelo citato legitur *aliae*, nempe *nominationes*, ut postea sequitur (R. T.).

6 Comma istud, quod parenthesi includo, nondum enucleare valui: legerem, ut notavi in loc. parall., *aut quarumcumque... facultatum quibusvis... concessarum vel concedendarum vigore* etc.; vel aliter *a quamcumque nominandi et reservandi facultatem habentibus quibusvis, quacumque*, etc. (R. T.).

1 Videretur legendum *obtentu* (R. T.).

2 Legerem *exigant vel requirant* (R. T.).

3 Puto partic. *et* omnino esse deleudam (R. T.).

4 Male edit. Main. legit *emanaverit* (R. T.).

5 Praep. *per* nos addimus ex loc. parall. (R. T.).

6 Subintellige *volumus*, quod postea sequitur (R. T.).

7 Male in loco parall. legitur *quum immo* (R. T.).

8 Aptius legerem *in illorum* (beneficiorum) *assequutione*; vide loc. parall. (R. T.).

ipsas omnibus et quibuscumque, earum litterarum et expectativarum ac[1] reservationum huiusmodi vigore, et cum quibusvis antelationum praerogativis (etiam illis, quas certis nostris familiaribus continuis commensalibus in cancellariâ[2] apostolicâ, ac aliis nostris litteris, ad effectum et aliis in assequutione beneficiorum conferendis nominatim descriptis[3], concessimus) et cum similibus derogatoriis clausulis (quae nulli, quominus praesentium succedat effectus, suffragari debeant[4]) expectantibus, etiamsi illarum obtentu in quibusvis ecclesiis in canonicos recepti ac de numero ipsorum familiarium continuorum commensalium antiquorum fuerint, necnon gratias in communi formâ pauperum habentibus, ac officialibus et illustribus, ac alias quascumque facultates habentibus, etiam nostris familiaribus continuis commensalibus antiquis et descriptis et imposterum describendis (dictis cardinalibus dumtaxat exceptis) anteferri volumus; sed nullum per hoc expectantibus praefatis, quoad assequutionem beneficiorum aliorum, praeiudicium generari: seu[5] si dictis collatoribus, vel collatricibus, vel quibusvis aliis, communiter aut divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis, ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem, coniunctim vel separatim, spectantibus, nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem: et[1] qualibet aliâ dictae Sedis indulgentiâ, generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis: aut[2] si personae praefatae praesentes non fuerint ad praestanda de observandis statutis et consuetudinibus ecclesiarum, in quibus huiusmodi beneficia fuerint, ut praefertur, solita iuramenta, dummodo in absentiâ suâ per procuratores idoneos, et, cum ad ecclesias ipsas accesserint, corporaliter illa praestent: necnon concordatis[3] nationis Germanicae, ac[4] eorumdem concordatorum confirmatione, ac praedictis, ac quibuscumque aliis quandocumque editis et edendis constitutionibus, et regulis nostris, et dictae cancellariae; ad quarum solemnitatem, adstrictionem, formam[5], vel satisfactionem, seu observantiam, habentes preces seu nominationem huiusmodi minime teneantur, nec ipsae preces sub illis comprehendantur quoquo modo: necnon quibusvis[6] privilegiis, indultis et litteris apostolicis, et quibusvis gratis, expectativis, specialibus vel generalibus, etiam mentalibus[7], reservationibus[8], suppressionibus et extinctionibus, perpetuis et temporalibus, nominationibus, ac reservandi, uniendi, annectendi,

1 Coniunct. *ac* nos addimus ex loc. parall. (R.T).

2 In loc. parall. legitur *camerâ* (R. T.).

3 Legerem: *ad effectum ut aliis in assequutione beneficiorum conferendorum nominatim descriptis praeferantur*, ut notavi in loco parallelo, tom. XII, pag. 475 *a* (R. T.).

4 Male, ut puto, ed. Main. legit *debeat* (R. T).

5 Continuat clausula *non obstantibus*, scilicet *seu non obstante si* (R. T.).

1 Adhuc prosequitur clausula *non obstante* (R. T.).

2 Semper subintellige *aut non obstante* (R.T.).

3 Subintellige *non obstantibus* (R. T.).

4 Legimus *ac* pro *in*, ex loc. parall. (R. T.).

5 In loco parallelo legitur *ad quarum solemnitatum adstrictiorem formam* (R. T.).

6 Adhuc subintellige *non obstantibus* (R. T.).

7 Perperam ed. Main. legit *mensalibus* (R.T.).

8 In loco parallelo additur *unionibus, annexionibus et incorporationibus* (R. T.).

incorporandi, ac nominatis et aliis conferendi, commendandi, supprimendi et extinguendi, aliisque citra accessus et regressus de consensu facultatibus, litteris, mandatis et indultis quibuscumque, et[1] cum provisionibus, commendis et aliis dispositionibus ex tunc et gratiis, quibusvis personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus vel conditionis existentibus, et quacumque etiam imperiali, regali, reginali, ducali, sive episcopali, archiepiscopali, patriarchali vel maiori auctoritate, praeeminentiâ, nobilitate et excellentiâ, ac etiam cardinalatus honore fungentibus[2], et familiaribus continuis commensalibus nostris, etiam descriptis et antiquis, et in eorum ad[3] ecclesiarum, etiam cathedralium, et metropolitanarum, ac patriarchalium, et principalium, monasteriorum, mensarum capitularium, dignitatum et aliorum beneficiorum quorumcumque, cum curâ et sine curâ, secularium et quorumvis Ordinum regularium, locorum piorum, universitatum studiorum, et aliorum quorumcumque, aut in nullius[4] favorem, aut eorum, necnon iurium cessionum[5], vel ablatorum, aut spoliorum, damnorum, etiam per infideles illatorum, et obsequiorum nobis Romanaeque Ecclesiae vel praefatae Sedi aut pro fide catholicâ impensorum, seu quibusvis aliis excogitabilibus et urgentissimis et insolitis necnon exprimendis causis, consideratione, contemplatione, instantiâ, intuitu, ratione vel respectu, ac motu proprio, ac ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac cum quibusvis antelationum praerogativis, declarationibus, concessionibus, favoribus, suspensionibus, ac gratiis et restitutionibus, modificationibus, exceptionibus, et annullativis, irritativis, ac derogatoriarum derogatoriis, necnon praefatam et alias quascumque concessas et concedendas gratias suspendentibus, ac illis derogantibus, necnon mentis et intentionis ac perpetuae et incommutabilis voluntatis nostrae fuisse et esse de non revocando et suspendendo gratias easdem, et illis non derogando[1], quomodolibet attestantibus, et in pristinum et validissimum statum reponentibus, restituentibus, ac plenarie reintegrantibus, ac per modum pacti et initi contractus ac perpetui statuti, necnon gratias ipsas ut de actu vacantibus expectare, et ex tunc vere et non ficte, etiam quoad possessionem dictorum beneficiorum ac omnes iuris et facti defectus[2], plenum esse sortitas effectum decernentibus et declarantibus, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, per nos et Sedem praefatam, aut eius legatos, in genere vel in specie, etiam nominatim, de dictis beneficiis et aliis quomodolibet emanatis; quibus (etiamsi in illis, quod illae nonnisi certis modis et formis inibi expressis et nominatis, verbisque et signis inibi appositis, et omni diversarum litterarum apostolicarum expeditione et intimatione etiam diversis temporibus faciendâ, ac de consensu eorum quorum interesse concernebatur, aut etiam nullatenus suspendi, moderari, aut eis in aliquo derogari posset, et, quatenus suspenderentur, aut illis derogaretur, toties de novo, et sub quacumque datâ per illos quorum interesse concernebatur eligendâ, concessa et facta sint et esse censeantur ac expediri possint, ac sic et non aliter[3] per quoscumque iudices et personas iudicari debeat, caveatur expresse), illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac

1 In loco parallelo legitur *etiam* (R. T.).
2 In loco parallelo legitur *fulgentibus* (R. T.).
3 Legerem *ac* pro *ad* (R. T.).
4 In loco parallelo legitur *illius* (R. T.).
5 In loco parallelo legitur *eorum* (R. T.).

1 Male ed. Mam. legit *derogantibus* (R. T.).
2 Forsan legend. *effectus* pro *defectus* (R. T.).
3 Male edit. Mam. legit *ac si non aliter* (R.T.).

de verbo ad verbum insertis, ac modos et formas huiusmodi pro individuo servatis habentes, ad effectum praesentium, omnino derogamus, et in dictis beneficiis, cum, uti praefertur, vacaverint, effectum sortiri, aut locum sibi vendicare [1], necnon [2] praesentes litteras nullatenus de subreptionis et obreptionis vitio aut intentionis nostrae defectu notari aut impugnari posse nec debere, et sic per quoscumque tam ordinariâ quam delegatâ et mixtâ auctoritate fungentes iudices et personas ubique iudicari, cognosci, atque decidi debere, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi, cognoscendi et decidendi facultate, necnon irritum et inane qudquid secus super praemissis omnibus et singulis, vel eorum aliquo, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus: ceterisque contrariis[3] quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 6. Praeterea, quia difficile foret praesentes litteras ad singula loca deferri, volumus, et dictâ auctoritate nostrâ decernimus, quod illarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ubique adhiberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Clausulae poenales.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, concessionis, indulti, derogationis, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

1 Subintelige *nullatenus posse*, quod postea sequitur (R. T.).

2 Vocem *decernentes* importune heic interiectam delemus (R. T.).

3 Heic demum absolvitur clausula *non obstantibus* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXXVIII, XII kalendas decembris, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 20 novembris 1638, pontif. anno XVI.

DCXXV.

Indulgentia plenaria pro visitantibus ecclesias Societatis Iesu ac communione refectis in festo sancti Francisci Xaverii, cum translatione indulgentiae, quando festum occurrit primâ cum dominicâ Adventus.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Gregorius XV edidit constitutionem de hac materia.

Aliàs felicis recordationis Gregorius XV, praedecessor noster, omnibus et singulis presbyteris et clericis Societatis Iesu, ac aliis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis dictae Societatis ubique existentibus in festo sancti Francisci Xaverii devote visitassent, plenariam omnium peccatorum suorum inndulgentiam et remissionem misericorditer in Domino perpetuo concessit, prout in litteris desuper confectis plenius dicitur contineri.

Causae concedendi novi indulti.

§ 1. Cum autem, sicut praepositus generalis dictae Societatis nobis nuper exponi fecit, festum sancti Francisci Xaverii praedicti quandoque in dominicam primam Adventus incidat, cupiatque propterea illud in aliam nobis benevisam diem ut infra transferri:

Concessio, de qua in rubrica.

§ 2. Nos, ad augendam eorum presbyterorum aliorumque utriusque sexus christifidelium devotionem et animarum salutem caelestibus ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, quotiescumque de cetero festum huiusmodi in dictam primam dominicam Adventus inciderit, celebrationem festi huiusmodi in unum ex

diebus infra octavam festi praedicti sancti Francisci, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo transferimus, iisdemque presbyteris ac aliis christifidelibus praedictis, aliquam ex dictis ecclesiis Societatis huiusmodi visitantibus et praemissa peragentibus die in quam celebrationem festi huiusmodi transferri contigerit, plenariam similiter omnium suorum peccatorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 3. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II decembris MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 2 decembris 1638, pontif. anno XVI.

DCXXVI.

Decimae nonnullae super bonis ecclesiasticis in dominio Reipublicae Venetorum imponuntur in subsidium eiusdem reipublicae pro sumptibus belli contra Turcas[1].

Venerabili fratri Francisco archiepiscopo Thessalonicensi, moderno et pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae in dominio Venetorum nuncio,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sacrosanctae[2] militantis Ecclesiae regimini per abundantiam divinae gratiae nullo licet meritorum suffragio praepositi, inter graves sollicitudines quibus pro credito nobis apostolicae servitutis officio assidue premimur, ea est praecipua, quam continua pericula atque discrimina, quae a nefario Christi nominis hoste Turcarum tyranno principibus et populis christianis nunquam non impendunt[1], nobis conciliant. Quapropter, etsi Domini Dei exercituum, qui sponsam suam Ecclesiam sanctam protegit, praesidio potissimum confidamus, cogimur tamen pro debito pastoralis muneris in id omni cogitatione omnique curâ incumbere, ut provisionis nostrae ministerio, adhibitis catholicorum principum viribus, mala huiusmodi procul a populo christiano arceantur.

Causae imponendi decimas.

§ 1. Cum vero plus satis constet, eumdem impium Turcarum tyrannum nihil avidius quaerere, quam christianos populos invadere, et, christianam religionem exterminando, abominationem suam plantare et propagare, eiusque vires nostris facientibus peccatis malo nostro admoniti cogamur timere, omnique curâ et sollicitudine praecavere: multo magis castra Domini custodire et praemunire nos oportet hoc tempore, cum ab expeditione contra christianos multis annis abstinuerit, et verisimile sit, diutius non cessaturum, sed eius potius diu compressam rabiem vehementius erupturam. Quod malum nos paternâ sollicitudine iamdudum metuentes pro officii nostri debito Venetorum praecipue nobilissimam rempublicam, quae hostibus maxime exposita esse dignoscitur, non semel in Domino cohortati sumus, ne insidiarum plenâ cum impiis pace, quibus non est pax, confideret, sed prudenter caveret, suasque arces, portus et loca muniret, classem et alia ad bellum necessaria compararet et parata haberet.

Invia mercatorum atque aliorum Pontificum.

§ 2. Cum autem ingentes sumptus haec res postulet, Clementis VIII et Pauli V nec

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Similem vide Gregorii XV, tom. XII, pag. 709 (R. T.).

1 Aptius in loc. parall. legitur *impendent* (R. T).

non Gregorii XV aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, eam Rempublicam, id enixe flagitantem, ecclesiasticis auxiliis prompto libentique animo adiuvare decrevimus, attendentes non solum nos eius unius saluti, verum etiam multorum ac omnium Italiae populorum incolumitati consulere, cum ipsa sit magnum totius Italiae munimentum[1], ac firmissimum maris Adriatici propugnaculum. Quamobrem aequum et rationi consentaneum esse duximus eidem Reipublicae, eorumdem Clementis ac Pauli necnon Gregorii praedecessorum exemplo, subsidio decimarum ex fructibus et redditibus totius cleri eiusdem Status Venetorum pro eisdem usibus ad certum tempus attribuendo subvenire, firmam in Domino fiduciam habentes fore ut ea Respublica, hac testicatione paternae voluntatis erga se nostrae, non solum sese munitam, et pro re natâ ad resistendum communi hosti paratam in dies magis conservet, sed etiam ad pristinos belli spiritus resumendos contra eumdem Turcarum tyrannum excitetur, ut ille christianorum armis ab Europae finibus aliquando detrudatur.

Sex decimas imponit Papa super fructibus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum;

§ 3. Nos igitur, istis aliisque gravissimis et iustissimis de causis moti, motu proprio et ex certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine nostris, tenore praesentium, indicimus et imponimus sexdecim integras decimas omnium et quorumcumque fructuum, redditum et proventuum quarumcumque ecclesiarum patriarchalium, archiepiscopalium, episcopalium, abbatialium, capitularium et conventualium, prioratuum quoque, praeposituraruum, praepositatuum, praeceptoriarum, canonicatuum, praebendarum, dignitatum, etiam maiorum ac principalium, personatuum, administrationum et officiorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium ac sancti Benedicti, sancti Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis, sancti Basilii, Silvestrinorum, et, qui proprietates redditusque certos ex privilegio apostolico vel aliàs possident, Mendicantium et quorumvis aliorum Ordinum utriusque sexus et congregationum[1] (non tamen earum quae inferius descriptae sunt) ac militiarum regularium in universo dominio dictae Reipublicae Venetorum existentium;

Necnon super pensionibus praelictorum fructuum.

§ 4. Ac insuper alias sexdecim decimas omnium et quarumcumque pensionum annuarum, super fructibus, redditibus et proventibus supradictis assignatarum et assignandarum, ab omnibus et quibuscumque patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ceterisque cuiuscumque status, gradus, dignitatis et conditionis personis (exceptis dumtaxat venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, necnon dilectis filiis fratribus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, ac fratribus Mendicantibus praedictis, et insuper beneficiis ecclesiasticis officio sanctae inquisitionis haereticae pravitatis in dicto dominio instituto unitis, annexis et applicatis; quos cardinales et fratres hospitalis praedicti ac beneficia praedicto inquisitionis officio unita in totum, fratres vero Mendicantes pro medietate dumtaxat, ab eisdem decimis et illarum solutione immunes et exemptos esse volumus et decernimus) ecclesias, monasteria et beneficia, ac pensiones, seu fructus, aut illorum partem huiusmodi in eodem dominio quocumque iure ac titulo obtinentibus et obtenturis, necnon ab universis etiam oeconomis, commendatariis, atque administratoribus perpetuis et temporalibus, usufructuariis

Nonnullos ab huiusmodi onere eximit.

1 Edit. Main. legit *monimentum* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *congregationis* (R. T.).

similiter, fructus omnes vel illorum partem loco pensionum annuarum, vel pensiones et alia huiusmodi iura ex quacumque auctoritate apostolicâ, in toto vel in parte, reservata habentibus et habituris, sive secularibus, sive quorumcumque Ordinum, congregationum et militiarum praefatorum regularibus, et ab ipsis etiam ecclesiis, capitulis, conventibus, Ordinibus, congregationibus, personis, collegiis, militiis, massis et locis praefatis, quacumque amplissimâ et firmissimâ exemptione et immunitate reali, personali vel mixtâ, antiquâ et immemorabili, pacificâ et continuâ, etiam ex titulo quantumvis oneroso, suffultis, integraliter et cum effectu numerandas persolvendas et consignandas.

Alias novem decimas super fructibus ad unitulas congregationes alias nunquam.

§ 5. Ulterius, supradictis ex causis, ac exemplo Clementis et Pauli ac Gregorii praedecessorum praefatorum adducti, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, imponimus et indicimus novem decimas omnium et quorumcumque fructuum, redditum et proventuum ad Cassinensium, aliàs S. Iustinae de Padua, Lateranensium, Carthusiensium, Montis Oliveti, S. Salvatoris, Camaldulensium, S. Mariae Vallis Umbrosae, S. Georgii in Alga Venetiarum, Caelestinorum, Cisterciensium, provinciae Lombardiae Cruciferorum et S. Hieronymi congregationes, earumque monasteria, abbatiales vel conventuales aut alias mensas, prioratus, praeceptorias, praepositurâs, beneficia et officia, cum curâ et sine curâ, membra, grangias et alia loca illis annexa, in dicto dominio consistentia, quovis modo pertinentium[1] solvendas, et per ipsas congregationes, earumque[2] superiores, abbates, priores, praepositos, conventus, capitula et personas (ultra subsidia Montis Religionis, seu quadringentorum millium scutorum, et quartae partis eorumdem fructuum, redditum et proventuum et alia onera, quae per Sedem Apostolicam eis imposita aut aliàs persolvunt, seu persolvere promiserunt[1]) similiter numerandas et persolvendas et consignandas secundum verum annuum valorem fructuum, redditum et proventuum praefatorum. Et ad hunc effectum (licet felicis recordationis Pius Papa V, nonnullis tunc causis adductus, et Clemens, necnon Paulus, ac novissime Gregorius praedecessores praefati etiam ex aliis tunc expressis causis easdem congregationes a decimis super fructibus et redditibus ecclesiasticis deinceps ubivis etiam in dominio Venetorum et ex quacumque causâ imponendis liberas et immunes fecerint) pari motu, scientiâ, auctoritate, et de apostolicae potestatis plenitudine, quoad fructus, redditus et proventus ad ipsas congregationes et quamlibet earum in dicto dominio Venetorum spectantes, immunitates, exemptiones, ac omnes et quoscumque contractus, scripturas, conventiones, transactiones, concordias, pacta, instrumenta, obligationes, etiam in formâ camerae apostolicae, et iuramento vel quavis aliâ firmitate roborata, praesertim inter Pium et Clementem, ac Paulum, necnon Gregorium praedecessores praefatos et cameram apostolicam et pro eâ S. R. E. camerarium vel thesaurarium generalem, aliosve quoscumque tunc existentes et eiusdem camerae ministros, quantumvis amplâ et sufficienti facultate ad praemissa facienda suffultos, ex unâ, et congregationes ultimodictas illarumque procuratores ex alterâ partibus, ac omnia et quaecumque privilegia, indulta, libertates, exemptiones, immunitates hac de causâ in hunc usque diem eisdem congregationibus, etiam ex causâ et titulo oneroso, concessa, hac vice duntaxat et ex causis supradictis suspendimus, ac ipsis congregatio-

Nec privilegiis contrariis.

Non obstantibus aliis contrariis, quibuscumque.

1 Male edit. Main. legit *pertinentia* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *eorumque* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *permiserunt* (R. T.).

nibus, quoad novem decimas praedictas, hac vice, ut praefertur, suffragari nolumus; illa vero aliàs in suo robore permanere decernimus; ipsasque congregationes ex gravissimis causis praedictis novem decimis huiusmodi oneramus, et,[1] cum ceteris secularibus ac regularibus clericis personis eiusdem dominii Venetorum sexdecim, ut praefertur, indixerimus, tali nostrae impositioni acquiescere ac tacitas et contentas esse volumus.

Modum solvendi decimas declarat.

§ 6. Universas vero et singulas personas quavis dignitate vel auctoritate fungentes, tam supradictas ecclesias, monasteria et beneficia quomodolibet obtinentes, ac pensiones, seu fructus, aut earum partem[2] sibi, ut prefertur, reservatas percipientes, quam ultimodictas congregationes et eorum unumquemque, tam coniunctim quam divisim, ad huiusmodi decimas in octo annis, binas videlicet decimas dumtaxat quolibet anno, et quoad ultimodictas congregationes singulas decimas cum unâ octavâ parte alterius decimae, quo ad dictos autem fratres Mendicantes singulas similiter decimas quotannis, durante octennio a die II iunii proxime praeteriti, qua ultima concessio expirat, computando et ut sequitur finiendo, in certis terminis per te praefigendis integre persolvendas efficaciter teneri et vere obligatos esse; iisdemque[3] pensionariis, aut eorum alicui, pensiones annuas praedictas (quantumlibet exemptas, et sub quibuslibet obligationibus, etiam in formâ camerae, et iuramento etiam de non contraveniendo et forsan de non impetrando gratias nostras contra eos et de non utendo concessis firmatas, aut aliàs vallatas, et forsan aliis cautelis et decretis munitas) causam donationis super iisdem fructibus et pensionibus etiam medio cedularum banchi seu in formâ depositi habentibus, et intra octo annos praefatos habituris (etiamsi ipsi, a quibus pensiones huiusmodi solvendae sunt, iuri vel actioni petendae vel retinendae portionis aut ratae partis pensionarios tangentis iureiurando renunciaverint) ulla privilegia, aut indulgentias, sub quacumque verborum formâ, aut exemptione concepta, quoad hoc nullatenus suffragari volumus.

Clausula sublatâ.

§ 7. Sicque et non aliter in praedictis universis et singulis per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Ministros ad exigendas decimas deputat.

§ 8. Ut autem huiusmodi decimae facilius exigantur, fraternitatem tuam, ac venerabiles fratres patriarcham Venetiarum et episcopum Clodiensem pro tempore existentes, ad dictas decimas exigendas, ducique et dominio praefatis, sive eius ministris ad id specialiter deputatis, statim nullâ interpositâ morâ et sine aliquâ prorsus diminutione, retentione, aut detractione, etiam non detractis quinque pro centenario camerae nostrae praefatae in exactione talium decimarum applicari consuetis, integre consignandas, earumdem decimarum collectores et exactores per praesentes constituimus et deputamus, ac tibi et patriarchae Venetiarum ac episcopo Clodiensi, pro onere quod in exactione decimarum huiusmodi sustinebitis, quatuor millia scuta auri in auro ex eisdem decimis detrahendi[1], et illorum medietatem inter vos pro aequali portione et quolibet anno eiusdem octennii pro ratâ distribuendi et dividendi, reliquam vero me-

1 Partic. *et* nos addimus (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *partim* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *iisdem* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *detrahenda* (R. T.).

dictatem subcollectoribus et aliis exactoribus ac procuratoribus ad easdem decimas colligendas deputatis, etiam quolibet anno, pro ratâ, habitâ ratione laboris et amplitudinis cuiuscumque civitatis et dioecesis, loco salarii seu stipendii et mercedis, assignandi et distribuendi (ita tamen, ut non quotannis huiusmodi quatuor millia scuta, sed in toto octennio integra summa eorumdem quatuor millium scutorum, pro ratâ quolibet anno, detrahatur, ac tam vos, ac quilibet vestrum, quam ipsi subcollectores, et alii praefati, ratione fructuum ecclesiarum, quibus tunc praeesse dignoscimini aut imposterum praefici, vel beneficiorum obtentorum aut quae obtinere, necnon fructuum et pensionum reservatarum et assignatarum, quos et quas vobis assignari posthac contigerit, decimas ipsas pro vestrâ et illorum ratâ et illorum quemlibet tangente integre et realiter persolvere omnino teneamini, et dictâ assignatione et distributione contenti esse debeatis, nec quidquam aliud vos et eorum quilibet praetendere possitis) ac[1] tibi et aliis praefatis a dictis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis et administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, capitulis, conventibus et aliis personis (supra expressis exceptis) easdem decimas, ut praefertur, per nos impositas petendi, exigendi et colligendi, eisque tam in genere quam nominatim et in specie, ut illas solvant, sub privationis beneficiorum ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, aliisque, prout nobis[2] videbitur, poenis, etiam pecuniariis, ac demum per sententias et censuras ecclesiasticas mandandi[3] et praecipiendi; ac pro earumdem decimarum faciliori exactione unum vel plures subcollectores, qui, si in dignitate ecclesiasticâ constituti sint, pari ac tu, vigore praesentium, facultate fungantur, per locorum Ordinarios in quacumque civitate et dioecesi et loco tibi[1] subiecto pro tempore deputatos, approbandi; et, si quis ex ipsis Ordinariis intra aliquem brevem terminum vestro arbitrio praefigendum viros idoneos ad id deputandos neglexerit, tibi, etiam sine illorum consensu, tuo arbitrio illos libere deputandi, et deputatos amovendi, aliosque eorum loco, toties quoties tibi videbitur, substituendi et subrogandi; ac solvere recusantes, et differentes, et generaliter contradictores[2] quoslibet et rebelles, et ne decimae huiusmodi solvantur persuadentes directe vel indirecte, per ipsas censuras ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendi, auxiliumque brachii secularis contra eos ad hoc, si opus fuerit, invocandi; solventes vero de solutis quietandi et liberandi; a censuris et poenis, quas dictâ occasione quomodolibet incurrerunt[3], absolvendi; et generaliter omnia alia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi, ordinandi, mandandi et exequendi, plenam et liberam, auctoritate et tenore praedictis, facultatem concedimus et potestatem.

§ 9. Non obstantibus regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, ac aliis quibusvis apostolicis, ac etiam in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si ipsis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, capitulis, conventibus, congregationibus et aliis personis

Obstantibus derogat.

1 Particula *ac* addimus ex loc. parall. (R. T.).
2 Si potius legendum sit *vobis* (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *moderandi* (R. T.).

1 Aptius in loco parall. legitur *sibi* (R. T.).
2 Perperam edit. Main. legit *et generaliter. Contradictores*, etc. (R. T.).
3 Aptius in loc. parall. legit. *incurrerint* (R. T.).

praedictis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod ad solutionem alicuius decimae non teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari, seu extra vel ultra certa[1] loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis et exemptionibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis, quibuscumque dignitatibus seu ordinibus, specialiter vel generaliter[2], sub quacumque verborum formâ expressis, etiam[3] motu proprio, ac de apostolicae potestatis plenitudine, et consistorialiter, ac etiam in vim contractus emanaverint, etiamsi, pro sufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda esset, quae eis quoad praemissa nolumus in aliquo suffragari.

Sacra supellectilia ne in locum pignoris pro huiusmodi decimis recipiantur prohibet.

§ 10. Volumus autem quod, iuxta ordinationem in Concilio Viennensi super hoc editam, calices, libri et alia ornamenta ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum et aliorum piorum locorum divino cultui dedicata, ex causâ pignoris vel aliâ occasione solutionis decimarum huiusmodi, nullatenus capiantur, distrahantur vel occupentur;

Transumptis fidem adhiberi mandat.

§ 11. Quodque praesentium litterarum transumptis, tuo vel alterius praelati ecclesiastici sigillo et publici notarii subscriptione munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

1 Perperam edit. Main. habet *circa* pro *certa* (R. T.).

2 Heic deest vox *concessis* (R. T.).

3 Potius lege *etiamsi* (R. T.).

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV decembris MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 4 decembris 1638, pontif. anno XVI.

DCXXVII.

Mandatur ecclesiasticis Urbis S. Angeli in Vado eiusque territorii, ut bona emphyteutica, quae per finitam lineam ad ipsos devolvi contigerit, proximioribus denuo in emphyteusim concedant[1].

Dilectis filiis, communitati et hominibus civitatis nostrae S. Angeli in Vado,

Urbanus Papa VIII.

Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Constantis fidei et sincerae devotionis affectus, quo nos et Romanam reveremini Ecclesiam, promeretur, ut illa vobis favorabiliter concedamus, quae vestris commodo et indemnitati fore conspicimus opportuna. Prooemium.

§ 1. Hinc est quod nos, volentes vos specialibus favoribus et gratiis prosequi, vestrumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus vestro nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, quod de cetero perpetuis futuris temporibus directi domini ecclesiastici bona emphyteutica in civitate nostrâ S. Angeli in Vado eiusque territorio existentia, quandocumque contigerit ea per lineam finitam devolvi, proximioribus in gradu personae illi, per cuius deces- Concessio, de qua in rubrica.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

sum linea huiusmodi finietur, pro competenti canone, seu pensione, solutâque debitâ mercede pro laudemio, concedere, et de illis investire omnino debeant et teneantur, illaque pro se retinere nullatenus possint, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus, volumus et ordinamus.

Clausula cohibitâ.

§ 2. Sicque inviolabiliter observari, ac per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, aliosque quoscumque, quavis auctoritate fungentes, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Legato de latere Urbinatensi et gubernatori S. Angeli in Vado mandat ut has litteras observari faciant.

§ 3. Quocirca dilectis filiis Status nostri Urbinatensis de latere legato, eiusve vicelegato, ac gubernatori civitatis nostrae S. Angeli in Vado, nunc et pro tempore existentibus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestrâ seu alicuius vestrum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac vobis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari; non permittentes vos per quoscumque contra praesentium tenorem quomodolibet molestari, impediri vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; ac, legitimis super his habendis processibus, servatâque formâ Concilii Tridentini, censuras et poenas ipsas iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogat obstantibus.

§ 4. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis, ac in conciliis universalibus provincialibusque et synodalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quarumvis ecclesiarum, abbatiarum, monasteriorum, aliorumque locorum piorum, quomodocumque nuncupatorum, ac qualitercumque qualificatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI ianuarii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 6 ianuarii 1639, pontif. anno XVI.

DCXXVIII.

Personae incapaces beneficiorum Ordinum militiarum sancti Iacobi de Spata, Calatrava et Alcantara, quibus per reges, ac aliàs apostolicâ auctoritate, prioratus, commendae et beneficia praedictarum militiarum conceduntur, tenentur solvere partem fructuum ipsorum prioratuum, commendarum et beneficiorum, quam milites de illis provisi solvere deberent iuxta litteras

apostolicas et statuta Ordinum praedictorum[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Inxta huiusmodi militiarum statuta provisi de earum beneficiis aerario communi partem fructuum solvere debent.

Cum, sicut nobis nuper expositum fuit pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, qui militiarum sancti Iacobi de Spata et de Calatrava necnon de Alcantara, sub sancti Augustini et Cisterciensi respective regulis, administrator perpetuus auctoritate apostolicâ deputatus existit, ipsarum militiarum statutis seu stabilimentis, apostolicâ auctoritate confirmatis, inter alia caveatur expresse, ut quicumque, de praeceptoriis, seu commendis, prioratibus et quibusvis aliis militiarum huiusmodi beneficiis, quovis modo praeterquam per resignationem ex causâ permutationis vacantibus, pro tempore provisi, certam fructuum, redditiuum et proventuum praeceptoriarum, seu commendarum, prioratuum et beneficiorum huiusmodi partem communibus dictarum militiarum aerariis, ad effectum restaurandi et reparandi domos et aedificia ipsarum militiarum applicandam, solvere teneantur, et aliàs prout in felicis recordationis Sixti IV et Iulii II ac Pauli III Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum litteris statutorum seu stabilimentorum huiusmodi confirmatoriis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius respective dicitur contineri;

Provisi cum dispensatione apostolica eam solvere renuunt.

§ 2. Praeteritis autem temporibus per praefatum Philippum, aliosque reges catholicos eius praedecessores, ex facultate apostolicâ eis specialiter aliquando concessâ, ac etiam per nos et Romanos Pontifices nostros praedecessores ad ipsius Philippi regis et aliorum regum catholicorum eius antecessorum supplicationes et instantiam, quamplurimae praeceptoriae seu commendae, ac prioratus, et alia beneficia huiusmodi dictarum militiarum personis incapacibus ad vitam earumdem, seu per modum superviventiae commendatarii titulati ad certum tempus, ac etiam pro determinatis pecuniarum summis pluribus annis exigendis, et forsan aliis modis, concessa fuerint; incapaces vero, quibus concessiones huiusmodi factae fuerunt, partes fructuum, redditiuum et proventuum praeceptoriarum, seu commendarum, prioratuum et beneficiorum huiusmodi sibi, ut praefertur, concessorum, inxta militiarum huiusmodi statuta seu stabilimenta praedicta persolvendas, solvere recusent:

Philippus rex remedium flagitat.

§ 3. Nobis propterea Philippus rex et militiae huiusmodi supplicari fecerunt, ut in praemissis earumdem militiarum indemnitati opportune consulere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Urbanus declarat, prout in rubricâ.

§ 4. Nos igitur, attendentes non esse rationi consentaneum, ut incapaces huiusmodi melioris conditionis, quam ipsi dictarum militiarum milites capaces existant, et eumdem Philippum regem dictarumque militiarum milites specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et singulas personas quantumlibet et ex quibusvis causis etiam multiplicibus incapaces, etiam infantes, pupillos et mulieres, etiam pro subventionibus dotalibus, quibus praeceptoriae seu commendae ac prioratus et alia quaecumque beneficia militiarum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

huiusmodi modis praedictis hucusque concessa fuerunt ut praefertur, vel aliàs quomodolibet etiam pro ratâ fructuum et pensionum super eis quomodolibet sibi reservatorum, ad solvendum partes fructuum, redditiuum et proventuum ipsarum praeceptoriarum, seu commendarum, ac prioratuum et beneficiorum, quas fratres milites capaces de eisdem praeceptoriis seu commendis ac prioratibus et aliis beneficiis provisi solvere deberent, iuxta earumdem litterarum apostolicarum ac uniuscuiusque praedictarum militiarum statuta seu stabilimenta auctoritate apostolicâ ut praefertur confirmata, respective teneri, et ad id opportunis iuris et facti remediis cogi et compelli posse, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, declaramus.

Clausulae. § 5. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, dictaeque Sedis nuncios, et quoscumque alios quavis auctoritate fungentes, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum. § 6. Non obstantibus quibusvis concessionibus de praeceptoriis seu commendis militiarum huiusmodi personis praedictis factis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, ipsarum militiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem personis et eorum cuilibet in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse deroganus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xv ianuarii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 15 ianuarii 1639, pontif. anno XVI.

DCXXIX.

Extensio subsidii pro civitate Pisanâ eiusque districtu ab ecclesiasticis solvendi ad aliud decennium[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Paulus V a clero Pisano subsidium pro publicis expensis praestari concessit et postea ad decennium prorogavit.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Paulo Papae V praedecessori nostro pro parte bonae memoriae Cosmi Medices, Hetruriae sibi subiectae dum vixit magni ducis, exposito, quod (cum pridem bonae etiam memoriae Ascanius episcopus Anglonensis, tunc apud bonae similiter memoriae Ferdinandum dicti Cosmi magni ducis genitorem et Hetruriae sibi subiectae similiter magnum ducem Sedis Apostolicae nuncius, cognovisset facultates laicorum expensis necessariis seu utilibus aggerum, fossatorum, viarum, aquaeductuum et aquarum diversorum per officiales seu deputatos ad officium fossatorum civitatis Pisarum in districtu, territorio et comitatu dictae civitatis faciendis non sufficere) clerum, tam secularem quam regularem, personasque ecclesiasticas exemptas, et milites militiae sancti Stephani, ratione bonorum per eos in territorio, districtu et comitatu Pisanis possessorum, subsidium dictis expensis ad decennium tunc proximum conferre posse et debere, aucto-

1 Ex regest. in Secret. Brev.

ritate apostolicâ sibi ad id specialiter delegatâ, concesserat et declaraverat; voluerat tamen et decreverat clerum, ecclesiasticas personas, et milites praefatos ad aliquas expensas ministrorum dicti officii eorumque cancellariae ordinarias vel extraordinarias nullo modo teneri, et aliàs, prout latius in dicto decreto dicebatur contineri; et in eâdem expositione subiuncto praefatorum fossatorum officium, propter expensas necessarias et utiles eatenus factas, grave aes alienum ad summam scutorum triginta millium ascendens contraxisse, novasque expensas in dies cogi facere] idem Paulus praedecessor, supplicationibus dicti Cosmi magni ducis eâ in parte inclinatus, quod clerus tam secularis quam regularis, personaeque ecclesiasticae etiam exemptae, ac milites sancti Stephani, ratione bonorum per eos in territorio, comitatu et districtu dictae civitatis possessorum, subsidium ad decennium, modo et formâ in decreto dicti Ascanii episcopi et nuncii praescriptis, et iuxta illius tenorem, conferre, ac officiales et deputati praedicti subsidium huiusmodi eodem decennio durante liberâ et tutâ conscientiâ exigere possent, omnesque de clero tam seculari quam regulari, personaeque ecclesiasticae et exemptae, ac milites sancti Stephani, ratione bonorum, ut praefertur, per eos et quemlibet eorum possessorum, ad solutionem dicti subsidii cogi et compelli valerent, dictâ auctoritate concessit et decrevit: subinde vero decennium ab eo concessum huiusmodi ad aliud decennium a fine ipsius concessi decennii computandum extendit et prorogavit, seu de novo concessit, prout in eiusdem Pauli praedecessoris desuper in simili formâ Brevis sub die XXI augusti MDXC[1] et die X octobris MDCXIX[2] expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

§ 2. Et postmodum, pro parte dilecti filii nobilis viri Ferdinandi Hetruriae sibi subiectae magni ducis nobis exposito, quod causae, propter quas praemissa concessa et decreta fuerant, etiam tunc vigebant, et propterea decennium ultimo loco concessum huiusmodi ad aliud nobis benevisum tempus extendi et ampliari summopere desiderabat:

§ 3. Nos, Ferdinandi magni ducis huiusmodi supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, quod clerus tam secularis quam regularis, personaeque ecclesiasticae et exemptae, ac milites sancti Stephani, ratione bonorum per eos in territorio, comitatu et districtu dictae civitatis possessorum, subsidium ad decennium a fine decennii ultimo loco concessi huiusmodi computandum, modo et formâ in decreto dicti Ascanii episcopi et nuncii descriptis, et iuxta illius tenorem, conferre, ac officiales et deputati praedicti subsidium huiusmodi decennio per nos concesso durante libere[1] et tutâ conscientiâ exigere possent, omnesque de clero tam seculari quam regulari, personaeque ecclesiasticae et exemptae, ac milites sancti Stephani, ratione bonorum per eos, ut praefertur, et eorum quemlibet possessorum, ad solutionem dicti subsidii cogi et compelli valerent, auctoritate praedictâ similiter concessimus et decrevimus. Urbanus illud extenderat ad aliud decennium.

§ 4. Volumus[2] autem, quod, iuxta dicti decreti tenorem, clerus, ecclesiasticaeque personae et milites praedicti ad aliquas expensas ministris dicti officii eorumque cancellariae ordinarias vel extraordinarias nullo modo tenerentur; quodque exactio subsidii praedicti per vicarium pro tempore existentem archiepiscopi Pisani eius- Nonnullasque adiecerat leges ipsis ecclesiasticis favorabiles.

1 Quas vide in tom. XI, pag. 631 (R. T.).
2 Secundae litterae desunt (R. T.).

1 Paulo ante legitur *liberâ* (R. T.).
2 Legendum *Voluimus* (R. T.).

que curiae tantum apostolicâ auctoritate fieret, et dictis officialibus seu deputatis consignaretur; qui quidem officiales seu deputati, eorumque ministri, libros rationum et computorum dicto vicario, ac archidiacono ecclesiae Pisanae, nec non priori domus Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Pisarum similiter pro tempore existenti, seu saltem duobus ex illis, quorum alter semper esset dictus prior, exhibere tenerentur; ex quibus subsidium, per dictos clerum et alios ut supra contribuendum, dignosci, comprehendique posset, pro exactione contra eos ut praefertur faciendâ, prout pariter in nostris in eâdem formâ Brevis sub die III februarii MDCXXIX desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur[1].

Ferdinandus dux decennium extendi petit.

§ 5. Cum autem, sicut idem Ferdinandus magnus dux nobis nuper exponi fecit, causae, propter quas praemissa concessa et decreta sunt, de praesenti etiam vigeant, et propterea decennium ultimo loco concessum huiusmodi, cuius finis, ut asserit, instat, ad aliud nobis benevisum tempus extendi et ampliari summopere desideret:

Annuit Pontifex.

§ 6. Nos, eiusdem Ferdinandi magni ducis huiusmodi supplicationibus nobis denuo super hoc humiliter porrectis inclinati, quod clerus tam secularis quam regularis, personaeque ecclesiasticae et exemptae, ac milites sancti Stephani, ratione bonorum per eos in territorio, comitatu et districtu dictae civitatis possessorum, subsidium ad decennium a fine decennii ultimo loco per nos concessi huiusmodi computandum, modo et formâ in decreto dicti Ascanii episcopi et nuncii descriptis, et iuxta illius tenorem, conferre, ac officiales et deputati praedicti subsidium huiusmodi decennio per praesentes concesso durante libere[1] et tutâ conscientiâ exigere possint, omnesque de clero tam seculari quam regulari, personaeque ecclesiasticae et exemptae, ac milites sancti Stephani, ratione bonorum per eos ut praefertur et eorum quemlibet possessorum, ad solutionem dicti subsidii cogi et compelli valeant, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, similiter concedimus et decernimus.

Latasque renovat leges.

§ 7. Volumus autem, quod, iuxta dicti decreti tenorem, clerus, ecclesiasticaeque personae, et milites praedicti ad aliquas expensas ministris dicti officii eorumque cancellariae ordinarias vel extraordinarias nullo modo teneantur; quodque exactio subsidii praefati per vicarium pro tempore existentem archiepiscopi Pisani eiusque curiae tantum apostolicâ auctoritate fiat, et dictis officialibus, seu deputatis, consignetur; qui quidem officiales seu deputati, eorumque ministri, libros rationum et computorum dicto vicario, et archidiacono ecclesiae Pisanae, necnon priori domus Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Pisarum similiter pro tempore existenti, seu saltem duobus ex illis, quorum alter semper sit dictus prior, exhibere teneantur, ex quibus subsidium per dictos clerum et alios ut supra contribuendum dignosci comprehendique possit, pro exactione contra eos ut praefertur faciendâ.

Obstantia tollit.

§. 8. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII ianuarii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 28 ianuarii 1639, pontif. anno XVI.

1 Istae Urbani litterae desunt (R. T.).

1 Pauto ante legitur *liberâ* (R. T.).

DCXXX.

Cavetur, ne quis quidquam dare seu promittere possit cuivis personae ad effectum consequendi affictus et subaffictus vallium Comaclensium aut alicuius illarum [1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Causae faciendae prohibitionis.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum conductorum vallium Comaclensium nobis expositum fuit, quod (licet aliàs nos in novissimo earumdem vallium affictu mandaverimus, ut unicae dumtaxat illarum partis [2] cuivis ex subconductoribus dari, quodque commodum et utilitas portionum subconductorum huiusmodi nec dari nec promitti cuiquam etiam civi Comaclensi respective possent, sub amissionis portionum huiusmodi subconductoribus, conductoribus autem quingentorum scutorum, et aliis etiam corporalibus poenis arbitrio pro tempore existentis sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis in civitate et Statu nostris Ferrariensibus nostri et Sedis Apostolicae de latere legati infligendis) nihilominus ipsi conductores continuo a diversis etiam auctoritate pollentibus personis coguntur dare, concedere et promittere dictas portiones personis suppositis et fictis, quae illarum lucra aliis participant, aut illas per alios exercent, vel emendicatis, emptitiisque favoribus ipsos conductores ad portiones praedictas subconducendas adstringi curant, sublatâ hisce artibus libertate ipsis conductoribus portiones ipsas personis habilibus, benemeritis et dignis iuxta formam capitulorum affictus huiusmodi sublocandi, vel aliàs conductores praedicti contra capitula praedicta et eorum voluntatem et arbitrium facere compelluntur: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Prohibitio, de qua in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, eorumdem exponentium indemnitati, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, ipsosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, ac edictum aliàs a dilecto filio nostro Francisco tituli S. Marcelli presbytero cardinale S. Marcelli nuncupato, tunc in eisdem civitate et Statu nostro et Sedis Apostolicae de latere legato, desuper publicatum innovantes, huiusmodi supplicationibus inclinati: quod de cetero nullus (cuiuscumque status, gradus, officii, dignitatis, praeeminentiae seu conditionis existat, etiamsi de illo specialis, specifica et individua mentio aut expressio habenda foret, aut sub generali verborum expressione non veniret, nec venire, minusque comprehendi praetenderetur) per se vel alios, mediate vel immediate, quomodocumque, directe vel indirecte, remotis interpretatione et praetextu quibuscumque, quamlibet pecuniarum summam aut aliud quodcumque, ad effectum affictus et subaffictus participationes, lucra aut interesse dictarum vallium aut alicuius illarum in toto vel in parte consequendi, dare, donare, cedere, concedere, remittere, promittere, capere seu recipere [1], dare seu recipere, intentionem vel promissionem dandi, minusque obtinendi seu interponendi favores, auctoritatem, preces vel minas, aut

1 Ex regest. in Secret. Brev.

2 Videretur legendum *partes* (R. T.).

1 Comma istud *capere seu recipere* ex abundanti esse videtur (R. T.).

quomodolibet praedictis rebus, obtentis et factis per viam donationis, promissionis, remunerationis, donationis, aut receptionis, per se vel alios, ut praefertur, uti, comprehensis etiam promissionibus et rebus, quibus supra, vel in illis portionibus aut illarum partibus suppositas personas ponere, vel curare, procurare aut cooperari ut ponantur, audeat seu praesumat, minusque suppositas personas huiusmodi [1], etiam sub excommunicationis latae sententiae, ultra concessionis et contractus desuper celebrandorum nullitatem, poenâ, ipso facto nedum a praedictis, ac eorum singulis, sed etiam ab omnibus mediatoribus, promotoribus, sollicitatoribus et quibusvis aliis in praemissis mediantibus promissione et aliis modis supradictis intervenientibus, ac consilium, operam vel favorem etiam oretenus praestantibus, incurrendâ, a qua absolutionem nobis et Romanis Pontificibus pro tempore existentibus semper et dumtaxat, praeterquam tamen in articulo mortis, reservamus, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

Contra dantes, promittentes, etc. procedi potest etiam unico teste adhibito.

§ 3. Et insuper volumus et expresse declaramus, quod tam contra dantes seu promittentes, quam recipientes, et mediatores, necnon contra ipsos conductores, et quosvis alios praemissis contravenientes, per viam accusationis, inquisitionis et alio quovis modo procedi, et accusatoris et unius testis aut etiam unici testis dicto quacumque aliâ praesumptione seu verisimilitudine coadiuvato stari debeat;

Clausulae.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis instrumentis, promissionibus et aliis desuper quomodolibet factis et faciendis, ac, quatenus opus sit, quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium faciendâ publicatio.

§ 6. Ut autem praemissa ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut praesentes litterae in praedictis Ferrariensi et Comaclensi civitatibus, ut moris est in similibus, publicentur et affigantur; quae, postquam sic affixae et publicatae fuerint, omnes et singulos, quos illae concernunt, ad illarum observantiam perinde arctent et afficiant, ac si eisdem personaliter intimatae fuissent.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III februarii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 3 februarii 1639, pontif. anno XVI.

DCXXXI.

Mandat nonnullis episcopis Galliae, ut intra triennium nonnullos archiepiscopos et episcopos eiusdem regni, in eorum vitâ et moribus reprehensibiles, moneant ut resipiscant [1].

Venerabilibus fratribus Ebroicensi, Sagiensi, Silvanectensi, Carnotensi et Meldensi episcopis, et eorum cuilibet,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Causas refert nonnullis Galliae episcopos admonendi.

Cum, sicut nobis nuper exponi fecit charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum rex christianissimus,

1 Comma istud manet inabsolutum (R. T.).

1 Ex regest. in Secret. Brev.

nonnullos archiepiscopos et episcopos Galliae (qui conditionis suae parum memores non iis, qui ecclesiarum praesules decent, moribus vivant[1], eaque propter reprehensione et correctione indigeant[2]) necesse sit redarguere et monere, ut, tamquam veri animarum christifidelium pastores, ovibus suis se bonorum, non autem malorum operum exemplum praebeant: nos (attendentes quam grave detrimentum saluti gregis dominici inferatur, si illi, qui sunt lux mundi, iis, quibus in omni virtute praelucere deberent, ut non decet vivendo, scandali materiam et occasionem tribuant delinquendi) archiepiscopos et episcopos praedictos pro pastorali nostro munere officii sui admonendos esse duximus.

Itque nonnullis aliis committit episcopis.

§ 2. Supplicationibus itaque eiusdem Ludovici regis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, vobis per praesentes committimus et mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, infra triennium proximum illos archiepiscopos et episcopos Galliae, quos dictus Ludovicus rex vobis indicaverit, serio ex parte nostrâ moneatis, ut vitam et mores suos episcopali dignitati curaeque pastorali minus congruentes mutent et corrigant, seque non solum propriorum, sed et eorum, quae populi pravo ipsorum exemplo commiserint, peccatorum reos in districto Dei iudicio futuros meminerint.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v februarii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 5 februarii 1639, pontif. anno XVI.

DCXXXII.

Contra ambientes dignitates et officia Ordinis sancti Hieronymi congregationis Fesulanae.

1 Potius lege *vivunt* (R. T.).

2 Pariter legendum *indigent* (R. T.).

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Quoniam nemo debet sibi assumere honorem, nisi vocatus a Deo tamquam Aaron, et a regularis vitae instituto valde alienum est, ut religiosi viri (quos honorum et dignitatum gradus sanctitate vitae ac aliis religiosis virtutibus potius promereri quam appetere, eosque gradus, cum ad eos assumuntur, obedienter suscipere, susceptosque humiliter administrare decet) mendicatis secularium praesertim personarum studiis ad eos sibi aditum patefacere contendant, unde magna in Ecclesiâ Dei pernicies adferri solet: nos, qui pro muneris nostri debito in hoc potissimum laborare non desistimus ut ecclesiastica regularisque disciplina pristino candori restituatur, huic malo opportunum remedium adhibendum censuimus.

Causae edendae huiusce Constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, quidam in Ordine sancti Hieronymi congregationis Fesulanae, professionis et regulae, quam professi sunt, penitus immemores, nimiâ dignitatum et officiorum ecclesiasticorum in dictâ Congregatione consequendorum ambitione ducti, pro iis consequendis ecclesiasticorum et secularium principum studia requirant, et a S. R. E. cardinalibus, aliisque praelatis, commendatitias litteras, aliosque favores et gratias propterea expetant, quibus adiuti quos ipsi ex se promeruisse minus confidunt gradus et dignitates in eâdem Congregatione consequi valeant, sicque eiusdem congregationis quietem, non sine animarum suarum periculo, perturbant[1]:

Poenae contra ambientes.

§ 2. Nos, malum hoc ab eodem Ordine et Congregatione, cuius prosperum regimen et incrementum ad Ecclesiae sanctae utilitatem sinceris exoptamus affectibus, pro nostrâ pastorali sollicitudine propel-

1 Aptius legeretur *perturbent* (R. T.).

pellere summopere cupientes, motu proprio et ex certâ scientiâ nostrâ ac de apostolicae potestatis plenitudine, eos omnes et singulos fratres dicti Ordinis et Congregationis, cuiuscumque status, gradus, conditionis, praeeminentiae, qualitatis et dignitatis existentes, qui de cetero, ad praelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones et alia officia dicti Ordinis et Congregationis assequenda intenti, ad principum et praelatorum et aliarum quarumcumque personarum, tam secularium quam ecclesiasticarum, de gremio dictae Congregationis non existentium, etiam cardinalatus honore, ac quacumque seculari dignitate et excellentiâ, etiam imperiali, regali et ducali fulgentium, favores recurrerint, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliisque viis, directe vel indirecte, palam vel occulte, ad praelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones et alia officia praedicta obtinenda aspiraverint, vel aliis minus legitimis et honestis rationibus ea obtinere quaesiverint, aut etiam sponte oblatis et minime conquisitis usi fuerint, illorumque complices et fautores, ad quascumque praelaturas, dignitates et officia gradusque, honores, administrationes et munera in ipsâ Congregatione obtinenda perpetuo inhabiles declaramus, ac obtentis per eos praelaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus et officiis huiusmodi eo ipso privamus, ac privatos, voce tam activâ quam passivâ carere decernimus et declaramus, atque in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae poenâ, omnibus dicti Ordinis et Congregationis fratribus, superioribusque et praelatis, quocumque titulo munitis, etiam priori generali, praesentibusque[1] et futuris, praecipimus, districteque mandamus, ne quempiam ullo tempore precibus, litteris, vel favoribus adducti, vel aliàs ad instantiam, seu requisitionem, vel contemplationem principum, vel praelatorum, aut aliorum quorumcumque, tam secularium quam ecclesiasticorum, extra dictum gremium existentium, etiam cardinalium, imperatoris, regum, ducum, ad cuiusvis generis praelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones et officia praedictae Congregationis promovere, vel poenas aliquas remittere audeant vel praesumant.

§ 3. Decernentes electiones et promotiones ad monasteria, seu prioratus, vel officia dicti Ordinis et Congregationis contra praesentium dispositionem (quod absit) quandocumque faciendas, et pro tempore obtentas, nullas prorsus invalidasque fore et esse, nullisque viribus subsistere: ac omnes et singulos in praemissis delinquentes, nullâ aliâ monitione praecedente, et absque processu desuper habendo, sententias et poenas praemissas irremissibiliter eo ipso incurrere, et, ad illos sententias et poenas praemissas damnabiliter incurrisse legitime probandum et omnino convincendum, solas praemissarum personarum instantias, preces et favores, etiam oretenus porrectas, plenam, indubiam et insufficientem in iudicio et extra fidem facere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri; et ita per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Decretum irritans.

§ 4. Non obstantibus quibusvis apostolicis, et in provincialibus et synodalibus Derogatio contrariorum.

1 Simpliciter lege *praesentibus* (B. T.).

conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac Ordinis et Congregationis huiusmodi iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si praedictis fratribus, vel quibusvis aliis, communiter aut divisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis danda fides.

§ 5. Ut autem harum litterarum notitia ad omnes dicti Ordinis et Congregationis fratres facilius deveniat, volumus illas in generali capitulo dictae Congregationis publice legi, illasque in dicto capitulo lectas sic arctare ac si legitime unicuique intimatae fuissent, illarumque exemplis, etiam impressis, manu scribae dicti capituli vel notarii publici subscriptis, et prioris generalis ipsius Congregationis vel alterius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae obsignatis, eamdem prorsus fidem haberi, quae praesentibus haberetur, si eaedem praesentes exhiberentur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV februarii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 15 februarii 1639, pontif. anno XVI.

DCXXXIII.

Facultas cardinali ab Auria archiepiscopo Panormitano[1] *conceditur quoddam vectigal ecclesiasticis secularibus et regularibus suae dioecesis imponendi pro dissolvendo aere alieno eiusdem civitatis*[2].

Dilecto filio nostro Ioannettino tituli sancti Petri in Monte Aureo, presbytero cardinali ab Auria nuncupato, ecclesiae Panormitanae ex concessione apostolicâ praesuli,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Refert litteras aliàs a se datas, quibus novum vectigal etiam ab ecclesiasticis solvi, ipsis assentientibus, promiserat.

§ 1. Aliàs a nobis emanarunt litterae circumspectioni tuae directae tenoris sequentis, videlicet:

A tergo: dilecto filio nostro Ioannettino, tituli S. Petri in Monte Aureo presbytero cardinali ab Auria nuncupato, ecclesiae Panormitanae ex concessione et dispensatione apostolicâ praesuli; *intus vero:* Urbanus Papa VIII. Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Circumspectionis[3] tuae, ac dilectorum filiorum senatus, necnon syndici et procuratoris generalis civitatis Panormi nominibus apostolatui nostro nuper expositum fuit, quod, ultra maximam pecuniae summam iam plurium sex[4] millium, in qua senatus ac syndicus et procurator praedicti diversis personis tam laicis quam ecclesiasticis obligati reperiebantur, aliud gravissimum aes alienum summam sexcentorum millium scutorum excedens, ob servitia inibi de annis MDCXXIV, MDCXXV et MDCXXVI pestiferae contagionis praestita, contraxerunt: in cuius dissolutionem quum, excogitatis diversis remediis, variis-

1 De quo vide supra pag. 547 (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.
3 Male ed. Main. legit *Circumspectioni* (R.T.).
4 Puto *scutorum* legendum esse pro *sex* (R. T.).

que desuper initis rationibus, omnem eorum operam studiumque contulissent, nec opportuniori efficaciorique aeris alieni huiusmodi extinctionem quam infrascripto modo fieri comperissent; convocato habitoque super praemissis novo consilio, unam gabellam trigintasex tarenorum monetae illarum partium pro quolibet dolio vini in ipsam civitatem quomodolibet introducendi, ac ab incolis et habitatoribus dictae civitatis et circuitus illius per unum milliare circumcirca vendendi seu consumendi, ad summam nonaginta circiter millium scutorum eorum amplius annuatim ascendentem, et exigendam a die approbationis sive confirmationis novi consilii huiusmodi per proregem Siciliae sive eius ministros faciendae[1], imposuerunt; in qua quidem impositione senatus ac syndicus et procurator praedicti personas ecclesiasticas nullo modo comprehenderunt, nisi eisdem senatui[2] et syndico ac procuratori easdem personas comprehendendi a nobis et hac Sanctâ Sede facultas concederetur iuxta sacrorum canonum dispositionem, remanentibus in hoc casu personis ecclesiasticis praefatis liberis, immunibusque et exemptis pro quantitate vini, quam pro suis et familiarum suarum usibus consumerent; et huius exemptionis sive immunitatis solutio sive satisfactio personis ecclesiasticis praedictis per eosdem senatum ac syndicum et procuratorem fieret et fieri deberet modo et formâ in exemptione gabellarum farinae et carnis uti solitis. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ut non minus ecclesiasticorum quam laicorum communi saluti consuleretur, postremum aes alienum huiusmodi ex causâ pestis, ut praefertur, contractum fuerit, et eius dissolutioni laicorum facultates nullo modo suppetant; et propterea senatus ac syndicus et procurator praedicti etiam personas ecclesiasticas ad eiusdem gabellae solutionem auctoritate nostrâ teneri summopere desiderent; nobisque etiam illorum nomine supplicari fecerint, ut, personarum civitatis et circuitus praedictorum miserias atque calamitates commiserantes, in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur: nos, eximiorum circumspectionis tuae in nos et hanc Sanctam Sedem fidei et devotionis meritorum, necnon peculiaris, quo gregem tibi commissum prosequeris, charitatis affectus condignam rationem habentes, ipsosque senatum, syndicum et procuratorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus circumspectionis tuae nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eidem circumspectioni tuae per praesentes iniungimus, ut, constito tibi de narratis, et dummodo in primis et ante omnia ad id cleri[1] tam secularis quam regularis eiusdem civitatis et circuitus accedat assensus, personas ecclesiasticas, tam seculares quam cuiusvis Ordinis regulares, utriusque sexus, civitatis eiusque circuitus per unum milliare circumcirca ad solutionem dictae gabellae triginta sex tarenorum pro quolibet dolio vini, ut praefertur, ad octo annos proximos duxtaxat a dicto die approbationis sive confirmationis novi consilii huiusmodi computandos, et non ultra, teneri et obligatos esse

1 Male edit. Main. legit *faciendum* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *senatus* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *clericos tam seculares quam regulares* (R. T.).

auctoritate nostrâ decernas; eâ tamen lege et conditione, ut senatus et syndicus et procurator praefati quotannis realiter et cum effectu restituant personis ecclesiasticis eam pecuniarum quantitatem, quam importabit gabella pro ratâ quantitatis vini quam pro suis et familiarum suarum usibus ac cultus divini servitio consumunt et consumere solent; quodque omne illud, quod ex dictâ gabellâ, deducto eo quod restituendum erit ecclesiasticis, ut praefertur, percipietur, omnino cedat et insumatur in extinctionem debitorum ex supradictâ causâ pestis[1] contractorum, et non in alios usus, alioquin, in eventum contradictionis praemissorum vel alicuius eorum, praesens gratia nulla sit eo ipso; necnon quoscumque ecclesiasticos praedictos solvere recusantes opportunis iuris et facti remediis, iuxta praesentium litterarum continentiam et tenorem, et non aliàs, auctoritate nostrâ cogas. Decernentes etiam praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus apostolicis, et in universalibus, provincialibusque ac synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ecclesiarum, monasteriorum et locorum piorum civitatis eiusque districtus huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis, monasteriis et locis piis, eorumque personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI augusti MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XII.

Quod tamen cum pro dissolvendo alieno aere impar sit;

§ 2. Cum autem, sicut eiusdem circumspectionis tuae ac senatus necnon syndici et procuratoris generalis praedictorum nominibus nobis nuper expositum fuit, dicta gabella triginta sex tarenorum pro quolibet dolio vini in dictam civitatem Panormitanam quomodolibet introducendi, ac ab incolis et habitatoribus dictae civitatis et circuitus illius per unum milliare circumcirca vendendi seu consumendi, imposita, ut praefertur, dissolutioni tam gravis aeris alieni ac interusurii, quod eius ratione solutum fuit et etiam nunc solvitur, non suffecerit, ipsique senatus et syndicus ac procurator (civitate praedictâ aere alieno, alias ob causas urgentes et necessarias contracto, nec non aliarum gabellarum, quas laici non solum pro vino, carne et farinâ, verum etiam super nive[1] aliisque cibariis solvunt, impositionibus gravatâ) primodictum aes alienum dissolvere non potuerint[2]; mensa nummularia dictae civitatis, magno civium eius, maiorisque partis incolarum regni Siciliae tam laicorum quam ecclesiasticorum detrimento, defecit. Senatus vero, syndicus et procurator praedicti mensam nummulariam huiusmodi in pristinum statum restituere cupientes, ut illius creditores

1 Improbe edit. Main. legit *postea* pro *pestis* (R. T.).

1 Vide quid legendum pro *nive* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *potuerit* (R. R.).

summas sibi debitas realiter et in pecuniâ numeratâ consequerentur, adhibitis propterea variis diligentiis, tandem convocato die XIII februarii MDCXXXVIII proximi praeteriti publico consilio, aliam gabellam duorum scutorum, praeter supradictam triginta sex tarenorum, seu trium scutorum similium, quae ad praesens solvitur, ita ut in totum quinque scuta solvantur pro quolibet dolio vini in dictam civitatem quomodolibet introducendi, ac ab incolis et habitatoribus dictae civitatis et circuitus illius per unum milliare circumcirca vendendi seu consumendi, abolitâ et extinctâ aliâ gabellâ viginti trium tarenorum et granorum decem pro quolibet dolio vini aliunde quam ex territoriis dictae civitatis introducendi, imposuerunt. In qua quidem impositione senatus ac syndicus et procurator praedicti personas ecclesiasticas nullo modo comprehenderunt, nisi eisdem senatui et syndico et procuratori easdem personas comprehendendi a nobis et Sede praedictâ facultas concederetur iuxta sacrorum canonum dispositionem, remanentibus in hoc casu personis ecclesiasticis praedictis liberis, immunibus et exemptis pro quantitate vini, quam pro suis et familiarum suarum usibus consumerent, etiam huius exemptionis sive immunitatis solutio seu satisfactio personis ecclesiasticis praedictis per eosdem senatum et syndicum et procuratorem fieret et fieri deberet modo et formâ in exemptione gabellarum farinae et carnis.

Dictum vectigal augendum senatus Panormitanus censet.

§ 3. Cumque, sicut eadem expositio subiungebat, facultates laicorum dissolutioni aeris alieni huiusmodi ex causâ pestis, ut praefertur, contracti non suppetant; et propterea senatus et syndicus et procurator praedicti etiam personas ecclesiasticas ad dictae duorum scutorum gabellae solutionem auctoritate nostrâ teneri summopere desiderent; nobisque etiam illorum nomine denuo humiliter supplicari fecerit, ut praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Illudque ab ecclesiasticis quoque solvi deberet petit.

§ 4. Nos, eximiorum circumspectionis tuae in nos et Sanctam Sedem praedictam fidei et devotionis meritorum, necnon peculiaris, quo gregem tibi commissum prosequeris, affectus condignam rationem habentes, ipsosque senatum et syndicum et procuratorem amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, circumspectioni tuae per praesentes iniungimus, ut, constito tibi de narratis, quodque conditiones in praeinsertis nostris litteris appositae, praesertim circa insumptionem totius illius, quod ex praedictâ triginta sex tarenorum gabellâ, deducto eo quod restituendum erat ecclesiasticis, ut praefertur, perceptum fuit, in extinctionem debitorum ex supradictâ causâ pestis contractorum, adimpletae fuerint, ac quod senatus ac syndicus et procurator praedicti quotannis realiter et cum effectu restituerint seu remiserint personis ecclesiasticis eam pecuniarum quantitatem, quam importavit dicta gabella pro ratâ quantitatis vini quam pro suis et familiarum suarum usibus ac cultus divini servitio consumpserunt, et dummodo in primis et ante omnia ad id cleri tam secularis quam regularis eiusdem civitatis et circuitus accedat assensus, personas ecclesiasticas tam seculares quam cuiusvis Ordinis regulares, utriusque sexus, dictae civitatis eiusque circuitus per unum milliare circumcirca ad solutionem

Eiusdem facultates necessarias cardinali ab Urbano concedit, augmentum huiusmodi etiam ecclesiastici imponendi.

Adhibitis tamen conditionibus, quae hic recensentur.

dictae gabellae duorum scutorum pro quolibet dolio vini, ut praefertur, ad octo annos proximos duntaxat a die XVIII praedicti mensis februarii anni MDCXXXVIII proximi praeteriti computandos, et non ultra, teneri et obligatos esse auctoritate nostrâ decernas; eâ tamen lege et conditione, ut senatus et syndicus et procurator praedicti quotannis realiter et cum effectu restituant personis ecclesiasticis eam pecuniarum quantitatem quam importabit dicta gabella duorum scutorum pro ratâ quantitatis vini quam pro suis et familiarum suarum usibus ac cultus divini servitio consument et consumere solent, quodque omne illud quod ex praedictâ gabellâ duorum scutorum, deducto eo quod restituendum erit ecclesiasticis, ut praefertur, percipietur, omnino cedat et insumatur in extinctionem debitorum ex supradictâ causâ pestis contractorum, et non in alios usus; alioquin, in eventum contraventionis praemissorum, vel alicuius eorum, praesens gratia nulla sit eo ipso; necnon quoscumque ecclesiasticos praedictos solvere recusantes opportunis iuris et facti remediis, iuxta praesentium litterarum continentiam et tenorem, et non aliàs, auctoritate praedictâ cogas;

Necnon etiam senatum a censuris absolvendi, si quid ante pontificiam concessionem ab ecclesiasticis accepit.

§ 5. Ac senatum et syndicum et procuratorem praedictos, eorumque officiales et ministros, et eorum singulos, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, per eos et eorum quemlibet, eo quod gabellam duorum scutorum, ut praefertur, impositam, etiam ab ecclesiis et ecclesiasticis personis dictae civitatis eiusque districtus, antequam nostra et dictae Apostolicae Sedis licentia desuper accederet, exegerunt, seu exigi fecerunt, respective incursis, impositâ ipsis arbitrio tuo poenitentiâ salutari, eâdem auctoritate absolvas et totaliter liberes, dictasque poenas eis et eorum cuilibet gratiose remittas et condones.

Clausulas apponit.

§ 6. Decernentes etiam praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ubique iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignorauter, contigerit attentari.

Derogat obstantibus.

§ 7. Non obstantibus omnibus illis, quae in praeinsertis litteris nostris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV martii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 4 martii 1639, pontif. anno XVI.

DCXXXIV.

Moniales reformatae sanctae Mariae Ægyptiacae Neapolitanae iurisdictioni et correctioni pro tempore existentis nuncii apostolici subiiciuntur[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Expositio monialium.

§ 1. Cum, sicut dilectae in Christo filiae moniales reformatae monasterii monialium S. Mariae Ægyptiacae Neapolitanae, sanctae Clarae seu alterius Ordinis, nobis nuper exponi fecerunt, ipsae iurisdictioni dilecti filii nostri et Sedis Apostolicae in regno Neapolis pro tempore existentis nuncii, prout antequam reformationem amplecterentur suberant, subesse, sibique propterea in praemissis opportune ut infra providere summopere desiderent:

Quas Pontifex subiicit iurisdictioni nuncii pro tempore.

§ 2. Nos, easdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et inter-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

dicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illarum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis episcoporum et regularium praepositorum consilio, moniales reformatas S. Mariae Aegyptiacae Neapolitanae praefatae iurisdictioni et correctioni pro tempore existentis in eodem regno nuncii apostolici, prout aliae moniales S. Mariae Aegyptiacae non reformatae subiiciuntur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, subiicimus.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac monasterii et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII martii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 22 martii 1639, pontif. anno XVI.

DCXXXV

Confirmatio capitulorum camerae apostolicae anno MDLXII *editorum et a Pio IV confirmatorum pro felici et celeri mercium per Tyberim in Urbem subvectione*[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium ab ipsa maiorum usu pium.

Quamvis ad ubertatem in almâ Urbe nostrâ conservandam et augendam, ac pro facili et celeri mercium per Tyberim in eandem Urbem adtum et subvectione, aliâs de anno MDLXII fuerint in camerâ apostolicâ facta et edita nonnulla capitula, seu decreta et ordinationes, quae et quas etiam mercatores ripales acceptarunt, perpetuo inviolabiliter observanda et observandas, quae etiam per felicis recordationis Pium Papam IV praedecessorem nostrum confirmata fuerunt:

Confirmatio decretorum, ut in rubrica in calce praesentium litterarum relatorum.

§ 1. Nihilominus, quoniam, ut accepimus, circa illa et illas multi irrepserunt abusus et inobservantiae; idcirco, ut illi et illae e medio tollantur, dictaque capitula seu decreta et ordinationes inconcusse serventur providere volentes, etiamsi ad praesens ecclesiae Ostiensis et Veliternensis pastoris solatio destitutae sint, motu proprio, ac ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eadem capitula, decreta et ordinationes, in calce praesentium nostrarum litterarum inserta et insertas, tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, eademque capitula, ordinationes seu decreta adversus quemcumque non usum, seu abusum, ac contrariam abrogationem quamcumque quavis auctoritate factam, reponimus et restituimus, illaque, quatenus foret opus, innovamus, perpetuisque futuris temporibus a quibuscumque ministris et officialibus dictae camerae, ac

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

ab omnibus et singulis aliis cuiuscumque status, gradus, qualitatis, conditionis et dignitatis etiam ecclesiasticae, etiam speciali notâ dignae, et praesertim a venerabili fratre nostro cardinale Ostiensi et Veliternensi episcopo pro tempore existente, eiusque ministris et officialibus, tam in arce Ostiae, quam alibi residentibus, inviolabiliter sub nullitatis poenâ in contrarium quomodolibet factorum et gestorum, contentis[1] in eisdem capitulis, seu decretis et ordinationibus, aliisque etiam personalibus et pecuniariis nostro et Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrio infligendis poenis, servari mandamus.

Decretum irritans.

§ 2. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum curiae dictae camerae generalem et palatii apostolici auditores, ac pro tempore existentes cardinalem camerarium, thesaurarium, clericos praesidentes, aliosque officiales et ministros dictae camerae, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi faculcate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, easdemque praesentes litteras, ac capitula, seu ordinationes, aut decreta praedicta omnes et singulos praedictos et quoscumque alios, quos illae et illa quomodolibet concernunt et concernent in futurum, afficere[2] et ad sui observantiam arctare, nullumque earum ignorantiam praetendere posse, perinde ac si unicuique eorum personaliter intimatae essent, volumus et decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Urbis et camerae praedictarum, et quorumvis aliorum locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam motu simili et consistorialiter Urbi et locis praedictis, ac mercatoribus, dictaeque camerae officialibus et ministris, ac cardinali episcopo, eiusque ministris et officialibus praedictis, et generaliter quibusvis personis quomodolibet nuncupatis et qualitercumque qualificatis, etiam speciali mentione dignis, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis et decretis, etiam irritantibus, in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et exexpresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI martii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 26 martii 1639, pontif. anno XVI.

Tenor autem capitulorum supradictorum est qui sequitur, videlicet:

Die XVI maii MDLXII.

Sequitur tenor capitulorum a camerâ apo-

Il signore Martino de Aiala, console della nazione Spagnuola, esibisce avanti

1 Videretur legendum *contentâ* nempe *poenâ:* vel aliter *aliisque contentis* nempe *poenis* (B. T.).

2 Male ut puto edit. Main. legit *affici* (B. T.).

stolica factorum de anno MDLXII et a Pio IV confirmatorum.

il signore camerlengo gl'infrascritti capitoli da lui ottenuti in piena camera, sottoscritti da monsignore reverendissimo Lodovico de Torres, presidente e chierico di camera, in favore de' naviganti a Ripa di Roma, per evitar le frauds: e il signore camerlengo, sedendo *pro tribunali* nella curia di Ripa, ammesse li detti capitoli, con il consiglio del console e dei mercanti, ordinando la loro osservanza; il tenore dei quali capitoli è il seguente, cioè:

Ludovicus de Torres Camerae Apostolicae clericus et Riparum almae Urbis praesidens.

Per ovviare agl'inconvenienti che nascono e potriano nascere per l'avvenire, e alle querele dei naviganti che contrattano in Ripa di Roma per le coste d'Ostia, avendo avuto sopra ciò il consiglio e parere delli consoli e mercanti delle nazioni contrattanti in Ripa, e d'altri uomini marittimi, si decreta, statuisce ed ordina, e si comanda si debbano inviolabilmente osservare l'infrascritte ordinazioni e decreti sotto la pena di cinquecento ducati d'oro in oro d'applicarsi alla reverenda Camera Apostolica.

In primis: come sono entrate le barche nella fiumara, siano attaccate e tirate per ordine, cioè: la barca che prima arriverà effettualmente al luogo detto Boaccino, dove al presente si è messa la guardia d'Ostia, rispetto alla nuova rottura e via che ha fatto il Tevere di qua d'Ostia, quella sia la prima tirata, e così l'altre di mano in mano come arrivano a vicenda, senza rompere l'ordine per astuzie, nè favori, nè interessi.

Secondo, che le barche siano tirate con ogni prestezza, diligenza, servando l'ordine sopraddetto, senza che a nessuno si faccia torto, nè stiano perdendo tempo per mancamento delle bufale, del che ne risultaria grandissimo danno alli mercanti, marinari, alla corte, al popolo e dogana di Roma, perchè quanto più presto sono spediti, tornano con nuova abbondanza a beneficio comune.

Terzo, che se fra tre giorni dall'arrivo della barca al detto luogo del Boaccino non sarà attaccata e messa in viaggio per Roma, per mancamento dei bufali, o negligenza, o difetto dell'appaltatore d'essi, finiti li tre giorni sia in libertà del padrone o padroni delle barche pigliar altri bufali, o piloricatori, o cavalli che tirano le barche, senza che l'appaltatore d'Ostia gli possa impedire, nè domandarli per tal tirata cosa alcuna.

Quarto, che li doganieri di Ripa, ovvero per loro il castellano d'Ostia, debbano tenere in detto luogo del Boaccino, riscontro alla nuova rottura del fiume, l'uomo deputato che faccia le bollette del manifesto alle barche che vengono a Roma con le mercanzie, e riceva quelle che partono da Roma, e questo per la comodità della contrattazione, senza che li marinari siano tenuti andare a Ostia; e per conto della rottura e nuova strada del fiume non si paghi a Ostia, nè a Porto, nè ad altri cosa alcuna, salvo il suo solito e antico ancoraggio.

Quinto, che le barche, le quali non vorranno bufali e possono esser tirate da uomini, non siano tenute a pigliar bufali, nè ad aspettare tempo nè urcenda, ma possano a suo beneplacito pigliar piloricatori e venirsene alla volta di Roma senza esser perciò in conto alcuno impedite, nè pagar niente all'appaltatore d'Ostia.

Sesto, che le barche che sono cariche di vino, acciò non si tocchino le botti, paghino la foglietta in danari, cioè, baiocchi venticinque, come li mercanti si sono contentati per loro cortesia e non per obligo, e non siano tenuti dare al castellano nè ad altra per-

sona, nè foglietta, nè boccale, nè fiasco di vino, e se la barca sarà carica mezza di vino e mezza d'altre mercanzie, non paghino più che mezza foglietta, cioè, baiocchi dodici e mezzo, e così se sarà manco di mezza paghi al rispetto, e le barche che non portano vino, non paghino nè foglietta, nè parte d'essa.

Settimo, che se per accidente di fiume grosso o di venti, o intagliamento, o altro qualsivoglia impedimento, li bufali che tirano la barca la lascieranno per via fra Ostia e Ripa, innanzi di arrivare a essa Ripa, si debba pagare della tirata la rata per meglio, ovvero, se il padrone dei bufali vorrà l'intiero pagamento come se l'avesse tirata fino a Ripa, debba diffalcare e rifare al padrone della barca quel tanto che avrà speso in piloricatori o bufali per tirarla dal luogo dove li bufali d'Ostia l'avranno lasciata fino a Ripa di Roma.

Ottavo, che li bufali d'Ostia debbano tirare le barche fino a Ripa nel modo che tirano li burchi che portano sale e legna, massime ora che la nuova rottura del fiume ha abbreviata la tratta di qua da Ostia di quello era prima, pagando per la tiratura per ogni botte di barili nove un giulio, e non si debba dare alli bufalari, nè piloti, nè ad altro, fiasco alcuno di vino.

Nono, che gli abitatori d'Ostia e Porto, che per uso suo piglieranno vino o altre cose dalle barche che[1] vengono a Roma, debbano tenere il pagamento pronto, ovvero partendosi depositarlo, acciò il padrone, al tornar che farà da Roma, sia subito soddisfatto, e non perda tempo per tal pagamento, sotto pena di pagar tutte le spese della barca, delli marinari ed interessi che per tale aspettare patissero.

Decimo, che nessuno officiale o persona di qualsivoglia grado e condizione, tanto in Ripa e dogana di essa, quanto Ostia e Porto, non levino altri diritti nè salario, nè si facciano pagare più di quel tanto che per il *motuproprio* e patenti della Camera a loro concessi apparirà, non ammettendo le male introduzioni ed abusi fatti in pregiudizio delli contrattanti.

Data in Camera Apostolica li 15 di maggio 1562.

1 Voccm *che* nos addimus (R. T.).

DCXXXVI.

Confirmatio litterarum Gregorii XIV ad favorem immunitatis ecclesiasticae emanatarum contra diversos abusus, qui in dioecesim Seguntinam irrepserant[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Gregorio Papa XIV praedecessore nostro ad preces tunc existentis episcopi Seguntini emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: Refert litteras a Gregorio XIV emanatas.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Toletano, et dilectis filiis thesaurario ecclesiae Seguntinae, ac officiali Seguntino, salutem et apostolicam benedictionem. Hodie[2] emanarunt litterae tenoris subsequentis:

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ex iniuncto nobis desuper apostolicae servitutis officio ad ea libenter intendimus, per quae ex Ecclesiâ Dei indecentia quaeque et inconvenientia tolluntur, et quae propterea a congregatione S. R. E. cardinalium decretorum Concilii Tridentini interpretum provide decreta sunt, ut firma perpetuo et illibata persistant, cum

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Addendum videtur *a nobis* (R. T.).

a nobis petitur, approbamus, illisque perpetuae firmitatis robur adiicimus. Sane pro parte venerabilis fratris nostri Laurentii episcopi Seguntini nobis nuper exhibita petitio continebat, quod aliàs, supradictae congregationi pro parte dicti Laurentii episcopi exposito, quod, cum in nonnullis oppidis Seguntinae dioecesis, sub dominio temporali nobilium vel illustrium laicorum existentibus, quaedam collegiatae et parochiales ecclesiae reperiuntur[1], praedicti laici, tam occasione temporalis dominii huiusmodi, quam iurispatronatus quod in dictis ecclesiis habere praetendunt, quotiescumque episcopi ad ecclesias praedictas pro divinis officiis audiendis accedebant, canonicos et clericos dictarum ecclesiarum, qui illis diebus pluvialibus et sceptis induerentur, ad loca, ubi episcopi et eorum uxores et filii sedent, cum apparatu et caeremoniis accedere, ac, factà prius profundà inclinatione, confessionem generalem, et, quando incipiunt *Gloria*, *Credo*, *Magnificat* et alias diversas orationes, tempore quo in eisdem ecclesiis divina officia dicuntur et cantantur, coram se recitare[2], et illis recitatis, factàque iterum inclinatione, ad chorum reversi[3], ac dicto evangelio, diaconum vestibus sacris indutum eis librum deosculandum offerre, ac per eumdem diaconum suis loco et tempore incensum et pacem sibi dari volebant; praetereaque sedes intra cancellos et clericorum choros dictarum ecclesiarum in praeeminentiori loco existentes ab episcopo deputatas tamquam sibi proprias etiam inter canonicos occupabant; unde, cum haec minus convenientia viderentur, dictus Laurentius episcopus scire desiderabat, an tales caeremoniae dictis laicis, etiam ecclesiarum huiusmodi patronis, deberentur, vel satis esset pacem et incensum illis per aliquem cappellanum vestibus sacris non indutum dari facere, et an eisdem laicis episcopales vel alias sedes intra cancellos et choros huiusmodi occupare liceret: fuerat per congregationem huiusmodi, tales actus et caeremonias non solum nullo modo coram dictis laicis, sed nec coram quocumque principe seculari, vel etiam ecclesiasticis praelatis episcopo maioribus fieri, cum soli episcopo haec in suà dioecesi existenti conveniant; incensum vero et pacem eisdem laicis per ministros, qui in illà canonicis dare consueverunt, tribui seu offerri oportere, sedente tamen episcopo, illis nullo modo convenire; quin potius eorum sedes non intra, sed extra chorum ecclesiasticorum, in digniori tamen loco collocandas esse, decretum et resolutum. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ut imposterum de decreto huiusmodi appareat, illudque maioris sit roboris et efficaciae, et per dictorum oppidorum pro tempore existentes dominos temporales melius observetur, et ubique fidem faciant[1], neque aliquid contra praemissa ullo unquam tempore attentari contingat, idem Laurentius episcopus cupiat decretum praedictum nostro et Sedis Apostolicae munimine et patrocinio roborari; pro parte dicti Laurentii episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus desiderio suo in praemissis annuere de benignitate apostolicà dignaremur. Nos igitur, eumdem Laurentium episcopum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causà latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium duntaxat consequen-

1 Aptius lege *reperiantur* (R. T.).

2 Sic puto legendum pro *recitate* quod habetur in edit. Mam. (R. T.).

3 Forsan legendum *reversis* nempe *canonicis et clericis* (R. T.)

1 Potius lege *faciat* (R. T.).

dum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum, aliaque praemissa, et inde sequuta quaecumque, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, necnon omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus; eadem praemissa per praedictos nobiles et illustres laicos et quoscumque alios quantacumque temporali dignitate fungentes[1], etiam dictarum ecclesiarum patronos, in perpetuum observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari[1]. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictarum ecclesiarum, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis, illarumque capitulis, et aliis superioribus personis, ac etiam episcopis et laicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, et aliâs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice harum serie specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, constitutionis, adiectionis, suppletionis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae, apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicae MDXCI, nonis augusti, pontificatus nostri anno I.

Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos, vel alium, seu alios, litteras praedictas, ac omnia et singula in eis contenta, ubi et quando expedierit, ac quoties pro parte dicti Laurentii et pro tempore existentis episcopi Seguntini fueritis requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, praeinsertas litteras et in eis contenta huiusmodi inviolabiliter observari[1]; non permittentes dictum Laurentium et pro tempore existentem episcopum Seguntinum per quoscumque desuper impediri, seu molestari; contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri, illâ praesertim, qua inter alia cavetur expresse, ne quis extra suam civitatem et dioecesim nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices ab eâdem Sede deputandi extra ci-

1 Aptius lege *fulgentes* (R. T.).

2 Deest verbum *decernimus* (R. T.).

1 Deest verbum *faciatis*, aut simile (R. T.).

vitatem et dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere praesumant, et de duabus dictis in concilio generali editâ, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium extra suam civitatem vel dioecesim ad iudicium non trahatur, et aliis apostolicis constitutionibus, necnon omnibus supradictis, seu si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romae, apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicae MDXCI, nonis augusti, pontificatus nostri anno I.

Quae rector et beneficiati parochialis ecclesiae loci de Ariza petunt confirmari.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii rector et beneficiati parochialis ecclesiae loci de Ariza Seguntinae dioecesis nobis nuper exponi fecerunt, iidem abusus contra immunitatem ecclesiasticam ad praesens etiam vigeant, cupiantque propterea eiusdem Gregorii praedecessoris litteras, pro illarum firmiori subsistentiâ, auctoritate apostolicâ per nos confirmari:

Confirmat Pontifex.

§ 3. Nos, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas dicti Gregorii praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes illas necnon praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit in futurum, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV aprilis MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 14 aprilis 1639, pontif. anno XVI.

DCXXXVII.

Quod tam Indi quam Mestizi, necnon Æthiopes et Mauri seu Mulatti nuncupati possint satisfacere praecepto confessionis et communionis annuae a dominicâ septuagesimae usque ad octavam Corporis Christi in regno Peruano et Paraguay[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Communitates regnorum Peruani, de Chile, et Paraguay exponunt causas pro huiusmodi concessione.

§ 1. Cum, sicut dilecti filii communitas, universitates et homines regnorum Peruani, de Chile, et Paraguay in Indiis occidentalibus nobis nuper exponi fecerunt, ipsi, ob eorum multitudinem et confessariorum penuriam inibi vigentem, peccata sua infra breve tempus confiteri minime possint, unde fit, ut quamplures

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

illa nullatenus, aut minus accurate et fructuose confiteantur, cupiantque propterea dicti exponentes sibi per nos, ut infra, opportune provideri:

Concessio, ut infra.

§ 2. Nos, qui omnium christifidelium saluti pro pastorali nostrâ sollicitudine iugiter invigilamus, exponentes praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ex sententiâ nonnullorum Romanae curiae praelatorum hac super re specialiter a nobis deputatorum, quod in regnis praedictis tam Indi quam Mestizi vulgo nuncupati, videlicet qui ab Indis et Europaeis, necnon Ethiopes seu Mauri et Mulatti etiam vulgo nuncupati, videlicet qui ab Europaeis et Mauris nati sunt, praecepto Ecclesiae de confitendo peccata sua et sumendo sanctissimum Eucharistiae sacramentum quotannis possint a dominicâ septuagesimae usque et per totam octavam festi sanctissimi Corporis Christi satisfacere, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac Lateranensis sub Innocentio Papa III praedecessore nostro celebrati, aliorumque conciliorum universalium et provincialium, synodaliumque generalibus et specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI aprilis MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 16 aprilis 1639, pontif. anno XVI.

DCXXXVIII.

Commissio collectori Portugalliae, ut quibusvis personis inhibeat, ne quis Indos occidentales et meridionales vendat, in servitutem redigat, vel uxoribus, filiis et bonis suis privet[1].

Dilecto filio, iurium et spoliorum camerae nostrae apostolicae in Portugalliae et Algarbiorum regnis debitorum collectori generali,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Commissum nobis a Domino supremi apostolatus officii ministerium postulat, ut, nullius hominis salutem a curâ nostrâ alienam ducentes, non solum in christifideles, sed etiam in eos, qui adhuc in ethnicae superstitionis tenebris extra gremium Ecclesiae versantur, paternae nostrae charitatis affectum diffundamus, et quae eis quominus ad christianae veritatis et fidei agnitionem perducantur quoquo modo obstaculo esse possunt, quantum cum Domino possumus, amovere studeamus.

Paulus III inhibuit Indos in servitutem redigi, aut bonis spoliari:

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Paulus Papa III praedecessor noster, statui Indorum occidentalium et meridionalium, quos in servitutem redigi, suisque bonis privari, eâque de causâ ab amplectendâ Christi fide averti acceperat, consulere cupiens, universis et singulis cuiuscumque status, conditionis, gradus et dignitatis existentibus, sub excommunicationis latae sententiae poenâ eo ipso incurrendâ, a qua nonnisi ab eo vel Romano Pontifice pro tempore existente praeterquam in mortis articulo et satisfactione praeviâ absolvi possent, prohibuit, seu prohiberi mandavit, ne praedictos Indos quomodolibet in servitutem redigere, aut eos bonis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

suis spoliari quoquomodo praesumerent, et aliàs, prout in eisdem Pauli praedecessoris in simili formâ Brevis die XXIX maii MDXXXVII desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Urbanus recenda pauli brevia.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, causae, propter quas litterae Pauli praedecessoris praedicti emanarunt, etiam de praesenti vigeant; idcirco nos, ipsius Pauli praedecessoris vestigiis inhaerendo, ac impiorum hominum ausus, qui Indos praedictos, quos omnibus christianae charitatis et mansuetudinis officiis ad suscipiendam Christi fidem inducere oportet, inhumanitatis actibus ab illâ deterrent, reprimere volentes, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut per te, vel alium, seu alios, omnibus Indis, tam in Paraquariae et Brasiliae provinciis ac ad flumen de la Plata nuncupatum[1], quam in quibusvis aliis regionibus et locis in Indiis occidentalibus et meridionalibus existentibus, in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes[2], universis et singulis personis, tam secularibus, etiam ecclesiasticis, cumcumque status, sexus, gradus, conditionis et dignitatis etiam speciali notâ et mentione dignae existentibus, quam cuiusvis Ordinis, congregationis, societatis, religionis et instituti, Mendicantium et non Mendicantium, monachalis, regularibus, sub excommunicationis latae sententiae per contravenientes eo ipso incurrendâ poenâ, a qua nonnisi a nobis vel pro tempore existente Romano Pontifice praeterquam in mortis articulo constituti et satisfactione praeviâ absolvi possint, districtius inhibeas, ne de cetero praedictos Indos in servitutem redigere, vendere, emere, commutare, vel donare, ab uxoribus et filiis suis separare, rebus et bonis spoliare, ad alia loca deducere et transmittere, aut quoquo modo libertate privare, in servitute retinere, necnon praedicta agentibus consilium, auxilium, favorem et operam quocumque praetextu et quaesito colore praestare, aut id licitum praedicare, seu docere, ac aliàs quomodolibet praemissis cooperari audeant seu praesumant; contradictores quoslibet et rebelles, ac tibi in praemissis non parentes, in poenam excommunicationis huiusmodi incidisse declarando, ac per alias etiam censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Nos enim tibi desuper plenam amplam et liberam facultatem tribuimus et potestatem.

Derogatque contrariis.

§ 3. Non obstantibus similis memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de una, ac concilii generalis de duabus dietis, ac in conciliis universalibus, provincialibusque et synodalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, legibus quoque, etiam municipalibus, ac quorumcumque locorum piorum et non piorum, et generaliter quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene

1 Male ut puto ed. Mainn. legit *nuncupati*; vel legendum *nuncupatis* nempe *provinciis* (R. T.).

2 Puto legendum esse *existens* (R. T.).

et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse deroganus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII aprilis MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 22 aprilis 1639, pontif. anno XVI.

DCXXXIX.

Privilegia molitoribus Urbis concessa.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Motiva huius Constitutionis.

Cum, sicut accepimus, dilectis filiis universitati et hominibus artis molitorum almae Urbis, nedum molarum, ac domorum eisdem molis contiguarum, ob necessitates repentinas necessariarum, ac scalarum et turricularum earumdem pensiones seu locationes quandoque augeri contingat, verum etiam permulti molariam artem revera non exercentes, molas, domos, scalas et turriculas huiusmodi molitoribus locandas seu sublocandas conducant, vel in socios sibi molitores, qui suo nomine artem huiusmodi exerceant, assumant, hisce artibus lucrum ex alieno labore captando et aliis pauperibus molitoribus occasionem sibi quaerendi victum subtrahendo:

Molae, contiguaeque domus, molitoribus tantum locandae.

§ 1. Nos, attendentes molitorum operam reipublicae maxime necessariam et utilem esse, ac proinde illorum commodis et quieti, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine: quod de cetero perpetuis futuris temporibus molarum, tam in terrâ quam in flumine existentium, turricularum, scalarum et domorum ipsis molis contiguarum, et pro illarum custodiâ commodarum, in quibus molitores habitant, seu habitabunt, pensiones seu locationes augeri nequeant, quodque locationes molarum, scalarum, domorum et turricularum huiusmodi factae illis qui realiter et cum effectu molitores non sunt et personaliter artem praedictam non exercent, licet patentes desuper ipsorum universitatis et hominum litteras obtinuerint, etiamsi de locationibus huiusmodi specialis mentio facienda foret, ipsaeque etiam apostolicâ auctoritate confirmatae sint, nullae et invalidae sint, et esse ac expirasse censeantur, inque illis in omnibus et per omnia molitores, praedictas molas, scalas, domos et turriculas huiusmodi inhabitantes, restituto tamen dictis locatariis suorum bonorum mobilium valore, succedere debeant;

Eisque vendendae.

§ 2. Ac propterea, quod nullus cuiusvis molae aut illius partis dominus, qui vere et actu non sit molitor, possit illam per tertiam personam exerceri facere, nec ab illâ molitores actu exercentes ad effectum illam inhabitandi amovere, etiamsi praedictae molae, domus, scalae et turriculae ad quasvis basilicas, collegiatas, et alias ecclesias, loca pia, et alias quasvis privilegiatas personas, etiam speciali notâ et mentione dignas, et hic forsan de necessitate exprimendas spectarent et pertinerent, tenore praesentium, statuimus et ordinamus, ipsosque molitores in emptione molarum, domorum, scalarum et turricularum huiusmodi ceteris omnibus et quibuscumque praeferri volumus.

Causae omnes contra illos motae avocantur;

§ 3. Et propterea omnes et singulas lites et causas hactenus forsan contra ipsos universitatem et homines occasione augmenti pensionum seu locationum molarum, scalarum, domorum et turricularum huiusmodi, vel aliorum quorumcumque praedictorum, coram quibusvis iudicibus, seu tribunalibus, etiam quan-

tumvis privilegiatis et supremis, etiam speciali et individuâ expressione dignis, motas, pendentes et indecisas, in eisdem statu et terminis, in quibus ad praesens reperiuntur, statum earum huiusmodi veriorem et certum, ac merita et causas, nominaque et cognomina iudicum, notariorum, ac collitigantium et dominorum molarum, scalarum, domorum et turriculorum huiusmodi, aliorumque causam ab eis habentium, etiamsi basilicae, ecclesiae, monasteria, confraternitates, hospitalia et alia loca pia, ac etiam viduae, pupilli et minores, aliique quantumvis privilegiati existant, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, ad nos harum serie avocamus:

Annonaeque praefecti iudicio committuntur.

§ 4. Illasque sic avocatas, ac quascumque alias ratione praemissorum de cetero movendas, dilecto filio moderno et pro tempore existenti annonae praefecto, privative quoad omnes alios et singulos Romanae curiae iudices, magistratus et tribunalia, committimus, illique plenam, liberam et absolutam facultatem et auctoritatem, per se, vel alium, seu alios ab eo deputandos, privative quoad alios quoscumque iudices, magistratus et tribunalia, etiam supremos et suprema, ac speciali mentione et expressione dignos et digna, cognoscendi, decidendi et debito fine terminandi omnes et singulas causas huiusmodi motas et movendas, ut praefertur, cum omnibus et singulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis (ac etiam cum clausulâ, quam et quas[1], etiamsi contra ipsos universitatem et homines ageretur et procederetur vigore obligationum cameralium iuramento vallatarum et cum expressâ renunciatione praesentis indulti, necnon domus, scalae, molae et turriculae huiusmodi ab eis possessae, seu conductae, directe vel indirecte, ad quasvis personas, quantumvis privilegiatas, ac etiam basilicas et quasvis ecclesias, etiam parochiales, cappellas, religiones, praeceptorias, seu commendas, monasteria, conventus, hospitalia, confraternitates, et alia pia loca, etiam insignia, et pari privilegio suffulta, ac etiam ad quoscumque pupillos, minores et viduas, et quoscumque alios quantumvis amplissimis privilegiis suffultos, etiam speciali mentione dignos, spectarent), necnon etiam in eisdem causis et litibus, ac illarum qualibet, singulis diebus et horis, praeterquam in honorem Dei feriatis, summarie, exequutive, simpliciter et manu regiâ, sine strepitu et figurâ iudicii, sed solâ facti veritate inspectâ, et aliâs prout eidem annonae praefecto et ab eo deputandis praedictis ac secundum rei et casus exigentiam visum fuerit expedire, omni et quacumque appellatione, provocatione et recursu postpositis, procedendi, cum facultate pariter avocandi et reassumendi praedictas lites et causas motas et movendas, ac quibusvis iudicibus tribunalibus et magistratibus ecclesiasticis et secularibus, etiam curiae causarum camerae apostolicae generali auditori, et quibusvis aliis iudicibus etiam supremis ac privilegiatis et necessario exprimendis, necnon omnibus et singulis supradictis, et aliis, quibus opus fuerit, sub poenis pecuniariis et censuris, eidem annonae praefecto, et ab eo deputandis, placitis et benevisis, inhibendi, aliaque omnia et singula in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, gerendi et exequendi concedimus.

Decretum irritans.

§ 5. Decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore ex quocumque capite vel causâ de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis

1 Verba *quam et quas* praeter rem interiecta sunt, vel aliqua desunt; ex g. *ac etiam cum clausulâ et clausulis, quam et quas addimus, etiamsi* etc. (R. T.).

nostrae, vel alio quovis defectu notari vel impugnari, in ius vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris vel facti aut gratiae remedium impetrari posse, sed semper et omni tempore contra et adversus quascumque impugnationes validas et efficaces existere, suosque effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici et camerae apostolicae auditores, ac ipsam cameram, eiusque camerarium, vicecamerarium, thesaurarium, decanum et presidentes clericos, necnon etiam vicarium nostrum in almâ Urbe in spiritualibus generalem, eiusque locumtenentes et auditores, senatum, collaterales, viarum magistros Urbis praedictae, eorumque assessores, et quosvis alios Romanae curiae iudices, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi seu interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tolluntur.

§ 6. Non obstantibus omnibus et singulis praemissis, ac quod in illis interesse quomodolibet habentes, aut habere praetendentes, ad illa vocati et auditi non fuerint, vel illis contradicant expresse. et se opponant, necnon quibusvis litis pendentiâ et instrumentis factis et de cetero faciendis, etiam cum obligatione in formâ camerae praedictae, et iuramento, et cum praesentis indulti et quavis aliâ renunrenunciatione et cautelâ, et quibusvis aliis privilegiis et facultatibus concessis quibusvis tribunalibus et magistratibus dictae Urbis, ipsique camerae, eiusque camerario et clericis, etiam dictae camerae auditori generali, dictoque vicario nostro, populo romano, magistris viarum, eorumque assessoribus, necnon basilicis, ecclesiis, monasteriis et locis piis supradictis, ac aliàs quomodolibet, in genere vel in specie, etiam ex titulo oneroso, ac sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac felicis recordationis Gregorii Papae XIII praedecessoris nostri super iure congrui editâ, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac etiam cancellariae apostolicae regulis, et praesertim illâ de iure quaesito non tollendo, ac praedictae Urbis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, confirmationibus, stylis et usibus, etiam palatii nostri apostolici, ac decretis etiam consistorialibus et conventionibus; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio de illis habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, perinde ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, necnon formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX aprilis MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 30 aprilis 1639, pontif. anno XVI.

Die IX *maii* MDCXXXIX *supradictum Breve fuit in plenâ camerâ apostolicâ exhibitum, et ex illius decreto commissum illustrissimo et reverendissimo domino Dongo, praeviâ citatione contra reverendissimum dominum commissarium generalem eiusdem camerae exequutorem, factâ relatione in eâdem plenâ camerâ et ex alio decreto illius fuit*

admissum, et lib. XII *Div. SS. D. N. sub fol. 159 registratum.*

IOANNES CERMONTINUS.

DCXL.

Confirmatio patentium litterarum prioris generalis Carmelitarum super concessione fundationis unius eremi in Galliâ, cum conditionibus in eâ insertis[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Henricus de Gournay primitivam Carmelitarum regulam capitis promovere.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Theodorus Stratius, prior generalis fratrum Ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo antiquae observantiae regularis, quod venerabilis frater Henricus episcopus Vasatensis, ac dilectus filius Henricus de Gournay, comes loci de Marcheville, pro singulari, quem erga beatissimam Virginem Mariam dictumque Ordinem gerunt, devotionis affectu, summopere cupiunt, ut vetus illa reviviscat disciplina eiusdem Ordinis, secundum quam olim antiqui dicti Ordinis fratres, sub primitivâ regulâ a quondam Alberto patriarcha Hierosolymitano traditâ, in Monte Carmelo et in aliis Palestinae locis solitariam eremiticam vitam in cellulis separatis ducebant. Quare dictus Henricus comes e Galliâ ad almam Urbem nostram non aliam ob causam magno suo impendio et labore venit, quam ut suo et dicti Henrici episcopi nomine supplicaret ipsi Theodoro priori generali, prout supplicavit, pro facultate fundandi in aliquo secessu et solitario loco unam domum regularem, in qua non ad tempus sed per totam vitam aliqui dicti Ordinis fratres, sub primitivâ regulâ praefati Alberti patriarchae, omnipotenti Deo, Deiparaeque Virgini servirent, suis sumptibus aedificandam: cui tam pio desiderio praefatus Theodorus prior generalis annuens, per suas patentes litteras, in eâdem almâ Urbe XV aprilis anni proxime praeteriti datas, dilectum filium Andream Blanchard, dicti Ordinis et provinciae Narbonensis professorem, sacerdotem et doctorem Parisiensem, in commissarium generalem ad id instituit, cum auctoritate fundandi, servatis servandis, unam eremum in loco sibi a praefatis Henrico episcopo et Henrico comite assignando, in qua in principio vivere possint sub praedictâ regulâ duodecim ad minus eremitae, computatis clericis et laicis, cum infrascriptis pactis et conditionibus, videlicet: Quod nimirum religiosi ibi commorantes immediate subsint generali, reganturque et gubernentur per unum commissarium a priore generali Ordinis pro tempore instituendum, qui super illis eamdem habeat auctoritatem et iurisdictionem, quam priores provinciales in suarum provinciarum fratres habent, reservatâ tamen ipsi priori generali liberâ facultate et auctoritate, quoties ipse expedire indicaverit, aliquem alium dicti Ordinis professorem sibi benevisum, qui eremum et fratres huiusmodi tum in capite tum in membris visitare et corrigere possit, instituendi: Quod eremitae praedicti vocem activam vel passivam in capitulis provincialibus non habeant, nec ad dicta capitula proficisci, vel ad id compelli, nec ab ipsâ eremo sine licentiâ prioris generalis recedere possint; quodque ibi perpetuo servent primitivam regulam ab eodem Alberto patriarchâ traditam in suo rigore, nullâque admissâ moderatione et mitigatione felicis recordationis Innocentii IV, Eugenii IV, Pii II, Sixti IV, et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, excepto quod bona immobilia, iuxta sacri Concilii Tridentini sess. XXV,

Eremum pro duodecim fratribus fundari curat.

Prior generalis Ordinis fundationis acceptationem committit provinciali Narbonensi.

Cum conditionibus, quae exprimuntur.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

cap. III de regularibus dispositionem, possidere possint, teneanturque horas canonicas diurnas et nocturnas, in choro simul statis horis recitare. Et quia praecipuus eorumdem eremitarum finis erit iugi orationis ac vigiliarum studio, assiduâ corporis mortificatione, aliisque operibus piis, omnibus christifidelibus ac toti Ecclesiae catholicae prodesse, idem Theodorus prior generalis mandavit, ut omnia sua sacrificia Deo offerant pro felici statu sanctae Romanae Ecclesiae, ac Summi Pontificis pro tempore existentis, pro incolumitate et conservatione christianissimi Francorum regis, necnon pro Montis Carmeli patris dicti Ordinis recuperatione; praesertim vero pro praefatis Henrico episcopo et Henrico comite, eorumque successoribus; quod quo liberius praestare valeant, praecipit eisdem, ut eleemosynas a piis christifidelibus erogatas, quo pro illis Deo preces effundant, recipere possint, non tamen cum onere et obligatione pro eisdem tot missas celebrandi divinaque sacrificia offerendi.

Ligna a Pontifice petit confirmari.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatus Theodorus, prior generalis, dictas suas patentes litteras pro illarum firmiori subsistentiâ apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desideret:

Quid praestat Urbanus.

§ 3. Nos, eumdem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, concessionem fundationis praefatae eremi per praefatas eiusdem Theodori prioris generalis patentes litteras cum omnibus et singulis conditionibus inibi ut praefertur insertis (servatâ tamen in illius fundatione decreti felicis recordationis Gregorii Papae XV praedecessoris nostri circa novorum conventuum erectionem editi [1], et a nobis sub die XXVIII augusti MDCXXIV innovati [2], formâ) apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et innovamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes praemissa omnia necnon praesentes litteras valida, firma, et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub an-

1 Quod vide in tom. XII, pag. 719 (R. T.).
2 Prout habes in tom. XIII, pag. 200 (R. T.).

nulo Piscatoris, die IV maii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 4 maii 1639, pontif. anno XVI.

DCXLI.

Erectio custodiarum fratrum strictioris Observantiae S. Francisci cismontanae familiae in provincias Reformatas.

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Iniuncti nobis per abundantiam divinae gratiae pastoralis officii ratio postulat, ut circa statum regularium personarum quarumlibet, praesertim illarum quae sub arctioris observantiae normâ gratum Altissimo exhibent famulatum, iugiter invigilantes, ad ea, per quae pium eorum institutum ad maiorem Dei gloriam et eius Ecclesiae decorem propagetur, pax et concordia inter eos conservetur, ipsique facilioribus in dies in viâ Domini proficiant incrementis, propensius intendamus, ac in his eiusdem officii nostri partes interponamus, prout conspicimus in Domino feliciter expedire. Cum itaque, sicut accepimus, custodiae fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum nuncupatorum adeo excreverint, ut in provincias erigi possint, distinctasque fratrum Reformatorum huiusmodi ab illis fratrum de Observantiâ eiusdem Ordinis provincias institui pacis inter illos stabiliendae plurimum intersit:

Motivum.

Erectio provinciarum prout in rubricâ. § 1. Idcirco, motu proprio, ac ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, maioris et minoris Poloniae, ac omnes alias cismontanas fratrum huiusmodi custodias, quae duodecim saltem conventus habent, in provincias fratrum reformatorum Ordinis huiusmodi tenore praesentium erigimus.

Protector primâ vice eligat ministros. § 2. Ac dilecto filio nostro Francisco S. Laurentii in Damaso diacono cardinali Barberino nuncupato S. R. E. vicecancellario, nostro secundum carnem ex fratre germano nepoti, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectori, ministros provinciales provinciarum huiusmodi et definitores pro primâ vice constituendi et deputandi, capitulis vero provincialibus ceteros officiales, facultatem concedimus;

§ 3. Necnon, quod provinciae sic ut praefertur per nos erectae retineant proprium nomen, addito solummodo quod sunt reformatae;

§ 4. Ac habeant locum et praecedentiam, iuxta consuetudinem dicti Ordinis, post provincias iam erectas, ita ut eo loco permaneant, quo[1], dum custodiae nominabantur, erant;

Protector eligit procuratorem generalem. § 5. Ac insuper, quod provinciae reformatae huiusmodi habeant procuratorem generalem nominandum et eligendum a dicto Francisco cardinale et pro tempore existente Ordinis praedicti protectore;

Privilegia qualitates quae pro procuratore generalis Reformatus. § 6. Qui procurator generalis in capitulis et congregationibus ac definitoriis generalibus sedeat immediate post procuratorem et commissarium generalem dicti Ordinis, et in eis votum seu suffragium habeat quemadmodum habent procurator generalis Ordinis et commissarius curiae; finito autem suo officio remaneat pater Ordinis perpetuus, cum omnibus privilegiis, exemptionibus et praecedentiis, quae concediuntur procuratori fratrum de Observantiâ et commissario curiae eiusdem Ordinis;

Commissarius generalis ex quâ familiâ eligendus. § 7. Ad haec, quod, quando minister generalis erit ex ultramontanâ familiâ, commissarius generalis eligatur ex cismontanâ familiâ; et idem servetur in electione vicarii generalis, quando minister generalis ex cismontanâ familiâ discessurus est ultra montes; reservatâ nobis hac vice commissarii generalis huiusmodi ele-

1 Edit. Main. legit *quod* (R. T.).

ctione et deputatione suo tempore per nos declarandâ;

Alia decreta

§ 8. Deinde, quod definitores generales ex diversis provinciis, iuxta formam statutorum generalium dicti Ordinis, eligantur, quorum tamen quatuor ex familiâ et duo reformati esse debeant;

§ 9. Dictique reformati et eorum conventus nisi per patres alicuius ex provinciis reformatis huiusmodi visitari minime possint;

§ 10. Gubernarique debeant cum solis statutis reformationum, quae nec a capitulo, nec a ministro generali possint alterari seu immutari, sed eorum moderatio fieri debeat a reformatis tantum in capitulo vel congregatione generali;

§ 11. Nec minister generalis constitutiones vel ordinationes perpetuas[1] vel ad tempus, quae reformatos obligent, vel contra illos, condere possit;

§ 12. Ipsique reformati ad peculiaria illius mandata, quae definitorum provinciae iudicio et dictorum reformatorum reformationi et observantiae non fuerint congruentia, minime teneantur;

§ 13. Insuper, quod ad visitationes et negotia reformatorum nullo modo possint deputari fratres de familiâ, sed solummodo ipsimet reformati;

§ 14. Ac demum, quod transitus ab observantiâ ad reformationem concedatur, prout hactenus observantes habuere; ita ut dictae provinciae reformatae inserviant pro reformatione observantiae huiusmodi;

§ 15. Sublatâ eisdem observantibus in perpetuum novam reformationem erigendi seu instituendi facultate;

§ 16. Quodque reformati praedicti possint etiam transire ad observantes ex causis in constitutione felicis recordationis Pauli Papae V hac super re emanatâ expressis; et sic transeuntes nequeant ab observantibus reiici, earumdem tenore praesentium, statuimus, volumus et ordinamus.

1 Male edit. Main. legit *perpetuae* (R. T.).

Praesentium statutorum observantia.

§ 17. Mandantes praeterea, in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, aliisque nostro[1] et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio poenis, omnibus et singulis Ordinis praedicti superioribus et fratribus quomodocumque et qualitercumque qualificatis, ut praesentes nostras litteras, ac in eis contenta quaecumque, inviolabiliter observent et ab eis ad quos spectat adamussim servari curent et faciant.

§ 18. Et nihilominus ex nunc irritum et inane decernimus quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum deputatio.

§ 19. Quocirca eidem Francisco cardinali per praesentes iniungimus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte fratrum praedictorum fuerit requisitus, solemniter publicans, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat illa auctoritate nostrâ ab omnibus, ad quos spectabit, inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 20. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, aliisque apostolicis, et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon dicti Ordinis et illius pro-

1 Male edit. Main. legit *nostris* (R.T.).

vinciarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem Ordini, illiusque provinciis, superioribus et fratribus, et quibuscumque aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII maii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 12 maii 1639, pontif. anno XVI.

DCXLII.

Declaratio, quod per alienationem quorumcumque locorum in Statu Ecclesiastico existentium non censetur translatus in acquirentem titulus ducatus, principatus, marchionatus vel comitatus, locis huiusmodi annexus, vel in eis erectus, vel illum transferendi data facultas, nisi in licentia alienandi id expresse concessum fuerit[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Cum rationi minus consentaneum sit, ut, translato in alios dominio civitatum, oppidorum, castrorum, terrarum, aliorumque locorum in Statu nostro Ecclesiastico existentium, ac honoris et dignitatis titulis, plerumque non tam sui, quam illa possidentium vel maiorum ipsorum intuitu et contemplatione ob praeclara eorum erga Romanos Pontifices et Sedem Apostolicam christianamque rempublicam merita decoratorum, ipsi quoque tituli huiusmodi quasi accessorie translati censeantur:

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Hinc est quod nos, motu proprio, et ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione declaramus et decernimus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus per quamcumque civitatum, oppidorum, castrorum, terrarum, aliorumque locorum in Statu nostro Ecclesiastico mediato vel immediato existentium venditionem et quamvis alienationem, etiam alienationis latissime sumpto vocabulo, non censeatur in emptorem et quemlibet alium quocumque titulo lucrativo vel oneroso et aliàs quomodolibet acquirentem translatus titulus ducatus, principatus, marchionatus vel comitatus, nec titulum huiusmodi transferendi data facultas, etiamsi titulus huiusmodi civitati, oppido, castro, terrae vel loco, venditae seu vendito, et alienatae seu alienato, annexus, seu in eâ vel eo erectus esset, nisi in licentiâ apostolicâ vendendi et alienandi, iuxta constitutiones felicis recordationis Sixti V, Clementis VIII et Pauli V Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, ac nostras omnino prius obtinendâ, specifice

1 Ne iam iudicata otiose repetam, vide quae nuper notavi ad Constit. DLXXXV (*al.* 551) huius Pontificis, quae incipit *Olim felicis*, ut supra pag. 616.

et verbis expressis translatio tituli huiusmodi concessa fuerit.

Clausulae praeservativae.

§ 2. Praesentes quoque litteras, quovis praetextu vel causâ, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari, retractari, in ius vel controversiam vocari nullatenus posse, sed illas semper validas, firmas et efficaces existere et fore, plenamque roboris firmitatem obtinere;

Clausula *sub a.*

§ 3. Sicque, et non aliter, in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici et curiae camerae apostolicae generalem auditores, et dictae camerae clericos praesidentes, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, ac eiusdem S. R. E. camerarios, civitatumque, oppidorum, castrorum, terrarum et locorum huiusmodi gubernatores et magistratus quomodolibet nuncupatos nunc et pro tempore existentes, ac quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, nostrâ de iure quaesito non tollendo, ac aliis cancellariae apostolicae regulis, legibus quoque imperialibus et municipalibus, ac quorumvis locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis locis et personis quomodocumque nuncupatis, ac qualitercumque qualificatis, etiam speciali notâ et mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, in genere vel in specie, ac aliâs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda esset aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praedictum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII maii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 17 maii 1639, pontif. anno XVI.

Anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXXXIX, *die vero* XIII *mensis augusti, supradictae litterae affixae et publicatae fuerunt ad valvas basilicae S. Petri de Urbe, ac cancellariae apostolicae, et aliis locis solitis et consuetis Urbis, per nos Fulvium Marzitellium et Carolum Pelosium Sanctissimi Domini nostri Papae cursores.*

Pro D. magistr. curs.
ANTONIUS BARDUS, deput.

DCXLIII.

Praefinitio numeri magistrorum provinciae Romanae Ordinis Praedicatorum.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. In his apostolici nostri muneris partes libenter interponimus, per quae felici regularium personarum statui opportune consuli iudicamus.

Motiva. § 1. Nuper siquidem pro parte dilecti filii Michaëlis Mazarini, sacrae theologiae magistri, ac Romanae provinciae fratrum Ordinis Praedicatorum prioris provincialis, nobis expositum fuit, quod in non mediocre dictae provinciae bonum cederet, si, quemadmodum in quibusdam aliis dicti Ordinis provinciis sancitum est, certus ac determinatus magistrorum in sacrâ theologiâ Ordinis huiusmodi cum loco et voce, qui acceptati communiter nuncupari solent, numerus in dictâ Romana provinciâ per nos constitueretur; nobis propterea dictus Michaël prior provincialis huiusmodi humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune, ut infra, providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Mazarini suis tantum vicenis. § 2. Nos igitur, eiusdem provinciae felici regimini et gubernio, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, ipsumque exponentem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praetatis magistris acceptatis in provinciâ Romanâ huiusmodi numerum vicenarium, qui nonnisi per eos qui in studio generali provinciae regentis munere functi fuerint excedi possit, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, praescribimus et praeminimus.

Nullos, nisi in magistrum acceptetur. § 2. Ac insuper, quod de cetero nullus, nisi regens ut supra fuerit, in eiusdem provinciae magistrum acceptari valeat, donec et quousque magistri, qui modo sunt in dictâ provinciâ acceptati, quibus per praesentes nullum praeiudicium inferre intendimus, ad numerum viginti redacti fuerint, auctoritate et tenore praesentium interdicimus et prohibemus. Decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tolluntur. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon decretis, si qua[1] praemissis adversentur, ac Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliâs in contrariorum praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII maii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 17 maii 1639, pontif. anno XVI.

1 Edit. Main. de more solito habet *quae* (R.T.).

DCXLIV.

Quod priores provinciales provinciae Romanae Ordinis Praedicatorum debeant esse biennales[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Causae huius Constitutionis.

Nuper pro parte dilecti filii Michaëlis Mazarini, in sacrâ theologia magistri, ac Romanae provinciae fratrum Ordinis Praedicatorum prioris provincialis, nobis expositum fuit, quod dictae provinciae priores provinciales ante capitulum generale eiusdem Ordinis in almâ Urbe nostrâ novissime de anno MDCXXIX celebratum biennales erant, in eo autem capitulo generali statutum fuit, ut priores provinciales ab inde quadriennales foret, exceptis tamen provinciis speciali quoad hoc indulto apostolico gaudentibus. Verum, quia dubitari potest, an in praedictâ provinciâ Romanâ huiusmodi indultum vigeat, ad omnem scrupulum e medio removendum, statutum etiam fuit in dietâ nuper in eâdem almâ Urbe in domo regulari seu conventu S. Mariae super Minervam dicti Ordinis habitâ, supplicandum esse, prout idem exponens nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 1. Nos igitur, felici provinciae huiusmodi gubernio, quantum cum Domino possumus, consulere, ac eumdem Michaëlem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati;

§ 2. Quod de cetero perpetuis futuris temporibus dictae provinciae Romanae priores provinciales biennales sint et esse debeant, nec ultra biennium in huiusmodi provincialatus officio perdurare possint, et quidquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane existat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus, statuimus et ordinamus respective. Mandat prout in rubrica.

§ 3. Non obstantibus praedictâ capituli generalis ordinatione, seu statuto, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII maii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 28 maii 1639, pontif. anno XVI.

DCXLV.

Confirmatio concessionum domorum regularium de Observantiâ fratribus Reformatis S. Francisci quomodolibet factarum.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncti nobis apostolici muneris debito christifidelium sub suavi religionis Prooemium.

1 Vide de his fratribus Constit. XVIII Gregorii XI, *Virtute*, tom. IV, pag. 567.

iugo et strictioris observantiae regulis Altissimo famulantium votis, per quae eorum quieti opportune consulitur, libenter annuimus, ac desuper eiusdem muneris partes propensis studiis interponimus, ut iidem christifideles, sublatâ omni perturbationum materiâ, in pacis amoenitate, ac iustitiâ et sanctitate coram Deo felicioribus in dies proficiant incrementis.

Motiva.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis nuper exponi fecit dilectus filius Ascanius ab Assisio, procurator generalis fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum nuncupatorum, nonnullae domus regulares, quas fratres Minores de Observantiâ nuncupati Ordinis praedicti possidebant, dictis fratribus Reformatis, apostolicâ auctoritate, vel a superioribus Ordinis huiusmodi, aut aliâs alio modo assignatae et concessae fuerint; ut autem litibus et controversiis, quae propterea fortassis excitari possent, via praecludatur, idem procurator assignationes et concessiones praedictas auctoritate nostrâ apostolicâ comprobari, et aliâs desuper, ut infra, providere summopere desideret: nos, eiusdem Ascanii procuratoris votis huiusmodi benigne annuere volentes, illumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ipsius Ascanii procuratoris nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Confirmat prout in rubricâ.

§ 2. Assignationes et concessiones domorum regularium praedictarum dictis fratribus Reformatis, apostolicâ auctoritate, vel a superioribus Ordinis huiusmodi, vel aliâs quomodolibet factas ut praefertur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis perpetuae firmitatis apostolicae robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus. Mandantes propterea quibusvis dicti Ordinis superioribus et fratribus, quomodocumque nuncupatis et qualificatis, in virtute sanctae obedientiae, ac sub privationis vocis activae et passivae eo ipso incurrendis, aliisque arbitrii nostri[1] poenis, ne super assignationibus et concessionibus praedictis litem seu lites contra Reformatos huiusmodi movere seu intentare, vel illos in ius vocare, aut aliâs quomodolibet eis desuper molestiam exhibere audeant seu praesumant, et nihilominus ex nunc irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contrarius derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini, illiusque domibus regularibus, superioribus, conventibus, fratribus et quibusvis aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX maii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 30 maii 1639, pontif. anno XVI.

1 Aptius forsan legeretur de more solito *arbitrio nostro* (R. T.).

DCXLVI.

Collegia S. Nicolai de Anexiaco et de Rovere in civitate Avenionensi subiiciuntur regimini sacrae Congregationis de Propaganda Fide[1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Iniuncti nobis desuper apostolici muneris ratio postulat, ut collegiorum, ad iuventutis instructionem, praesertim in civitatibus nostrae ditioni subiectis, institutorum, paternam curam gerentes, ea, quae ad eorum damnum incuriâ personarum illis praesidentium et defectu debitae provisionis irrepsisse comperimus, de medio tollamus, eisque, pro illorum felici gubernio, ac iurium conservatione, nec non alumnorum in eo pro tempore degentium tranquillitate, et bonis moribus et disciplinis eruditione, novos protectores, de quorum uti cardinalatus honore fulgentium in rebus omnibus eximiâ solertiâ et prudentiâ, singularique zelo, et charitatis affectu nusquam haesitandum sit, constituamus et deputemus, aliâsque desuper disponamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Refert malum horum collegiorum statum.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, in civitate nostrâ Avenionensi unum S. Nicolai de Anexiaco magnum nuncupatum et alterum della Rovere vulgo etiam nuncupatum collegia pro recipiendis, alendis et instruendis in eis collegialibus seu alumnis ex provinciis et locis in eorum fundatione expressis evocandis a multis annis apostolicâ auctoritate aut aliâs instituta, erecta et dotata reperiantur, et ex relatione visitationis praedictorum collegiorum in Congregatione de Propagandâ Fide in nostrâ praesentiâ habitâ nobis innotuerit, bona tam libera quam emphyteutica et iurisdictiones ac redditus praedictorum collegiorum temporis successu, et malo rectorum et aliorum, qui curam illorum habuerunt, regimine, non solum deteriorata et imminuta, sed etiam ex parte alienata fuisse, ipsorum quoque collegiorum aedificia praedictorum ministrorum incuriâ et negligentiâ pessundata, et disciplinam collegialium, seu alumnorum, ob constitutionum praedictorum collegiorum inobservantiam, fere penitus esse collapsam, et denique contra fundatorum mentem et dispositionem pontificiarum constitutionum pro praedictis collegiis editarum multos graves in eis et praesertim circa gubernium praedictorum collegiorum seu alumnorum irrepsisse abusus, quibus nisi celeriter provideatur, res praedictorum collegiorum in deterius labi necesse est, et modica seu nulla utilitas aut fructus ex illis imposterum percipientur:

Quare ea subiicit regimini sacrae congregationis de Propaganda Fide.

§ 2. Nos, eorumdem collegiorum reformationi, conservationi et manutentioni, bonoque eorum regimini, ac praedictorum bonorum et iurisdictionum, ac redditum eorum exactioni ac fideli administrationi consulere volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ meràque deliberatione nostris, habito etiam super supradictis collegiis et eorum reformatione cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus negotio Propagationis Fidei in universum mundum praepositis maturo consilio, collegia praedicta et eorum quodlibet, necnon eorum ac cuiuslibet ipsorum doctores, magistros, scholares, aliosque ministros et personas quascumque, necnon bona, iurisdictiones, proventus, iura et emolumenta quaecumque, quocumque nomine nuncupata, aliasque res omnes et singulas, tam ecclesiasticas quam profanas, necnon etiam ecclesias seu cap-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

pellas omnino iurisdictioni, gubernationi, protectioni et directioni nunc et pro tempore existentium eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotio Propagationis Fidei praepositis huiusmodi, privative quoad omnes alios quacumque dignitate fungentes, etiamsi specialem requirerent mentionem, qui super collegii personis, rebus et bonis praedictis, vel earum aliquibus, similem gubernationem, protectionem, iurisdictionem et directionem ex quacumque causâ quomodolibet habent, seu habere dici aut praetendi possunt seu poterunt quomodolibet in futurum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo subiicimus et submittimus.

Eidem congregatio facultatem concedit rectorem aliosque ministros deputandi.

§ 3. Eisdemque cardinalibus negocio Propagationis Fidei huiusmodi praepositis nunc et pro tempore existentibus praedicta collegia et eorum quodlibet, prout eis visum fuerit, reformandi, regendi et gubernandi, rectoresque, iudices, cappellanos, oeconomos et alios ministros eorumdem collegiorum et cuiuslibet eorum deputandi et constituendi, eosque et quemlibet eorum ad eorumdem cardinalium merum, liberum et absolutum beneplacitum, etiam absque ullâ causâ amovendi, in collegiis praedictis scholares seu alumnos ex provinciis in fundationibus eorum expressis et nominatis oriundis, qui testimoniales litteras suorum Ordinariorum de vitâ, moribus et idoneitate ad studia deferant, admittendi, eosque, si discoli aut inepti ad studia fuerint, vel aliâs in litteris vel bonis moribus non profecerint, et denique si constitutiones praedictorum collegiorum non observaverint, e collegiis ipsis et eorum quolibet eiiciendi; necnon eorumdem collegiorum et cuiuslibet eorum bona, iura et iurisdictiones et redditus huiusmodi administrandi, ipsosque redditus in alendis scholaribus et ministris, ac in reficiendis et reparandis fabricis eorum collegiorum et eorum cuiuslibet, aut aliâs, prout expedire videbitur, circa manutentionem et conservationem dictorum collegiorum et cuiuslibet eorum insumendi, domaque et iurisdictiones huiusmodi ad tempus a iure permissum locandi et dislocandi, affictus exigendi, eosque insumendi, ut supra, ac de exactis quietandi, aliaque in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, dicendi, exercendi, petendi ac procurandi et exequendi, etiam privative quoad omnes alios, ut supra, eisdem auctoritate et tenore, plenam, liberam et omnimodam, absolutam licentiam et facultatem ac auctoritatem etiam perpetuo concedimus et impertimur.

Alumnosque admittendi, seu renuendi.

Bona administrandi.

§ 4. Eisdem cardinalibus, ut facultatem et auctoritatem eis ut supra concessam et impertitam circa praemissa, vel eorum aliquod, ac in toto, vel in parte, prout eis videbitur, nunc et pro tempore existentibus legatis vel prolegatis Avenionensibus, aut congregationi particulari in civitate Avenionensi erectae seu erigendae communicare libere et licite possint et valeant, auctoritate et tenore huiusmodi, de speciali gratiâ similiter perpetuo indulgemus.

Aliisque ad eadem delegandi.

§ 5. Nec non easdem praesentes, etiam ex eo quod collegia ipsa vel eorum alterum immediate protectioni huius sanctae Sedis Apostolicae forsan subiecta sint seu subiectum sit, et quicumque in praemissis vel circa ea quomodolibet interesse habentes aut habere praetendentes praemissis non consenserint, aut ad ea vocati, et causae, propter quas illa fiant, coram loci Ordinario aut quocumque alio superiore verificatae vel iustificatae non fuerint, aut quovis alio praetextu quantumvis legitimo et iuridico, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut quovis alio defectu notari vel impugnari nunquam

Clausulae pro praesentium litterarum firmitate.

posse, sed eas semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, nec eas[1] sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus aut limitationibus pro tempore quomodolibet, etiam motu simili, ac ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine factis et faciendis, comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties eas revocari, vel limitari, aut suspendi, seu eis derogari contigerit, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas esse et fore, sicque et non aliàs ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos vel vicelegatos, aut Sedis Apostolicae nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, et, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Exequutorum deputatio.

§ 6. Quocirca dilectis filiis causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, ac prolegato Avenionensi, necnon officiali venerabilis fratris nostri archiepiscopi Avenionensis, per apostolica scripta motu pari mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum cardinalium negocio Propagationis Fidei, ut praefertur, praepositorum seu aliorum ab eis deputatorum vel deputandorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque[2] efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter observari, dictosque cardinales, seu ab eis deputatos, seu deputandos, illis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque directe vel indirecte quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac per censuras et poenas ipsas, legitimis super his habendis[1] processibus, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus dictorum collegiorum fundationibus et erectionibus, quatenus in aliquo obstent, quorum[2], ac litterarum super eis confectarum tenores ac datas eisdem praesentibus haberi volumus pro expressis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas quis auctoritate earumdem praesentium ad iudicium non trahatur, necnon nostrâ de iure quaesito non tollendo, et, quatenus opus sit, piae memoriae Pii Papae IV etiam praedecessoris nostri de gratiis interesse camerae apostolicae quomodolibet concernentibus in eâdem camerâ registrandis et insinuandis, alioquin illae non valeant, aliisque apostolicis, aut in provincialibus, synodalibus et universalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon collegiorum praedictorum et eorum cuiuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, collegiis praedictis, et

1 Male edit. Main. legit *eos* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *illique* (R. T.).

1 Subde *servatis* (R. T.).
2 Legendum foret *quarum* (R. T.).

eorum cuilibet, necnon ipsorum et cuiuslibet eorum magistris, doctoribus, scholaribus, aliisque superioribus et personis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, in contrarium forsan per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, et Sedis Apostolicae de latere legatos et vicelegatos, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi aliâs pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat latissime et plenissime ac specialiter et expresse motu pari derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Clausulae poenales. § 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae subiectionis, submissionis, concessionis, impertitionis, indulti, mandati et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXXIX, IV idus iunii, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 10 iunii 1639, pontif. anno XVI.

DCXLVII.

Quod secretarii generales Ordinis Minorum de Observantiâ in ministrum seu commissarium generalem eligi non possint, nisi transacto sexennio ab expleto suo officio[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prospero felicique dilectorum filiorum fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum regimini et gubernio, pro pastorali nostrâ sollicitudine, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, Exordium.

§ 1. Quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, ille seu illi[2] ex fratribus dicti Ordinis, qui pro tempore existentis ministri generalis eiusdem Ordinis secretarius seu secretarii fuerint, in ministrum seu commissarium generalem Ordinis huiusmodi immediate et per sexennium post illum ministrum generalem, cui in officio secretarii inservierint, ac pariter, durante dicto sexennio, si novi ministri generalis immediate quocumque modo officium vacare contingat, in vicarium generalem nullo modo eligi possint et valeant, tenore praesentium statuimus et ordinamus. Mandat prout in rubrica.

§ 2. Sicque inviolabiliter observari, et per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palati apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, irritumque et inane Decretum irritans.

1 De vacantia officiorum Ordinis lege ad constitutionem *Militantis*, Gregor. XV, ac *Theatrum regularium*, verb. *Vacantia*. — Hucusque adnotatio Mainardiana; sed citatio frustranea: potius legerem Constit. *Militantis*, ipsius Urbani VIII, tom. XIII, pag. 663 (R. T.).

1 Vocem *illi* addimus ex edit. Cherub. (R. T.).

si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem Ordini, illiusque superioribus et fratribus, ac secretariis huiusmodi, et quibusvis aliis, in contrarium praemissorum forsan concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII iunii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 12 iunii 1639, pontif. anno XVI.

DCXLVIII.

Confirmat omnia et singula privilegia a Clemente Papa VIII provinciae sancti Ioannis Baptistae Ordinis fratrum Minorum Discalceatorum nuncupatorum regularis Observantiae S. Francisci in Hispania concessa[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Motiva huius Constitutionis.

Cum ea, quae propter iustas et rationabiles causas aliquando stabilita sunt, ipsa rerum et temporum experientia doceat provide oportere moderari et immutari; superioribus vero annis per quasdam nostras in simili formâ Brevis litteras, pro bono regimine provinciae S. Ioannis Baptistae fratrum Minorum Discalceatorum nuncupatorum, regularis Observantiae sancti Francisci in Hispania, quaedam clausulae quarumdam aliarum in eâdem formâ Brevis in favorem eiusdem provinciae a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro emanatarum, incipientium *Ex iniuncto nobis apostolici muneris debito*, sub datum die XIX novembris MDXCIX, declaratae et aliae limitatae fuerint; ex praefatâ vero limitatione, seu moderatione, nonnulla gravia inconvenientia, quae novis litibus et inquietudinibus ianuam aperuerunt, in dies oriri videantur: nobis propterea dilecti filii Michaël Teruel minister provincialis et definitores dictae provinciae fratrum eorumdem per dilectum etiam filium Franciscum Seguer dicti Ordinis professorem, eorum procuratorem, humiliter supplicari fecerunt, ut omnia et singula gratias et privilegia in praedictis Clementis praedecessoris litteris eidem S. Ioannis Baptistae provinciae aliàs concessa confirmare, et opportune sibi, ut infra, providere et indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio, prout in rubricâ

§ 1. Nos igitur, qui personarum quarumlibet, praesertim sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium, quieti et statui, quantum cum Domino possumus, libenter consulimus, omnem super praemissis inconvenientium huiusmodi materiam et occasionem e medio submovere, ipsosque exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore

1 De huiusmodi fratribus Discalceatis lege, quae notavi ad Constit. CCCLIX (*al.* 331), *Regis pacifici*, sup. pag. 127; et ad Const. DXXVII (*al.* 494), *Cum sicut*, ut sup. pag. 498.

censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praefatas Clementis praedecessoris litteras in favorem provinciae praedictae S. Ioannis Baptistae Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Discalceatorum huiusmodi, cum omnibus et singulis in eis contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Quod possint erigere nova loca, cum solâ Ordinarii licentia.

§ 2. Et insuper modernis eidem Michaëli et pro tempore existentibus ministro provinciali, custodi, definitoribus, guardianis, et fratribus dictae provinciae, ut quascumque domos, sive eremitoria, seu loca, si qua[1] sibi a piis christifidelibus in Hispaniae partibus concedantur, recipere, et in illis conventus sui Ordinis erigere et fundare, servatâ tamen aliâs sacrorum canonum et decretorum sacri Concilii Tridentini formâ, de solâ Ordinarii loci licentiâ, ac nullo quarumvis aliarum personarum cuiusvis Ordinis, congregationis, aut instituti regularium desuper requisito consensu, ac in[2] domos sui Ordinis et provinciae praefatae, cum ecclesiâ, sacrario, campanâ seu campanis humilibus, coemeteriis, claustro, refectorio, cellis, hortis, aliisque officinis et aedificiis necessariis, erigere et fabricari facere, ac in illis fratres sui Ordinis Discalceatorum introducere, atque in ipsarum domorum ecclesiis, postquam erectae et fabricatae fuerint, sanctissimum Eucharistiae sacramentum pro infirmis asservare, ac divina officia celebrare, et ecclesiastica sacramenta ministrare, ut in ceteris fratrum Discalceatorum eorumdem domibus fieri solet,

Ac recipere ad habitum et professionem.

§ 3. Ac eiusdem provinciae nunc et pro tempore existentibus ministris provincialibus, seu guardianis, sive alio quovis nomine nuncupatis praelatis, ad quos de iure et iuxta regularia eiusdem Ordinis statuta apostolicâ auctoritate confirmata spectat et pertinet, ut quoscumque praedictum Discalceatorum Ordinem ingredi et profiteri volentes, dummodo in qualibet dictarum domorum erigendarum tam fratres professi quam novitii numerum triginta non excedant, iuxta regularia eiusdem Ordinis instituta ad habitum et professionem recipere et admittere, ac cum aliis religiosis professis incorporare libere et licite valeant, licentiam et facultatem perpetuo concedimus.

Quod moderentur cum suis statutis reformatis.

§ 4. Praeterea, quod provincia praefata illiusque fratres et conventus suis arctioribus constitutionibus et statutis, quae in pleno capitulo provinciali a maiori parte capituli recepta et stabilita fuerint, gubernentur, nec ad observanda statuta generalia a capitulis vel congregationibus generalibus Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum iam facta, vel pro tempore facienda, nec ad specialia eiusdem Ordinis superiorum mandata, quae ministri provinvincialis, custodis et definitorum provinciae iudicio fuerint dictorum fratrum Discalceatorum reformationi aut commodo dissentanea, teneantur;

Quod congregationes convocare possint.

§ 5. Quod ministri seu praelati provinciales, congregationes particulares, quas definitoriales vocant, quando et ubi commodius sibi visum fuerit, libere et licite convocare et celebrare, ac in eis quaslibet electionem guardianorum et aliorum officiorum[1] facere, et quascumque causas, sive civiles sive criminales, et negotia ad eamdem provinciam spectantia, iuxta formam sacrorum canonum et regularium statutorum et suarum constitutionum provincialium, tractare, definire et sententiare

1 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

2 Videtur legendum *ibi* pro *in* (R. T.).

1 Forsan legendum *officialium* (R. T.).

possint; quodque praelati generales eiusdem Ordinis huiusmodi congregationes particulares, definitores, aut earum electiones, seu definitiones, vel decreta et sententias nequaquam impedire, immutare, nec dilatare valeant;

Quod provincia non possit visitari nisi per visitatores Discalceatorum.

§ 6. Quod dicta provincia, eiusque nunc et pro tempore existentes conventus et fratres, nisi per fratres visitatores alicuius provinciae Discalceatorum huiusmodi, a praelatis tamen generalibus deputandos, nullatenus visitari aut syndicari possint; quodque huiusmodi visitatores Discalceati in dictam provinciam ingredi, aut in eâ aliquam iurisdictionem exercere non valeant, nisi tempore statuto circa finem triennii ministri provincialis, nempe post duos annos et septem menses provincialatus cuislibet ministri provincialis eiusdem provinciae transactos, et non antea; tales autem visitatores omnia statuta provincialia eiusdem provinciae observare, et iuxta illorum tenorem et praescriptum provinciam visitare et gubernare debeant et teneantur, nec in eisdem statutis, nisi de consensu maioris partis definitorii, plene dispensare valeant, quamvis hoc idem in litteris patentibus et authenticis a praelatis generalibus, aliisve superioribus, specialiter iisdem indultum et concessum fuerit;

Punitiones fiant post celebrationem capituli.

§ 7. Ut autem omnes ambitionis et iniustitiae occasiones, quae sub simulato ac apparentis correctionis et reformationis zelo obrepere solent, e medio penitus evellantur, postquam praedicti visitatores commissarii suam iurisdictionem et visitationem in provinciâ huiusmodi coeperint exercere, nulli guardiani, nullique vocales, quibus concursus ad capitulum proxime futurum de iure competit, possint ante ipsum celebratum capitulum ob aliquam seu aliquas causas ab officio removeri nec voce activâ aut passivâ privari; si autem in ipsâ visitatione aliquibus delictis et culpis quidam praefatorum reperiantur obnoxii, vel eorum punitio et correctio post omnes electiones capituli factas differatur, vel aliis canonicis et regularibus poenis, praeter privationem officii ac vocis activae et passivae, arbitrio superiorum puniri debeant;

§ 8. Insuper, quod fratres eiusdem provinciae S. Ioannis Baptistae ab ipsâ suâ provinciâ per quoscumque superiores abstrahi nequeant ut ad Indos vel alias partes et provincias remittantur, nisi de consensu capituli provincialis vel definitorii pleni eiusdem provinciae; et quod huiusmodi superiores, quicumque illi sint, non possint fratres praefatos licentiare, ut in domibus secularium seu extra claustra habitent, nisi servatâ ad unguem formâ a Clemente praedecessore praefato praescriptâ in Bullâ seu litteris de reformatione regularium incipientibus *Nullus omnino praetextu cuiuscumque privilegii* [1], sub anno MDXCIII [2], nempe quod tales licentiae nisi ex gravissimâ causâ a Sede Apostolicâ approbandâ nullatenus concedantur, quae vero aliter concessae sint, ipso facto irritae et nullae censeantur, et religiosi talibus licentiis utentes statim ad claustra revocentur;

Quod gaudeant omnibus privilegiis aliarum provinciarum.

§ 9. Quodque possint iidem fratres Discalceati intra septa domus regularis suae libros a bibliothecis de licentiâ praelati abstractos habere, et illis uti, dummodo, postquam illis usi fuerint, eisdem bibliothecis illos restituere procurent; ac demum ministro provinciali, custodi, necnon guardianis, conventibus et fratribus universis dictae provinciae nunc et pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis gratiis, indultis et privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, indulgentiis et litteris aposto-

1 Illas habes in tom. X, pag. 37, et iterum in tom. XIII, pag. 207 (R. T.).

2 Male edit. Main. habet *1599* (R. T.).

licis, tam provinciis S. Iosephi et S. Pauli, quam quibusvis aliis eiusdem Ordinis fratrum Discalceatorum Hispaniarum provinciis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores ac per sanctam Sedem Apostolicam hactenus concessis et imposterum concedendis, aeque ac si ipsimet provinciae S. Ioannis Baptistae nominatim concessa fuissent, frui, potiri et gaudere perpetuo possint et valeant, auctoritate et tenore praefatis, pariter perpetuo concedimus et indulgemus. Volumusque, statuimus et ordinamus respective, et insuper praecipimus ministro et commissario generalibus Ordinis Minorum regularis observantiae, et quibusvis commissariis et visitatoribus ad dictam provinciam S. Ioannis Baptistae destinatis, ceterisque tam praelatis quam subditis, sub excommunicatione latae sententiae ac privatione quorumcumque officiorum et dignitatum eo ipso absque alià declaratione incurrendis, ne in praemissis fratres praefatos Discalceatos provinciae S. Ioannis Baptistae huiusmodi litibus gravari aut quovis modo molestari permittant, quinimo praefata omnia privilegia et indulta illis inviolabiliter observent et observari faciant, ac per suas proprias litteras, quoties pro parte praefatorum fratrum Discalceatorum fuerint requisiti, faveant et assistant.

Deputatio exequutorum.

§ 10. Et nihilominus venerabilibus fratribus Valentino et Granatensi archiepiscopis, necnon Carthaginensi, Guadixensi, Oriolensi, Dertusensi et Illerdensi episcopis, eorumque vicariis generalibus seu provisioribus[1], ac dilecto filio curiae camerae apostolicae generali auditori, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem fratrum Discalceatorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicent, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistant, faciantque auctoritate nostrà eos praemissis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper per praelatos generales et visitatores praefatos quomodolibet molestari; contradictores quoslibet et rebelles, et praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposità, compescendo; necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas praefatas illos incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Decretum ultimum.

§ 11. Decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae defectu, etiam eo quod in praemissis interesse habentes, vel fratres de Observantià praefati, aut quicumque alii, vocati non fuerint, notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, aut quomodolibet in ius vel controversiam revocari posse[1], sed semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri, per quam cavetur expresse ne professores Ordinum Mendicantium loca ad habitandum absque dictae Sedis licentià speciali de prohibitione huiusmodi expressam mentionem facientes recipiant, et de unà, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad

1 Nescio an legendum *provicariis* (R. T.).

1 Verbum *posse* nos addimus (R. T.).

iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac nostris litteris quae incipiunt *In cathedrâ B. Petri apostolorum Principis,* de anno MDCXXVI emanatis [1], ac quibusvis eiusdem Ordinis fratrum Minorum de Observantiâ, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam per fratres Discalceatos huiusmodi acceptatis, praesertim capitulorum seu congregationum generalium quibus cavetur expresse ne fratres Discalceati huiusmodi domum aliquam dicti eorum Ordinis, absque expressâ licentiâ capituli generalis, aut infra quinque leucas a domo eorumdem fratrum Minorum, erigere audeant, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem [2] Ordini fratrum Minorum illiusque superioribus, et quibusvis religiosis particularibus, aliisque personis, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si ministro et [3] commissario generalibus, aut fratribus dicti Ordinis Minorum de Observantiâ, seu quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§ 12. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca, ubi necesse fuerit, deferri, volumus, et dictâ auctoritate decernimus, quod transumptis earumdem praesentium, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Transumptis credi iubet.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV iunii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 15 iunii 1639, pontif. anno XVI.

1 Quas vide tom. XIII, pag. 455 (R. T.).
2 Aptius legerem *eidem* (R. T.).
3 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

DCXLIX.

Erectio alumnatus pro Abyssinis ac Bracmanis in collegio Urbano de Propagandâ Fide [1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Onerosa [2] pastoralis officii cura, nobis meritis licet imparibus divinitus demandata, ad ea potissimum procuranda nos ingiter impellit, per quae exterarum nationum sub infidelibus principibus non corporum servitutem tantum, sed, quod miserrimum est, animarum captivitatem sustinentium [3] iuvenibus, foedissimis ignorantiae tenebris absolutis, ad pietatem et optimos mores, ac disciplinas sacrasque litteras, quibus mundus illuminatur, ca- Prooemium ab ipsa materia sumptum.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Vide supra pag. 580 (R. T.).
3 Male ed. Main. legit *sustinentur* (R. T.).

pessendum, mediantibus novorum alumnatuum in hac nostrâ Urbe ceterarum omnium magistrâ erectionibus, aditus aperiatur, ut hoc medio illis in fidei catholicae huiusque[1] Sanctae Sedis cultu educatis et instructis, ac ad eorum regiones postea reversis, frangendi illic esurientibus panem suum spiritualem, semitamque rectam, per quam ambulent, veritatisque lumen et salutis viam edocendi, religionem catholicam in longinquis partibus et earum efferatis gentibus restituendi et propagandi possibilitas non negetur: unde sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, praesertim nobis sanguine coniunctorum, in id facultates suas, etiam cum non modico eiusdem Urbis decore, liberali manu erogare intendentium votis, non solum apostolici favoris suffragium ultro adhibemus, sed etiam in tam eximiae pietatis operis remunerationem eos eorumque posteros condignâ honoris praerogativâ decoramus, aliâsque desuper disponimus et ordinamus, prout, rerum, personarum et temporum qualitatibus debite consideratis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Refert duodecim alumnatus a cardinali Antonio Barberino aliàs erectos in collegio Urbano, vide supra pag. 580.

§ 1. Aliàs siquidem, seu nuper, nos votis dilecti filii nostri fratris Antonii Barberini tituli tunc S. Honuphrii, nunc vero S. Petri ad Vincula nuncupati, presbyteri cardinalis S. Honuphrii nuncupati, nostri secundum carnem fratris germani, maioris poenitentiarii et bibliothecae apostolicae praefecti, uniusque ex eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus super negotiis de fide catholicâ propagandâ deputatis, annuere volentes, unum alumnatum pro duodecim pro tunc alumnis certis modo et formâ tunc expressis qualificatis, et ex Gregorianorum[2] et Persarum ac Nestorianorum, necnon Iacobitarum et Melchitarum, atque Cophtorum nationibus, duobus videlicet pro qualibet oriundis, in collegio de Propagandâ Fide huius almae Urbis perpetuo ereximus et instituimus; eique sic erecto et instituto, pro illius alumnorum sustentatione, aliorumque onerum supportatione, redditus annuos per dictum fratrem Antonium cardinalem assignatos et tunc expressos etiam perpetuo concessimus et assignavimus, ac ius nominandi alumnos praedictos eidem fratri Antonio cardinali, et certis aliis tunc expressis personis, sub certis modo et formâ etiam tunc expressis, similiter perpetuo reservavimus, concessimus et assignavimus, aliaque decrevimus et statuimus, prout in nostris, sub datum videlicet x kalendas aprilis, pontificatus nostri anno XIV, confectis, plenius continetur[1].

Mentemque eiusdem cardinalis alios tredecim fundandi.

§ 2. Cum autem, sicut nobis nunc innotuit, idem frater Antonius cardinalis, sanctissimum et dictae Romanae Ecclesiae utilissimum eiusdem congregationis opus peramplius promovere desiderans, alium alumnatum aliorum tredecim alumnorum pro Æthiopicâ, sive Abissinâ, et Braemanâ Indiarum orientalium et in earum defectum Armenâ nationibus, quas non minori operariorum ecclesiasticorum quam priores seu[2] nationes supra expressas penuriâ laborare conspexit, etiam fundare, eidemque competentem dotem assignare, necnon ius nominandi sibi et aliis, ut infra, reservare intendat, seu dotem huiusmodi iam forsan assignaverit:

Erixit Urbanus.

§ 3. Nos, tam pium opus, quantum in nobis est, confovere et ad optatum finem perducere sinceris affectibus desiderantes, et eiusdem Antonii cardinalis sanctissimum propositum huiusmodi plurimum in Domino commendantes, nostrarumque litterarum praedictarum tenores, etiam veriores, ac datas praesentibus pro expressis ha-

1 Perperam ed. Main. legit *huiuscumque* (R. T.).
2 Potius lege *Georgianorum* (R. T.).

1 Quas vide supra pag. 580 (R. T.).
2 Particula *seu* videtur superflua (R. T.).

bentes, motu proprio, non ad alicuius desuper nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ meràque deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, in dicto collegio de Propagandâ Fide, ultra alios iam ibi erectos et institutos, etiam unum alium alumnatum aliorum tredecim alumnorum, septem videlicet pro Æthiopicae, seu Abissinae, sex aliorum vero pro Bracmanae Indiarum orientalium nationum huiusmodi alumnis, bonae complexionis, ac mente et corpore sanis, sine ullo corporali defectu, non minoribus quindecim, nec maioribus viginti, seu viginti unius annorum, in latinâ vel italicâ linguâ aliquo modo introductis (ita tamen, ut si aliquando contingat aliquâ vice non posse ex alterâ nationum huiusmodi, pro explendis aliquibus, seu pluribus, vel etiam omnibus eius locis vacantibus, per triennium a die vacationis huiusmodi, alumnos haberi, elapso dicto triennio in locum vacantem seu loca vacantia, qui vel quae[1] per neutrius nationis huiusmodi alumnos impleri nequiverit vel nequiverint, tunc et eo casu alumni nationis Armenae ad illum vel illa assumantur et admittantur; hoc tamen inter alumnos nationis Armenae praefatae praelationis ordine servato, quod videlicet primo illi qui Poloniam et Russiam, et deinde qui Constantinopolim, et postea qui Praecopensam, Tartariam, et successive qui Georgiam, demum vero, qui maiorem et minorem Armeniam et Persiam incolunt seu inhabitant, in alumnos huiusmodi assumantur)

Nulla neque a signa[1],

Ac qualitates recipiendorum.

Et quod eadem sit, si contingat ex descriptis nati inibus alumnos deficere.

Alumnos regulis collegii eiusdem subici.

§ 4. (Qui quidem tam Æthiopicae sive Abissinae et Bracmanae quam Armenae nationum huiusmodi omnes et singuli alumni praedicti sub rectoris disciplinâ et regimine, necnon sub regulis et constitutionibus dicti collegii de Propagandâ Fide eo modo quo ceteri illius alumni, qui de praesenti in ipso collegio educantur, nullâ prorsus inter eos constitutâ differentiâ vivere,

1 Voces *qui vel quae* nos addimus alioquin syntaxis imperfecta manet (R. T.).

§ 5. Et Bracmani videlicet iuramentum a dictâ congregatione alumnis Pontificiis praescriptum, eo modo quo iacet, Æthiopici vero, seu Abissini, et Armeni cum infrascriptâ moderatione, quod Æthiopici sive Abissini scilicet sancti Antonii et sancti Macarii, Armeni vero sancti Antonii tantum religiones respective ingredi et in eis profiteri possint), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo eriginus et instituimus;

Iuramentum ab eis praestari praecipit aliqua adhibita differentia.

§ 6. Illoque[1] sic erecto et instituto pro eius dote et illius alumnorum pro tempore existentium sustentatione, onerumque ei incumbentium supportatione, redditus annuos et perpetuos per eumdem fratrem Antonium cardinalem ad eum effectum, ut praefertur, assignatos seu assignandos, et e manibus ipsius fratris Antonii cardinalis, quoad vixerit, seu ab eo deputati capiendos et exigendos, tot videlicet loca montium non vacabilia de Urbe, ex quibus ad minus octingenta et quadraginta tria annua scuta percipiantur, dictâ auctoritate etiam perpetuo applicamus et appropriamus.

Dotem pro illorum sustentatione.

§ 7. Ac pro tempore existentibus alumnatus sic noviter erecti huiusmodi alumnis, aliisque personis, ut omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, gratiis et indultis universis, quibus alii dicti collegii alumni in eo nunc et pro tempore degentes de iure, usu, consuetudine, privilegio, aut aliàs pro tempore quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere libere et licite poterunt quomodolibet in futurum, similiter et pariformiter, ac sine ullâ prorsus differentiâ

Ceterorum alumnorum privilegiis particeps facit.

1 Forsan legendum *illique* (R. T.).

non solum ad eorum instar, sed etiam aeque principaliter, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite valeant, auctoritate et tenore praemissis, similiter perpetuo de speciali gratiâ indulgemus.

Ius nominandi familiae Barberinae reservat.

§ 8. Praeterea ius nominandi alumnos praedictos ex Æthiopicâ, sive Abissinâ, et Bracmanâ, seu Armenâ, nationibus ut supra oriundos, ac iuxta modum et formam supradictos[1], et non aliàs, sub poenâ nullitatis nominationum huiusmodi eo ipso, ad tredecim pro nunc, et, si aliquando illa tractu temporis augeri contingat, etiam ad alia sic erecta loca alumnatus noviter erecti praedicti, tam hac primâ vice a primaevâ illorum erectione et institutione huiusmodi, quam[2] aliàs pro tempore quovis modo vacatura, in locis huiusmodi, praeviâ tamen diligenti inquisitione per cardinales e praedictâ congregatione de Propagandâ Fide deputandos faciendâ super eorum qualitatibus ut supra requisitis, et, quando illae[3] in eis concurrunt, per eiusdem congregationis cardinales praedictos ad praedictam nominationem, et non aliàs, confirmandos seu instituendos, ac ponendos et collocandos, dicto fratri Antonio cardinali donec vixerit, eo vero defuncto, dilectis filiis nostris Francisco S. Laurentii in Damaso Barberino nuncupato dictae S. R. E. vicecancellario, et Antonio S. Agathae, diaconis respective nuncupatis cardinalibus, eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae camerario, nostris secundum carnem ex fratre germano nepotibus, qui per turnum alternis vicibus nominare debeant, ipsis vero deficientibus, cardinali, si tunc vel quandocumque aderit de familiâ nostrâ Barberina ex lineâ dilecti filii nobilis viri Thaddaei Barberini, nostri etiam secundum carnem ex fratre nepotis, Urbis praefecti ac principis Praenestini, descendenti, et in defectum cardinalis, praelato, et non existente tunc praelato, personae ecclesiasticae de eâdem familiâ descendenti; et, si forte casus evenerit, quod eodem tempore extent plures cardinales de eiusdem Thaddaei praefecti et principis familiâ et descendentiâ, omnibus illis aequaliter, ita tamen ut nominatio ipsius[1] per turnum et alternatim fiat; existentibus vero pluribus praelatis et personis ecclesiasticis, illi soli qui maiorem obtinuerit praelaturam, et, inter aequales, qui aetate maior erit; in defectum vero cardinalium et praelatorum et personarum ecclesiasticarum de lineâ dicti Thaddaei praefecti et principis, tunc ipsi Thaddaeo praefecto et principi, eoque non existente, vel quandocumque deficiente, vocatis et comprehensis in iure succedendi per nos ordinato, ita ut inter omnes sic supranominatos, quoties casus evenerit, assumptioni et reassumptioni iuris nominandi huiusmodi semper locus sit, auctoritate huiusmodi perpetuo quoque reservamus, concedimus et assignamus.

Regimen huiusmodi alumnorum congregationi de Propagandâ Fide tribuit.

§ 9. Praeterea dicto Antonio cardinali quoad vixerit, ac, eo defuncto, praedictae congregationi de Propagandâ Fide, tam per praesentes sic noviter erecti, quam alterius per dictum fratrem Antonium cardinalem ut praefertur fundati, et per nos in aliis nostris litteris supradictis instituti, alumnatuum huiusmodi, cuius ius nominandi etiam semper salvum sit ut praefertur, omnimodam protectionem, regimen, gubernationem et plenam superintendentiam (ita ut tam ipsi Antonio cardinali quoad vixerit, quam post eius obitum dictae congregationi liceat corporalem possessionem locorum montium assignatorum aut assignandorum tam praedicto priori alumnatui quam huic posteriori

1 Vel lege *supradicta* (B. T.).

2 Edit. Mam. legit *quatenus* pro *quam* (B. T.).

3 Perperam edit. Mam. legit *quod illi* pro *quando illae* (B. T.).

1 Videtur legendum *ipsa* vel *ipsorum* nempe *alumnorum* (B. T.).

proprià auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, iura, obventiones et emolumenta quaecumque ex eis provenientia percipere, exigere, levare et in dictorum alumnatuum usus et utilitatem convertere, vicarii Urbis vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ) necnon facultatem amborum alumnatuum huiusmodi locorum vacantium redditus in Monte Pietatis de Urbe deponendi, et in necessitates eorum alumnatuum impendi, vel, iis cessantibus, ad hoc ut numerus alumnorum arbitrio dictae congregationis habendae coram Romano Pontifice pro tempore existente tantum augeri possit, investiri mandandi, ac deputandi in rectorem dictorum alumnatuum per eius patentes rectorem pro tempore dicti collegii, cuius curae immediate subsint eorum alumni, quique praedictae congregationi, seu ab eâ deputando, singulo trimestri rationem dati et expensi reddere debeat, et insuper curandi, ut ministri et servientes alumnatui praedicti collegii de Propagandâ Fide etiam alumnis praedictorum duorum alumnatuum ministrent et inserviant (exceptis duobus praefectis pro alumnis praedictorum duorum alumnatuum ab eodem fratre Antonio cardinale dum vixerit, et, post eius mortem, ab eadem sacrâ congregatione de Propagandâ Fide deputandis, qui praefecti ut supra deputandi, inter ceteras qualitates, habiles sint ad docenda prima rudimenta grammaticae latinae alumnis praedictorum duorum alumnatuum, idque efficere teneantur donec praedicti alumni scholas publicas adire et frequentare valeant) simili auctoritate itidem perpetuo tribuimus et impertimur.

Rectoris munus.

Ac praefectorum.

Clausulae.

§ 10. Decernentes praemissa omnia et singula, ac easdem praesentes, ullo unquam tempore ex quibuscumque causis de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari, aut in ius vel controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci non posse, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, et camerae apostolicae praesidentes clericos, et eiusdem S. R. E. camerarium, et alios cardinales, ac vicecancellarios, necnon causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 11. Quocirca dilectis filiis moderno et pro tempore existentibus Urbis gubernatori, ac causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, necnon nostro in eâdem Urbe eiusque districtu vicario in spiritualibus generali, per apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte interesse habentium fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter observari, et nunc et pro tempore interesse habentes praedictos illis pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac censuras et poenas ipsas servatâ formâ Concilii Tridentini et iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis.

Exequutorum deputatio.

Derogatio contrariorum.

§ 12. Non obstantibus aliis nostris litteris praedictis, si in aliquâ[1] huic nostrae gratiae conformes non sint, aut contrarientur, necnon nostrâ de gratiis ad instar non concedendis, et quibusvis apostolicis constitutionibus et ordinationibus, ac collegii et Urbis praedictorum statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis[2], privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, praedictae congregationi, et quibusvis universitatibus, collegiis, eorumque superioribus, deputatis, rectoribus, alumnis et aliis personis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, aut aliâs quomodolibet in contrarium concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis tradita observatâ, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse motu huiusmodi derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides danda transumptis.

§ 13. Volumus autem, quod praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo dictae congregationis aut alicuius curiae ecclesiasticae seu personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, ubicumque opus fuerit, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Clausulae poenales.

§ 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, indulti, reservationis, concessionis, assignationis, tributionis, impertitionis, decreti, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXXIX, XI kalendas iulii, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 21 iunii 1639, pontif. anno XVI.

DCL.

Abrogat omnia et singula privilegia personalia per religiosos Congregationis Clericorum regularium Minorum nuncupatorum obtenta, quae eorumdem constitutionibus adversantur.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium

Romanus Pontifex, aequi bonique supernus[1] assertor, gregi dominico a Deo et Salvatore nostro praepositus, ut iuxta verbum propheticum noxia evellat et de-

1 Legerem *in aliquo* (R. T.).

2 Vox *statutis* iam praecessit (R. T.).

1 Videretur legendum, ut alibi, *supremus* (R. T.).

struat, utiliaque plantet et aedificet, ea quae rationabilibus ex causis etiam a Sede Apostolicâ concessa sunt, ipsa subinde, rerum experientiâ suadente et maioribus ex causis, quibus praesertim felici christifidelium sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium statui et salubri gubernio consulitur, revocat, in hisque suae sollicitudinis studium interponit, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut dilecti filii capitulum generale Congregationis Clericorum regularium Minorum nuncupatorum nobis nuper exponi fecerunt, aliàs diversi dictae Congregationis clerici a Sede Apostolicâ, et a nonnullis qui pro tempore fuerunt S. R. E. cardinalibus eiusdem Congregationis apud nos et eamdem Sedem protectoribus, frequentius vero a nunciis apostolicis, varia privilegia, concessiones et indulta, dispensationes a regulis, necnon exemptiones a[1] constitutionibus et aliis dictae Congregationis ordinationibus etiam apostolicâ auctoritate confirmatis, minime conformia, imo contraria, obtinuerint (nempe ut redditus administrare, eleemosynas certis usibus applicare, suffragium sive votum perpetuum in capitulis habere, ab aliquâ domo non removeri, socium certum habere, et alia hisce similia facere possint), experientiâ vero compertum sit praemissa omnia observantiae regulari non leviter officere: nobis propterea iidem dilecti filii capitulum generale communi omnium illius vocalium nomine humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune[2], ut infra, providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Annullat privilegia prout in rubrica.

§ 2. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praefata omnia privilegia, concessiones et indulta, ac dispensationes et exemptiones huiusmodi, et quaevis alia hîc non expressa, aliàs, ut praefertur, ab ipsius Congregationis clericis obtenta quomodolibet, quae quoquo modo eiusdem constitutionibus et ordinationibus adversantur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu vacuamus.

§ 3. Et insuper, ne de cetero perpetuis futuris temporibus similia privilegia, concessiones et indulta, aliaque supra expressa, cuiquam ullatenus concedantur, nec a quoquam absque capituli generalis dictae Congregationis licentiâ impetrentur, statuimus et ordinamus: et nihilominus omnia et singula, aliàs quam ut praefertur concessa et quomodolibet impetrata, nulla et subreptitia fore et censeri, nec cuiquam ullatenus suffragari;

Decretum irritans.

§ 4. Ac praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congre-

1 Praep. *a* videretur delenda (R. T.).

2 Verba *ut in praemissis opportune* nos addimus ex edit. Cherub. (R. T.).

gationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis ipsius Congregationis superioribus et personis, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibuscumque derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis;

§ 6. Quibus omnibus et singulis, etiamsi illorum pro sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indultis huiusmodi mentionem.

Transumptis credi iubet.

§ 7. Volumus autem, quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo dictae Congregationis seu alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus in iudicio et extra adhibeatur fides, quae praesentibus[1] adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII iunii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 22 iunii 1639, pontif. anno XVI.

1 Vocem *praesentibus* nos addimus (R. T.).

DCLI.

Declarat, quod in monasteriis S. Basilii del Tardon et S. Antonii de Gualliguillos choristae et sacerdotes quartam, laici vero alias tres partes constituant[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

In his pastorali officii nostri partes libenter interponimus, per quae personarum regularium, quae, spretis mundi vanitatibus, totas se Deo devoverunt, statui et quieti opportune consuli iudicamus.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster, certior factus, quod, ex duorum eremorum[2], videlicet eremi del Tardon Cordubensis, et vallis de Gualliguillos Hispalensis dioecesis, in monasteria Ordinis sancti Basilii Magni per piae memoriae Gregorium Papam XIII etiam praedecessorem nostrum erectorum, cum alio monasterio S. Mariae de Oviedo Ginnensis, a similis recolendae memoriae Pio Papa IV etiam praedecessore nostro prius erecto, in unam provinciam S. Basilii Hispaniarum nuncupandam, necnon aliis monasteriis in Hispaniarum regnis imposterum construendis, unione a praedicto Gregorio praedecessore factâ, multae contentiones inter dictae provinciae monachos super modo vivendi exortae fuerant; ut contentionibus huiusmodi finem imponeret, dicta duo monasteria S. Basilii eremi del Tardon ac etiam S. Antonii de Gualliguillos in monasteria reformationis et veraeeiusdem sancti Basilii regulae observantiae deputavit, constituit et separavit, ad quae se reciperent omnes, quotquot in dictâ provinciâ monachi zelo Dei et Spiritu Sancto ducti tanti patriarchae praecepta et instituta desiderarent observare, quae iuxta

1 Vide supra pag. 116 huius tomi (R. T.).

2 Edit. Main. legit *cremitorum* (R. T.).

nonnullas constitutiones pro dictâ reformatione a se tunc editas iussit in omnibus et per omnia praticari, et aliàs, prout in eiusdem Clementis praedecessoris litteris in simili formâ Brevis hac super re emanatis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur [1].

Praefinit numerum choristarum.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, licet idem Clemens praedecessor maiorem et principaliorem partem monachorum huiusmodi ex laicis esse voluerit, et sufficientes choristas et sacerdotes ad chori et divinorum officiorum ministeria haberi permiserit; quia tamen certum eorumdem choristarum et sacerdotum numerum non praefinivit, nonnullae inter laicos ex unâ et choristas ac sacerdotes huiusmodi ex alterâ partibus eapropter controversiae exortae fuerint:

§ 3. Nos, ut, semotis quibusvis perturbationibus et dissensionibus, monachi praedicti iuxta laudabile eorum institutum et ad praescriptum litterarum eiusdem Clementis praedecessoris in pacis amoenitate et tranquillitate vivant et felicioribus in dies in viâ Domini proficiant incrementis, quantum cum Domino possumus providere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, quod de cetero perpetuis futuris temporibus in praedictis S. Basilii del Tardon et S. Antonii de Gualliguillos monasteriis inter choristas et sacerdotes non possint esse nisi unus ex quibuslibet quatuor, ita ut quarta pars monachorum cuiuslibet ex dictis duobus monasteriis sit ex choristis et sacerdotibus, et reliquae tres partes sint laici; ac, donec choristae et sacerdotes qui ad praesens sunt in eisdem monasteriis ad numerum praedictum redacti fuerint, alii in choristas et sacerdotes huiusmodi recipi non possint, sub poenâ nullitatis receptionis huiusmodi et inde sequendorum quorumcumque, tenore praesentium statuimus et ordinamus; nihilominus, praedictas Clementis praedecessoris litteras innovantes, illas prout disponunt, etiam quoad capitulum VII prohibens studium philosophiae et theologiae et alia in eo expressa, sub excommunicationis ac privationis vocis activae et passivae poenis omnino observari praecipimus et mandamus.

Decretum irritans.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis Apostolicae nuncios, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contrarius derogat.

§ 3. Non obstantibus, in his quae praesentibus adversantur, praedictis Clementis praedecessoris litteris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et monasteriorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordini [1] ac monasteriis, illorumque superioribus, monachis et personis, ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, et aliis efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis spe-

1 Quas vide in tom. XI, pag. 39 (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *Ordinis* (R. T.).

cialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x iulii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 10 iulii 1639, pontif. anno XVI.

DCLII.

Indulgentia plenaria perpetua pro confratribus et consororibus confraternitatis sub invocatione Conceptionis Beatae Mariae Virginis loci de Chaul Goënsis dioecesis in Indiis Orientalibus[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Motiva

Cum, sicut accepimus, in ecclesiâ sanctae Barbarae domus fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ loci de Chaul Goënsis dioecesis in Indiis Orientalibus una pia et devota utriusque sexus christifidelium confraternitas sub invocatione Conceptionis B. Mariae Virginis, non tamen pro hominibus unius specialis artis, canonice erecta seu erigenda existat, cuius confratres et consorores quamplurima pietatis et charitatis opera exercere consueverunt:

Indulgentia plenaria in ingressu.

§ 1. Nos, ut confraternitas praedicta maiora in dies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui dictam confraternitatem imposterum ingredientur, postquam erit canonice instituta, die primâ eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi SS. Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam; necnon tam descriptis quam pro tempore describendis in dictâ confraternitate confratribus et consoribus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi, ac sacrâ communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam plenariam;

In articulo mortis.

§ 2. Ac eisdem nunc et pro tempore existentibus et confratribus et consororibus, vere quoque poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui praedictae confraternitatis ecclesiam vel cappellam seu oratorium die festo principali ipsius confraternitatis a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

In festo principali.

§ 3. Insuper eisdem vere etiam poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, ecclesiam vel cappellam seu oratorium huiusmodi in Nativitatis, Purificationis, Annunciationis et Assumptionis beatae Mariae Virginis festis diebus, ut praefertur, visitantibus et orantibus, quo die praedictorum id egerint, septem annos et totidem quadragenas; quoties vero missis ac aliis divinis officiis in dictis ecclesiâ vel cappellâ seu oratorio pro tempore celebrandis et recitandis, aut congregationibus publicis vel privatis ipsius confraternitatis ubivis

Item septem annorum et totidem quadragenarum.

Sexaginta dierum in praenarratis operibus pis.

[1] De modo aggregandi confraternitates lege Const. CCCLXII (*al.* 350) Clementis VIII, *Quaecumque*, tom. XI, pag. 138.

faciendis, interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, aut componi fecerint, vel procuraverint, ac etiam qui corpora defunctorum, tam confratrum et consororum huiusmodi, quam aliorum, ad sepulturam ecclesiasticam associaverint, aut quascumque processiones de licentiâ Ordinarii faciendas, sanctissimumque Eucharistiae sacramentum, tam in processionibus, quam cum ad infirmos aut aliàs ubicumque et quomodocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut, si impediti, campanae ad id signo dato, semel orationem dominicam et salutationem angelicam dixerint, aut etiam quinquies orationem et salutationem easdem pro animabus defunctorum confratrum et consororum praedictorum recitaverint, aut demum aliquem ad viam salutis reduxerint, et ignorantes praecepta Dei et ea quae ad salutem sunt docuerint, aut quodcumque pietatis vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum operum sexaginta dies de iniunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis, poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus.

§ 4. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut si aliàs dictis confratribus et consororibus praemissa peragentibus aliquam aliam indulgentiam perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, praesentes nullae sint, quodque si dicta confraternitas alicui archiconfraternitati aggregata iam sit, vel imposterum aggregetur, vel quavis aliâ ratione uniatur, seu etiam quomodolibet instituatur, priores et quaevis aliae litterae apostolicae illis[1] nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nullae sint.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx iulii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 20 iulii 1639, pontif. anno XVI.

1 Videretur potius legendum *illi* (R. T.).

DCLIII.

Abrogatio omnium privilegiorum personalium fratribus Ordinis Minorum concessorum.

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter ceteras apostolicae servitutis curas, quibus circa universalis Ecclesiae regimen humilitati nostrae a Domino commissum assidue premimur, ea nos non parum sollicitos habet, ut personae regulares divini numinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatae, iuxta regularia earum instituta salubriter regantur, et propterea, si qua[1] felici earum statui obesse, aut in aliquod observantiae regularis earum et disciplinae detrimentum vergere cognoscimus, ea, quantum nobis ex alto conceditur, removemus et prohibemus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, in Ordine fratrum Minorum sancti Francisci introductus fuerit abusus, ut passim a superioribus patres privilegiati efficiantur, ex quo magnum relaxationi ostium aperitur, et gravissimum paupertati et humilitati, quas dictus Ordo profitetur, nocumentum infertur, et propterea unanimi vocalium in generali dicti Ordinis capitulo nuper celebrato congregatorum voto abusum huiusmodi auctoritate nostrâ tolli desideratum fuerit:

Revocat privilegia huiusmodi fratribus concessa.

§ 2. Nos, qui regularem disciplinam ubique vigere, et omnem illius relaxationi viam praecludi summopere cupimus, de opportuno in praemissis remedio, quan-

1 Edit. Main. legit *quae* (T. R.).

tum cum Domino possumus, providere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et quaecumque privilegia personalia quomodocumque nuncupata, quibusvis dicti Ordinis fratribus, cuiuscumque dignitatis, qualitatis et conditionis existant (charissimorum in Christo filiorum nostrorum regis Romanorum in imperatorem electi ac aliorum regum praedicatoribus et confessariis dumtaxat exceptis), quocumque titulo, praetextu, causâ et occasione, et ad cuiusvis instantiam et supplicationem, tam a nobis et Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, quam etiam a dilecto filio nostro Francisco sancti Laurentii in Damaso diacono cardinali Barberino nuncupato, nostro secundum carnem ex fratre germano nepote, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectore, aliisque eiusdem Ordinis protectoribus, ac quibuslibet Ordinis huiusmodi superioribus hactenus quoquo modo contra et praeter regularia Ordinis praedicti instituta et apostolicas constitutiones concessa, harum serie perpetuo revocamus, annullamus, cassamus, abrogamus et abolemus; illaque perpetuo revocata, annullata, cassata, abrogata et abolita, iuribusque[1] et effectu vacua esse et fore, neminique ullatenus suffragari, neque de cetero a quoquam concedi posse,

Et ita, et non aliter iudicari decevit.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Exequutores deputat et contrafacientibus poenas imponit.

§ 4. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub poenâ excommunicationis, privationisque suorum officiorum, vocisque activae et passivae poenis eo ipso incurrendis, dilectis filiis ministro ac vicario seu commissario generalibus, et ministris provincialibus, aliisque dicti Ordinis superioribus, ut, quamprimum[1] praesentes nostrae litterae ad eorum notitiam pervenerint, omnes et singulos patres et fratres Ordinis huiusmodi, similia privilegia habentes, illis eo ipso privatos et spoliatos esse declarent, nec quemquam illis uti sinant vel permittant, inobedientes quomodolibet et rebelles opportunis iuris et facti remediis, iuxta regularia eiusdem Ordinis statuta apostolicâ auctoritate confirmata, omni et quacumque appellatione, reclamatione et recursu remotis, compescendo.

Contrarius derogat.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis litteris apostolicis super concessione seu confirmatione concessionis privilegiorum huiusmodi emanatis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibus et aliis decretis, etiam motu et scientiâ ac potestatis plenitudine similibus, in genere vel in specie, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis haben-

1 Forsan legendum *viribusque* (R. T.).

1 Forsan legendum *quum primum* (R. T.).

tes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii subscriptis, et sigillo personae alicuius in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII[1] iulii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 23 (16) iulii 1639, pontif. anno XVI.

DCLIV.

Restitutio patrum provinciae, et revocatio seu moderatio Motusproprii Gregorii XV pro totâ familiâ ultramontanâ Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Onerosa pastoralis officii cura, nobis ex alto, meritis licet imparibus, commissa, crebro nos admonet ac inducit, ut, ad statum christifidelium quorumlibet, praesertim regularem vitam profitentium, salubriter dirigendum operosis studiis intendentes, ea, quae pro felici eorum gubernio prosperâque directione provide statuta et ordinata esse comperimus, apostolicae confirmationis robore communiamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Nuper siquidem ad aures nostras pervenit, quod, deficientibus in definitoriis omnium provinciarum ultramontanae familiae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci, qui ministro generali eiusdem Ordinis subiiciuntur, iis qui provinciae patres nuncupantur et inibi praestantiores iudices electoresque habentur, magna totus Ordo praedictus sustinet incommoda, et subditorum regimen et officiorum provisio difficiliora in dies efficiuntur: ideoque communi vocalium in generali dicti Ordinis capitulo nuperrime celebrato congregatorum assensu decretum fuit nobis supplicandum esse, ut omnes patres provinciarum, quos felicis recordationis Gregorius XV praedecessor noster per suas in simili formâ Brevis litteras abstulit et abolevit, nos de benignitate apostolicâ restituere dignaremur. Verumtamen, re in definitorio generali eiusdem Ordinis maturius deliberatâ, de consensu dilecti filii nostri Francisci S. Laurentii in Damaso diaconi cardinalis Barberini nuncupati, sanctae Romanae Ecclesiae vice cancellarii, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, ac Ordinis praedicti apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, statutum fuit, ut duo tantum patres provinciae in praedicto singularum provinciarum ultramontanae familiae huiusmodi definitorio introducantur, unus scilicet, qui in provinciâ reliquis dignior sit, ille nimirum qui inter patres provinciae primum locum sibi vendicat, qui quidem semper in definitorio assistat, alter vero, qui immediate ministri provincialis officium absolverit, ut sequenti etiam[1] immediate triennio dumtaxat eam obtineat dignitatem et in definitorio assistat; eâ lege tamen, ut, si iste ex qualibet causâ deficiat, in eius locum subrogatus eo ipso sit qui ante ipsum minister provincialis immediate extiterit, triennio autem huiusmodi transacto, alius, qui ministri provincialis officio etiam immediate functus fuerit, subsequatur, et sic deinceps de triennio in triennium dumtaxat servetur, ita quod nunquam hi duo patres in dictarum pro-

1 Edit. Cherub. ponit dat. *16 iulii* (R. T.).

1 Haec verba *immediate ministri provincialis officium absolverit, ut sequenti etiam*, oscitanter omissa in edit. Mainardiana, nos addimus ex edit. Cherub. (R. T.).

vinciarum definitoriis desiderentur; quod si contingat, ut, qui erit dignior et perpetuus in definitorio huiusmodi vigore praesentium litterarum assistens, alio titulo de eodem definitorio existat, sibique ius in illud ingrediendi competat, tunc in eius locum ipso facto subrogatus sit ille pater provinciae, qui eidem dignitate proximus fuerit.

Institutis duos pro definitoriis in provinciis ultramontanis.

§ 2. Quare nos, attendentes eâ ratione et multitudinem patrum provinciae auferri, ac de iis, qui pro felici provinciarum huiusmodi directione et gubernio necessarii sunt, sufficienter provideri, ac praedictarum Gregorii praedecessoris huiusmodi litterarum tenores et datas[1] praesentibus pro expressis et insertis habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, institutionem seu restitutionem praedictorum duorum patrum provinciae pro definitoriis provinciarum praedictarum, in dicto definitorio generali ut praefertur factam, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Praemissa observari mandat.

§ 3. Decernentes illa et praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter observari,

Aliter iudicari non posse decernit.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputat. et poenas contrafacientibus addit.

§ 5. Quocirca dilectis filiis ministro et vicario seu commissario generalibus dicti Ordinis in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut praesentes litteras et in eis contenta quaecumque a sibi subditis omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit quomodolibet, sub excommunicationis privationisque suorum officiorum et vocis activae et passivae poenis eo ipso incurrendis, debitae exequutioni demandari ac inviolabiliter observari curent et faciant.

Derogat contrariis.

§ 6. Non obstantibus, quoad praemissa dumtaxat, praefati Gregorii praedecessoris litteris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et Ordinis et provinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordini et provinciis, illorumque superioribus, fratribus et personis quibusvis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum, etiam motu, scientiâ et deliberatione similibus, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio facienda esset aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 7. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ consti-

1 Male tum edit. Main. tum edit. Cherub. habent *tenoribus et datis* (B. T.).

tutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII iulii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 23 iulii 1639, pontif. anno XVI.

DCLV.

Declaratio, quod quaecumque paetiones particularium personarum super montibus vel locis montium quorumcumque, factae absque Sanctae Sedis vel protectorum aut officialium ad id et ad conficiendum litteras patentes deputatorum licentiâ, non attendantur, nec afficiant montes et loca huiusmodi.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Decet nos ex pastoralis officii nostri debito providere, ne privatorum pactionibus utilitati publicae quoquomodo officiatur.

Causae hujus Constitutionis. § 1. Quapropter, cum, ut accepimus, in camerâ apostolicâ et forsan aliis Urbis nostrae tribunalibus fuerit praetensum ac inter partes diversas controversum super articulo an pacta et obligationes particularium personarum afficiant loca montium, sive vacabilia, sive non vacabilia:

Declarat non esse intendas obligationes privatorum super locis montium. § 2. Nos, ad tollendam omnem praetensam ambiguitatem, et litium, quantum cum Domino possumus, occasionem, motu proprio, et ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque attributae nobis potestatis plenitudine, quaslibet dispositiones et pactiones inter particulares personas, tam quoad hypothecas et obligationes, quam quaecumque alia onera seu vincula realia, vel in rem scripta, aut rei persecutoria, super montibus vel eorum locis cuiuscumque generis tam vacabilibus quam non vacabilibus, sive sint camerales sive communitatum vel baronum aut aliorum quorumcumque etiam ducum et principum, factas absque nostrâ vel protectorum aut officialium ad id et ad conficiendum litteras patentes deputatorum licentiâ in eisdem litteris patentibus exprimendâ, non esse attendendas, ac dispositiones, pactiones et obligationes privatorum huiusmodi afficere dumtaxat personas, ac quoad ipsas sustineri ad effectum, ut, quando promissa et conventa servare nollent vel non possent, ad damna et interesse teneantur, non autem ut ius vel onus aliquod reale adiectum seu impositum ipsis locis montium censeatur, neque illis vinculis, obligationibus, pactionibus et oneribus ullatenus loca montium praedicta sint obnoxia (ad instar Romanae curiae officiorum, in quibus similium pactionum nulla ratio habetur, sed solum nostri et pro tempore existentis Romani Pontificis decreti) tenore praesentium declaramus, et ita imposterum, etiam quoad praeterita non decisa per rem iudicatam, servari, interpretari et definiri debere volumus et mandamus.

Clausulae praeservativae. § 3. Decernentes praesentes litteras, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, illis minime consenserint, et ad ea vocati, citati vel auditi, ac causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, adductae vel iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut quocumque alio defectu notari, impugnari, redargui, in ius vel controversiam revocari, aut aliter quomodolibet infringi vel limitari, et adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, vel sic impetrato, ac etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concesso, quempiam uti, vel se iuvare in iudicio vel extra non[1] posse, sed semper validas, firmas et

1 Particulam *non* (vel *nullatenus*) certo addendam censuimus (R. T.).

efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere,

Clausula abolitiva.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam palatii apostolici et curiae camerae apostolicae generales auditores, ipsiusque camerae praesidentes clericos, ac S. R. E. camerarium, et alios cardinales, etiam de latere legatos, nunc et pro tempore existentes, ac quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans super aliis.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, nostrâ de iure quaesito non tollendo, ac aliis cancellariae apostolicae regulis, et almae Urbis nostrae ac camerae praedictae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem camerae, illiusque officialibus et ministris, ac montistis montium praedictorum, et generaliter quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, in genere vel in specie, ac aliâs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio ad hoc servanda foret, illorum omnium ac quarumcumque litium et eorum statum aliorumque hic exprimendorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII iulii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 28 iulii 1639, pontif. anno XVI.

Anno a Nativitate D. N. Iesu Christi MDCXXXIX, *die vero* XIII *mensis augusti, supradictae litterae affixae et publicatae fuerunt in valvis basilicae S. Petri de Urbe, ac cancellariae apostolicae, et aliis locis solitis et consuetis Urbis per nos Fulvium Marzitellium et Carolum Pelosium SS. D. N. Papae cursores.*

Pro D. mag. curs.
ANTONIUS BARDUS, deput.

DCLVI.

Contra superiores Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ et Reformatorum, qui, favores extra suum Ordinem attendentes, officia, dignitates et gratias concedunt; et contra eosdem fratres dictos favores conquirentes, etc. [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Admonemur pastoralis officii nostri debito diligentius prospicere, ne religiosis, qui regularem vitam professi seculo renunciarunt, ad dignitates et officia per emendicata suffragia ambitiosus pateat accessus.

Prohibitio, prout in rubrica.

§ 1. Quocirca, motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, ac de apostolicae pote-

1 Plures Summi Pontifices regularibus prohibuerunt dignitatum ambitum, ut copiose habes in allatis iam Constitutionibus.

statis plenitudine, dilectis filiis ministro generali, commissario generali, ac provincialibus et reliquis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ et Reformatorum nuncupatorum praelatis, nunc et pro tempore existentibus, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis poenâ ipso facto incurrendâ, praecipimus et mandamus, ne ad instantiam et requisitionem quarumcumque personarum tam laicarum quam ecclesiasticarum extra dictum Ordinem constitutarum, etiam cardinalatus honore et quacumque seculari dignitate et excellentiâ etiam ducali, regali, imperiali fulgentium, cuivis praedicti Ordinis religioso ullam gratiam concedere vel poenas aliquas remittere, seu gradus, honores, dignitates, officia et administrationes, functiones et praelaturas eiusdem Ordinis concedere audeant, quinimo dicti Ordinis fratres religiosos, qui contra decreta hac viâ et his mediis per conquisitos favores et suffragia aliquid sibi procuraverint, ad talia et similia ac etiam maiora in eodem Ordine consequenda perpetuo inhabiles declaramus.

§ 2. Insuper dictis religiosis et fratribus eiusdem Ordinis quibuscumque sub eisdem poenis praecipimus et expresse interdicimus, ut non solum in praemissis omnibus favores huiusmodi minime procurare, sed nec etiam sponte oblatos aut ab eis minime procuratos recipere, et similiter nec ad hunc effectum munera aliqua praedictis personis exhibere audeant seu praesumant.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique Ordinis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si eidem Ordini et fratribus praedictis communiter vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis credi mandat.

§ 4. Volumus autem, quod praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX iulii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 29 iulii 1639, pontif. anno XVI

DCLVII.

Quod consilium status hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, sede magistrali vacante, possit quidem uti suâ ordinariâ auctoritate in providendo rebus dicti hospitalis et insulae Melitanae, non tamen adimere seu diminuere privilegia, redditus et iura magno magistro competentia[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Causae decreti.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius Ioannes Paulus Lascaris Castellar, magnus magister hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, nobis nuper exponi fecit, in concilio status dicti hospitalis, vacante illius sede magistrali haberi solito, maior pars fratrum militum, qui ad dignitatem magni magistri aspirare non possunt, illius auctoritatem et redditus imminuere studeant, quod, prout experientia docuit, nunquam eidem hospitali profuit:

Et magni magistri instantia.

§ 2. Nobis propterea, dictus Ioannes Paulus magnus magister humiliter suppli-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

cari fecit, ut in praemissis opportune, ut infra, providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Decretum, de quo in rubrica.

§ 3. Nos igitur, eumdem Ioannem Paulum magnum magistrum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, consilium status praedictum, sede magistrali vacante, posse quidem ordinariâ suâ auctoritate in providendo rebus ipsius hospitalis insulaeque Melitanae[1] uti, non autem adimere seu diminuere ullatenus praeeminentias, privilegia, auctoritates, praerogativas, redditus et iura magisterii et magni magistri huiusmodi, sed illa omnia prout sunt et erunt, iuxta statutorum seu stabilimentorum ac ordinationum capitularium eiusdem hospitalis, apostolicâ auctoritate confirmatorum, dispositionem, et possessionem ipsi magno magistro quaesitam, remanere debere, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus, volumus et ordinamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque, et non aliter, in omnibus et singulis praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac pro tempore existentes magnum magistrum et consilium aliosque iudices et tribunalia dicti hospitalis, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti hospitalis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II augusti MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

1 Ed. Main. legit *Melevitanae* (R. T.).

Dat. die 2 augusti 1639, pontif. anno XVI.

INDEX

NOMINUM ET RERUM PRÆCIPUARUM.

NUMERUS PAGINAM INDICAT; *a* PRIMAM COLUMNAM; *b* SECUNDAM DESIGNAT.

A

Adolphus comes ab Althan unus ex institutoribus Militiae Christianae, 373 *a*.

Agapitus de Magistris quondam officium dohanerii in Urbe obtinuit in perpetuum pro se et suis haeredibus, 302 *b*.

Albertus (S.) Patriarcha Hierosolymitanus coenobitas in Monte Carmelo colligit, regulamque tradit, qui postea Carmelitae sunt appellati, 717 *a*.

Alexander cardinalis Montaltus episcopus Albanensis, 85, *a*; ei commissa reformatio monasterii sancti Salvatoris Maioris, 85 *b* et *seq*.

Alonsus de SS. Sacramento, procurator generalis fratrum Discalceatorum recollectorum Ordinis S. Mariae de Mercede Redemptionis captivorum, 66 *b*.

Aloysius dux de Espernon nonnulla attentat contra archiepiscopum Burdegalensem, 377 *a*; ideoque in censuras incidisse declaratur *ibid.*; appellat ad Sanctam Sedem, et petit absolvi, *ibid.* Absolvitur ad tempus, cum reincidentia, 377 *b*.

Alumnatus duodecim in collegio Urbano instituti pro Georgianis, Persis, Nestorianis, Iacobitis, Melchitis et Cophtis, 582 *b* et *seq.*; alii tredecim pro Ætyopibus seu Abissinis et Bracmanis, seu Armenis, 735 *b*.

Ambrosianum collegium Mediolanense quibus gaudeat privilegiis, 605 *a*.

Ambrosius de Polla Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ commissarius Terrae Sanctae, 370 *b*.

Angelicus Rampulla congregationis S. Ioannis de Deo procurator generalis, 660 *a*.

Angeli (S.) in Vado oppidum in civitatem erigitur, 515 *a*; eidem unitur terra Lamolae quoad iurisdictionem ecclesiasticam, 502 *b*; Ecclesiastici si qua bona in emphyteusim concessere, finita empiteutae linea, proximioribus defuncti tenentur concedere, 690 *b*.

Angelus Picus utriusque signaturae referendarius, 495 *a*.

Angliae et Scotiae regna nobilissima, 136 *b*; ipsorum protector cardinalis Franciscus Barberinus, *ibid.*; catholicam religionem in eisdem regnis restituendam summopere cupit Urbanus VIII, *ibid.*

Anna Columna Thaddaei Barberini uxor, 614 *b*.

Annunciationis B. M. V. Neapoli domus et hospitale, 346 *b*; decreta pro gubernatoribus illius, 347 *a* et *b*.

Antonii (S.) de S. Antonio Viennensi Ordo, 393 *a*; pro infirmis igne sacro tactis curandis institutus, 418 *b*; abbati generali Ordinis data facultas constitutiones edendi, 393 *a*; tenor ipsarum constitutionum, 393 *b* et *seq.*; quae a Pontifice confirmantur, 422 *b*.

Antonii (S.) igne sacro infirmi, 403 *a*, 418 *b*; hospitalia et cura ipsorum, 419 *a* et *seq.*

Antonius presbyter card. Barberinus tituli S. Honuphrii, ipsiusmet summi Pontificis Urbani VIII frater germanus 8 *a*; deputatur in praesidem visitationis ecclesiarum et locorum piorum de Urbe, 8 *b*; domum pro fratribus Ordinis Cappuccinorum Romae erigit, 221 *b*; alios quoque tredecim alumnatus erigit Æthiopibus, ac Bracmanis, 735 *b*.

Antonius tituli S. Mariae in Aquiro diaconus cardinalis Barberinus, ipsiusmet Urbani VIII ex fratre germano nepos, in toto Statu Ecclesiastico ac in universa Italia et etiam extra eam ad quoscumque principes Sedis Apostolicae de latere legatus, et in Statu praedicto Urbani VIII et Romanae Ecclesiae vicarius generalis, 227 *a*; concessa ei facultas modum officiorum, magistratuumque ducatus Urbini mutandi, 227 *b*; et comites ac equites creandi, 228 *a*.

Antonius card. Saulius episcopus Ostiensis fratrum eremitarum S. Augustini congregationis Lombardiae protector, 344 *a*.

Antonius Fernandez de Toledo dux de Alva, Neapolis prorex, 59 *b*.

Antonius Mascaregnas commissarius generalis gratiarum cruciatae in regno Portugalliae, 19 *b*; abusive concedit licentiam celebrandi et audiendi missam in oratoriis privatis, *ibid.*; controversiam habet cum collectore generali iurium et spoliorum camerae apostolicae in illo regno 20 *a*; coërcetur, 21 *a*; iterum, 425 *b*.

Antonius Torniellus utriusque signaturae referendarius, 179 *a*.

Appellationes a tribunalibus suffraganeorum et Ordinariorum ad metropolitas quomodo regulandae et admittendae, 228 *b* et *seq.*

Aquileiensis patriarchatus quaedam loca sibi in spiritualibus subiecta habet quae subsunt Ferdinando Romanorum regi in imperatorem electo, quaedam quae in dominio Reipublicae Venetiarum comprehenduntur, 463 *a*; pars, quae romano imperatori subest, a praesule ecclesiae Aquileiensis certis ex causis Romano Pontifici notis non fuit visitata, *ibid.*; committitur archiepiscopo Thessalonicensi ut deputet illius partis visitatorem episcopum Seccoviensem, *ibid.*

Ariminensis Portus capitanei officium, 673 *b et seq.*

Armandus Ioannes card. de Richelieu, 58 *a*; ei potestas facta haereticos Galliarum absolvendi, 58 *b*.

Ascanius (F.) ab Assisio procurator generalis Ordinum Minorum Reformatorum, 725 *a*.

Assisiensis ecclesiae S. Mariae Angelorum indulgentia Portiunculae nuncupata, 233 *a*; extenditur ad omnes ecclesias fratrum Minorum sancti Francisci in Italia existentes, *ibid.*

Astrologi iudiciarii quibus poenis coërcendi, 212 *a* et *seq.*

Augustini (S.) Eremitarum Ordo, 12 *b*; nulli liceat habere vocem in capitulis provincialibus praeter eos quibus competit de iure iuxta Ordinis constitutiones, 13 *a* et *b*; oracula vivae vocis praetendere non possint, 60 *b* et 61 *a*; exemptiones officiorum ne concedantur iis qui ea non exercuerunt, 62 *a* et *seq.*; domus pro novitiatu in congregatione Lombardiae designatae, 344 *a*.

Augustini (S.) Eremitarum Discalceatorum Ordo, 74 *a*; 560 *a*; Congregationi Hispaniarum nonnullae addicuntur domus quae in Indiis Occidentalibus ad Calceatos pertinebant, 74 *b*; qui in Indiis degunt, a quocumque catholico episcopo, non servatis interstitiis, minores, sacrosque ordines suscipere possunt, 353 *a*; crucem publicis in processionibus possunt erigere, 560 *a*; pro bono regimine congregationis Galliae edita statuta, 589 *b*; sanctorum Augustini et Nicolai de Tolentino imagines cum habitu Discalceatorum minime pingendae, 634 *b*.

Avenionensia collegia S. Nicolai de Anexiaco et de Ruvere regimini Congregationis de Propaganda Fide subiecta, 726 *b*.

B

Babilonensis ecclesiae in Persia dotatio, 652 *b* et *seq.*

Baldacchini usus in ecclesia pro abbatibus, quibus diebus liceat, 56 *a*; 71 *b*; 103 *b* et *seq.*; 299 *a*.

Barberinae familiae privilegium quoad ecclesiam S. Catherinae Senensis super Minervam de Urbe, 652 *a*.

Basilii (S.) monasterium S. Catherinae montis Sinai, 157 *b*; plura illi collata privilegia, 157 *b* et *seq.*; confirmantur ab Urbano VIII, 161 *a*.

Basilii (S.) Ordinis monasteria del Tardon et vallis de Galleguillos in Hispania *vide* Tardon.

Basilii (S.) congregatio Italo-Hispana a Gregorio XIII erecta, 741 *b*; ei addicta monasteria del Tardon et de Gualliguillos, *ibid.*; in quibus tamen quartam partem choristae componant, aliae tres partes e laicis contlentur 742 *a*; collegium pro monachis Ordinis S. Basilii in Urbe erectum, 257 *a* et *seq.*

Bellarmini card. doctrina christiana adhibenda a religiosis missis ad exteras nationes instruendas, 322 *a*.

Benedicti (S.) Ordinis Congregationis Portugalliae monachi uti non possunt facultatibus cruciatae quoad eligendum confessarium et absolutionem recipiendi a reservatis, 63 *a* et *b*.

Benedicti (S.) transitus dies festus in locis, in quibus existunt monasteria Ordinis ab eo instituti Congregationis Hispaniarum, tamquam de praecepto celebrandus, 285 *a* et *b*.

Berrettanti monachi Ordinis S. Benedicti a Bireti de Laonensi nuncupati, 85 *b*; laxiorem vitam agentes reformantur, *ibid.*; postea ipsorum monasteria suppri-

muntur, et ad statum secularem reducuntur, *ibid.* et *seq.*; monachorum dimissorum sustentationi consulitur, 92 *b*; *vide* S. Salvatoris Maioris monasterium de Urbe.

Bessus Philiberti Ferrerii Flisci filius primogenitus, 466 *a*; una cum patre marchio instituitur Masserani comitatus in marchionatum erecti, *ibid.*

Birgittae (S.) congregatio. *Vide* S. Salvatoris congregatio.

Blasius a Cherso Ordinis S. Francisci Conventualium procurator generalis, 497 *b*.

Bona Deo dicata profanos in usus converti nequeunt, 655 *b*.

Bonaventurae (S.) ecclesia de Urbe Lucanis concessa, 221 *b*.

Bonaventurae (S.) collegium in domo Ss. XII Apostolorum de Urbe erectum subiacet guardiano eiusdem domus, 102 *b*; *vide* Ordo fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium.

Bononia civitas, 663 *a* et *b*; regimini civitatis facultas data duo imponendi vectigalia super serico, *ibid.*

Brachia tria, ecclesiasticum, militare et demaniale nuncupata regni Siciliae, 187 *b*; donativum regi offerunt, 188 *a* et *seq.*

Burgi (S.) Sepulchri episcopus quae iura habeat in monasterium S. Mariae in Balneo congregationis Camaldulensis, 493 *a* et *seq.*

Burgi vallis Tari Placentini oppidum spectat ad dominium directum Sedis Apostolicae, 554 *b*.

Bursfeldensis congregatio Ordinis S. Benedicti, 231 *a*; unio aliarum congregationum et monasteriorum ipsi factae irrita declaratur, *ibid.*

C

Caelestinorum congregatio, *vide* Congregatio.

Caietanus Thienaeus (venerab.), 111 *a*; Congregationem Clericorum Regularium instituit, *ibid.*; causa eius beatificationis in S. Rotae auditorio agitur, *ibid.*; Beatorum albo adscribitur, 111 *b*.

Calaguritanus episcopus a censuris absolvitur, 604 *b*.

Calaritana ecclesia, 42 *a*; quod in illa servari debeat caeremoniale romanum episcoporum, *ibid.* et *seq.*

Camaldulensium *vide* Congregatio *vel* Ordo.

Canonicus ab episcopo pro visitanda dioecesi electus fructus suae praebendae percipere potest, amissis tamen distributionibus quotidianis, 23 *b*.

Cappucinorum Ordo, 1 *a*; non possunt ad laxiorem Ordinem transire sine licentia Sedis Apostolicae, neque ad Carthusiensem sine licentia ministri generalis, 1 *b*; laici professi praecedunt clericos novitios nondum professos, 220 *b*; ab ecclesia S. Bonaventurae de Urbe transferuntur ad ecclesiam Immaculatae Conceptionis de eadem Urbe, 221 *b*; in processionibus possunt incedere sub cruce propriâ, 238 *a*; ipsis vetitum accedere Romam absque licentia cardinalis protectoris aut superiorum generalium, excepta provincia romana, 241 *a*; provincia romana subiicitur generali sicut ceterae provinciae, 650 *a*.

Cardinales fruuntur privilegio etiam pensiones transferendi, 210 *a* et *b*.

Carmelitarum Ordo, 145 *a*, 440 *b*; ad illum, non extenduntur indulta Cruciatae, 145 *b*; fratribus Calceatis Belgii et Siciliae provinciarum vetitum habitum Discalceatorum gestare, 304 *b*; quibus in conventibus laici ad novitiatum peragendum admitti queant, 441 *a* et *b*; qui studiorum cursum in aliqua universitate exegerint, et gradum magisterii in ea susceperint, in magistros eiusdem Ordinis creari possunt per priorem generalem, 443 *b*; statuitur quod lauream magisterii consequi possint etiam in collegio Salamantino sanctae Theresiae, 444 *a*; quomodo fratres Discalceati S. Theresiae a fratribus Primi Instituti seu seminarii de Propaganda Fide vulgo de Monte Sancto nuncupatos distingui debent quoad habitum, 472 *a* et *seq.*; Discalceatis asseritur possessio Montis Carmeli, 490 *a* et *b*; sub poena excommunicationis vetitum, quominus elemosynas a christifidelibus tributas pro conservanda possessione montis Carmeli in alios usus impendant, 490 *b* et *seq.*; collegii Naubertini Parisiensis constitutiones, 569 *a*; Eremus in Gallia pro secessu ab Henrico de Gournais comite de Marcheville fundata, 713 *a* et *b*.

Carolus Barberinus totius militiae Pontificiae capitaneus generalis, 22 *b*.

Carthaginensis episcopus nihil exigere possit pro licentiis laborandi diebus festivis pro setae confectione in oppido Murciae a mense martio ad mensem iulium quolibet anno, 598 *b*.

Cassinensium bona in Italia multo alieno aere gravata, 593 *b*; data abbatibus facultas ea in emphyteusim concedendi, vel etiam annuis censibus gravandi ad summam 250.000 aureorum, 594 *b*; ad id autem nulla requiritur cardinalis protectori licentia, 665 *a*; in ecclesiis parochialibus cura animarum per monachos ad nutum superiorum regularium amovibiles exerceri potest, 670 *b*; monachi ad processionem dumtaxat sanctissimi Sacramenti accedere tenentur, 677 *b*, *vide* Congregatio Cassinensis.

Castri Durantis oppidum in civitatem erigitur Urbaniam nuncupandam, 515 *a*.

Cathechismus Romanus praescriptus religiosis missis ad Iaponicas et Indiarum Orientalium nationes instruendas, 322 *a*.

Catherinae (S.) Montis Sinai monasterium Ordinis S. Basilii, 156 *b*; pluribus exornatum privilegiis quae confirmantur, 157 *a* et *seq.*

Catherinae (S.) Senensis ecclesia super Minervam de Urbe, 651 *b*; privilegia sacerdotis qui ibi celebrat, *ibid.*; indulgentia plenaria eam visitantibus, 652, *a*; privilegium familiae Barberinae, *ibid.*

Centumviris civitatis Barchinonensis ne pro officiis quae gratis concedi solent conferendis quidquam accipiant, 526 *a* et *seq.*

Cheraschi pax, *vide* Pax Italiae.

Cherubinus a Marcigniaco Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, 535 *a*; deputatur visitator pro reformatione provinciae Turoniae, 536 *b*.

Cisterciensium Ordo *vide* Ordo.

Clarae (S.) Ordinis moniales conversae monasterii S. Marcelli Parisiensis debeant manuteneri in possessione eligendi abbatissam, 622 *a*.

Clemens PP. VIII castra in Statu Ecclesiastico sine Pontificis licentia vendi prohibet, 556 *b*; cavet ne regulares ad professionem admittantur in domibus a se non approbatis, 97 *a*.

Clerici regulares generatim non comprehenduntur in decretis editis pro reformatione regularium circa novitios nonnisi in conventibus designatis recipiendos, 456 *a*.

Clerici regulares Ministrantes Infirmis, 588 *a*; capitulum generale de sexennio in sexennium ab ipsis celebrandum, *ibid.*

Clerici regulares Minores, 588 *a*; eis concessa facultas novitios ad habitum et professionem admittendi, *ibid.*; excipiuntur a decretis a Clemente PP. VIII, hac super re latis, 587 *a*; si qua personalia privilegia contra congregationis suae statuta obtinuerint, nulla sunt, et irrita, 740 *a* et *b*.

Clerici regulares Scholarum Piarum, 455 *b*; in decretis pro regularium reformatione editis non comprehenduntur, 456 *a*.

Clerici regulares de Somasca, *vide* Congregatio.

Collegium Urbanum de Propaganda Fide, 581 *a*; duodecim alumnatus in eo erigit cadinalis Antonius Barberinus pro Georgianis, Persis, Nestorianis, seu potius Caldaeis, Iacobitis, seu Syris, Melchitis et Cophtis, *ibid*: quae eorum qualitates, qualia onera esse debeant praescribit Urbanus VIII, 581 *a* et *b*; qui eis ceterorum alumnorum collegii eiusdem privilegia concedit, 582 *b*; idem cardinalis alios tredecim ibi erigit alumnatus pro Æthiopis ac Bracmanis, 735 *b*; qui collegii legibus subiciuntur, *ibid.*

Communicatio privilegiorum, 11 *a*; abusus ex ipsa exorientes, *ibid.*

Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae festum celebrari possit sub ritu duplici primae classis, etiamsi venerit in dominica secunda adventus, in ecclesia S. Iacobi nationis Hispaniarum de Urbe, 253 *a* et *b*.

Confessionis sacramentalis secularium audiendae privilegia, quibuscumque regularibus absque examine et approbatione Ordinarii concessa, revocantur. 11 *a* et *b*.

Confraternitatibus non licet processiones extra ambitum suae ecclesiae facere sine licentia parochi, dummodo non habeant specialem indultum Sedis Apostolicae. 454 *b*.

Congregatio Bursfeldensis Ordinis S. Benedicti, 230 *b*; unio aliarum congregationum et monasteriorum eiusdem Ordinis facta ab illius abbatibus, irrita declaratur, 231 *a*.

Congregatio Caelestinorum Ordinis S. Benedicti, 103 *b*. Quibus diebus abbates baldacchino possint uti, *ibid.*

Congregatio Camaldulensium Ordinis S. Benedicti, 298 *b*; quibus diebus abbates uti possint baldacchino et pontificalibus, 299 *a*.

Congregatio cardinalium negotiis Palatinatus praepositorum, 231 *a*; irritam declaravit unionem aliarum congregationum et monasteriorum Congregationi Bursfeldensi Ordinis S. Benedicti, *ibid.*

Congregatio Cassinensis S. Iustinae de Padua, 71 *b*. Quibus diebus abbates baldacchino uti queant, *ibid* et *seq.*, *vide* Cassinensium.

Congregatio Clericorum Regularium de Somasca, 309 *a* et *b*. Ei concessum indultum in propriis domibus, orphanotropiis, seminariis, *etc.* privata erigendi oratoria, *ibid.*

Congregatio Clericorum Regularium Matris Dei Scholarum Piarum, 64 *a*: ipsius religiosi e processionibus aliisque publicis actis sunt exempti, 64 *b*: scholae

sub nomine *Scholarum Piarum* nonnisi ab ipsis erigendae, 155 *a*; ipsorum habitum deferre aliis vetitum, *ibid.*

Congregatio Olivetana, 55 *b*. Quibus diebus abbates uti possint baldacchino, 56 *a* *vide* Montis Oliveti Congregatio.

Congregatio Oratorii Neapolitana, 147 *a*. Domus in toto regno Neapolis nonnisi in insignioribus civitatibus erigendae *ibid.* In iisque saltem decem alendi sacerdotes *ibid.*: Congregationi Neapolitanae communicata privilegia, quae a Pontificibus congregationi Romanae concessa sunt, *ibid.* et *seq.*

Congregatio Rituum methodum praescribit regularibus et confraternitatibus processiones faciendi, 454 *b*.

Constitutiones Urbanae pro Ordine Minorum S. Francisci Conventualium, 14 *a*.

Conventualium, *vide* Minorum S. Francisci Ordo.

Cosmus Medices magnus Hetruriae dux subsidium sibi ab ecclesiasticis Pisanis praestari obtinet, 693 *b*.

Cosmus Reynonus ecclesiae S. Ambrosii Mediolanensis abbas et in Italiâ congregationis Cistercienses praeses, 179 *a*; ad concordiam devenit cum Friderico cardinali Borromaeo archiepiscopo Mediolanensi, et administratoribus ecclesiae collegiatae S. Ambrosii, *ibid* et *seq.*

Cremonensis cardinalis, *vide* Desiderius S. Caroli.

Crepacorii comitatus et pertinentiae diu ab Emanuele Philiberto Sabaudiae duce possessa, 466 *b*; deinde dimissa et relaxata Besso Ferrerio Fisco, *ibid.*

Cruciatae facultas eligendi confessarium non extenditur ad regulares utriusque sexus, 145 *a* et *b*.

Cruciatae facultates quoad licentiam vescendi ovis et lacticiniis extenditur ad patriarchas, archiepiscopos, episcopos et clericos seculares, 112 *b*.

Cruciatae officia vendi non possunt, 501 *b* et *seq.*

Cyprianus Pallavicinus archiepiscopus Genuensis, 605 *b*; Synodum cogit, legesque fert pro bonis ecclesiasticis sartis tectisque servandis, *ibid.*

Cypri regni omnes ecclesiae latinae traduntur administrationi episcopi Paphiensis, 105 *a* et *b*.

Cyrillus Lucaris pseudopatriarcha Constantinopolitanus, 2 *b*; Multorum criminum reus, *ibid.*: cardinalibus Millino et Cremonensi demandatur ut contra eum procedant, *ibid.*

D

Decima sexcentorum millium ducatorum Philippo IV regi catholico ab ecclesiasticis regnorum Castellae et legionis solvenda, 273 *a* et *seq.* et 293 *b*: per ipsum clerum exigenda, 297 *b*.

Desiderius Arigonius Camaldulensium procurator generalis, 298 *b*.

Desiderius S. Caroli Cremonensis cardinalis, 2 *b*; illi committitur ut procedat contra Cyrillum pseudopatriarcham Constantinopolitanum, *ibid.*

Didacus de S. Raymundo, procurator generalis fratrum reformatorum Ordinis B. Mariae Redemptionis captivorum, 6 *b*.

Dioecesani iura a Concilio Tridentino asserta circa sacramentum poenitentiae servantur, 11 *a* et *b*.

Dohanerii officium quondam in Urbe institutum, 302 *b*; ab Urbano VIII supprimitur, *ibid.*

Donati in Ordine SS. Trinitatis Redemptionis captivorum non amplius admittendi, 453 *a*; et qui recepti fuerunt, possint ad habitum fratrum laicorum redigi, *ibid.*

E

Ecclesiasticis regni Poloniae facta facultas subsidium regi praestandi pro regni necessitatibus, 445 *a*.

Ecclesiasticis vetitum ne in ecclesiis vel aedibus suis legant lectiones legum, medicinae, vel aliarum artium ipsis prohibitarum, 59 *b*.

Elborensis archiepiscopus causas habet cum Ordinibus militaribus Portugalliae, 260 *b*; de iudicum nominatione pro iis definiendis, *ibid.*

Electores sacri Romanii imperii, 556 *a*; litterae ad eos datae de necessitate et forma eligendi regem Romanorum, *ibid.*

Emanuel Philibertus Sabaudiae dux et Pedemontium princeps, 466 *b*; diu transit possessionem Crepacorii comitatus Vercellensis dioecesis, et postea iuribus cognitis dimittit et relaxavit Besso marchioni Masserani, *ibid.*

Episcopi, si ultra sex menses suis a dioecesibus absint, quartam partem fructuum amittunt, 457 *b*; post alios sex menses aliam quartam partem, *ibid.*; si vero adhuc fuerint contumaces, a Romano Pontifice ipsis privari possunt ecclesiis, *ibid.*; omnes lege residentiae obligari, etiam cardinales, 458 *a*; non excusantur nisi absentiae causa in scriptis approbata fuerit, *ibid.*; omnibus etiam cardinalibus, precipitur ut infra breve tempus praescriptum ad suas ecclesias se conferent, 458 *a* et *b*; nec inde discedere sine licentia Romani Pontificis, *ibid.*; tempus absentiae definitur pro visitatione liminum apostolicorum, vel cardinalibus in vacatione Sedis Apostolicae, 461 *a*.

Episcoporum familiares quinam esse non possint, 506 et *seq.*

Episcopi nonnulli regni Galliae vita et moribus reprehensibiles, 697 *seq.*

Episcopus potest duos cathedralis ecclesiae vel collegiatae canonicos pro dioecesis visitatione assumere, qui interim fructus praebendae suos faciant, amissis distributionibus quotidianis, *ibid.*

Ernestus Adalbertus cardinalis ab Harrach ecclesiae Pragensis praesul, 70 *b*; Facta ei potestas transigendi cum Ferdinando imperatore super bonis ecclesiasticis quae olim in regno Bohemiae haeretici occuparunt, *ibid.*; transactio inita refertur et confirmatur, 331 et *seq.*

Espernon (Dux de) *vide* Aloysius.

Exaltationis S. Crucis societas extra muros civitatis Parisiensis erecta, 429 *a* et *seq.* Statuta pro eius regimine edita, *ibid.* Confirmantur ab Urbano Papa, 435 *b*.

Exoneratorum cymbarum de Urbe sodalitas et statuta, 635 *b* et *seq.*

F

Fabritius cardinalis Verallus, 292 *a* et 669 *b*.
Fate bene fratelli, — *vide* Ioannes Dei.
Ferdinandus III Romanorum rex 468 *a*. In imperatorem eligitur, 622 *b*, 675 *a* et *b*; quae electio ab Urbano VIII confirmatur, *ibid.*; ei primariae preces concessae, 678 *b* et *seq.*
Faustus Polius apostolico palatio praefectus, 222 *a*.
Ferdinandus archiepiscopus et elector Coloniensis, 489 *a*. Ei data facultas subsidium a Leodiensi clero accipiendi, *ibid.*
Ferdinandus II imperator haereticorum expulsioni ex Bohemiae regno studet, 331 *a*; partem vectigalis salis in eodem regno ecclesiasticis addicit, 336 *a* et *seq.*
Ferdinandus magnus Hetruriae dux subsidium sibi a clero Pisano praestari obtinet, 694 *b*.
Ferrariensi legato data facultas super obsidibus pro confirmatione pacis Italiae nomine sanctae Sedis accipiendis, 231 *b*; item supra illis restituendis, 247 *a* et *b* et *seq.*
Ferrariensi magistratui data facultas salis et olei vectigal imponendi, montemque non vacabilem super eius fructibus erigendi, 161 *b*. Qui ab officio iudicis sapientium sint excludendi, 424 *b*. Quae methodus servanda sit in electionibus, *ibid.*
Fliseo (de) familiae marchionatus Masserani necnon loca Crepacorii, Quirini, Flecchiae et Rino in feudum perpetuum masculinum conceduntur, 465 *b* et *seq.*
Foederi catholico nonnulli redditus ecclesiastici Palatinatus assignantur, 202 *b* et *seq.*; item in Germania, 219 *a* et *b*.
Fortalitium *Forte Urbano*, 17 *b*; construendum illud potestas data Iulio Baratto, *ibid.*
Franceschinus a Cassia minister generalis Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium, 14 *a*; Ipsi committitur executio constitutionum Urbanarum pro toto Ordine, *ibid.*
Franciscus cardinalis a Balneo, 126 *b*. Data ei facultas Rothomagensem archiepiscopum a censuris absolvendi, *ibid.*
Franciscus cardinalis Barberinus S. R. E. vicecancellarius, 514 *a*.
Franciscus cardinalis de Clermont Avenionensis legatus, 313 *a*.
Franciscus tituli S. Calixti cardinalis Rupifuleadius de la Rochefoucault 589 *a*.
Franciscus Fernandez de Alburquerque Siciliae prorex, 4 *b*; 188 *a*.
Franciscus Guilliemus episcopus Osnaburgensis academiam erigit, 76 *a* et *b*.
Franciscus Ingolus congregationis de propaganda fide secretarius, 514 *a*.
Franciscus Mariae Urbini ducatus dux, 22 *b*; eius morte eveniente ducatus devolvetur ad Sedem Apostolicam, *ibid.*
Franciscus Maria Ghislerius S. Rotae auditor, 659 *a*.
Franciscus Philibertus, Bessi Ferrerii Flisci filius primogenitus, succedit in Masserani marchionatus, 466 *a*.
Franciscus Philibertus Ferrerius Fliscus Masserani princeps, 57 *a*, et 465 *b* et *seq.*

Franciscus Rothomagensis archiepiscopus nonnulla contra Sedis Apostolicae auctoritatem scribit, 126 *a*; sed postea ea revocat, *ibid.*; absolvitur a censuris propter ea incursis, 126 *b*.

Franciscus tituli S. Agathae diaconus cardinalis Barberinus regnorum Angliae et Scotiae protector, 136 *b*. Facultates ei concessae pro bono catholicae religionis iis in regnis, *ibid.* Atque etiam regimen ducatus Urbini ad formam Status Ecclesiastici redigendi, 310 *b*.

Franciscus Tontulus procurator generalis Congregationis de Somasca, 309 *b*.

Franciscus (S.) Xaverius, 684 *b*. Indulgentia plenaria ecclesias Societatis Iesu visitantibus eius die festo, etiamsi transferatur, *ibid.*

Fridericus cardinalis Borromaeus archiepiscopus Mediolanensis, 179 *a*.

Fuldense collegium pro puerorum Germaniae nationis educatione a Gregorio XIII institutum, 35 *b*; denuo erigitur et instituitur ab Urbano VIII, 36 *a*; traditur presbyteris Societatis Iesu, 37 *a*; ipsius regulae et privilegia, 38 et *seq.*

G

Garzias cardinalis, *vide* Ioannes.

Gaspar cardinalis Borgia nonnulla contra Pontificis autoritatem oblaterat, 280 *b* et *seq.*

Gehennalis ignis S. Antonii nuncupatus, *vide* Ignis sacer.

Genuensis provincialis synodus habita anno MDLXXIV, 605 *b*. Leges fert pro bonorum ecclesiasticorum conservatione, *ibid.*

Genuensis Reipublicae dux et gubernator censuris irretiti, quia pro munitione arcis S. Laurentii glebis ad Saonensem et Naulensem ecclesias spectantibus usi sunt, et ab iisdem censuris absolvuntur, 51 *a*; archiepiscopo data facultas in Reipublicae rebelles inquirendi, 278 *a* et *b*.

Germanicae nationis laudes et calamitates, 35 *a*; pro ipsa sex decimae imponuntur super bonis ecclesiasticis Italiae, 192 *b* et *seq.*

Gnesnensis archiepiscopus regni Poloniae episcopos cogere potest, ut comitiis generalibus intersint, 457 *a*.

Gregorius de Pisauro abbas generalis congregationis Camaldulensis, 495 *a*.

Gregorius Papa XIII instituit collegium Fuldense pro pueris Germaniae nationis instituendis, 35 *b*.

Gregorius Papa XIV, immunitati ecclesiasticae in dioecesi Saguntina consulit, 708 *b* et *seq.*

Gubernatoris Urbis iura in causis criminalibus asseruntur, 16 *b*.

Guido cardinalis Bentivolus, 294 *b*.

Gundisalvus episcopus Calaguritanus a censuris absolvi petit ob recursum a promotore fiscali suae curiae ad laicum tribunale habitum, 604 *a*.

Gymnasium romanum, 599 *a*. Cathedra artis medicinae aliquot ab annis interrupta restituitur, *ibid.*

H

Hebraeis carceratis, si pauperes sint, alimenta a creditoribus praestari voluerunt Pius V et Paulus V, 500 *b*. Ab ipsorum vero communitate praestanda esse decrevit Urbanus VIII, 501 *a*; ipsis impositum quoddam tributum in favorem collegii neophytorum de Urbe, 524 *b* et *seq.*

Helveticum collegium Mediolani erectum, 604 *b*. Canonici eius regimini praepositi, quamvis non resideant in suis ecclesiis, fructus suorum canonicatuum percipiunt, 605 *a*.

Henricus cardinalis Caietanus S. R. E. camerarius, 261 *b*; quid circa notariorum creationem statuerit, 262 *a*.

Henricus de Gournay comes de Marcheville eremum pro Carmelitis in Gallia fundat, 717 *a*.

Henricus Malleacensis episcopus ad catholicae religionis exercitium in valle Pragellae Taurinensis dioecesis restituendum deputatus, 133 *a*; plura quae fecit et instituit referuntur, 133 *b* et *seq.*; quae omnia rata habet Urbanus VIII, 134 *b* et *seq.*

Hieronymi (S.) Ordo congregationis Fesulanae, 698 *b*. Ambientes, quaerentesque praelaturas vel officia Ordinis ab iis arcendi, 699 *a*. Immo ad illa obtinenda incapaces declarantur, *ibid.*

Hispalensis ecclesiae capitulum a censuris absolvitur, 659 *a* et *b*.

Honoratus archiepiscopus Larissensis apud Wladislaum Poloniae et Sveciae regem nuncius apostolicus, 444 *b*; illi facta facultas permittendi ecclesiasticis eiusdem regni ut regi subsidium praestare queant pro regni necessitatibus, 445 *a*.

Hungariae regni ecclesiasticis breviarii romani usus praescriptus, 497 *a*.

Hybernorum collegium, oppidi Insulensis, Tornacensis dioecesis, 544 *a*.

Hypatius Poriey Ruthenorum metropolita, 318 *a*. Collegium Ruthenorum erigi curat, et Torokaniam villam ei addicit, *ibid.*

I

Iacobi (S.) de Spata, de Alcantara et de Calatrava militiarum commendas et beneficia qui obtinent, fructuum huiusmodi beneficiorum partem aerario publico tenentur solvere, licet ea cum dispensatione apostolica obtinuerint, 692 *a* et *b*.

Iacobi (S.) Hispanorum ecclesia de Urbe, 253, *a* et *b*. Indultum celebrandi in ea festum Conceptionis B. M. Virginis Immaculatae sub ritu duplicis primae classis, etiamsi in secunda Adventus dominica occurrerit, *ibid.*

Iacobus Crispus episcopus Macerateusis, 57 *a*; Masserani principatus gubernator ab Urbano VIII confirmatur, 57 *b*.

Iacobus Salviatus dux, castrum del Rio in Statu Ecclesiastico emit, 557 *a*.

Ignis sacer, vel ignis gehennalis S. Antonii nuncupatus, 403 *a*, 418 *b*; de hospitalibus et cura infirmorum hoc morbo contactorum, 419 *b*, *seq.*

Imagines defunctorum nondum a Sancta Sede canonizatorum, 436 *b*; abusus circa

ipsarum venerationem, *ibid.*; decreta ad illos tollendos confirmantur et declarantur, 438 *b*.

Immunitatis ecclesiasticae violatores in regno Portugalliae censuris coërceantur a collectore generali spoliorum et iurium camerae apostolicae, 534 *a* et *b*; 708 et *seq.*

Imperatoris Romanorum electio, 622 *b*; iura Sedis Apostolicae circa ipsam servantur, 623 et *seq.*; *vide* electores.

Indiarum Orientalium navigatio et status detrimenta ab inimicis fidei catholicae patiuntur, 43 *b*,

Indi praecepto paschali satisfacere possunt a dominica septuagesimae usque ad octavam corporis Christi, 712 *a*; in servitutem eos redigere non licet, aut bonis spoliare, 712 *b*.

Indulgentia plenaria pro publicis Ecclesiae calamitatibus avertendis ab Urbano VIII concessa, 48 et *seq.*; iterum ad gratias agendas Deo pro praeservatione Urbis et aliorum Italiae civitatum et provinciarum a peste, 148 *a* et *seq.*; quae ad totam Italiam extenditur, 150 *a* et *b*; iterum ad divinam opem implorandam, 642 *b* et *seq.*

Innocentius Papa III Ordinem SS. Trinitatis redemptionis captivorum approbat, 519 *a*.

Inquisitionis tribunal contra haereticam pravitatem, 249 *b*. Constitutiones apostolicae pro eo editae etiam regulares exemptos comprehendunt, nisi isti specialiter excipiantur, *ibid.*

Ioannes Aloysius, dux de Espernon, *vide* Aloysius.

Ioannes Andreas ab Auria oppidum Burgi Vallis Tari occupat, 554 *b*.

Ioannes Baptista a Campanea minister generalis Ordinis fratrum Minorum de Observantiâ, 535 *a*; decreta edidit pro reformatione provinciae Turoniae eiusdem Ordinis, 535 *b* et *seq.*

Ioannes Baptista archiepiscopus Thessalonicensis, Sedis Apostolicae nuncius ad Ferdinandum regem in imperatorem electum, 70 *b*; illi facta facultas cum rege transigendi pro bonis ecclesiasticis regni Bohemiae, *ibid.*

Ioannes Baptista Besutius canonicus Mediolanensis, 179 *a*.

Ioannes Baptista cardinalis Pallottus ecclesiam hospitiumque Romae pro Picena natione erigi curat sub titulo B. M. Virginis de Laureto, 566 *b*.

Ioannes Baptista cardinalis Pallottus in ducatu Ferrariensi Sedis Apostolicae legatus, 231 *b*. Data ei facultas obsides recipiendi iuxta foedus inter imperatorem ac Galliarum regem Cheraschi initum, *ibid.* Illi mandatum postea, ut eos restituat, 247 *a* et *b*; nuncius Apostolicae Sedis mittitur ad Ferdinandum regem in imperatorem electum, 331 *b*; facultas ei data transigendi cum imperatore nomine cleri Bohemiae super bonis ecclesiasticis regni Bohemiae pro haereticis usurpatis, *ibid.*; transactio inita refertur et approbatur, 332 et *seq.*

Ioannes Baptista cardinalis Pamphilius 493 *a*.

Ioannes Baptista Coccinus S. Rotae auditor decanus, 558 *b*.

Ioannes Baptista de S. Petro Bononiensium apud Urbanum VIII orator, 663 *a*.

Ioannes Dei (Ven.) Congregationis huius nominis fundator, 174 *b*. In Beatorum numerum adscribitur, 175 *a*; congregatio huius nominis, 660 *a*; conventus et hospitalia, in quibus duodecim commorantur religiosi, ab Ordinariorum iurisdi-

ctione sunt exempta, 660 *b*. Quidquid vero illi acquirunt non sibi acquirunt sed infirmis, 660 *a*. Itaque plures ad habitum admittendi non sunt, nisi quos infirmorum necessitas exigit, *ibid.*

Ioannes Franciscus cardinalis a Balneo, 126 *a*; illi data facultas absolvendi archiepiscopum Rothomagensem, 126 *b*.

Ioannes Garzias cardinalis Millinus, 2 *b*; ipsi committitur ut procedat contra Cyrillum pseudopatriarcham Constantinopolitanum, *ibid.*

Ioannes Iacobus Panzirolus S. R. Rotae auditor, 596 *b*.

Ioannes Paulus Lascaris Castellar, magnus magister hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, 750 *b*.

Ioannettinus cardinalis ab Auria ecclesiae Panormitanae archiepiscopus, 71 *a*; facultas ei conceditur vectigal quoddam ecclesiasticis suae dioecesis imponendi ad aes alienum civitatis dissolvendum, 700 *b* et *seq.*

Ioannis (S.) Baptistae provincia Minorum Discalceatorum S. Francisci de Observantia in Hispania, 127 *a*; concordia illius refertur et confirmatur, 129 *b* et *seq.*; ipsius privilegia confirmantur, 703 *b*.

Ioannis (S.) Baptistae vigilia, si cum festo corporis Christi concurrerit, non ieiunandum esse decrevit S. Rituum congregationis, 673 *a*. Et Urbanus VIII, 673 *a*.

Ioannis (S.) Hierosolymitani, 368 *a*; triennalis impositio super fructibus commendarum Ordinis, 368 *b* et *seq.*; locationes bonorum ad praeceptorias ac prioratus spectantium nullae sint, si absque magni magistri licentia fiant. Commendae nonnullae linguae Franciae invicem unitae, 371 et *seq.*; caeremoniale in electione magni magistri servandum, 446 *b*; magno magistro data facultas vectigal imponendi in insula Melitana, 666 *b*. Sede magistrali vacante, consilium Status redditus, iuraque magno magistro competentia diminuere nequit, 751 *a*.

Ioseph archiepiscopus Chioviensis totius Russiae metropolita, 318 *a*; unum collegium pro Ruthenis et Moscovitis erigere intendit, *ibid.*

Ioseph Velaminus Rutski collegium Vilnae Ruthenorum erigi curat, 318 *b*.

Iosephus Bergaigne procurator generalis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, 68 *b*.

Isabella regina catholica Hispaniarum, 9 *b*; postulat pro canonizatione vigintitrium martyrum Ordinis S. Francisci, *ibid.*

Italiam bellorum procellae percurrunt et maior tempestas timetur, 17 *b*; super bonis ecclesiasticis totius Italiae sex decimae imponuntur pro succurrendo Germaniae, 192 *b* et *seq.*; iterum impositio duorum pro centenario ad subsidium parandum Ferdinando Germaniae imperatori, 378 et *seq.*

Iubilaeum universale ab Urbano Papa VIII indictum, 113 *b* et *seq.*; 254 *a* et *seq.*; et 384 *b* et *seq.*; 541 *b*, 642 *b*.

Iudex laicus super bonis ecclesiasticis manus apponere ex sacrorum canonum praescripto non potest, 146 *a*.

Iudices seculares ne causas agnoscant monialium Ordinis S. Benedicti in Hispania, 224 *b* et *seq.*; iterumque in Portugalliae regno, 233 *b* et *seq.*

Iulio Buratto potestas facta fortalitium, quod *Forte Urbano* nuncupatur, construendi, 17 *b*.

Iulius cardinalis Sacchettus, 493 *a*.

L

Laicis dominis non licet in ecclesia habere thronum ad instar episcopi vel thus accipere cum caeremoniis, 50 *a*.

Lamolae terra quoad iurisdictionem ecclesiasticam unitur episcopatui S. Angeli in Vado, 562 *b*.

Laurentius episcopus Caesenatensis gubernator ducatus Urbini, 22 *a*.

Laurentius episcopus Hieracensis, collector generalis iurium camerae apostolicae in regno Portugalliae, 43 *a*.

Laurentius episcopus Senogalliensis, ducatus Urbini gubernator, 192 *a*.

Lauretana sancta Domus, 528 *a;* poenitentiarii illius maiori poenitentiario Urbis subiiciuntur, *ibid.*, a quo facultates per viam communicationis accipere debent, 529 *a*.

Leodiensi clero hortatio facta subsidium Ferdinando archiepiscopo et Coloniensi electori tribuendi 489 *b*.

Libri prohibiti, 217 *a*; quaecumque illos legendi et retinendi licentiae revocantur, 217 *a* et *b*.

Licentiae legendi et tenendi libros prohibitos revocantur, 217 *a* et *b*.

Lillae in Belgio collegium Hybernorum erectum, 544 *a*. Oriundi ex provinciis Lagenia et Media dumtaxat in eo admittendi, *ibid.*

Loca montium non afficiuntur pactionibus, quae inter particulares personas ineuntur, nisi officialium ad conficiendas literas patentes deputatorum licentia accedat, 748 *a*.

Ludovicus Apparicius procurator generalis fratrum B. Mariae de Mercede Redemptionis captivorum, 24 *b*.

Ludovicus de Torres Camerae Apostolicae clericus, 707 *a*.

Ludovicus Serristorius inquisitor generalis in insulâ Melitensi, 150 *b*; deputatur praeses capituli habendi in hospitali S. Ioannis Hierosolymitani, 151 *a*; plures illi facultates collatae, 152 *a*, 152 *b*, 153 *b*, 154 *a* et *b*, 218 *b*.

Ludovicus XII Francorum rex in Italiam transiens exercitium religionis catholicae in valle Pragellae dioecesis Taurinensis restitui curaverat, 133 *a*.

Ludovicus XIII Francorum rex, 132 *a*; in valle Pragellae Taurinensis dioecesis exercitium religionis catholicae restitui curat, 133 *a* et *seq.*; data ei facultas statuta pro regimine Militiae S. Spiritus edendi, 252 *b*. Exterosque ad eam admittendi, 253 *a*. Atque etiam aetate minores, 319 *b*; contra machinatores quoscumque obtinet a Pontifice ut procedi possit, 301 *a* et *b*.

M

Maceratensi civitati ius coronae ponendae super insignibus suis servatur, 633 *b* et *seq.*

Mantuae civitatis moenia reparanda, 287 *b*; vectigalia propterea imponuntur quae ab ecclesiasticis etiam solvi debent, 288 *a*.

Marcelli (S.) Parisiensis monasterium monialium S. Clarae, 621 *b*; manuteneri debent moniales etiam conversae illius in possessione eligendi abbatissam, 622 *a*.
Mariae (S.) de Bonnesaigne Lemovicensis dioecesis monasterium, 345 *b*. Apostolico in Galliis nuncio demandatum, ut visitatorem pro eo designet, *ibid.*
Mariae (B.) de Monserrato Vicentinae dioecesis, 138 *a*; sacra inibi imago ad quam magnus undique peregrinorum concursus, 138 *b*; ne in illius districtu per tres leucas circumcirca alia monasteria extruentur, *ibid.*
Mariae (S.) in Balneo monasterium congregationis Camaldulensis, 493 *a*; quibus in rebus abbas episcopo Burgi S. Sepulchri sit subiectus, 493 *b* et *seq.*
Maria imperatrix confraternitatem in Sacello Aulico Viennae instituit, 654 *b*.
Marianus Alidosius castrum del Rio absque licentia Sedis Apostolicae vendit, 557 *a*; committitur congregationi continium, ut contra ipsum agat, *ibid.*
Martialis (F.) de la Chaumette in provincia Recollectorum S. Bernardini in Gallia capitulum contra formam literarum apostolicarum celebrat, 132 *b*.
Martinus Aliforus utriusque signaturae referendarius, 175 *a*.
Martius cardinalis Ginettus Carmelitani Ordinis protector, 292 *a*; 440 *b*; 472 *a*; conventus in singulis provinciis designat, in quibus laici ad novitiatum admitti possint, 441 *a* et *b*.
Martyres vigintiires ex Ordine Minorum S. Francisci Discalceatorum, 9 *b*; officium et missam de ipsis celebrare conceditur, *ibid.*
Masserani comitatus, Vercellensis dioecesis, sanctae Romanae Ecclesiae feudum, 57 *a*; 465 *b*; in marchionatum erigitur, *ibid.*; conceditur familiae de Fliseo in perpetuum feudum masculinum, *ibid.*
Matrimonium magnum est in Ecclesia sacramentum, 595 *a*; qui prima vivente uxore ad secundas nuptias transeunt, tiremium perpetua poena plectendi, 595 *b*.
Matthaeus Mortuellus clericorum regularium Ministrantium Infirmis praepositus generalis, 588 *a*.
Medicinae praxis cathedra in romano gymnasio erigitur, 599 *a*;
Melitae insula firmissimum christiani nominis adversus turcas propugnaculum, 368 *a*; doctoris Gentium miraculis celebrata, firmissimum tutissimumque reipublicae christianae adversus Turcarum invasiones propugnaculum, 446 *a*.
Mendus de Motha, Philippi Portugalliae regis consiliarus, 140 *b*.
Mercatelli oppidum Urbaniae ecclesiae addicitur, 562 *a*.
Metropolitanis suffraganeorum ecclesias visitare non licet, nisi iuxta praescriptum Concilii Tridentini, 225 *b* et *seq.*; non licet ipsis, nisi in casibus a iure expressis, nec in suffraganeos vel eorum subditos iudicare, nec ad se avocare causas in curiis ordinariorum vel inferiorum iudicum pendentes nisi per viam legitimae appellationis ad ipsorum tribunalia referantur, 228 *b*; plura de appellationibus decreta referuntur, 228 *b* et *seq.*; et confirmantur, 230 *a*.
Michael Adolphus comes ad Althan, 373 *a*.
Michael (F.) Mazarinus provinciae Romanae Ordinis praedictis provincialis, 723 *a*.
Michael Soarez Pereira regni Portugalliae in Romana curiâ agens, 140 *b*.
Militia christiana, 373 *a*; ne milites ex eius aerariis pecunias, iocalia vel alia bona accipiant sine licentia, 373 *b*.
Millinus, cardinalis, *vide* Ioannes Garzias.

Minimorum S. Francisci de Paula Ordo, 27 *a*; ipsorum domus nationis Calabriae ad Montes de Urbe, *ibid.*; ne reliquiae sacrae ab ecclesia vel libri a bibliotheca ipsorum extrahantur, 27 *b*; correctori data facultas tenues supprimendi conventus, eorumque bona cum oneribus ad maiores transferendi, 348 *a*; admitti in eo nequeunt Trinitarii Discalceati, 584 *b*.

Ministrantium Infirmis clericorum regularium congregatio, *vide* Clerici regulares.

Minores clerici regulares, *vide* Clerici regulares Minores.

Minores Dissalceati provinciae S. Ioannis Baptistae in Hispania, 498 *b*; revocatur concordia inita inter provinciam et fratrem Onuphrium Legaza, *ibid.* et *seq.*; concessa privilegia, 730 *b*; facultatem habet erigendi conventus de sola Ordinarii licentia, 731 *a*; et a solo visitatore Discalceato potest visitari, 732 *a*; ceterarum vero provinciarum fruitur privilegiis, 732 *b*.

Minorum S. Francisci Ordo, 744 *b*; privilegia quaecumque personalia abrogata in toto Ordine Minorum S. Francisci, *ibid.*

— Cappuccinorum, *vide* Cappuccinorum.

— Conventualium, 14 *a*; observatio constitutionum Urbanarum commendatur, *ibid.* collegium S. Bonaventurae in domo Ss. XII Apostolorum de Urbe erectum subest guardiano eiusdem domus, 102 *b*; parvos conventus, in quibus sufficiens fratrum numerus pro observantia regulari sustentari nequit, supprimendi facta facultas ministro generali illius Ordinis, 498 *a*.

— De Observantiâ, 41 *a*; lectores linguarum non sunt exempti a iurisdictione suorum superiorum quoad regularem observantiam, 41 *a* et *seq.*; Saxoniae provincia restituta, 68 *b* et 69 *a*; duo germani fratres definitoriis interesse nequeunt, 456 *b*; nec consanguineus ministro provinciali in primo vel secundo gradu potest illi succedere in officio, 609 *b*; Recollecti, qui a perfecta regulae observantia declinarunt in conventibus Observantium recipiendi, 611 *b*; in cismontana familia lectores iubilati institui debent ad formam constitutionum Ordinis, 640 *b*; provinciales religiosis pro sacris ordinibus suscipiendis litteras dimissoriales concedere possunt, 661 *b*; tertiariorum habitum sine superiorum Ordinis licentia deferri nemini licet, 671 *b*; secretarii generales in ministrum seu commissarium generalem Ordinis eligi non possunt nisi transacto sexennio post expletum officium, 729 *b* et *seq.*; confraternitas Conceptionis in ecclesia sanctae Barbarae Minorum S. Francisci de Observantia oppidi de Chaul Goae erecta, 743 *a*; cum indulgentiarum concessione, 743 *b*; privilegia quaecumque personalia abrogata in toto Ordine fratrum Minorum S. Francisci, 744 *b*; patres provinciae in familia ultramontana restituti, 746 *b*; quibus poenis afficiendi sint, qui officia Ordinis ambiunt, aut conquirunt, 749 *b*.

— De Observantia Discalceatorum, 9 *a*; vigintitres martyres laponenses huius Ordinis, 9 *b*; 10 *a*; Discalceatis huiusmodi in processionibus competit praecedentia super alios Ordines Mendicantes, 124 *a*; Quae sit ministri generalis totius Ordinis iurisdictio super provinciam S. Ioannis Baptistae Hispaniarum, 128, *a* et *seq.*; Minores Discalceati nulla gaudent exemptione aut titulo lectoris iubilati, 511 *a* et *b*.

— De Observantia Reformatorum vel Recollectorum Strictioris Observantiae, 100 *b*; ipsis unitur provincia S. Salvatoris in Ungaria, *ibid.*; capitium rotundum ac

largior mozzetta ab eis deferenda, 295 *a* et *seq.*; reformatur provincia Austriae, 308 *b*. Reformatis commissa cura monialium monasteriorum sanctae Clarae et sanctae Mariae Magdalenae Neapolis, 312 *a*; quis ordo praecedentiae inter eos sit servandus, *ibid.*; provincia Turoniae in Galliis reformatur, 535 et *seq.*; in provinciis S. Bernardini et S. Mariae Magdalenae in Galliis non datur privilegium quod vocant patrum provinciae, 579 *b*; libri e bibliothecis, sacraque supellectilia e sacrariis non extrahenda, 610 *b*; domus omnes eis confirmatae, 725 *a*; cismontanae familiae custodiae in provincias reformatas erectae, 719 *a* et *b*; Minores recollecti in Galliis, 611 *b*; si a regulari observantia desciverint, ab Observantibus recipi debent, *ibid.*; in provincia S. Bernardini de Gallia capitulum provinciale contra formam litterarum apostolicarum celebratum, 639 *a*; quod irritatur, 639 *b*.

Missiones religiosorum cuiuscumque Ordinis ad Iaponicas et alias Indiarum Occidentalium regiones liberae declaratae, 221 *b*; religiosi missi utantur catechismo romano et doctrina christiana cardinalis Bellarmini, 322 *a*.

Molitores Urbis, 714 *a*; molae, domusque contiguae iis tantum locandae, *ibid.* Nec pensiones pro iis augendae, *ibid.*; si vero vendantur molae ii semper sunt praeferendi, 714 *b*; si quae causae contra eos agantur, ab annonae praefecto sunt privative iudicandae, 715 *a*.

Mons communitatum Status Ecclesiastici *tertiae erectionis* instituitur, 548 *a* et *seq.*

Monte Sancto (de) fratres Carmelitae, *vide* Carmelitarum Ordo.

Montis Oliveti congregatio, 645 *b*; abbates monasteriorum pauperiorum census creare possunt de abbatis generalis seu procuratoris generalis licentia, *ibid.*; *vide* Congregatio Olivetana.

Murciae oppido dioecesis Chartaginensis tribuitur facultas laborandi diebus festivis a mense martio ad iulium pro setae confectione, 598 *b*.

Mutus cardinalis Tiberius, *vide* Tiberius.

N

Nangasaqui oppidum vel civitas in regno Iaponiae, 9 *b*; ibi martyrium subiere vigintitres martyres Ordinis Minorum S. Francisci Discalceatorum, *ibid.*

Naubertini collegii Ordinis Carmelitarum Parisiensis constitutiones, 569 *a* et *seq.*

Neophytorum et cathecumenorum collegium Romae erectum, 594 *a*; omnes synagogae hebraeorum Status et ducatus Ferrariae et Urbini tenentur ei solvere quoddam tributum, 525 *a*.

Nicolaus de Herrera Sedis Apostolicae nuncius in regno Neapolitano, 478 *a*; illi data facultas procedendi contra episcopos non residentes in suis ecclesiis, *ibid.*

Nicolaus ex comitibus Guidobagni, marchio Montisbelli, Caroli Barberini capitanei generalis totius militiae pontificiae locumtenens deputatus in provincia Romandiolae, 22 *b*; Potestas ei fit Urbini ducatus post Francisci ducis obitum nomine S. Sedis recipiendi armataque tenendi manu, *ibid.*; cum mandato illum tradendi episcopo Caesenatensi et pro tempore existente illius ducatus gubernatori, 23 *a*.

Nicolaus Tornabonus episcopus Burgi sancti Sepulchri, 495 *a*.
Notarii extra Urbem creati, antequam suum officium adoriantur exercere, examine se debent subiicere sub poena nullitatis et falsi, 266 *a*.

O

Oblatorum praepositus praeest regimini seminarii Helvetici Mediolanensis, 604 *b*.
Observantia (de) fratres Minores S. Francisci, *vide* Minorum S. Francisci Ordo.
Octavius archiepiscopus Tarsensis, provinciae Romandiolae praeses, 28 *a;* facultates illi concessae pro derivatione fluminis Rheni, 29 *a* et *seq*.
Octavius Pierleoni, 302 *b;* pauperum advocatus, 303 *a*.
Olivetana congregatio, *vide* Congregatio.
Oratorii congregatio Neapolitana, 614 *b*; ei communicati privilegia quae Romanae concessa sunt, *ibid.* et *seq*.
Oratorii congregatio Romana, 612 *b*; a summis pontificibus approbata, variisque aucta privilegiis, 612 et *seq*.
Ordo B. Mariae de Mercede Redemptionis captivorum, 6 *b;* fratribus Reformatis illius conceditur usus domus et ecclesiae S. Mariae in S. Ioannino in capite de Urbe, 7 *a;* quamplurima illi Ordini concessa privilegia asseruntur, 25 *a* et *b;* magister generalis Calceatorum electum vicarium generalem Discalceatorum, infra quindecim dies confirmare debet, 177 *a* et *seq*. Fratres laici vel conversi transire non possunt ad statum clericalem, 282 *b*.
— Fratres Discalceati Recollecti nuncupati, 66 *b;* ipsorum constitutiones confirmantur, 67 *b;* ipsorum vicarius generalis confirmari debet a generali Calceatorum infra quindecim dies ab electione, 177 *a* et *seq*.
Ordo Camaldulensium. Indultum abbatibus utendi baldacchino et pontificalibus 299 *a*.
Ordo Cappuccinorum, 1 *a;* ad laxiorem Ordinem transire nequeunt absque Romani Pontifici licentia, nec ad Carthusiensem sine licentia ministri generalis, 1 *b;* laici professi praecedunt clericos non professos, 220 *b*. Fratres huius Ordinis Romam sine superiorum generalium licentiâ nequeunt accedere praeterquam e provincia Romana, 241 *a*, *vide* Cappuccinorum.
Ordo Cisterciensium, 179 *a*. Concordia inita inter administratores collegiatae S. Ambrosii Mediolanensis et monachos, *ibid.* Statuta pro regimine congregationis Lombardiae et Tusciae edita et confirmata, 203 *b*. Ac deinde declarata, 361 *b* et *seq*.
Ordo fratrum Eremitarum S. Augustini; *vide* Augustini (S.).
Ordo Minimorum sancti Francisci de Paula, *vide* Minimorum.
Ordo Praedicatorum, *vide* Praedicatorum.
Ordo S. Antonii de S. Antonio Viennensi, *vide* S. Antonii de S. Antonio Ordo.
Ordo S. Basilii. Collegium pro decem monachis Romae institutum, 257 *a* et *seq*.
Ordo SS. Trinitatis Redemptionis captivorum, 96 *b*. Congregatio Discalceatorum Reformatorum in Galliis instituta, 96 *a*. Ministro tamen generali Ordinis subiecta, 96 *b*. A quo etiam provinciales sunt confirmandi, 98 *b*. Alia similis Congregatio in Hispania, 239 *a;* eius fratres possunt eleemosynas petere, et legata,

aliaque subsidia pro Captivorum Redemptione recipere, 239 *b* et *seq.* Huic congregationi comunicata privilegia omnia Ordinum regularium, 387 *b* et *seq.* Quid agendum, si minister generalis non expleto ufficii sui sexennio obierit, 353 *b*; Discalceatis reformatis Hispaniarum vetitum, quominus quemquam ad habitum donatorum admittant, 453 *a*. A iurisdictione ministri generalis Calceatorum eximuntur 520 *b*. Minister generalis congregationis Hispaniarum post sui electionem nulla alia indiget confirmatione, 565 *b*. Fratribus huius Ordinis et congregationis post emissam professionem ab Ordinem Minimorum transire vetitum, 584 *b*. Conventus Barchinonensis erectus, 596 *b*; sed, cum hoc auxilio tribunalis laici factum fuerit, fratres de incursu censurarum insimulantur et ab Urbano absolvuntur, 597 *a* et *b*.

Osnaburgensis academia per Franciscum Gulielmum episcopum instituta, 76 *a* et *seq.* Ceterarum academiarum privilegia ab Urbano Papa concessa, 77 *b*.

P

Palatinatus negotiis congregatio cardinalium praeposita, 231 *a*; irritum declaravit unionem monasteriorum et congregationum Ordinis S. Benedicti congregationi Bursfeldensi eiusdem Ordinis, *ibid.*

Palatinatus nonnulli redditus ecclesiastici Foederi catholico assignantur, 202 *b* et *seq.*

Parochus diebus festis potest ad suum populum praedicare eâ ipsâ horâ qua episcopus praedicat in cathedrali, 235 *b*.

Parochus non debet impedire electionem sepulturae, 642 *a*. Nec plus ab iis accipere, qui in regularium ecclesiis, quam ab iis, qui in propria parochia sepeliuntur, *ibid.*

Paulus Bessus Ferrerius Fliscus, 465 *b*. Marchionatum Masserani, nonnullaque alia loca in feudum obtinet cum onere annuum censum camerae apostolicae persolvendi, 467 *a*.

Paulus Fliscus abbas S. Mariae in Via-Lata Genuae, 605 *b*.

Paulus Lascaris Castellar magnus magister hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, 750 *b*.

Paulus PP. III, sub excommunicationis poena cavit, quominus Indi in servitutem redigantur, aut bonis spolientur, 712 *b*.

Paulus Papa V officium de B. Theresia nonnullis in locis recitari posse concesserat, 545 *a*; et deinde ad totum Castellae veteris regnum extendit, 545 *b*; et ad omnia regum Hispaniarum, *ibid.*; feuda Status Ecclesiastici sine licentia Summi Pontificis vendi prohibet, 556 *b*.

Pauperum advocati officium in romanâ curiâ institutum, 302 *b* et *seq.*

Pax Italiae vel Cheraschi nuncupata, 231 *b*; obsides pro illa confirmanda dati ad Sanctam Sedem et acceptati, *ibid.*

Pensiones transferendi vel reservandi facultates moderantur, 523 *a*.

Petrus Baptista procurator Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum provinciae Philippinarum et Iaponiae, 9 *a*.

Petrus Baptista (Ven.) unus ex vigintitribus martyribus de Ordine Minorum S. Francisci Discalceatorum, 9 *b*.

Petrus cardinalis Pasmanus archiepiscopus Strigonensis, 496 *b* et *seq.*

Petrus episcopus Paphiensis, 105 *a*; Ecclesiae latinae regni Cypri eius administrationi traditae, *ibid.*

Philibertus Ferrerius Fliscus comitatum Masserani, Vercellensis dioecesis, recognoscebat in feuda a camera apostolica, 465 *b*; marchio creatur illius loci, additis castrae et terris Crepacorii, Quirini, Flecchiae et Rinae, 466 *a*.

Philippus (B.) de Iesu, Mexicanae dioecesis, unus de vigintitribus martyribus Iaponensibus Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Discalceatorum, 10 *a*.

Philippus Christophorus archiepiscopus et elector Trevirensis, 626 *b*; a militibus Philippi IV regis Hispaniarum captivatur, *ibid.* Ex mandato Urbani VIII a nuncio apostolico in Belgio in custodiam recipitur, *ibid.* Ex huiusmodi custodia emittitur, 627 *a*. Et in possessione suarum ecclesiarum manutenetur, 629 et *seq.*

Philippo IV Hispaniarum regi facultas concessa subsidium ab ecclesiasticis regni Siciliae accipiendi, 4 *b*; 188 *a* et *seq.*; et Sardiniae, 32 *a* et *b*; 350 *b*; 352 *a*; 423 *b*. Atque etiam pro parandis triremibus contra pyratas, 33 *b*. Recuperationem dominiorum regni Portugalliae in Indiis Orientalibus pertentat, 44 *a*. A censuris absolvitur, in quas incurrerat ob exactum ab ecclesiasticis regnorum Castellae et Legionis quoddam subsidium, 65, *b*. Concordiam hac super re cum ipsis init, 166 *a*. Decima super omnibus beneficiis ecclesiasticis ei concessa ad 600 mille ducata reducitur, 273 *a* et *seq.*, 293 *b*; quae per ipsum clerum exigi debet, 297 *b*; Novum subsidium decem et novem millionum nummorum aureorum cum dimidio alterius millionis ab ecclesiasticis Castellae et Legionis ei persolvendum, 324 *b* et *seq.*; cessante prima decima 600 mille ducatorum, 329 *a*; quae supra ecclesiasticis totius Hispaniae dividitur, 329 *b*. ut subsidium Ferdinando II imperatori pro bello contra haereticos ferret, decimam ab Urbano VIII imponi obtinet super beneficiis suorum regnorum, 468 *a* et *b*, et *seq.* Monetur, ne ecclesiarum bona in Portugalliae regno occupari sinat, 561 *a*.

Philippus Nerius (S.) congregationem Oratorii Romae erigit, 612 *b*.

Poloniae clero facultas data subsidium regi tribuendi, 445 *a*. Episcopis potestas facta prorogandi tempus pro communione paschali, 451 *a*; episcopi, ut ad regni comitia accedant, cogi possunt ab archiepiscopo Gnesnensi, 457 *a*.

Portiunculae indulgentia extenditur ad omnes fratrum Minorum ecclesias in Italiâ existentes, 233 *a*.

Portugalliae regni eclesiasticis quodam vectigal imponitur, 43 *b*; 117 *b*; cum Philippo rege conveniunt supra donativis, 141 *a*.

Praecedentiae inter Ordines regulares definiuntur, 631 et *seq.*

Praedicatorum Ordo 453 *b*. Fratribus in Indiis commorantibus extra claustra degere vetitum, 454 *a*. Nonnisi in conventibus pro novitiatu designatis professionem emittere possunt, 464 *a*; aliter professi ad novam emittendum professionem admittuntur absque nova acceptatione vocalium, 464 *b*. Nemini Fratrum negocium aliquod in romana curia inconsulto procuratore generale tractare licet,

464 *b*. In romana provincia nonnisi viginti magistri designandi, 723 *a*. Priores vero biennales tantummodo esse debent, 724 *a*.

Pragellae vallis Taurinensis dioecesis diversarum haeresum labe infecta, 133 *a;* a rege Francorum expurgari et ad fidem catholicam restitui curatur, *ibid.*

Primi Instituti fratres Carmelitae seu seminarii de Propaganda Fide vulgo de Monte Sancto nuncupato, quomodo a fratribus Discalceatis S. Theresiae distinguantur, 472 *a*, *vide* Carmelitarum Ordo.

Privilegiorum communicationes amplissimae revocantur, 11 *a*.

Processiones faciendi methodus praescribitur regularibus et confraternitatibus, 454 *b*.

Prohibitio legendi libros, 217 *a;* licentiae desuper datae revocantur, 217 *a* et *b*.

Propaganda (De) Fide collegium, *vide* Collegium.

R

Redemptionis captivorum Ordo B. Mariae, *vide* Ordo B. Mariae.

Redemptionis captivorum Ordo SS. Trinitatis, *vide* Ordo SS. Trinitatis.

Registratio in camerâ apostolicâ gratiarum interesse ipsius camerâ concernentiam, 155 *b;* limitatur et declaratur, 156 *a*.

Regulares audire nequeunt confessiones sacramentales secularium sine Ordinariorum licentia, 11 *a* et *b;* abutuntur facultate bullae cruciatae eligendi confessarium, 145 *b;* declaratur hanc facultatem ad ipsos minime extradi, *ibid.*, si novitiatum extra loca a constitutionibus apostolicis designata fecerint, professionem debent renovare, 215 *b*. Constitutionibus apostolicis pro tribunali sacrae Inquisitionis editis comprehenduntur, nisi specialiter ipsi excipiantur, 249 *b* et *seq*. De earum observantiâ saepe sunt suis a superioribus admonendi, 357, *b*. Non possunt impediri, quominus defunctorum cadavera associentur, 349, *a*.

Regularibus non licet processiones extra claustra vel ambitum propriae ecclesiae facere sine licentia parochi, dummodo non habeant speciale indultum a sancta Sede Apostolica, 454 *b*. Qui votum emittunt de non petenda, seu accipienda extra suum Ordinem quacumque dignitate, per translationem, aut habitus dimissionem, huiusmodi vinculo non dissolvuntur, 475 *b*.

Residentia episcoporum in suis ecclesiis stricte praecipitur etiam cardinalibus, omni causa cessante, praeterquam pro visitatione liminum apostolicorum, et cardinalibus in vacationem Sedis Apostolicae, 457 *b* et 461 *a; vide* Episcopi. Contra episcopos non residentes data facultas procedendi nuncio Neapolitano pro illo regno, 478 *a;* et auditori camerae pro omnibus, 527 *b*.

Rheni flumen in territoriis Bononiensi et Ferrariensi, 28 *b;* plura opera facta pro illius derivatione et expurgatione, *ibid.* et *seq*. Huiusmodi fluminis remotio perpetua erit, 46 *a*.

Riccardus Paulus Stranius, archidiaconus Atrebatensis, monasteria congregationis sanctissimi Salvatoris, seu S. Birgittae visitat, 667 *b;* praefectus capituli generalis institutus, 668 *a*.

Robertus tituli S. Praxedis cardinalis Ubaldinus monachorum Cisterciensium protector, 279, *a*.

Romanorum regis electio qua methodo sit facienda, 556 *a* et *b*.
Romanus Pontifex contra episcopos non residentes suis in ecclesiis procedere potest, 457 *b*.
Russiae metropolitae conceduntur litterae inhibitoriales ne novi conventus erigantur in pago Zyroviciae eiusque districtu, 475 *a*.

S

Salamantinum collegium S. Theresiae Ordinis Carmelitarum, 443; inibi possunt, conferri et suscipi gradus et laurea magisterii seu doctoratus, 444 *a*.
Salvatoris (S.) Maioris monasterium de Urbe, 85 *a*; ipsius reformatio curatur a Paulo Papa V, *ibid.*, unitur Congregationi Cassinensi, 85 *b*; unio revocatur a Gregorio Papa XV, 86 *a*; Urbanus Papa VIII in illo regularitatem supprimit, 87 *a* et *b*, et ad statum secularem reducit, 88 *b*; monachos omni iure privat et ad domos suas remittit, *ibid.*; ecclesiam S. Salvatoris parochialem facit, 89 *a*, et prioratus in vicarias erigit pro presbyteris secularibus, *ibid.*; ex redditibus seminarium vel plura seminaria clericorum erigi iubit, 91 *a* et *seq.*
Salvatoris (S.) provincia fratrum Minorum S. Francisci strictioris observantiae in Hungaria, 100 *b*; petit uniri fratribus Reformatis Discalceatis, et subiicitur ministro generali Italicae nationis, 100 *b* et *seq.*
Salvatoris (S.), sive S. Birgittae in Belgio congregatio, 667 *a*. A Clemente VIII instituta et a Gregorio XV statutis ordinata, *ibid.* A Riccardo Paulo Stranio archidiacono Atrebatensi visitatur, 667 *b*. Confirmatur ab Urbano VIII, *ibid.*; ab episcoporum iurisdictione eximitur 668 *a*.
Sardiniae ecclesiasticis indultum conceditur subsidium regi persolvendi, 32 *a* et *b*; 350, *b*; et facultas ipsis datur parandi octo triremes pro regni defensione, 33 *b*.
Sarsinatensis ecclesia, 306, *b*. Ab ea dismembratae suplhuris fodinae, quae camerae apostolicae addicuntur, *ibid.*
Scholarum Piarum Matris Dei Clerici Regulares eximuntur a publicis processionibus et aliis actibus publicis, 64 *b*; aliis interdicitur erectio *Scholarum Piarum* et delatio habitus ipsorum, 155 *a*.
Seccoviensis episcopus deputatus ab archiepiscopo Thessalonicensi in visitatorem illius partis patriarchatus Aquileiensis quae subest Romanorum regi, 463 *a*.
Seminarium Romanum, a Pio Papa IV in Urbe institutum, 79 *a*; perpetua taxa seu collecta imposita pro ipsius sustentatione, 79 *b*; nota monasteriorum, capitulorum, etc., quae manutentioni illius contribuere debeat, et taxa contributionis singulis imposita, 79 *b* et *seq.*; regimen illius committitur Societati Iesu, 82 *a*.
Setae confectio a mense martio ad mensem iulium potest etiam diebus festivis fieri, 598 *b*.
Siciliae ecclesiasticis permittitur subsidium pecuniarum regi persolvere, 4 *a* et *seq.*; 188 *a* et *seq.*
Sixtus Papa V castra in Statu Ecclesiastico existentia sine pontificis licentia vendi prohibet, 556 *b*; 616 *a* et *b*.
Societas Iesu, 37 *a*, illi traditur regimen collegii Fuldensis in Germania, *ibid.*;

item seminarii Romani, 82 *a*; ipsius religiosi non possunt uti indultis cruciatae, 55 *a*; votorum, quae ab eis emitti solent, dispensatio soli Romano Pontifici reservata, 270 *a*; in voto de non acceptandis dignitatibus eae omnes comprehenduntur dignitates et officia, quae annexam habent iurisdictionem, 272 *a*; indulgentia plenaria visitantibus ecclesias Societatis in die festo S. Francisci Xaverii, etiamsi in aliam diem transferatur, 684 *b*.

Somasca (de) clerici regulares, *vide* Congregatio clericorum regularium de Somasca.

Spiritus Sancti militia, 251 *a*; exteri in eam admitti possunt, 252 *a*; atque etiam aetate minores, 319 *b*.

Spoliorum subcollectorum crimina etiam post officium dimissum ab ordinariorum iudicum iurisdictione subtrahuntur, 532 *a*; attamen ne maior delinquendi libertas nascatur, collectores spoliorum ius habent privandi subcollectores tali exemptione, 532 *b*.

Status Ecclesiastici feuda exteris non vendenda sine licentia Pontificis, 616 *b*; si vendantur, titulus ducatus, principatus etc. in emptorem non transfertur, nisi in hoc etiam Pontificis indultum accedat, 721 *b* et *seq*.

Stephanus Duratius camerae apostolicae thesaurarius generalis, 122 *b*.

Subsidii mons vacabilis in Urbe erectus, 120 *a*.

T

Tardon (del) et vallis de Gualleguillos duo monasteria Ordinis S. Basilii ad primitivam regulam a Clemente Papa VIII redacta, 116 *b*; ab Urbano VIII confirmantur in suis exemptionibus et privilegiis, 117 *a*; numerus choristarum et laicorum in illis praescribitur, 742 *a*.

Terrae Sanctae necessitates commendentur ab Ordinariis locorum et concionatoribus verbi Dei in Adventu et Quadragesima, 370 *b*.

Thaddaeus Barberinus Romae praefectus et Praenestinus princeps, 582 *b*.

Thaddaeus Collicula medicus secretus Urbani VIII, 599 *b*; Lector artis medicinae in Gymnasio Romano designatur, *ibid*.

Theodorus cardinalis Trivultius, 179, *a*.

Theodorus Stratius prior generalium Ordinis Carmelitarum, 443 *b*; 569 *a*; heremum in Gallia erigi sinit, 717 *a* et *b*.

Theresiae (S.) fratres Discalceati quomodo distinguuntur a fratribus Primi Instituti seu seminarii in Propaganda Fide vulgo de Monte Sancto nuncupatos, 472 *a*, *vide* Carmelitarum Ordo.

Theresiae (S.) virginis officium a S. congregatione rituum approbatum, 546 *a* et *b*.

Thessalonicensi archiepiscopo committitur ut deputet episcopum Seccoviensem in visitatorem illius partis patriarchatus Aquileiensis quae subdita est Ferdinando Romanorum regi in imperatorem electo, 463 *a*.

Tiberius tituli S. Priscae card. Mutus, 9 *b*; refert supra causam canonizationis vigintitrium martyrum Ordinis Minorum S. Francisci Discalceatorum, *ibid*.

Toletanum concilium cavet quominus dignitates in capitulis obtinentes appellationum iudices sint, 606 *b*.

Torokania villa addicitur collegio Ruthenorum erigendo pro instruendis Ruthenis et Moscovitis, 318 et *seq.*

Trevirensis archiepiscopus per decennium custodia detentus nomine Sanctae Sedis, 626 *b*; liberatur, 627 *a*; ipsius iura servantur, 629 et *seq.*

Tridentina Synodus, *sess.* VI *c.* I *de reformatione*, poenas contra episcopos non residentes statuit, 13 *a*.

Trinitatis (SS.) Redemptionis captivorum Ordo, *vide* Ordo SS. Trinitatis.

Turcarum tyrannus ab Europae finibus aliquando christianorum armis detrudendus, 686 *a*.

Turoniae provincia Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia reformatur, 535 *a* et *seq.*

Turretani archiepiscopatus cancellaria, 625 *a*; decreta pro bono regimine illius, 625 *b*.

U

Universitas exoneratorum cymbarum Romae instituta 636 *b*; sua statuta condit, *ibid.*; Quae ab Urbano VIII confirmantur, 638 *b*.

Urbanae constitutiones pro Ordine fratrum Minorum S. Francisci Conventualium, 14 *a*.

Urbaniae episcopatus erectus 515 *a*; eidem oppidum Mercatelli addicitur, 562 *a*

Urbanum collegium de Propaganda Fide, *vide* Collegium.

Urbanus Papa VIII procedit contra Cyrillum pseudopatriarcham Constantinopolitanum, 2 *b*; deputat cardinalem S. Honuphrii in praesidem visitationis ecclesiarum et piorum locorum Urbis, 8 *a* et *seq.*; facultatesque concedit visitatoribus, 14 *seq.*; fortalitium *Forte Urbano* extruere facit, 17 *b*; tuetur iura Sedis Apostolicae in ducatu Urbini, 22 *a* et *seq.*; 191 *b*; 227 *a*; 254 *a*; 310 *b* et *seq.*; flumen Rheni a suo alveo removere facit, 28 *a* et *seq.*; 46 *b*; Fuldense collegium denuo instituit, 35 *a* et *seq.*; iubilaeum vel indulgentiam plenariam indulget, 47 *a* et *seq.*; 113 *b*; 148 *a* et *seq.*; 384 *b*; prohibet ecclesiasticis publice legere leges, medicinam vel alias artes liberales, 59 *b*; facultatem concedit transigendi cum imperatore Romanorum super bonis ecclesiasticis regni Bohemiae, 69 *b* et seq., 331 *a* et *seq.*; academiam Osnaburgensem erigi curat, 75 *b* et *seq.*; seminarii Romani dotem tuetur, 79 *b* et *seq.*; supprimit monasterium S. Salvatoris Maioris et prioratus ab ipso dependentes, 84 *a* et *seq.*; episcopo Paphiensi demandat visitationem omnium ecclesiarum latinarum regni Cypri, 105 *a*; subvenit Reipublicae Venetae contra Turcas, 105 *b* et *seq.*; Caietanum Thienaeum Beatum declarat, 111 *a* et *b*; montem vacabilem *subsidii* nuncupatum erigit, 120 *a* et *seq.*; confirmat quae acta sunt pro restituendo exercitio religionis catholicae in valle Pragellae Taurinensis dioecesis, 132 *b* et *seq.*; facultates tribuit cardinali Barberino pro re catholica in regnis Angliae et Scotiae administranda, 136 *b* et *seq.*; plura praescribit pro hospitali S. Ioannis Hierolymitani, 150 *b* et *seq.*; venerabilem Ioannem Dei inter Beatos recenset, 174 *b*; decimas imponit super fructibus

ecclesiasticis Italiae pro subventione Germaniae, 192 *b* et *seq.*; basilicae Vaticanae subsidium assignat, 199 *b*; Foederi catholico assignat fructus quosdam ecclesiasticos, 201 *b* et *seq.*, 219 *a* et *b*; contra astrologos iudiciarios decernit, 211 *b* et *seq.*; Lucanis concedit ecclesiam S. Bonaventurae de Urbe, 221 *b* et *seq.*; iura metropolitica moderatur, 225 *b* et *seq.*; 228 *b* et *seq.*; pro pace Italiae tuenda obsides accipit ab utraque parte, 231 *b*; 246 *seq.*; festum Conceptionis B. M. V. Immaculatae duplex primae classis pro ecclesia S. Iacobi de Urbe declarat, 261 *a* et *b*; de officio notariatus plura praescribit, 261 et *seq.*; Ordinario Genuensi facultatem tribuit inquirendi contra conspiratores in Rempublicam, 278 *a*; contra Gasparem card. Borgiam protestatur et plura decernit, 280 *b* et *seq.*; facultatem tribuit procedendi contra personas ecclesiasticas quidquam contra personam et Statum regis christianissimi molientes, 301 *a* et *seq.*; erigit officium advocati pauperum in Urbe, 302 *a* et *seq.*; missiones ad Iaponicas et alias regiones Indiarum Orientalium promovet, 320 *a* et *seq.*; declarat annos pontificatus a die assumptionis suae die non autem coronationis esse computandos, 356 *a*; Terrae Sanctae necessitates concionatoribus commendandas populis committit, 370 *b*; absolvit ducem de Espernon ad tempus a censuris cum reincidentia, 376 *b* et *seq.*; imponit super fructibus ecclesiasticis Italiae pro Germaniae necessitatibus, 378 *a* et *seq.*; episcopos orbis monet, ut suis in dioecesibus resideant, 457 *b*; 478 *a*; 491 *a*; 527 *a* et *b*; Patriarchatus Aquileiensis partem, quae Romano imperatori subest, per Tessalonicensem archiepiscopum visitari curat, 463 *a*; Philippo IV Hispaniarum regi potestatem facit decimam super bonis ecclesiasticis suorum regnorum imponendi ut Ferdinando II Romano imperatori opem ferat, 468 *a*. Declarat constitutiones, quibus revocantur vivae vocis oracula, illos non comprehendere officiales, quibus ratione muneris fides haberi solet, 474 *b*. Cavet ne archiepiscopus Trevirensis a militibus regis Hispaniarum detineatur, 485 *a*. Urbaniae episcopatum erigit, 515 *a*. Philippum IV Hispaniarum et Portugalliae regem monet, ne bona ecclesiastica occupari sinat, 560 *b*; Sixti V constitutionem de feudis Status Ecclesiastici exteris neque vendendis neque locandis sine Pontificis licentia renovat, 556 *b*; 616 *a* et *b*. Iuribus S. R. E. in electione et confirmatione imperatoris Romanorum consulit, 622 *b*; electionem Ferdinandi III confirmat, 674 *b* et *seq.*; Venetis praesto est in bello contra Turcas, 686 *a*. Immunitati ecclesiasticae in dioecesi Saguntina consulit, 708 *b* et *seq.*

Urbini collegium doctorum institutum, 538 *b*; tredecim doctores pro causis cognoscendis ex eius gremio eligendi, 539 *a*; ex iis quinque debent esse ecclesiastici 539 *b*.

Urbini ducatus, eveniente morte Francisci Mariae ducis, ad cameram apostolicam devolvitur, 22 *b*, 191 *b*; omnia documenta ad ipsum ducatum spectantia tradenda sunt episcopo Senogalliensi ipsius gubernatori, 192 *a*; modus gubernii illius ad formam et methodum regiminis aliorum locorum Status Ecclesiasticis reducitur, 310 *b*.

V

Vallisoletanum collegium, 496 *a*; nullus collegialium plusquam novem annis et duobus mensibus commorari in eo potest, *ibid.*

Vaticana Basilica. Decem millo ducati aurei ex redditibus cruciatae Portugalliae annuatim ei addicti, 200, *a*; item ei addicuntur pecuniae quae restituendo forent clero Neapolitano pro quodam vectigali, 484 *a*; 487 *a*; 601 *b*.

Venetorum Respublica nobilissima 106 *a*; magnum Italiae munimentum, ac firmissimum maris Adriatici propugnaculum, 686 *a*; ad bellum contra Turcas parandum excitatur, *ibid.*; decimae impositae super bonis ecclesiasticis in dominio illius existentibus pro subsidio illi adiungendo, 107 et *seq.*; ei nonnullae concessae decimae super bonis ecclesiasticis in subsidium belli contra Turcas, 686 *a*; atque etiam super pensionibus, 686 *b*; per ecclesiasticas personas exigendae, 688 *b*.

Viennensis concilii lege cavetur, quominus occasione decimarum ab ecclesiasticis solvendarum sacra supellectilia vendantur, aut ullo modo distrahantur, 690 *a*.

Vigintitres Martyres Iaponenses Ordinis S. Francisci de Observantia Discalceatorum, 9 *b*.

Vivae vocis oracula revocantur, 258 *b* et *seq.*; etiam cardinalibus facta, 473 *b*; revocatio autem non comprehendit illos officiales quibus ratione munerum suorum antea de Summi Pontificis oraculis fides haberi solebat, 474 *a*.

Wladislaus IV Poloniae et Sveciae rex, 360 *b*, 445 *a*; illi facta facultas accipiendi subsidium ab ecclesiasticis regni Poloniae pro regni necessitatibus, 444 *b*.

Wratislaviensis civitatis ecclesiae cathedralis et collegiatae S. Crucis visitatio indicta, et reformatio, 270 *b* et *seq.*

Z

Zenobius episcopus Burgi S. Sepulchri, *vide* Burgi S. Sepulchri.

Zyroviciae in pago eiusque districtu ne novi conventus erigantur, 475 *a*.

INDEX INITIALIS.

A

Acceptis nuper a charissimo, 622.
Ad clavum apostolicae servitutis, 140.
Ad militantis ecclesiae regimen, 95.
Admonemur pastoralis officii nostri, 749.
Ad occurrendum motibus, 512.
Ad uberes fructus, quos dilecti filii, 154.
Ad universalis Ecclesiae regimen, 324.
Aliàs a felicis record. Pio PP. V, 112.
Aliàs a fel. record. Gregorio PP. XIII, 648.
Aliàs a fel. record. Gregorio PP. XIV, 708.
Aliàs a fel. record. Paulo PP. V, 32.
Aliàs a fel. record. Paulo PP. V, 545.
Aliàs a fel. record. Gregorio PP. XV, 506.
Aliàs a nobis emanarunt litterae, 117.
Aliàs a nobis emanarunt litterae, 200.
Aliàs a nobis emanarunt litterae, 201.
Aliàs a nobis emanarunt litterae, 208.
Aliàs a nobis emanarunt litterae, 223.
Aliàs a nobis emanarunt litterae, 236.
Aliàs a nobis emanarunt litterae, 260.
Aliàs a nobis emanarunt litterae, 294.
Aliàs a nobis emanarunt litterae, 350.
Aliàs a nobis emanarunt litterae, 361.
Alias a nobis emanarunt litterae, 490.
Aliàs a nobis emanarunt litterae, 503.
Aliàs a nobis emanarunt litterae, 547.
Aliàs a nobis emanarunt litterae, 584.
Aliàs a nobis emanarunt litterae, 663.
Aliàs a nobis emanarunt litterae, 664.
Aliàs a nobis emanarunt litterae, 700.
Aliàs a venerabilibus fratribus, 670.
Aliàs, cum Gaspar episc. Albanensis, 291.
Alias fel. record. Paulus PP. V, 309.
Aliàs fel. record. Gregorius PP. XV, 258.
Aliàs felicis record. Gregorius XV, 684.
Aliàs fel. record. Gregorius PP. XV, 473.
Aliàs felicis record. Paulo PP. V, 693.
Aliàs nos, dilectorum filiorum, 501.
Aliàs nos, in subventionem charissimi, 293.
Aliàs nos, per nostras in simili forma, 596.
Aliàs, ob funestos haereticorum, 468.
Aliàs, per felicis recordationis Clementem PP. VIII, 12.
Aliàs, per nos accepto quod, 426.
Aliàs, per nos accepto, quod, 464.
Aliàs, postquam fel. record. Clementem PP. VIII, 585.
Aliàs, pro parte dilecti filii Petri, 9.
Aliàs recol. memor. Gregor. PP. XIII, 531.
Aliàs, sub die xx augusti, 630.

Aliàs, supplicationibus dilecti filii, 589.
Alma et pia mater Ecclesia, 376.
Altitudo divinae providentiae, 580.
Apostolatus nobis desuper creditum, 540.
Apostolatus officium humilitati, 374.
Apostolatus officium humilitati, 375.
Apostolatus officium nobis, 217.
Assidua de nostris et sanctae, 28.
Attendentes universo gregi, 528.

C

Caelestis Hierusalem cives, 436.
Certis de causis animum nostrum, 475.
Christi Salvatoris nostri, 668.
Circumspecta Sedis Apostolicae, 490.
Complura pietatis et charitatis, 138.
Conservationi et manutentioni, 610.
Conservationi et manutentioni, 662.
Constantis et eximiae devotionis, 465.
Constantis vestrae fidei, 673.
Constantis fidei et sincerae, 690.
Commissi nobis per abundantiam, 60.
Commissi nobis per abundantiam, 176.
Commissum nobis a Domino, 712.
Considerantes ducatum Urbini, 191.
Creditum humilitati nostrae, 22.
Cum ad salutem animarum, 58.
Cum aliàs in regnis Castellae, 355.
Cum aliàs piae mem. Iulius PP. III, 524.
Cum anno proxime venturo, 672.
Cum annis praeteritis non sine, 626.
Cum ea, quae propter iustas, 730.
Cum capitulum generale fratrum, 150.
Cum capitulum generale fratrum, 218.
Cum evenire quandoque possit, 673.
Cum hodie per alias nostras, 629.
Cum maiestas tua per suas litteras, 319.
Cum nos hodie in sexdecim, 153.
Cum nos nuper considerantes, 272.
Cum nos nuper subventionem, 276.
Cum nuper Gaspar episcopus Alban., 283.
Cum nuper, ut intolerabilibus, 46.
Cupientes dilectis filiis monachis, 300.
Cupientes prospero felicique, 152.
Cupientes, ut in maiori, 279.
Cupientes, ut in monasterio, 345.
Cum ob praesentium temporum, 556.
Cum post factam de persona tua, 678.
Cum rationi minus consentaneum, 721.
Cum residentia a sacris canonibus, 478.
Cum residentia a sacris canonibus, 491.
Cum S. R. E. cardinales, qui circa, 210.
Cum, sicut accepimus, 463.
Cum, sicut accepimus, aliquibus, 10.
Cum, sicut accepimus, ecclesia, 306.
Cum, sicut accepimus, ex frequent., 640.
Cum, sicut accepimus, dilecti filii, 563.
Cum, sicut accepimus, dilecti filii, 444.
Cum, sicut accepimus, dilectus filius, 651.
Cum, sicut accepimus, dilectis filiis, 714.
Cum, sicut accepimus, diversorum, 475.
Cum, sicut accepimus, in Congreg., 452.
Cum, sicut accepimus, patriarchatus, 463.
Cum, sicut accepimus, in controversiis, 19.
Cum, sicut accepimus, in provincia, 639.
Cum, sicut accepimus, licet anni, 356.
Cum, sicut accepimus, licet aliàs, 500.
Cum, sicut accepimus, ob causam, 498.
Cum, sicut accepimus, pro perfect., 231.
Cum, sicut accepimus, princeps, 554.
Cum, sicut accepimus, publicam, 599.
Cum, sicut accepimus, plures Romani, 155.
Cum, sicut accepimus, S. Benedicti, 248.
Cum, sicut dilectae in Christo filiae, 621.
Cum, sicut dilectae in Christo, 704.
Cum, sicut dilecti filii, 711.
Cum, sicut dilecti filii, communitas, 598.
Cum, sicut dilecti filii fratres, 609.
Cum, sicut dilecti filii fratres, 611.
Cum, sicut dilectus filius, 671.
Cum, sicut dilectus filius Angelicus, 660.
Cum, sicut dilectus filius Didacus, 6.
Cum, sicut dilectus filius frater, 497.
Cum, sicut accepimus, in ecclesia, 743.
Cum, sicut dilectus filius Michaël, 373.
Cum, sicut dilectus filius modernus, 560.
Cum, sicut dilectus filius procurator, 352.
Cum, sicut dilectus filius procurator, 642.
Cum, sicut ex litteris dilecti filii, 246.

Cum, sicut ex litteris dilecti filii, 247.
Cum, sicut pro parte dilectorum, 538.
Cum, sicut nobis innotuit, 79.
Cum, sicut nobis nuper exponi, 198.
Cum, sicut nobis nuper exponi, 224.
Cum, sicut nobis nuper exponi, 233.
Cum, sicut nobis nuper exponi, 348.
Cum, sicut nobis nuper exponi, 697.
Cum, sicut nobis nuper expositum, 692.
Cum, sicut nos, non sine gravi, 2.
Cum, sicut dilectus filius Ioannes, 750.
Cum, sicut nuper exponi fecisti, 443.
Cum, superioribus mensibus, 485.
Cum vices illius, qui regnat, 674.

D

Debitum pastoralis officii nobis, 63.
Decet Romanum Pontificem, 16.
Decet Romanum Pontificem, 296.
Decet nos ex pastoralis officii nostri, 748.
De iuribus ecclesiarum, 457.

E

Ex clementi Sedis Apostolicae, 24.
Ex commissi nobis per abundantiam, 302.
Ex debito pastoralis officii saluti, 320.
Ex dignis et rationalibus causis, 311.
Exhibita a nobis nuper pro parte, 487.
Eximius maiestatis tuae orthodoxae, 33.
Ex incumbenti nobis apostolici, 123.
Ex incumbenti nobis apostolici, 567.
Ex incumbenti nobis desuper, 239.
Ex iniuncti nobis apostolici muneris, 724.
Exponi nobis nuper fecerunt, 42.
Exponi nobis nuper fecerunt, 50.
Exponi nobis nuper fecerunt, 147.
Exponi nobis nuper fecerunt, 230.
Exponi nobis nuper fecerunt, 238.
Exponi nobis nuper fecerunt, 278.
Exponi nobis nuper fecerunt, 282.
Exponi nobis nuper fecerunt, 451.
Exponi nobis nuper fecerunt, 482.
Exponi nobis nuper fecerunt, 558.
Exponi nobis nuper fecerunt, 588.
Exponi nobis nuper fecerunt, 600.
Exponi nobis nuper fecerunt, 635.
Exponi nobis nuper fecit charissimus, 4.
Exponi nobis nuper fecit venerabilis, 23.
Exponi nobis nuper fecit dilectus, 41.
Exponi nobis nuper fecit charissimus, 43.
Exponi nobis nuper fecit venerabilis, 50.
Exponi nobis nuper fecit dilectus, 55.
Exponi nobis nuper fecit, 68.
Exponi nobis nuper fecit, 71.
Exponi nobis nuper fecit, 103.
Exponi nobis nuper fecit, 187.
Exponi nobis nuper fecit, 225.
Exponi nobis nuper fecit, 287.
Exponi nobis nuper fecit, 318.
Exponi nopis nuper fecit, 352.
Exponi nobis nuper fecit, 456.
Exponi nobis nuper fecit, 496.
Exponi nobis nuper fecit, 409.
Exponi nobis nuper fecit, 526.
Exponi nobis nuper fecit, 535.
Exponi nobis nuper feeit, 565.
Exponi nobis nuper fecit, 605.
Exponi nobis nuper fecit, 625.
Exponi nobis nuper fecit, 593.
Exponi nobis nuper fecit, 634.
Exponi nobis nuper fecit, 661.
Exponi nobis nuper fecit, 717.
Expositum nobis nuper fuit, 344.
Exposuit nobis charissimus, 301.
Exposuit nobis nuper dilectus, 527.
Exposuit nobis nuper dilectus, 566.
Ex quo regimen univers. Ecclesiae, 519.

F

Felici ac prospero collegii, 102.
Felici ac prospero ecclesiarum, 105.

G

Gregis Dominici animarum saluti, 612.
Gregis Dominici cura a Salvatore, 178.

H

Hodie, per alias nostras in simili, 199.
Hodie pro parte charissimi, 327.
Hodie pro parte dilectorum, 483.

Hodie pro parte dilectorum, 601.
Hodie pro parte dilectorum, 602.

I

Impensarum moles, quas his, 119.
In apostolicae dignitatis speculâ, 308.
In his apostolici muneris, 723.
In his pastoralis officii nostri, 741.
In iis praecipue sollicitudinis, 645.
Iniuncti nobis a Domino apostolici, 650.
Iniuncti nobis apostolici muneris, 1.
Iniuncti nobis desuper apostolici, 726.
Iniuncti nobis per abundantiam, 353.
Iniuncti nobis per abundantiam, 719.
Iniunctum nobis desuper, 453.
In quantis eorum augustiis, 489.
Inscrutabilis iudicorum Dei, 211.
In sede Principis Apostolorum, 111.
In sede Principis Apostolorum, 174.
In sede Principis Apostolorum, 203.
In specula militantis Ecclesiae, 144.
In specula militantis Ecclesiae, 241.
In supereminenti Sedis Apostolicae, 221.
In supremâ pastoralis officii, 261.
In supremo apostolatus solio, 568.
In supremo iustitiae solio, 478.
Inter ceteras apostolicae servitutis, 59.
Inter ceteras apostolicae servitutis, 61.
Inter ceteras apostolicae sollicitud., 472.
Inter ceteras apostolicae servitutis, 744.
Inter ceteras, quibus assidue, 368.
Inter gravissimas multiplicesque, 69.
Inter gravissimas multiplicesque, 256.
Inter gravissimas multiplicesque, 442.
Inter gravissimas multiplicesque, 522.
Inter gravissimas multiplicesque, 579.
Inter gravissimas pastoralis nostrae, 136.
Irritatus assiduis humani generis, 113.
Iteratis precibus, atque indictis, 384.
Iustis et honestis christifidelium, 27.

L

Licet aliàs felicis recordationis, 547.
Licet episcopus Albanensis, 289.
Licet omnia in christifidelium vota, 429.
Licet vigore tuarum facultatum, 534.

M

Magnis causis adducti concessionem, 423.
Magnum in Christo et in Ecclesia, 595.
Maiestatis tuae nomine nobis, 251.
Maiestatis tuae votis, quae, 251.
Militantis Ecclesiae regimini, 51.
Militantis Ecclesiae regimini, 219.
Militantis Ecclesiae regimini, 346.
Militantis Ecclesiae regimini, 446.

N

Nuper a nobis emanarunt litterae, 14.
Nuper a nobis emanarunt litterae, 65.
Nuper a nobis emanarunt litterae, 150.
Nuper a nobis emanarunt litterae, 175.
Nuper a nobis emanarunt litterae, 190.
Nuper a nobis emanarunt, 488.
Nuper, certis de causis animum, 152.
Nuper, certis de causis animum, 154.
Nuper nos, ingentes orthodoxae, 378.
Nuper nos, in subventionem, 277.
Nuper pro parte dilecti filii, 298.
Nuper pro parte dilecti filii, 440.
Nuper pro parte dilecti filii, 677.
Nuper pro parte dilecti filii, 724.
Nuper pro parte dilectorum, 220.
Nuper pro parte dilectorum, 234.
Nuper pro parte dilectorum, 349.
Nuper pro parte dilectorum, 371.
Nuper pro parte dilectorum, 454.
Nuper pro parte dilectorum, 486.
Nuper pro parte dilectorum, 496.
Nuper pro parte dilectorum, 544.
Nuper pro parte dilectorum, 604.
Nuper pro parte dilectorum, 647.
Nuper pro parte dilectorum, 654.
Nuper pro parte dilectorum, 659.
Nuper pro parte dilectorum, 665.
Nuper pro parte dilectorum, 667.
Nuper pro parte dilectorum, 696.

Nuper pro parte venerabilis, 228.
Nuper pro parte venerabilis, 603.
Nuper pro parte venerabilium, 493.

O

Olim felicis recordationis Sixtus V, 616.
Omnes et singuli Ecclesiae, 280.
Onerosa pastoralis officii cura, 634.
Onerosa pastoralis officii cura, 746.

P

Pater misericordiarum et totius, 148.
Paternae ac praecipuae charitatis, 233.
Paterna de nostris et Sanctae, 161.
Pastorali charitate, qua gregem, 391.
Pastoralis officii nobis ex alto, 116.
Pastoralis officii nostri debitum, 560.
Pastoralis officii nostri onus, 14.
Postquam venerabilis frater, 627.
Pro excellenti praeeminentia Sedis, 513.
Pro nostro munere in his partes, 166.
Prospero felicique dilectorum, 729.
Publicae quietis zelo ducti, 642.

Q

Quamvis ad ubertatem in alma, 705.
Quamvis, iuxta canonicas sanctiones, 655.
Quamvis, tam de iure, quam, 556.
Quod a Romanis Pontificibus, 17.
Quoniam divinae bonitati visum est, 35.
Quoniam in regimine Urbinatensis, 227.
Quoniam in regimine Urbinatensis, 310.
Quoniam nemo debet sibi, 698.

R

Ratio pastoralis officii sollicite, 265.
Redemptoris nostri Iesu Christi, 387.
Regis pacifici vices quamquam, 127.
Religiosos viros, qui, abiectis, 511.
Religiosos viros, qui, spretis, 215.
Romanum decet Pontificem, 242.
Romanum decet Pontificem, 455.
Romanus Pontifex ad ea, 54.
Romanus Pontifex ad ea, 63.
Romanus Pontifex, aequi bonique, 739.
Romanus Pontifex in Sede, 304.
Romanus Pontifex, universalis, 157.

S

Sacri apostolatus ministerio, 66.
Sacri apostolatus ministerio, 393.
Sacrosanctae militantis Ecclesiae, 105.
Sacrosanctae militantis Ecclesiae, 685.
Sacrosanctum apostolatus minist., 100.
Sanctae et immaculatae Virginis, 253.
Sancta mater Ecclesia, quae, 284.
Sancta mater Ecclesia, super, 331.
Sancta synodus Tridentina, 457.
Sanctissimus Dominus noster, 357.
Salvatoris et Domini nostri, 75.
Salvatoris et Domini nostri, 370.
Sedes Apostolica pia mater, 126.
Sincerae fidei et devotionis, 633.
Singulari diligentià et exactissimà, 84.
Singularia atque eximia charissimi, 360.
Singularia circumspectionis tuae, 8.
Speculatores domus Israel, 312.
Super universas orbis ecclesias, 652.
Supplici christifidelium voce, 254.
Suprema dispositione illius, 192.

T

Tuis in nos et hanc Sanctam Sedem, 57.

U

Unanimi catholicae Ecclesiae, 286.
Universalis Ecclesiae regimini, 74.
Universalis Ecclesiae regimini, 132.

V

Volentes nos, pro eo, quo, 424.
Vota, quae Deo fiunt, omnino, 270.
Votis et precibus pro sanctae, 47.

INDEX RUBRICARUM

CONSTITUTIONUM

URBANI PP. VIII

AB ANNO SEXTO SACRI EIUS PRINCIPATUS AD TOTUM DECIMUMSEXTUM.

CCXCVIII. Quod fratres Cappuccini Ordinis sancti Francisci ad laxiorem Ordinem sine Sedis Apostolicae, ad Carthusiensem vero sine ministri generalis licentiâ de cetero non transeant, pag. 1.

CCXCIX. Commissio cardinalibus Millino et Cremonensi ad procedendum contra Cyrillum pseudopatriarcham Constantinopolitanum, 2.

CCC. Subsidium ab ecclesiasticis Siciliae regi pecuniarum permittit subministrari, 4.

CCCI. Concedit domum et ecclesiam S. Mariae in S. Ioannino in Capite de Urbe fratribus Reformatis Ordinis beatae Mariae de Mercede Redemptionis captivorum, 6.

CCCII. Deputatio cardinalis S. Honuphrii in praesidem visitationis ecclesiarum et piorum locorum Urbis, 8.

CCCIII. Extensio indulti recitandi officium et celebrandi missam de vigintitribus martyribus ex Ordine Minorum sancti Francisci Discalceatorum ad alias ecclesiasticas et seculares personas, 9.

CCCIV. Revocatio indultorum, ac privilegiorum omnium etiam per modum communicationis concessorum militiis, hospitalibus, collegiis, capitulis, religionibus, societatibus, congregationibus et Ordinibus quibusvis, etiam Mendicantium ceterisque locis piis, et eorum sive earum respective personis, audiendi secularium confessiones absque Ordinarii examine et approbatione, 10.

CCCV. Quod in toto Ordine fratrum Eremitarum S. Augustini nulli, praeter eos quibus de iure iuxta dicti Ordinis constitutiones competit, liceat vocem in capitulis provincialibus habere, 12.

CCCVI. Deputatio ministri generalis Ordinis fratrum Minorum Conventualium Ordinis sancti Francisci de Observantia in exequutorem observantiae Constitutionum Urbanarum iam aliàs confirmatarum, 13.

CCCVII. Facultas visitatoribus pro visitatione ecclesiarum, monasteriorum etc. Urbis deputatis concessae, 14.

CCCVIII. Quod indulta concessa diversi

Urbis tribunalibus et iudicibus cognoscendi causas criminales super delictis quarumcunque personarum, privative quoad alios, non privative quoad gubernatorem Urbis pro tempore existentem, sed cumulative cum eo, concessa intelligantur, 16.

CCCIX. Facultas Iulio Buratto fortalitium *Forte Urbano* vulgo nuncupandum conceditur extruendi, 17.

CCCX. Confirmatio declarationum circa facultates collectoris Portugalliae et commissarii cruciatae, 19.

CCCXI. Facultas Nicolao Guidobagno marchioni Montisbelli, Caroli Barberini in provinciâ Romandiolae locumtenenti, eveniente obitu ducis Urbini, eam provinciam tuendi, et per se vel suos ministros manu armatâ ducatum et civitates huiusmodi custodiendi, 22.

CCCXII. Confirmatio decreti Congregationis Concilii Tridentini, quo declaratur, episcopos posse uti operâ duorum canonicorum, sive cathedralis sive collegiatae ecclesiae, eosque interim percipere posse, dum vacant episcopi servitio, fructus praebendae, ammissis distributionibus quotidianis, 23.

CCCXIII. Confirmatio privilegiorum et indultorum Ordini fratrum beatae Mariae de Mercede Redemptionis captivorum concessorum, 24.

CCCXIV. Excommunicatio contra extrahentes sacras reliquias aut libros ex ecclesiâ et bibliothecâ collegii S. Francisci de Paulâ ad Montes Urbis fratrum Minimorum nationis citerioris Calabriae, 27.

CCCXV. Facultas provinciae Romandiolae praesidi removendi flumen Rhenum a suo cursu, illudque derivandi ad loca Bondeni et Gambaroni, 28.

CCCXVI. Confirmatio litterarum Pauli Papae V, quibus indultum Hispaniae regi fuit concessum quasdam pecunias ab ecclesiasticis regni Siciliae exigendi, 31.

CCCXVII. Facultas clero regni Sardiniae parandi octo triremes ad eiusdem regni defensionem, 33.

CCCXVIII. Nova institutio collegii Fuldensis ad scholares Germanicae nationis latinis litteris aliisque liberalibus disciplinis instruendos, unâ cum congruae dotis assignatione, ac gratiarum, privilegiorumque concessione et extensione, 35.

CCCXIX. Confirmatio decreti Congregationis de Propagandâ Fide, quo statuit lectores et studentes Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ linguarum non esse exemptos a iurisdictione ministri generalis et aliorum superiorum quoad disciplinam regularem; quo vero ad remotionem a lecturâ et studiis, lectores non posse amoveri inconsultâ sacrâ Congregatione; studentes vero a solo generali et commissario etiam generali mutari et a studiis removeri posse, 41.

CCCXX. Confirmat decretum sacrae rituum Congregationis, quod in ecclesiâ Calaritanâ servetur ad unguem caeremoniale episcoporum, 41.

CCCXXI. Facultas apostolico apud catholicum regem nuncio conceditur permittendi, ut vectigal super carne et vino in Portugalliae regno pro summâ quatuorcentum mille scutorum imponi possit, etiam ab ecclesiasticis persolvendum, 43.

CCCXXII. Declaratio, quod opus remotionis fluminis Rheni a loco Mirabelli, illiusque derivatio in flumen Padi, perpetuo fiat, 46.

CCCXXIII. Concessio indulgentiae plenariae pro Ecclesiae necessitatibus va-

lidius ingruentibus avertendis, 47.

CCCXXIV. Confirmatio decreti Congregationis rituum, quo declaratur, domino cuiusdam terrae dioecesis Cephaludensis non licere iuxta chorum in ecclesiâ maiori uti throno seu sede in loco eminentiori cum gradibus et baldachino ad instar sedis episcopalis, 49.

CCCXXV. Facultas episcopo Naulensi a censuris absolvendi duces et gubernatores Reipubblicae Genuensis, quod ipsi pro munitione unius propugnaculi usi sunt glebis ad mensas Saonensem et Naulensem spectantibus, absque Sedis Apostolicae licentiâ, 50.

CCCXXVI. Confirmatio privilegiorum religionis Hierosolymitanae circa alienationes et praescriptiones suorum bonorum, 51.

CCCXXVII. Religiosi Societatis Iesu non possunt uti facultate litterarum sanctae Cruciatae, nec eligere alium confessarium, quam assignatum a suis superioribus, 54.

CCCXXVIII. Confirmatio decreti congregationis rituum super usu baldachini et assistentium et aliorum ministrorum pro abbatibus Congregationis Olivetanae Ordinis S. Benedicti, 55.

CCCXXIX. Episcopus Maceratensis, absente principe Masserani, deputatur gubernator ad Sedis Apostolicae beneplacitum, cum facultate quamcumque in eodem principatu iurisdictionem exercendi, 56.

CCCXXX. Cardinali de Richelieu absolvendi haereticos regni Franciae facultas conceditur, 58.

CCCXXXI. Prohibitio, ne ecclesiastici, tam seculares, quam regulares, Neapolitani, nec in aedibus suis, nec in ecclesiis, vel earum ambitu, lectiones legum, medicinae, vel aliarum artium liberalium ecclesiasticis prohibitarum legant, 59.

CCCXXXII. Quod priores generales Ordinis Eremitarum sancti Augustini, utentes aliquâ facultate seu concessione a Sede Apostolicâ per litteras obtentâ, in patentium litterarum expeditionibus earum tenores de verbo ad verbum inserant: neque ullo pacto quibusdam clausulis oraculum sapientibus in huiusmodi expeditionibus posthac uti audeant, 60.

CCCXXXIII. Prohibitio imposterum concedendi exemptiones officiorum et praesertim eas quibus fratres, provinciales, definitores, aut visitatores, vel praedicatores maiores nuncupati Ordinis Eremitarum sancti Augustini gaudent fratribus eiusdem Ordinis qui ea unquam exercuerunt, absque Sedis Apostolicae espressâ licentiâ, 61.

CCCXXXIV. Facultatibus cruciatae eligendi confessarium et obtinendi absolutionem a casibus reservatis uti non possunt monachi Ordinis sancti Benedicti congregationis Portugalliae, 63.

CCCXXXV. Exemptio concessa Clericis Regularibus Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum a processionibus et aliis actibus publicis, 63.

CCCXXXVI. Absolvit regem catholicum eiusque ministros a censuris, in quas incurrerant ob exactum ante obtentum beneplacitum apostolicum ab ecclesiis et ecclesiasticis regnorum Castellae et Legionis subsidium octodecim millionum, 65.

CCCXXXVII. Confirmatio quarumdam constitutionum in capitulo generali fratrum Discalceatorum recollectorum nuncupatorum Ordinis beatae Mariae

de Mercede Redemptionis captivorum, 66.

CCCXXXVIII. Confirmatio restitutionis provinciae Saxoniae fratrum Minorum de Observantiâ, mediante recuperatione conventuum e manibus haereticorum, etc., 68.

CCCXXXIX. Facultas cardinali ab Harach, et apostolico apud imperatorem nuntio, cum eodem imperatore super bonis, decimis, primitiis, rebus, iuribus et actionibus quibuscumque, ad ecclesiasticos regni Bohemiae, non tamen ad hospitale S. Ioannis Hierosolymitani, spectantibus, conveniendi et transigendi, 69.

CCCXL. Confirmatio decreti a sacrâ Rituum Congregatione editi super usu baldachini et ministrorum ac aliarum caeremoniarum pro abbatibus congregationis Cassinensis, aliàs S. Iustinae de Padua, 71.

CCCXLI. Unio quarumdam domorum regularium provinciarum novi regni Granatensis, seu Quitensis, in Indiis Occidentalibus, fratrum Discalceatorum Ordinis Eremitarum sancti Augustini, sub gubernio fratrum Calceatorum eiusdem Ordinis existentium, fratribus Discalceatis dicti Ordinis Congregationis Hispaniarum, 73.

CCCXLII. Episcopo Osnaburgensi facultas conceditur erigendi academiam in ipsâ civitate Osnaburgensi; cui quidem academiae ceterarum academiarum privilegia conceduntur, 75.

CCCXLIII. Taxa redditiuum exigendorum pro clericis alendis in seminario Romano denuo praescripta, 79.

CCCXLIV. Suppressio monasterii S. Salvatoris Maioris et prioratuum ab eo dependentium, 84.

CCCXLV. Erectio unius Congregationis fratrum Discalceatorum reformatorum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum in regno Franciae, 95.

CCCXLVI. Erectio reformatae provinciae S. Salvatoris Hungariae Ordinis fratrum Minorum strictioris observantiae sancti Francisci, 100.

CCCXLVII. Quod regens et collegiales collegii S. Bonaventurae in domo Ss. duodecim Apostolorum de Urbe erecti subiaceant obedientiae guardiani dictae domus, aliorumque dicti Ordinis superiorum, 102.

CCCXLVIII. Confirmatio decreti sacrae rituum Congregationis super usu baldachini, ministrorum ac aliarum caeremoniarum pro abbatibus Congregationis Caelestinae, Ordinis sancti patris Benedicti, 103.

CCCXLIX. Episcopo Paphiensi ecclesiae omnes latinae regni Cypri administrandae demandantur, 104.

CCCL. Impositio nonnullarum decimarum super beneficiis ecclesiasticis in dominio Reipublicae Venetae existentibus in subsidium belli contra Turcas, 105.

CCCLI. Beatificatio Caietani Thienaei Clericorum Regularium fundatoris ac indultum celebrandi missam et officium de eodem recitandi, 110.

CCCLII. Extensio facultatum Cruciatae, quoad licentiam vescendi ovis et laticiniis, ad patriarchas, archiepiscopos et alios inferiores praelatos, ac presbyteros et clericos seculares, tantum exceptâ maiori hebomadâ, 112.

CCCLIII. Iubilaei universalis concessio ad divinam opem pro imminentibus in diversis christiani orbis partibus periculis postulandam, 113.

CCCLIV. Pro Ordine S. Basilii Congregationis Reformatae del Tardon et S. Antonii de Valle del Gallegillos, 116.

CCCLV. Vectigal super carne et vino,

quod ab ecclesiasticis civitatis Ulyssiponensis exigi permiserat, ab ecclesiasticis quoque regnorum Portugalliae et Algarbiorum exigi posse indulget, 117.

CCCLVI. Erectio montis vacabilis *subsidii* nuncupati, 119.

CCCLVII. Quod praecedentia in concursu cum aliis regularibus in processionibus competit fratribus Discalceatis S. Francisci in provinciis Hispaniarum, 123.

CCCLVIII. Facultas cardinali a Balneo absolvendi archiepiscopum Rothomagensem, qui in quodam libro nonnulla contra Sedis Apostolicae auctoritatem inadvertenter scripserat, 126.

CCCLIX. Confirmatio concordiae, et revalidatio litterarum, quibus, iussu huius Pontificis, anno MDCXXVI in conventu Virginis Mariae Solitudinis de la Iana provinciae S. Ioannis Baptistae Minorum Discalceatorum sancti Francisci de Observantâ celebratum ac insuper confirmatum fuit capitulum provinciale, cum impositione silentii, ac poenis et censuris per contrafacientes eo ipso incurrendis, 127.

CCCLX. Confirmatio gestorum ab episcopo Malleacensi pro restituendo exercitio religionis catholicae in valle Pragellae Taurinensis dioecesis, 132.

CCCLXI. Nonnullae facultates concedunturur cardinali Barberino Angliae et Scotiae protectori pro re catholicâ illis in regnis bene administrandâ, 136.

CCCLXII. Ne de cetero alia Mendicantium Ordinum monasteria, domus, seu conventus, aut regularia loca per tres leucas circumcirca monasterium et ecclesiam B. Mariae de Monteserrato construantur, sub poenâ excommunicationis, 138.

CCCLXIII. Confirmatio contractus inter regem catholicum et clerum regni Portugalliae initi, 140.

CCCLXIV. De facultate eligendi confessarium ad regulares utrinsque sexus et cuiuscumque Ordinis non extendendâ, nec extra forum conscientiae, 144.

CCCLXV. Prohibitio ne aperiantur loca et domus sub titulo Congregationis Oratorii in regno Neapolis, nisi in civitatibus insignioribus, et tunc adsint decem sacerdotes, qui se sustentare valeant, quin eleemosynas quaerere cogantur, 146.

CCCLXVI. Concessio plenariae indulgentiae in Urbe ad agendas gratias Deo pro praeservatione dicae Urbis, aliarum civitatum ac provinciarum Italiae a dira epidimiae seu pestis vexatione, et ad divinam opem implorandam pro earumdem conservatione, et aliarum dictae vexationi obnoxiarum liberatione, 148.

CCCLXVII. Extensio plenariae indulgentiae praedictae ad universam Italiam, insulasque ei adiacentes, 150.

CCCLXVIII. Inquisitor Melitensis praeses deputatur capituli, a sexdecim compromissariis in hospitali S. Ioannis Hierosolymitani habendi, cum facultatibus necessariis et opportunis, 150.

CCCLXIX. Facultas eidem inquisitori iubendi, ut electio duorum compromissariorum fiat a qualibet linguâ, vel ab aliis incorporatis in capitulo per secreta suffragia, etc., 152.

CCCLXX. Facultas eidem inquisitori conceditur nominandi sexdecim compromissarios absque participatione linguae, aut incorporatorum in capitulo, qui sic nominati habeant eam-

dem facultatem, quam habent nominati a capitulo, *ibid.*

CCCLXXI. Facultas inquisitori Melitae nominandi eos fratres hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, qui capitulo generali pro linguâ Angliae adsint, 153.

CCCLXXII. Facultas inquisitori Melitae nominandi sexdecim fratres hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani etiam ex non incorporatis in capitulo, duos scilicet pro qualibet linguâ, qui adiungantur aliis a linguis seu capitulo nominatis, 154.

CCCLXXIII. Prohibitio erigendi scholas sub denominatione scholarum piarum, et annullatio erectarum sub tali nomine ab aliis quam a Clericis Regularibus religionis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum. Necnon interdictio deferendi habitum per dictos clericos gestari solitum, 154.

CCCLXXIV. Declaratio constitutionis Pii IV de registrandis in camerâ gratiis illius interesse concernentibus, 156.

CCCLXXV. Indulgentiae ac privilegia omnia monachis Ordinis S. Basilii monasterii sanctae Catharinae montis Sinai a praedecessoribus Pontificibus concessa confirmantur, 157.

CCCLXXVI. Magistratui Ferrariensi facultas conceditur vectigal salis et olei imponendi, montemque non vacabilem super eius fructibus erigendi, 161.

CCCLXXVII. Confirmatio concordiae initae inter Philippum IV Hispaniarum regem et capitula ecclesiarum regnorum Castellae et Legionis super solutione primae decimae, 165.

CCCLXXVIII. Venerabilis Ioannes Dei, congregationis huius nominis fundator, in Beatorum Confessorum numerum refertur, cum concessione indulti recitandi officium et missam celebrandi de eo, 174.

CCCLXXIX. Prorogatio indulgentiae plenariae in Urbe ad Italiam extensae ad alios tres menses, 175.

CCCLXXX. Quod magister generalis fratrum Calceatorum Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum infra quindecim dies confirmare debeat electionem vicarii generalis pro tempore fratrum Discalceatorum recollectorum eiusdem Ordinis, 176.

CCCLXXXI. Super concordiâ inter praesules seu administratores ex unâ, necnon praepositos et canonicos ex aliâ, ac abbatem et monachos ecclesiae S. Ambrosii Mediolanensis, Cisterciensis Ordinis, ex reliquâ partibus, 178.

CCCLXXXII. Facultas archiepiscopo Panormitano permittendi, ut ecclesiastici regni Siciliae subsidium regi persolvant, 187.

CCCLXXXIII. Prorogatio indulgentiae plenariae in Urbe, ad Italiam extensae, ad alios tres menses, cum decreto, ut, eisdem tribus mensibus elapsis, quaecumque extensiones et ampliationes indulgentiae huiusmodi, ad certum tempus factae, etiam eo ipso expirent, 190.

CCCLXXXIV. Mandatum sub poenâ excommunicationis quibuscumque, ut documenta quaecumque ad ducatum Urbini spectantia ad episcopum Senogalliensem deferant, 191.

CCCLXXXV. Indictio sex decimarum super omnibus fructibus ecclesiasticis Italiae, 192.

CCCLXXXVI. Ecclesiasticis Sardiniae permittitur nonnihil regi persolvere in futuro parlamento, 198.

CCCLXXXVII. Decretum, ut quotannis solvantur fabricae basilicae Principis apostolorum de Urbe decem mille

ducati de camerà ex cruciatà Portugalliae, 199.

CCCLXXXVIII. Deputatio praesulis Lugdunensis in exequutorem Bullae supra relatae pag. 95 de erectione unius Congregationis fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum in regno Franciae, 200.

CCCLXXXIX. Commissio nuncio apostolico in Germaniâ nonnullos redditus ecclesiasticos Palatinatus Foederi catholico assignandi, 201.

CCCXC. Confirmatio nonnullorum statutorum congregationum Lombardiae et Tusciae monachorum Ordinis Cisterciensis pro reformatione in eis statuendâ, 203.

CCCXCI. Prorogatio indulgentiae plenariae in formâ iubilaei, de quâ supra Constitutione CCCLXVI, ad alios duos menses, scilicet aprilis et maii MDCXXXI, cum indulto, ut, qui dictam indulgentiam consequuti iam sunt, illam denuo consequi valeant, et decreto, ut, dictis duobus mensibus elapsis, indulgentiae huiusmodi per SS. D. N. concessae ad certum tempus eo ipso expirent, 208.

CCCXCII. Declaratio facultatum transferendi et reservandi pensiones beneficiorum per S. R. E. cardinales obtentorum, 210.

CCCXCIII. Contra astrologos iudiciarios, qui de statu Reipublicae Christianae vel Sedis Apostolicae, seu vitâ Romani Pontificis, aut eius consanguineorum, iudicia facere, necnon contra eos, qui illos desuper consulere praesumpserint, cum innovatione similis constitutionis Sixti V, 211.

CCCXCIV. Super professionibus per regulares emissis non facto in locis designatis novitiatu, 215.

CCCXCV. Revocatio licentiarum quarumcumque legendi et tenendi libros prohibitos, 217.

CCCXCVI. Facultas inquisitori Melitae praecipiendi turbas excitantibus capituli hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, ut Romae sistant, 218.

CCCXCVII. Committitur nuncio apud imperatorem, ut ex redditibus omnium bonorum ecclesiasticorum per universam Germaniam e manibus haereticorum ereptorum dimidiam partem Foederi catholico in Germania addicat, 218.

CCCXCVIII. Quod laici professi Ordinis Cappuccinorum praecedant clericos novitios nondum professos in omnibus locis, tam publicis quam privatis, 220.

CCCXCIX. Concessio ecclesiae S. Bonaventurae de Urbe Lucanis in eâdem Urbe commorantibus, 221.

CD. Prorogatio indulgentiae plenariae in forma iubilaei de qua supra in Constitutione CCCLXVI ad alios tres menses etiam, ut pro felici statu religionis catholicae in Germaniâ oretur, 223.

CDI. Commissio archiepiscopo Bracharensi, et episcopis suffraganeis, ut inhibeant iudicibus secularibus, ne causas civiles monialium monasteriorum Ordinis sancti Benedicti, in suis dioecesibus existentium, ullo cognoscere audeant, 224.

CDII. Confirmatio decreti sacrae Congregationis Concilii, quo declaratur, metropolitano non licere visitare dioeceses episcoporum suffraganeorum nisi ad praescriptum dicti Concilii cap. III, sess. XXIV *De Ref.*, 225.

CDIII. Facultas cardinali Barberino immutandi modum et statum officiorum magistratumque civitatis Urbini, eiusque districtus, 227.

CDIV. Confirmatio nonnullorum decretorum per sacram Congregationem epi-

scoporum et regularium super diversis controversiis inter metropolitanos et suffraganeos editorum, 228.

CDV. Confirmat decretum Congregationis Palatinatus in causâ vertente inter archiepiscopos S. R. I. electores ac eorum suffraganeos et abbates Congregationis Bursfeldensis Ordinis sancti Benedicti super validitate unionis aliarum congregationum ac monasteriorum eiusdem Ordinis, ab eisdem abbatibus factae, emanatum, 230.

CDVI. Facultas legato Ferrariensi super obsidibus pro confirmatione pacis Italiae nomine Sanctae Sedis accipiendis, 231.

CDVII. Communicatio et extensio indulgentiae ecclesiae S. Mariae Angelorum Assisiensis tempore pestis, 232.

CDVIII. Commissio episcopo Portugallensi, ut inhibeat iudicibus secularibus, ne causas civiles monialium monasteriorum Ordinis S. Benedicti in suâ dioecesi existentium ullo modo cognoscere audeant, 233.

CDIX. Confirmatio decreti Congregationis Concilii, quo declaratur Clementinam *Dudum de sepulturis* non esse observandam, nisi cum ipsemet episcopus praedicat: parochus autem inter missarum solemnia etiam eâdem horâ, qua episcopusmet in cathedrali praedicat, posse in suâ parochiâ ad plebem suam sermonem habere, 238.

CDX. Prorogatio indulgentiae plenariae in formâ iubilaei, de qua supra constitutione CCCLXVI, ad alios tres menses, scilicet septembris, octobris et novembris, cum indulto, ut, qui dictam indulgentiam consequuti iam sunt, illam denuo consequi valeant, ac decreto, ut, eisdem tribus mensibus elapsis, quaecumque extensiones et ampliationes indulgentiae huiusmodi, ad certum tempus factae, etiam eo ipso expirent, 236.

CDXI Quod fratres Cappuccini conventus terrae Modogni, Barensis dioecesis, non possint prohiberi in publicis processionibus incedere sub propriâ cruce, 237.

CDXII. Indultum pro fratribus reformatis Discalceatis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum Hispaniae quaerendi, petendi et recipiendi eleemosinas, oblationes et legata, ac alia quaecumque subsidia pro redemptione captivorum relicta, 239.

CDXIII. Quod fratres Cappuccini (exceptâ provinciâ Romanâ) non audeant accedere Romam absque licentiâ cardinalis protectoris, aut superiorum generalium, 241.

CDXIV. Moderatio constitutionis editae a Clemente VIII circa distractionem castrorum et bonorum, etiam fideicommissariorum, pro satisfactione creditorum baronum et domicellorum Status Ecclesiastici, quod non habeat locum quoad debita contracta post sex menses a die archiviationis instrumentorum ac vinculationis bonorum, 242.

CDXV. Mandatum cardinali legato Ferrariensi de restituendis obsidibus a Ferdinando imperatore datis, iuxta capitulationem Cherasci, 246.

CDXVI. Idem mandatum de restituendis obsidibus datis a rege Galliarum, 247.

CDXVII. Quod constitutiones apostolicae in concernentibus fidem catholicam et sanctae inquisitionis officium hactenus editae, et imposterum etiam super quacumque aliâ re edendae, omnes regulares quomodolibet privilegiatos comprehendant, nisi illi specialiter excipiantur, 248.

CDXVIII. Facultas christianissimo regi

Franciae perpetuo administratori militiae Ordinis Sancti Spiritus statuta pro illius prospero regimine necessaria et utilia edendi corrigendique et immutandi, 251.

CDXIX. Quod rex christianissimus administrator Ordinis militaris Sancti Spiritus, etiam exteros ad dictam Militiam admittere possit, et tam ipse quam alii eiusdem Militiae milites sacramentum Eucharistiae infra octavam ante generalem congregationem et ad habitum admissionem sumere debeant, 251.

CDXX. Quod in ecclesiâ S. Iacobi nationis Hispanorum de Urbe celebrari possit festum Conceptionis beatae Mariae Virginis Immaculatae, etiamsi in dominicâ secundâ Adventus venerit, sub ritu duplici primae classis, 253.

CDXXI. Iubilaeum universale ad divinam opem implorandam in praesentibus Ecclesiae necessitatibus, 254.

CDXXII. Erectio collegii in Urbe pro decem monachis Ordinis S. Basilii, 256.

CDXXIII. Extensio constitutionis Gregorii XV revocatoriae omnium concessionum vivae vocis oraculo factarum, praeter S. R. E. cardinalibus et eorum manu firmatarum, ad omnes etiam factas cardinalibus et eorum manu signatas, 258.

CDXXIV. Declaratio super nominatione iudicum pro cognitione causarum inter archiepiscopum Elborensem et Ordines militares Portugalliae vertentium, 260.

CDXXV. Declaratio nullitatis notariorum creatorum a gubernatoribus civitatum, aliorumque locorum praetoribus, praetextu banniment Henrici cardinalis Caietani sanctae Romanae Ecclesiae camerarii; ac revalidatio instrumentorum et scripturarum per eos olim factarum; necnon facultas praefecti archiviorum cognoscendi causas super nullitatibus huiusmodi creationum, et acta talium notariorum revalidandi, 261.

CDXXVI. Notarii extra Urbem creandi, antequam officium notariatus exercere incipiant, examini se subiicere debent sub poenâ nullitatis et falsi, 265.

CDXXVII. Ampliatio constitutionis Pauli V super simplicibus votis, quae professi Societatis Iesu emittunt post professionem solemnem circa paupertatem et acceptationem dignitatum extra religionem, editae, qua illorum votorum dispensationem sibi et pro tempore Romano Pontifici reservavit, ad eorumdem commutationem et relaxationem: insuper declaratio, quod in dicto voto de dignitatibus extra Societatem comprehenduntur etiam dignitates seculares et officia secularia, quae iurisdictionem habent extra Societatem, 269.

CDXXVIII. Decima per regem catholicum ab universo clero et personis ecclesiasticis exigenda ad summam sexcentorum millium ducatorum monetae ascendens, 272.

CDXXIX. Commissio Hispaniarum nuncio, ut modum sibi a clero Hispaniarum proponendum circa praefatae decimae exactionem acceptet, 276.

CDXXX. Commissio nuncio Hispaniarum dandi facultatem regi catholico exigendi certam summam ducatorum sexcentorum millium monetae Hispaniarum et etiam amplius in subventionem ipsius regis pro hac vice tantum, 277.

CDXXXI. Facultas Ordinario Genuensi inquirendi contra conspiratores in Rempublicam, 278.

CDXXXII. Mandat nuntiis apostolicis apud imperatorem et regem Poloniae, ut

deputent unam seu plures personas in dignitate ecclesiasticâ constitutas, quae ecclesias cathedralem et collegiatam S. Crucis Vratislaviensis semel tantum visitent et reforment, 279.

CDXXXIII. Protestatio ac pontificia declaratio contra attentata per Gasparem cardinalem Borgiam et complices in concistorio sive extra illud, 280.

CDXXXIV. Prohibitio super concessione licentiae pro fratribus beatae Mariae de Mercede Redemptionis captivorum transeundi ad statum clericalem, 382.

CDXXXV. Declarat cardinalem Borgiam et alios complices etiam cardinales occasione per eos gestorum remanere in priori statu, in quo erant quando haec gesserunt, 383.

CDXXXVI. Quod festum transitus sancti Benedicti, in singulis locis in quibus existunt ecclesiae Ordinis ipsius Congregationis Hispaniarum, ad instar aliorum de praecepto Ecclesiae celebrandorum recolatur, 284.

CDXXXVII. Pia et pastoralis adhortatio ad patriarchas, archiepiscopos et episcopos, clerum, religiosos viros, ac omnes Ecclesiae catholicae christifideles, ut ab omnipotenti Deo fusis precibus concordiam inter catholicos principes obtineant, 286.

CDXXXVIII. Quod ecclesiastici, tam seculares quam regulares, civitatis et Status Mantuani teneantur solvere quamdam pecuniae partem pro restaurandis moeniis dictae civitatis, 287.

CDXXXIX. Declarat, suae voluntatis esse per quamcumque admissionem cardinalis Borgiae ad audientiam pro negociis regis catholici gerendis, et quoscumque alios actus, licentiam praemissa peragendi eidem cardinali nullatenus concedere, nec eum uti regis oratorem quovis modo agnoscere, aut poenas propterea incursas ullo modo illi condonare, 289.

CDXL. Declarat et testatur ob impositionem pallii et receptionem iuramenti cardinalis Borgiae, ac quoscumque alios actus et concessiones factos et factas, faciendos et faciendas, se a priori voluntate suâ nullatenus recedere velle, cum expressâ prohibitione cardinali Borgiae et aliis ne contrarium ullo tempore allegare possint, 291.

CDXLI. Declaratio circa decimam sexcentorum millium ducatorum monetae Hispanicae per simplicia beneficia ecclesiastica, quorum fructus summam vigintiquatuor ducatorum auri de camerâ excedunt, obtinentes regi catholico solvendam, 293.

CDXLII. Confirmatio sententiae latae super caputio rotundo ac largiori mozzettâ a fratribus sancti Francisci strictioris Observantiae recollectis regni Franciae deferendis; et mandatum observandi dictam sententiam cum impositione poenarum, 294.

CDXLIII. Decimam sexcentorum millium ducatorum, quam regi catholico concessit, per ipsum clerum exigi mandat, 296.

CDXLIV. Confirmatio decreti editi a sacrâ rituum congregatione ad favorem abbatum congregationis Camaldulensium monachorum Ordinis sancti Benedicti super usu baldachini, ac facultate celebrandi solemniter in pontificalibus, 298.

CDXLV. Declarat bona monachorum Ordinis sancti Benedicti congregationis Hispaniarum seu Anglicanae, in Anglicanâ natione laborantium, post illorum obitum spectare ad monasteria cismarina dicti Ordinis con-

gregationis Anglicanae, in quibus professi sunt, aut quibus se aggregarunt, 299.

CDXLVI. Commissio archiepiscopo Arelatensi, ac Boloniensi et S. Flori ac Macloviensi episcopis, ut coniunctim procedant contra quascumque personas ecclesiasticas contra personam et Statum regis christianissimi quidquam molientes, 300.

CDXLVII. Erectio officii advocati pauperum in Urbe, cum concessione facultatum, 302.

CDXLVIII. Prohibitio ne fratres Carmelitae Calceati de Observantiâ in Belgio et Siciliae provinciis gestent habitum per fratres eiusdem congregationis Discalceatorum gestari solitum, nec se fratres Carmelitas reformatos sanctae Theresiae vocitent aut subscribant, 304.

CDXLIX. Dismembratio ab ecclesiâ Sarsinatensi fodinarum sulphuris et iuris sulphur huiusmodi in nonnullis locis effodiendi, ac applicatio Sedi et Camerae Apostolicae, 306.

CDL. Erectio reformationis provinciae Austriae fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, 308.

CDLI. Declaratio privilegiorum congregationis Clericorum regularium Papiensium de Somasca, quoad oratoria privata, 309.

CDLII. Facultas cardinali Francisco Barberino modum et statum officiorum, magistratuum, tam optimatum quam populi et gubernii temporalis in civitatibus et locis Status Urbini ad Sedem Apostolicam devolutis, ac etiam custodiae militiarumque, ad formam et methodum regiminis et gubernii aliorum locorum Status Ecclesiastici redigendi, et comites palatinos atque auratae militiae equites, usque ad quemcumque numerum creandi, 310.

CDLIII. Fratres Minores strictioris Observantiae S. Francisci introducuntur in monasteriis S. Clarae et S. Mariae Magdalenae Neapolis, 311.

CDLIV. Confirmatio litterarum Clementis VIII super spoliis cleri civitatis Avenionensis et comitatus Venayssini, 312.

CDLV. Applicatio villae Torokaniae spectantis ad archimandritam Zydicinensem Ordinis S. Basilii Ruthenorum collegio per archiepiscopum Chioviensem metropolitam Russiae erigendo pro instruendis Ruthenis ac Moscovitis adolescentibus, 318.

CDLVI. Facultas regi christianissimo admittendi aetate minores ad habitum Ordinis militaris S. Spiritus, 319.

CDLVII. De missiones religiosorum cuiuscumque Ordinis ad Iaponicas et alias Indiarum Orientalium regiones impediëntium poenis, et aliis ad eas pertinentibus, 320.

CDLVIII. Subsidium decem et novem millionum nummorum aureorum in regnis Castellae et Legionis pro rege catholico, 324.

CDLIX. Super exemptione cleri regnorum Castellae et Legionis a solutione decimae, 327.

CDLX. Confirmatio transactionis initae inter dominos cardinales ab Harrach et Pallottum Summi Pontificis delegatos, et Ferdinandi imperatoris plenipotentiarios, super bonis ecclesiasticis regni Bohemiae; qua quidem transactione praedicta bona crassante eo in regno haereticorum rebellione usurpata regi conceduntur; ecclesiasticis autem certa pars vectigalis, quod *salis* appellatur, adiudicatur, 331.

CDLXI. Confirmatio designationis novi-

tiatuum factae a fratribus Eremitis S. Augustini congregationis Lombardiae, vigore facultatis concessae cardinali protectori, vivae vocis oraculo, a Paulo V, ac concessio, quod in illis possint recipi novitii ad praescriptum constitutionum apostolicarum, 343.

CDLXII. Commissio nuncio Franciae deputandi visitatorem monasterii Ordinis sancti Benedicti Lemovicensis dioecesis Sedi Apostolicae immediatae subiecti, 345.

CDLXIII. Confirmatio nonnullorum decretorum pro gubernatoribus domus et hospitalis Annunciationis B. M. V. Neapolitanae, 346.

CDLXIV. Concedit facultatem generali Minimorum supprimendi conventus tenues, eorumque bona in conventus maiores transferendi, cum oneribus annexis, 348.

CDLXV. Regulares non possunt prohiberi associare corpora defunctorum, et curati non possint cogere haeredes defunctorum celebrari facere missas in suis ecclesiis parochialibus, 349.

CDLXVI. Facultas ecclesiasticis regni Sardiniae partem novi subsidii quadringentorum millium scutorum, quod regi catholico regni status obtulerunt, ad quinquennium persolvendi, 350.

CDLXVII. Indultum regi catholico et clero regni Sardiniae recipiendi ac respective solvendi solitum donativum, 352.

CDLXVIII. Quod fratres S. Augustini Discalceati Hispaniarum, in Philippinis et Occidentalibus Indiis degentes, a quovis catholico episcopo, communionem Sedis Apostolicae habente, minores et sacros ordines, etiam non servatis interstitiis, suscipere possint, 352.

CDLXIX. De vacatione non expleto sexennio et aliis casibus ministri generalis fratrum Discalceatorum Ordinis Reformatorum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Hispaniarum, 365.

CDLXX. Declarat, per subsequutum Sedis Apostolicae beneplacitum impositionis cuiusdam vectigalis ecclesiasticis regnorum Castellae et Legionis in subsidium regis Hispaniarum et Romanorum imperatoris, huiusmodi vectigalis exactionem ante factam, non fuisse confirmatam, nec licite illud exigi potuisse, 355.

CDLXXI. Declarat nihil obesse, si quibus in apostolicis Brevibus pontificatus sui anni a coronationis non autem ab assumptionis suae die computati reperiantur, 356.

CDLXXII Decretum ut omnes regularium superiores suos subditos et religiosos persaepe commoneant de iniunctâ omnibus observantiâ et exequutione apostolicarum constitutionum et decretorum ad officium sanctissimae inquisitionis adversus haereticam pravitatem pertinentium, 357.

CDLXXIII. Statutum circa causarum criminalium in regno Poloniae cognitionem. 362.

CDLXXIV. Declaratio nonnullorum statutorum pro congregationibus Tusciae et Lombardiae monachorum Ordinis Cisterciensis emanatorum, 361.

CDLXXV. Confirmatio triennalis impositionis super fructibus commendarum Ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani, 368.

CDLXXVI. Quod Ordinarii locorum et concionatores verbi Dei tempore adventus et Quadragesimae necessitates locorum Terrae Sanctae commendari curent, 370.

CDLXXVII. Confirmatio quarumdam dismembrationum ac unionum commendarum linguae Franciae hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, 371.

CDLXXVIII. Prohibet quominus milites Militiae Christianae ex aerariis eiusdem militiae pecunias, iocalia et alia bona ipsius Militiae absque Sedis Apostolicae licentiâ accipiant, extrahant, etc., 373.

CDLXXIX. Commissio nuncio Hispaniarum ut significet commissario cruciatae se gravasse clerum Castellae et Legionis, ipsum cogendo sub censuris ad solutionem excusati post lapsum quinquennii concordiae desuper initae et a Sanctâ Sede confirmatae, ibid.

CDLXXX. Commissio eidem nuncio, ut moneat eumdem commissarium cruciatae, ne officia notariatuum cruciatae, subsidii et excusati vendat, 375.

CDLXXXI. Committitur nuncio Franciae, ut absolvat ducem de Espernon eiusque ministros ad tempus, cum reincidentiâ, ab excommunicatione aliisque censuris et poenis, in quas incidisse declarati fuerunt ab archiepiscopo Burdegalensi ob violentias eidem archiepiscopo et nonnullis e clero civitatis Burdegalensis illatas, 376.

CDLXXXII. Indictio seu impositio duorum pro centenario super omnibus fructibus et pensionibus ecclesiasticis universae Italiae, 378.

CDLXXXIII. Indictio iubilaei universalis ad divinam iram avertendam et catholicae rei pericula ac detrimenta praesertim in Germaniâ ingruentia removenda; et eiusdem prorogatio ad alias duas hebdomadas, cum declaratione quod possint christifideles supplere in sequentibus duabus, si quid in primis hebdomadis pro consequendâ indulgentiâ huiusmodi omiserint, 384.

CDLXXXIV. Communicatio privilegiorum omnium, non Mendicantium et Mendicantium Ordinibus seu congregationibus clericorum concessorum, fratribus Discalceatis Hispaniarum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum, 387.

CDLXXXV. Prorogatio iubilaei universalis ad alias duas hebdomadas, 391.

CDLXXXVI. Confirmatio constitutionum congregationis Reformatae Ordinis sancti Antonii de sancto Antonio Viennensi in capitulo generali examinatarum et approbatarum, 393.

CDLXXXVII. Prorogatio subsidii quadringentorum et viginti millium ducatorum super fructibus ecclesiasticis Hispaniarum et Sardiniae pro rege catholico, 423.

CDLXXXVIII. Nonnullae ordinationes et statuta facta pro bono regimine civitatis Ferrariensis, 424.

CDLXXXIX. Nonnullae declarationes circa controversias inter collectorem et commissarium cruciatae Portugalliae vertentes, 425.

CDXC. Confirmatio statutorum Societatis Exaltationis Sanctae Crucis extra muros civitatis Parisiensis erectae, 429.

CDXCI. Declaratio ac confirmatio decretorum editorum circa imagines defunctorum nondum a Sede Apostolicâ canonizatorum cum splendoribus aut laureolis non proponendas, et processus pro eorum beatificatione aut canonizatione conficiendos, 436.

CDXCII. Designatio conventuum pro novitiatibus laicorum seu conversorum Ordinis fratrum B. Mariae de Monte Carmelo, 440.

CDXCIII. Declaratio circa praecedentias inter fratres sancti Francisci de Observantiâ Reformatos, 442.

CDXCIV. Quod fratres Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo in collegio S. Theresiae Salamantino, absolutis per eos cursu, lecturis vel exercitiis litterarum a regulis dicti Ordinis requisitis, in eodem sacrae theologiae lauream suscipere possint absque expensis, 443.

CDXCV. Nuncio apostolico apud Wladislaum IV Poloniae regem facta potestas ecclesiasticis regni eiusdem permittendi, ut regi subsidium praestare queant, 444.

CDXCVI. Praefixio et approbatio caeremonialis pro electione magni magistri hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, 446.

CDXCVII. Episcopis regni Poloniae facultas conceditur consuetum pro communione paschali tempus prorogandi, 451.

CDXCVIII. Fratribus Discalceatis Reformatis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum Hispaniarum prohibetur, quominus de cetero recipiant personas seculares ad habitum donatorum; iis vero, qui nunc existunt in dictâ Congregatione sub nomine donatorum, habitum nomenque laicorum concedi posse permittitur, 452.

CDXCIX. Ne de cetero fratres Ordinis Praedicatorum in partibus Indiarum existentes extra conventum vivant seu maneant absque Sedis Apostolicae et superiorum eiusdem Ordinis licentiâ, 453.

D. Confirmatio decreti congregationis rituum circa processiones quae fiunt a regularibus et confraternitatibus extra proprias ecclesias, 454.

DI. Clerici regulares Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum non comprehenduntur in decretis circa regularium reformationem editis, 455.

DII. Quod in familiâ ultramontanâ sicut in cismontanâ Ordinis fratrum Minorum de Observantiâ duo fratres germani definitoriis interesse non possint, 456.

DIII. Mandat nuncio Poloniae, ut moneat episcopos illius regni quatenus vocati veniant ad synodum et comitia regni, 457.

DIV. Super residentiâ episcoporum, archiepiscoporum, metropolitanorum et aliorum ecclesiis cathedralibus praefectorum, etiam S. R. E. cardinalium, cum praefixione termini ad proficiscendum ad suas residentias, et determinatione poenarum, ac prohibitione ab ipsis non discedendi absque Sedis Apostolicae licentiâ ex quibusvis, etiam urgentissimis causis, 457.

DV. Archiepiscopo Thessalonicensi committitur, ut deputet visitatorem in locis patriarchatus Aquileiensis Romano imperatori in temporalibus subiectis, 463.

DVI. Quod Fratres Ordinis Praedicatorum professi in conventibus pro novitiatibus non designatis simpliciter emittant novam professionem sine novâ fratrum vocalium acceptatione, 463.

DVII. Confirmatio litterarum Pauli III, Iulii III, Pauli IV, Pii IV et Pii V, Gregorii XIII, Sixti V et Clementis VIII, quibus familiae de Flisco marchionatus Masserani, necnon loca Crepacorii, Quirini, Flecchiae et Rino in feudum perpetuum masculinum conceduntur, cum onere censum annuum camerae apostolicae persolvendi, 465.

DVIII. Imponit in Portugalliae et Algarbiorum ac Siciliae ultra pharum regnis, necnon in Indiis occidentalibus, unam decimam semel Philip-

po IV Hispaniarum regi persolvendam, ut opem Ferdinando II imperatori ferre possit, 468.

DIX. Confirmatio praefinitionis habitus factae inter fratres Discalceatos sanctae Theresiae et fratres Primi Instituti, vulgo de Monte Sancto nuncupatos, 472.

DX. Constitutiones, quibus revocantur vivae vocis oracula, non comprehendunt illos officiales quibus ratione munerum suorum antea de Summi Pontificis oraculo fides haberi solebat, 473.

DXI. Commissio nuncio apostolico apud Poloniae regem, ut, petente metropolitâ Russiae, inhibeat, ne regularium cuiuscumque Ordinis domus aliqua Zyroviciis erigatur, 474.

DXII. Regulares, qui, ultra vota solita, etiam votum emittunt de non petendâ aut non acceptandâ extra religionem dignitate, per quamcumque eorum translationem, seu habitus privationem, aut dimissionem, a voto huiusmodi nullatenus liberantur, 475.

DXIII. Facultas nuntio apostolico in regno Neapolis examinandi testes et procedendi contra episcopos non residentes suis in ecclesiis, 477.

DXIV. Quod assertiones et enunciationes scriptorum et aliorum quorumcumque non faciant fidem, nisi servatâ formâ in hac constitutione praescriptâ, 479.

DXV. Facultas nuncio Neapolitano permittendi civibus Neapolitanis, ut cum clero transigere possint super novo quodam imposito vectigali, 482.

DXVI. Sequitur applicatio pecuniae, quae ex supradicto vectigali clero esset restituenda, fabricae basilicae S. Petri de Urbe, 483.

DXVII. Nuncio apostolico in Belgio committitur, ut detentum ab Hispaniarum regis militibus archiepiscopum Trevirensem in sui custodiam recipiat, 485.

DXVIII. Facultas nuncio apostolico in urbe Neapolis permittendi, ut populus cum clero transigat super solutione cuiusdam vectigalis, ac restitutione solutae pecuniae, eamque exigendi nomine fabricae S. Petri, 485.

DXIX. Archiepiscopo Senonensi et episcopis Lexoviensi et Antissiodorensi mandat, ut circa quamdam causam ipsis commissam, vertentem inter promotorem fiscalem curiae archiepiscopalis Rothomagensis et regulares eiusdem civitatis super iurisdictione archiepiscopi seu exemptione regularium, suam moderentur inhibitionem, 487.

DXX. Avocat ad se causam de qua in constitutione praecedenti, 488.

DXXI. Clerum Leodiensem hortatur, ut Ferdinando archiepiscopo Coloniensi, S. R. I. electori, aliquod subsidium conferre possit, 489.

DXXII. Prohibetur fratribus Carmelitanis Discalceatis in Monte Carmelo, sub poenâ excommunicationis latae sententiae, ne id, quod a christifidelibus pro conservandâ possessione dicti Montis donatum fuerit, in alios usus convertant, 490.

DXXIII. Committitur auditori camerae, ut contra non parentes constitutioni et decreto consistoriali super residentiâ in ecclesiis et beneficiis ecclesiasticis ad omnium censurarum et poenarum in illis contentarum declarationem et exequutionem procedat, 491.

DXXIV. Confirmatio laudi in causis inter episcopum Burgi S. Sepulchri et abbatem monasterii S. Mariae in Balneo, congregationis Camaldulensis,

vertentibus super praetensâ per episcopum subiectione castri S. Mariae in Balneo exercitio iurisdictionis, necnon iure conferendi ecclesias in illius territorio existentes. 492.

DXXV. Confirmatio statuti collegii S. Crucis Vallisoletanae, quo cavetur, ne ullus collegialis ibi ultra novem annos et duos menses permaneat, 496.

DXXVI. Quod ecclesiae regni Hungariae missali et breviario iuxta ritum Romanae Ecclesiae uti debeant, 496.

DXXVII. Quod procurator generalis Ordinum fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium possit supprimere parvos conventus, in quibus non potest substentari numerus sufficiens fratrum pro regulari observantiâ, 497.

DXXVIII. Revocatio litterarum concordiae initae inter provinciam S. Ioannis Baptistae fratrum Minorum Discalceatorum ex unâ et fratrem Onuphrium Legazam ex aliâ, eiusdem Ordinis, cum perpetuo silentio, 498.

DXXIX. De praestatione alimentorum hebraeis pauperibus ad istantiam christianorum creditorum carceratis, 500.

DXXX. Declaratio nullitatis venditionis et emptionis officiorum cruciatae regnorum Castellae et Legionis, 501.

DXXXI. Extensio gabellae super vino et carne exigendae ab ecclesiasticis in Portugalliae et Algarbiorum regnis ad aliud sexennium, 502.

DXXXII. Prohibet, quominus maiorem post pontificalem in cathedralibus et principales in collegiatis ecclesiis dignitates obtinentes, ac canonici magistrales, doctorales, lectores, poenitentiarii et parochialium ecclesiarum rectores in regnis Castellae et Legionis episcoporum familiares esse possint, 506.

DXXXIII. Quod nullus fratrum Ordinis Praedicatorum, per se vel alium, negotium aliquod tractare audeat in Romanâ curiâ, inconsulto procuratore generali dicti Ordinis, 509.

DXXXIV. Quod in provinciis Hispaniarum et Indiarum fratrum sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum amplius non sint neque habeantur tituli lectorum iubilatorum, neque exemptione patris gaudeat, nisi qui minister provincialis fuerit, 511.

DXXXV. Decretum editum a sacrâ Tridentini Concilii congregatione quoad novitios receptos et professos contra formam decretorum, 512.

DXXXVI. Oppida Castri Durantis et S. Angeli in civitates, et eorum collegiatae in cathedrales eriguntur, sub titulo episcopatus Urbaniae, 513.

DXXXVII. Exemptio fratrum Reformatorum Discalceatorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum congregationis Hispaniarum a iurisdictione, obedientiâ et superioritate ministri generalis fratrum Calceatorum eiusdem Ordinis, 518.

DXXXVIII. Declaratio super facultatibus transferendi pensiones, seu, illarum loco, fructus, ac translationibus novasque reservationibus pensionum, seu fructuum antea translatorum, 522.

DXXXIX. Hebraeorum synagogae in ducatibus Ferrariae et Urbini et earum quaelibet tenentur singulis annis decem ducatos auri de camerâ solvere collegio neophytorum et cathecumenorum de Urbe, 524.

DXL. Prohibet Consilio Centumvirorum civitatis Barchinonensis, quominus pro officiis, quae gratis concedi solent, conferendis aut obtinendis quidquam accipiant, 526.

DXLI. Commissio auditori camerae, ut contra Scalensem et Revellensem, ac

alios quoscumque episcopos in suis ecclesiis non residentes, procedat et ad residendum compellat, 527.

DXLII. Poenitentiaria Lauretana eiusque poenitentiarii maiori poenitentiario subiiciuntur, cum nonnullis aliis decretis, 528.

DXLIII. Extensio constitutionis Gregorii XIII, ne subcollectorum et commissariorum spoliorum crimina possint cognosci nisi a nunciis et collectoribus apostolicis in regno Neapolitano, ad excessus et crimina patrata in aliis regnis et provinciis, etiam expletis eorum officiis, 531.

DXLIV. Facultas collectori spoliorum Portugalliae procedendi ad promulgationem censurarum contra violatores immunitatis ecclesiasticae in regnis Portugalliae et Algarbiorum, 533.

DXLV. Confirmatio decretorum pro reformatione provinciae Turoniae Ordinis S. Francisci Reformatorum seu Recollectorum in Franciâ, 535.

DXLVI. Facultates collegii doctorum civitatis Urbini super cognitione causarum, 538.

DXLVII. Iubilaeum universale ad divinam opem implorandam, 540.

DXLVIII. Confirmatio decreti Congregationis de Propagandâ Fide, quo declaratur collegium Hybernorum Lillae in Belgio non esse commune omnibus regni Hyberniae provinciis, sed pro solis duabus provinciis, Lageniâ scilicet et mediâ erectum fuisse, 543.

DXLIX. Quod officium sanctae Theresiae Virginis recitari possit iuxta lectiones a sacrâ rituum congregatione approbatas, 544.

DL. Cardinali ab Auria committitur publicatio Brevis in Sicilia, quo regi conceditur decima ab ecclesiasticis persolvenda, 547.

DLI. Erectio montis communitatum Status Ecclesiastici *tertiae erectionis* nuncupati, 547.

DLII. Committitur auditori camerae, ut, ad instantiam commissarii camerae apostolicae, contra Ioannem Andream ab Auria et alios invasores et occupatores Burgi Vallis Tari, ad sanctam Romanam Ecclesiam pertinentis, procedat, 554.

DLIII. Litterae ad S. R. I. electores de necessitate ac formâ eligendi regem Romanorum, 556.

DLIV. Committitur congregationi confinium, ut contra Marianum Alidosium, qui absque Sedis Apostolicae licentiâ vendidit, et Iacobum ducem Salviatum, qui emit castrum del Rio in provinciâ Romandiolae, procedat, 556.

DLV. Committitur rotae decano absolutio quatuor portionariorum et duorum beneficiatorum ecclesiae Caesaraugustanae a censuris et poenis incursis, eo quod recurrerint ad iudices laicos pro exequutione mandati rotalis, 558.

DLVI. Fratres Ordinis Eremitarum sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum possunt erigere crucem in publicis processionibus, 560.

DLVII. Regis catholici zelus excitatur, ne permittat a suis ministris nonnulla ecclesiarum bona in Portugalliae regno occupari, 560.

DLVIII. Oppidum Mercatelli Urbaniae episcopatui, Lamolae autem oppidum ecclesiae S. Angeli, quoad iurisdictionem ecclesiasticam, addicuntur, 561.

DLIX. Quod de cetero nullus fratrum de Observantiâ in guardianum aut magistrum novitiorum in conventibus Recollectorum provinciae Granatensis deputari possit, quin prius

habitum per eosdem Recollectos gestari solitum susceperit, 563.

DLX. Declarat ministrum generalem fratrum Reformatorum Discalceatorum congregationis Hispaniarum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum post sui electionem nullâ indigere confirmatione, 565.

DLXI. Licentia erigendi Romae ecclesiam, hospitium et collegium pro nationibus provinciae Marchiae, 566.

DLXII. Confirmatio decreti, videlicet, praecedentiam in processionibus in civitate Oriolensi competere Augustinianis supra Franciscanos Recollectos et Discalceatos, 567.

DLXIII. Confirmantur constitutiones collegii Naubertini Carmelitarum Parisiensis antiquae observantiae, 568.

DLXIV. Quod in provinciis sancti Bernardini et sanctae Mariae Magdalenae in Gallia fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum, seu Recollectorum nullus omnino gaudeat privilegiis Patrum provinciae, 579.

DLXV. Erectio duodecim alumnatuum in collegio Urbano de Propagandâ Fide pro Georgianis, Persis, Nestorianis, Iacobitis, Melchitis et Cophtis, 580.

DLXVI. Ne fratres Discalceati Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Hispaniae post emissam professionem possint transire ad Ordinem fratrum Minimorum S. Francisci de Paula, 584.

DLXVII. De constitutionibus clericorum regularium Minorum emendatis a congregatione episcoporum et regularium imposterum observandis, non obstantibus decretis Clementis VIII, 585.

DLXVIII. Quod capitulum generale congregationis clericorum regularium Ministrantium Infirmis de sexennio in sexennium dumtaxat celebretur, 587.

DLXIX. Confirmantur quaedam statuta et decreta pro bono regimine congregationis Galliae Ordinis fratrum Discalceatorum sancti Augustini, 589.

DLXX. Facultas alienandi usque ad summam ducentorum et quinquaginta millium scutorum monetae, necnon reducendi annuos census ad minus interusurium, concessa Congregationi Cassinensi, 593.

DLXXI. Contra eos, qui, mentito nomine vel cognomine, adhuc primâ uxore vivente, ad secundas nuptias transeunt, 595.

DLXXII. Fratres Discalceati Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Barchinonenses absolvuntur a censuris in quas incurrerant ob petitam regii consilii opem, 596.

DLXXIII. Quod de cetero non liceat, pro licentiis laborandi diebus festivis ab episcopo Cartaginensi concedendis pro praeparatione et manutentione artis sericae a mense martio usque ad eius integram confectionem, quidquam exigere, 598.

DLXXIV. Restitutio seu erectio cathedrae praxis medicinae in Romano gymnasio, 599.

DLXXV. Facultas nuncio Sedis Apostolicae Neapoli concordandi cum eâdem civitate et populo nomine cleri super modo exigendi ab eodem clero augmentum cuiusdam vectigalis, 600.

DLXXVI. Praedictas pecunias clero Neapolitano restituendas addicit fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe, 601.

DLXXVII. Sequitur concessio facultatum nuncio apostolico ea peragendi, quae in praecedentibus constitutionibus statuta leguntur, 602.

DLXXVIII. Committit auditori camerae

ut episcopum Calaguritanum absolvat a censuris, si quas incurrit ob recursum per promotorem fiscalem suae curiae factum ad iudices laicos, 603.

DLXXIX. Committitur archiepiscopo Mediolanensi, ut deputatis collegii Helvetici Mediolanensis easdem exemptiones et privilegia concedat, quibus gaudent deputati seminarii et conservatorum collegii Ambrosiani eiusdem civitatis, 604.

DLXXX. Confirmatio synodi provincialis anno MDLXXIV per Cyprianum Pallavicinum archiepiscopum Ianuensem super rebus Ecclesiae non alienandis nec pignorandis habitae, et a congregatione sacri Concilii Tridentini approbatae, 605.

DLXXXI. Quod in provinciâ Granatensi Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nullus frater aut consanguineus in primo et secundo gradu ministri actualis pro tempore possit succedere immediate ad provincialatum dictae provinciae, etc., 609.

DLXXXII. Prohibitio extrahendi libros e bibliothecis et paramenta ab ecclesiis conventuum fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Recollectorum nuncupatorum provinciae Granatensis, 610.

DLXXXIII. Quod minister fratrum de Observantiâ provinciae Granatensis teneatur recipere religiosos missos ex Recollectis eiusdem provinciae, qui a perfectâ suae regulae observantiâ declinarunt, 611.

DLXXXIV. Congregationi Oratorii Neapolitani communicantur omnia privilegia congregationi Romanae concessa, 612.

DLXXXV. Confirmatio, extensio et declaratio constitutionum apostolicarum, prohibentium civitates, castra et alia tam iurisdictionalia quam non iurisdictionalia stabilia tamen bona, in Statu Ecclesiastico consistentia, alienari in forenses absque Sedis Apostolicae licentiâ, et revocatio quarumcumque licentiarum et facultatum adversus praedictas constitutiones concessarum, 616.

DLXXXVI. Quod moniales conversae Ordinis sanctae Clarae monasterii S. Marcelli Parisiensis debeant manuteneri in possessione eligendi abbatissam, 621.

DLXXXVII. Consulit iuribus S. R. E. in electione et confirmatione imperatoris Romanorum, 622.

DLXXXVIII. Confirmatio decretorum sacrae congregationis Concilii super bono regimine cancellariae archiepiscopatus Turritani, 625.

DLXXXIX. Facultas nuncio apostolico apud imperatorem liberandi archiepiscopum electorem Treverensem e custodiâ in qua per biennium nomine Sanctae Sedis detentus fuit, 626.

DXC. Manutentio archiepiscopi electoris Treverensis in possessione, et quasi, in qua tempore suae detentionis erat, respectu ecclesiarum, abbatiarum, statuum et aliarum dignitatum, cum facultate nuncio apud imperatorem cognoscendi et terminandi causas contra eum motas et movendas, 627.

DXCI. Facultas eidem nuncio concordandi cum partibus nomine praedicti electoris super controversiis contra ipsum motis et movendis, 629.

DXCII. Conceditur archiepiscopo Treverensi sacri Romani imperii electori, ut pro electione regis Romanorum suffragium suum ferre possit, perinde ac si conventui electorali interfuisset, 630.

DXCIII. Super praecedentiâ inter regulares diversorum Ordinum, 631.

DXCIV. Commissio gubernatori Marchiae circa repositionem coronae super insignibus civitatis Maceratensis, 633.

DXCV. Quod imagines sanctorum Augustini, Nicolai de Tolentino et aliorum sanctorum Ordinis sancti Augustini depingi nequeant cum habitu, quo Discalceati utuntur, 634.

DXCVI. Confirmatio statutorum universitatis exoneratorum cymbarum seu navium almae Urbis, 635.

DXCVII. Annullatio capituli provincialis fratrum Minorum sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum provinciae S. Bernardini in Gallia celebrati in spretum et contemptum litterarum apostolicarum, 639.

DXCVIII. Circa lectorum iubilationem fratrum Minorum de Observantiâ cismontanae familiae, 640.

DXCIX. Ne parochi plus percipere possint in sepulturis quae fiunt in ecclesiis regularium, quam in eis quae fiunt in propriis, 641.

DC. Indulgentiam plenariam ad divinam opem implorandam, 642.

DCI. Quod abbates monasteriorum pauperiorum Congregationis Montis Oliveti de licentiâ procuratoris generalis possint imponere unum seu plures census pro sublevandis indigentiis eorumdem, 645.

DCII. Confirmatio decreti R. C. A. super pretio aluminum Status Ecclesiastici, 647.

DCIII. Privilegium pro Congregatione Cassinensi contra appellantes et ambientes, 648.

DCIV. Quod provincia Romana fratrum Cappuccinorum subiiciatur generali, et in eius absentiâ procuratori generali eorumdem, eo modo quo ceterae provinciae, 650.

DCV. Quod sacerdos celebrans in altari cappellae S. Catherinae Senensis super Minervam pro animâ alicuius defuncti liberet eam a poenis per modum suffragii. Conceditur praeterea indulgentia plenaria pro visitantibus dictam cappellam in eius die festo communione refectis, 651.

DCVI. Dotatio ecclesiae Babiloniensis in Persiâ, 652.

DCVII. Absolvit novem portionarios ecclesiae Caesaraugustanae a censuris, in quas incurrerant ob praetensos recursus eorum nomine factos ad iudices laicos in causâ inter ipsos et capitulum dictae ecclesiae vertente super distributionibus, 654.

DCVIII. Irritatio actuum factorum, tam per ministros regios Portugalliae et iudices, quam per ministros S. Sedis, super bonis, cappellis vulgo nuncupatis, ecclesiarum et locorum piorum regnorum Portugalliae et Algarbiorum contra iurisdictionem et libertatem ecclesiasticam et iura Sedis Apostolicae, 655.

DCIX. Commissio auditori camerae absolvendi decanum, canonicos et capitulum ecclesiae Hispalensis a censuris ob recursum eorum nomine, sine tamen ullo modo ad id mandato, aliàs factum ad iudices laicos, 658.

DCX. Congregationis Ioannis Dei conventus et hospitalia, in quibus sunt duodecim religiosi, ab episcoporum iurisdictione eximuntur, 660.

DCXI. Superioribus fratrum Ordinis sancti Francisci de Observantiâ, provinciae Aquitaniae antiquioris, facultatem datur litteras dimissoriales suis religiosis ad sacros ordines promovendis concedendi, 661.

DCXII. Prohibitio extrahendi libros ex bibliothecis conventuum fratrum Cappuccinorum ubique existentium cum facultate superioribus commutandi inutiles per syndicos, 662.

DCXIII. Facultas regimini civitatis Bononiensis continuandi gabellas, unam scilicet quatuor solidorum pro qualibet librâ serici exteri, et aliam decem solidorum pro qualibet librâ serici duplicis, durantibus octo annis proxime futuris, ad effectum solvendi aes alienum a camerâ dictae civitatis contractum, 663.

DCXIV. Circa facultatem alienandi usque ad summam ducentorum et quinquaginta millium scutorum monetae, necnon reducendi annuos census ad minus interusurium, concessam Congregationi Cassinensi, declaratio, quod pro huiusmodi alienatione non requiritur licentia protectoris, 664.

DCXV. Facultas magno magistro hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani imponendi gabellam in insulâ Melitanâ pro extinctione aeris alieni contracti ob annonae inopiam, 665.

DCXVI. Confirmatio reductionis monasteriorum Ordinis S. Salvatoris, seu S. Birgittae Belgii in unam congregationem, etc., 667.

DCXVII. Quod fratres strictioris Observantiae sancti Francisci provinciae Principatus non erigant conventum in civitate Neapolitana, sed observent concordiam iam factam, 668.

DCXVIII. Quod in ecclesiis parochialibus, quae sunt membra monasteriorum Congregationis Cassinensis, aut aliàs ab ipsis dependentes, cura animarum exerceri possit etiam per monachos ad nutum suorum superiorum amovibiles, 670.

DCXIX. Contra deferentes habitum tertiariorum tertii Ordinis sancti Francisci, absque licentia superiorum Ordinis, vel deferentes tunicam oblongam cum vel sine caputio, cum mantello, 671.

DCXX. Decretum sacrae rituum Congregationis de non ieiunando in vigiliâ sancti Ioannis Baptistae, quando contingit in die solemnitatis Corporis Christi, 672.

Declaratio, quod non sit ieiunandum in vigiliâ sancti Ioannis Baptistae, quando contingit in die solemnitatis Corporis Christi, 673.

DCXXI. Confirmatio litterarum pontificiarum, ac praesertim Pauli V, circa officium capitanei Portus Ariminensis, 673.

DCXXII. Confirmatio electionis Ferdinandi III in regem Romanorum futurum imperatorem, 674.

DCXXIII. Quod monachi Cassinenses non sunt ullo modo cogendi accedere nisi ad processionem Sanctissimi Sacramenti, 677.

DCXXIV. Preces primariae Ferdinando III regi Romanorum in imperatorem electo conceduntur, 678.

DCXXV. Indulgentia plenaria pro visitantibus ecclesias Societatis Iesu ac communione refectis in festo sancti Francisci Xaverii, cum translatione indulgentiae, quando festum concurrit primâ cum dominicâ Adventus, 684.

DCXXVI. Decimae nonnullae super bonis ecclesiasticis in dominio Reipublicae Venetorum imponuntur in subsidium eiusdem Reipublicae pro sumptibus belli contra turcas, 685.

DCXXVII. Mandatur ecclesiasticis urbis S. Angeli in Vado, eiusque territorii, ut bona emphyteutica, quae per finitam lineam ad ipsos devolvi contigerit, proximioribus denuo in emphyteusim concedant, 690.

DCXXVIII. Personae incapaces beneficiorum Ordinum militiarum S. Iacobi de Spata, Calatrava et Alcantara, quibus per reges, ac aliàs apostolicâ auctoritate, prioratus, commendae et beneficia praedictarum militiarum con-

ceduntur, tenentur solvere partem fructuum ipsorum prioratuum, commendarum et beneficiorum, quam milites de illis provisi solvere deberent iuxta litteras apostolicas et statuta Ordinum praedictorum, 691.

DCXXIX. Extensio subsidii pro civitate Pisanâ eiusque districtu ab ecclesiasticis solvendi ad aliud decennium, 693.

DCXXX. Cavetur, ne quis quidquam dare seu promittere possit cuivis personae ad effectum consequendi affictus et subaffictus vallium Comaclensium, aut alicuius illarum, 696.

DCXXXI. Mandat nonnullis episcopis Galliae, ut intra triennium nonnullos archiepiscopos et episcopos eiusdem regni, in eorum vitâ et moribus reprehensibiles, moneant ut resipiscant, 697.

DCXXXII. Contra ambientes dignitates et officia Ordinis sancti Hieronymi congregationis Fesulanae, 698.

DCXXXIII. Facultas cardinali ab Auria archiepiscopo Panormitano conceditur quoddam vectigal ecclesiasticis secularibus et regularibus suae dioecesis imponendi pro dissolvendo aere alieno eiusdem civitatis, 700.

DCXXXIV. Moniales reformatae sanctae Mariae Ægyptiacae Neapolitanae iurisdictioni et correctioni pro tempore existentis nuncii apostolici subiiciuntur, 704.

DCXXXV. Confirmatio capitulorum camerae apostolicae anno MDLXII editorum, et a Pio IV confirmatorum, pro felici et celeri mercium per Tyberim in Urbem subvectione, 705.

DCXXXVI. Confirmatio litterarum Gregorii XIV ad favorem immunitatis ecclesiasticae emanatarum contra diversos abusus, qui in dioecesim Seguntinam irrepserant, 708.

DCXXXVII. Quod tam Indi, quam Mestizi, necnon Æthiopes et Mauri seu Mulatti nuncupati, possint satisfacere praecepto confessionis et communionis annuae a dominicâ Septuagesimae usque ad octavam Corporis Christi in regno Peruano et Paraguay, 711.

DCXXXVIII. Commissio collectori Portugalliae, ut quibusvis personis inhibeat, ne quis Indos occidentales et meridionales vendat, in servitutem redigat, vel uxoribus, filiis et bonis suis privet, 712.

DCXXXIX. Privilegia molitoribus Urbis concessa, 714.

DCXL. Confirmatio patentium litterarum prioris generalis Carmelitarum super concessione fundationis unius eremi in Gallia, cum conditionibus in eâ insertis, 717.

DCXLI. Erectio custodiarum fratrum strictoris Observantiae S. Francisci cismontanae familiae in provincias reformatas, 719.

DCXLII. Declaratio, quod per alienationem quorumcumque locorum in Statu Ecclesiastico existentium non censetur translatus in acquirentem titulus ducatus, principatus, marchionatus vel comitatus, locis huiusmodi annexus, vel in eis erectus, vel illum transferendi data facultas, nisi in licentiâ alienandi id expresse concessum fuerit, 721.

DCXLIII. Praefinitio numeri magistrorum provinciae Romanae Ordinis Praedicatorum, 722.

DCXLIV. Quod priores provinciales provinciae Romanae Ordinis Praedicatorum debent [illegible] biennales, 724.

DCXLV. Confirmatio [illegible]cessionum domorum regularium de Observantiâ fratribus Reformatis sancti Francisci quomodolibet factarum, 724.

DCXLVI. Collegia S. Nicolai de Anexiaco

et de Ruvere in civitate Avenionensi subiiciuntur regimini sacrae Congregationis de Propaganda fide, 726.

DCXLVII. Quod secretarii generales Ordinis Minorum de Observantiâ in ministrum seu commissarium generalem eligi non possint, nisi transacto sexennio ab expleto suo officio, 729.

DCXLVIII. Confirmat omnia et singula privilegia a Clemente VIII provinciae S. Ioannis Baptistae Ordinis fratrum Minorum Discalceatorum nuncupatorum regularis Observantiae sancti Francisci in Hispaniâ concessa, 730.

DCXLIX. Erectio alumnatus pro Abyssinis ac Bracmanis in collegio Urbano de Propagandâ Fide, 734.

DCL. Abrogat omnia et singula privilegia personalia per religiosos Congregationis Clericorum regularium Minorum nuncupatorum obtenta, quae eorumdem constitutionibus adversantur, 739.

DCLI. Declarat, quod in monasteriis S. Basilii del Tardon et S. Antonii de Gualliguillos choristae et sacerdotes quartam, laici vero alias tres partes constituant, 741.

DCLII. Indulgentia plenaria perpetua pro confratribus et consororibus confraternitatis sub invocatione Conceptionis B. Mariae Virginis loci de Chaul Goensis dioecesis in Indiis orientalibus, 743.

DCLIII. Abrogatio omnium privilegiorum personalium fratribus Ordinis Minorum concessorum, 744.

DCLIV. Restitutio patrum provinciae et revocatio seu moderatio Motusproprii Gregorii XV pro totâ familiâ ultramontanâ Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ, 746.

DCLV. Declaratio, quod quaecumque pactiones particularium personarum super montibus vel locis montium quocumque, factae absque Sanctae Sedis vel protectorum aut officialium ad id et ad conficiendum litteras patentes deputatorum licentiâ, non attendantur, nec afficiant montes et loca huiusmodi, 748.

DCLVI. Contra superiores Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ et Reformatorum, qui, favores extra suum Ordinem attendentes, officia, dignitates et gratias concedunt; et contra eosdem fratres dictos favores conquirentes, etc. 749.

DCLVII. Quod consilium status hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, sede magistrali vacante, possit quidem uti suâ ordinariâ auctoritate in providendo rebus dicti hospitalis et insulae Melitanae, non tamen adimere seu diminuere privilegia, redditus et iura magno magistro competentia, 750.

FINIS TOMI DECIMIQUARTI

V. ex delegatione D. D. Archiepiscopi Taur.
P. Clodovaeus a Costiliolis Ord. Min.

ERRATA-CORRIGE

HUIUS NOSTRAE EDITIONIS.

Pag.	12 *a*	linea	4 *ult.*	14 *	*Lege*	12
»	14 *a*	»	23 *ult.*	acceptae **	—	acceptatae
	17 *b*	»	17	debeant	—	debeant [4]
	79 *a*	»	26	an. VI	—	an. VII
»	83 *a*	»	4 *ult.*	posse, sic etc.	—	posse.
	123 *a*	»	12-13	camerâ	—	camerâ [4]
	136 *b*	»	3	filio nostro	—	filio nostro Francisco
	141 *b*	»	6 *ult.*	status ecclesiastici [4]	—	status [4] ecclesiastici
	158 *a*		*nota* 1	*singuli*	—	*singulis*
	160 *b*	»	11	indulgentiae [4]	—	indulgentiae [3]
	160 *b*	»	13 *ult.*	continetur [4]	—	continetur [2]
	316 *b*	»	17	MDCXCIII	—	MDXCIII
	316 *b*		*nota* 2	*iudicum*	—	*iudicium*
	376 *b*	»	15	6 martii	—	10 martii
	391 *b*	»	15	22 martii	—	28 martii
	400 *b*	»	5 *ult.*	agrediantur	—	aggrediantur
	400 *b*	»	3 *ult.*	contradictione [40]	—	contradictione. [40]
	419 *a*	»	12 *ult.*	ipsi	—	ipsis
	419 *a*		*nota* 3	*ipsis*	—	*ipsis, si*
»	420 *a*	»	14 *ult.*	commississent	—	commisissent
	423 *a*	»	9	30 iunii	—	8 aprilis
	425 *b*	»	28	XXIV	—	VIII
	472 *a*	»	13	cetera ***	—	ceteras
»	522 *b*	»	16	MDCXXXV ****	—	MDCXXXVI
	574 *b*	»	5 *ult.*	consiliaris	—	consiliarius
	584 *a*	»	4 *ult.*	pastoralis debitum	—	pastoralis officii debitum
»	593 *b*	»	9 *ult.*	subsidiorum, sedis	—	subsidiorum Sedis
»	658 *b*	»	1 *ult.*	5 iunii	—	5 iulii
	741 *b*	»	9	pastorali	—	pastoralis

* Error ex edit. Main. tom. VI. par. I. pag. 128 *b*.
** Error ex edit. Main. tom. VI, par. I, pag. 128 *b*, lin. 23.
*** Error ex edit. Main. tom. VI, par. II, pag. 22 *b*. lin. 1.
**** Error ex edit. Main. tom. VI. par. II, pag. 54 *b*. lin. 2 *ult.*
***** Error ex edit. Main. tom. VI. par. II. pag. 96 *a*. lin. 5 *ult.*

Typothetarum specimina
repetitis curis contulit et revisit I. B. Dusso Taurinensis.

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

BX
850
A37
1857
v.1[4]
c.1
ROBA